SUMMA THEOLOGIÆ EX SCRIPTURIS REPETITA

A

JOHANNE COCCEJO,
S. S. Theologiæ Professore.



AMSTELÆDAMI,
Apud JOANNEM RAVESTEINIUM, Civitatis & Illustris Scholæ Typographum ordinarium.
cIↃ IↃC LXV.

Joh. Conrad Caißenig D.

SUMMA

THEOLOGIÆ

EX SCRIPTURIS

REPETITA

A

JOHANNE COCCEJO,

S.S. Theologiæ Professore.

AMSTELÆDAMI,

Apud Joannem Ravesteynium Civitatis Illustris

Scholæ Typographum ordinarium.

BENEVOLE LECTOR,

FRequentem esse in sacris literis cohortationem ad confitendum & celebrandum *Deum*, *in confesso est. Patet autem, hoc officio etiam illos fungi, qui doctrinam Christianam scriptis explicant, defendunt, propagant. Quare non mirum est, omni ætate multos hactenus esse repertos, qui id conati sint facere, singuli pro dono, quod acceperunt. Quos à Deo ad hoc esse excitatos, dubitare non licet; quia id factum est secundùm Scripturarum prophetias & instigationes. Imprimis ab illis, qui ad hoc singulari opportunitate invitati sunt, & timerem adhibuerunt scriptioni suæ, ne quid de Deo & regno ejus atque justitia dicerent, nisi* docti à Deo. *Quamvis igitur multi id fecerint & quotidie faciant, non tamen est putandum, ex superfluo fieri, si in id opera ponatur præterea: quasi jam satis scriptum sit à multis, & fortasse tantum, quantum mundus ferre potest. Id ne putes, amice Lector, facile adduceris, si ista consideraveris. I. Omnis sermo Ecclesiæ revera nihil aliud est, quàm exhortatio ad quærendum Deum & verbum ejus. quemadmodum dicit Esaias:* Ibunt populi multi, & dicent, Agite, ascendamus ad montem Jehovæ, ad domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itineribus ejus. Nam ex Sione exibit Lex & verbum Jehovæ Hierosolymis. *Ergo, qui docent,*

hoc agunt, ut auditores suos & lectores librorum suorum ad audiendum & legendum verbum Dei adducant, & in ejus intelligentia adjuvent, quisque pro modulo suo. II. Constat, in Ecclesia cognitionem magis magisque abundaturam, & mysteria Dei revelanda esse. Quare non aliter sentiendum est, quàm distribuere Deum dona sua variè, & velle semper aliquod novum munus in Ecclesia sua spectari, & à Scribis *& tractatoribus sacrarum literarum, qui* se discipulos stiterint ad *cognoscendum & quærendum* regnum cœlorum, proferri & vetera & nova, *&* novum canticum *semper cantari. III. Quum illi, qui in errore versantur, non sileant, turpe esset, eos, quibus veritatis cognitio donata est, imprimis quum iis detur tempus & commoditas, non multò etiam enixius de veritate loqui, & eam explicare. IV. Nulla lex est, quæ jubeat eum, qui sequitur, esse contentum eis, quæ priores cogitaverint, didicerint, perceperint, explicaverint. Imò, quia, ut diximus, profectus Ecclesiæ promissus est, turpis ignaviæ foret, non experiri & periclitari divinam gratiam. Fidei porrò est, inquirere in ea, quæ ab hominibus audivimus, an ea se ita habeant. Neque ea nititur verbo humano, sed divina* auctoritate & sapientia. *Non igitur utile est Ecclesiæ, ullum scriptum humanum habere* auctoritatem *& nimis magnum precium. Æstimandis patrum scriptis & electione dicendi, quod multitudo dicit, nata est ea Ecclesia, quæ in Prophetia appellatur* Bestia. *Hoc faciunt*

ciunt gentes, quæ Deo mentiuntur. *V. Tametsi nullus profectus in Ecclesia exspectandus esset, & à prioribus jam omnia essent sic explicata, ut oportet; nempe verbis maximè idoneis, ordine aptissimo, comprehensione plenissima: nihilominus bonum esset, idem ex Scripturis à multis sæpe dici; ut appareat, nihil aliud ex Scripturis disci posse. Sed, etiamsi aliquid ex Scripturis discatur (non quidem extra, quod à prioribus demonstratum est, fundamentum, sed superædificandum fundamento, aut ad id confirmandum pertinens) quod priores non viderint, aut saltem non in iis, quæ exstant, scriptis reliquerint; est ea gloria Scripturæ & Dei, qui sua dona (ut* revelationem *& animadversionem) dat, cui vult, & quando vult: neque detrahitur quicquam prioribus, per quos posteriores eò usque profecerunt, ut possint aliquid adjicere ad ea, quæ ab illis deprehensa & explicata sunt. quum contra pudor sit posteriorum, non tenuisse, quæ priores viderunt & rectè explicarunt: minusque nosse, quàm quod per illos explicatum est; aut etiam à via vera, quam ii tenuerunt, discedere, hoc est,* [illegible] *&* exemplari salubrium eloquiorum *quod in Scripturis est, & comparatione* spiritualium; *vel etiam illorum laboribus non uti, ad pleniorem sapientiæ, quæ in Scripturis est, cognitionem consequendam. Quam si nondum plenissimam assecuta est Ecclesia, ne hoc quidem mirandum fuerit: nisi velimus statuere, Ecclesiam jam decertasse; & nos* divites esse, ni-

hilque nobis deesse; *aut magnum Dei opus, quod exorsus est, in hoc, quod habemus & assecuti videmur, tanquam colophonem & apicem desinere & in eo consummari. Atque hæc hactenus præfatus sum, Benevole Lector, ne ægrè ferres, si quid ab eis, qui donum aliquod à Deo acceperunt, etiam imposterum tibi communicetur. Me quod attinet, quid & quale jam tibi offeram, malo te cognoscere ex ipso libro: & inde institutum meum, si id tua referre putes, animadvertere, atque etiam, qua fide vel prudentia egerim, an satis prima mediis & ultimis respondeant (ut oportet fieri in systemate veritatum in uno fundamento exadificatarum) & an omnino videar accepisse, de quo ut villicus respondere debeam, quodque non fuerit sepeliendum. Tantùm hoc te scire velim, mihi hoc opus à discipulorum iis, qui apud me in precio sunt, cupientibus ea colligi à me & perfici, quæ diverso tempore de partibus Theologiæ disputata erant; & ab amicis jubentibus ea suppleri, quæ in Summa fœderis inchoata erant, extortum esse: & me, postquam id publico commisi, cupere per omnes emendari, &, si Deus vitam det, imposterum sedulò in hoc incubiturum, ut, quantum ejus fieri potest, per divinam gratiam, exorsa hæc fiant quotidie meliora & uberiora. si porrò per hæc aliquem ad sacrarum literarum amorem & meditationem animavero, id pro magno opere pretio disputaturum. Vale. Lugduni Batavorum, ante idem 13 Iulii, Anno 1662.*

INDEX

INDEX CAPITUM.

1. De Theologia & ejus tradenda Methodo. pag. 1.
2. De S. Scriptura necessitate. 16
3. De auctoritate Scriptura. 23
4. De libris Canonicis. 38
5. De perfectione sive sufficientia Scriptura. 51
6. De perspicuitate & interpretatione Scriptura. 71
7. De fundamento. 90
8. De argumentis naturæ cognitis, quibus demonstratur, esse Deum. 97
9. De nominibus Dei. 125
10. De attributis Dei communicabilibus. 142
11. De Deo Patre & Filio & Spiritu S. 155
12. De processione Spiritus sancti ex Patre & Filio. 178
13. De divinis nominibus, attributis & operibus secundum sanctas personas distinctis. 186
14. De consilio Dei in genere. 198
15. De creatione in genere. 209
16. De Angelis bonis & malis. 221
17. De homine ad imaginem Dei condito. 234
18. De hominis primi immortalitate. 246
19. De conjugio. 256
20. De dominio, quod primo homini attributum. 257
21. De Sabbato primo. 261
22. De Fœdere operum & justitia legali. 269
23. De vita sacramento. 278
24. De peccati natura. 282
25. De creatura rationalis libertate & mutabilitate. 291
26. De exploratione hominis. 300
27. De transgressione hominis, itemque lapsu Angelorum & sanctorum Angelorum conservatione. 303
28. De providentia Dei, etiam circa mala. 311
29. De hominis per peccatum corruptione. 320
30. De propagatione peccati. 333
31. De fœderis operum evacuatione prima, & Legis impotentia. 350
32. De libertate arbitrii peccatoris. 360
33. De consilio gratiæ exercendæ, ubi de Testamento. 382
34. De Mediatore & Sponsione Testamenti. 387
35. De Sponsionis effectu. 392
36. Consilium de duplici œconomia. 393
37. Confirmatio doctrinæ de consilio gratiæ, in oppositione Iræ, per illustria dicta Scripturæ: in quibus Prædestinationis & Electionis mentio est. 395
38. De consilio iræ exercendæ. 404
39. De ordine decretorum & objecto prædestinationis. 410
40. De promissione. 412
41. De fœdere gratiæ. 423
42. De vocatione hominis ad salutem. 429
43. De vetusta Traditione. 438
44. De regeneratione. 445
45. De resipiscentia. 452
46. De fide. 456
47. De fide Patrum. 480
48. De justitia fidei. 484
49. De Sanctorum perseverantia. 505
50. De certitudine salutis. 516
51. De justitia Patrum ante legem. 525
52. De sacramentis fœderis gratiæ. 530
53. De sacramentis, quæ fuerunt ante legem. 537

54. De

54. De Veteri Testamento. 543
55. De sacramentis V. Testamenti, qua addita sunt circumcisioni. 576
56. De promissione Novi Testam. 587
57. De praparatione Novi Testamenti antecedanea, sive de Veteris appropinquatione ad abolitionem. 598
58. De Christi incarnatione. 604
59. De Christi unctione & triplici officio. 617
60. De Christi humiliatione & passionibus. 627
61. De satisfactione Christi. 641
62. De Christi exaltatione. 659
63. De Euangelio. 669
64. De Sacramentis Euangelio additis: in specie de Baptismo. 684
65. De sacra Cœna. 696
66. De Missa. 704
67. De sacramentis supernumerariis. 718
68. De fide Novi Testamenti. 723
69. De justificatione fidei Euangelii. 732
70 De meritis operum. 745
71. De vocatione gentium. 751
72. De judiciis infidelium. 758
73. De judiciis infidelium ex gentibus. 766
74. De distinctione Ecclesia Vet. & Novi Testamenti, & libertate Christiana. 769
75. De capite Ecclesia. 788
76. De legibus & judiciis Ecclesiasticis. 794
77. De ministrorum Ecclesia vocatione & functione tum singulorum, tum congregatorum in Synodis; deque lege cœlibatus. 805
78. De habitudine Ecclesia ad regnum mundanum. 821
79. De lucta. 833
80. De persecutione & afflictionibus. 836
81. De corruptione introducta in doctrina & regimine. 831
82. De commixtione Bestia cum Ecclesia. 847
83. De conservatione Ecclesia in regno Bestia. 856
84. De Antichristo. 864
85. De liberatione Ecclesia ab Antichristo. 873
86. De regno Ecclesia. 882
87. De fine seculi. 886
88. De operum bonorum necessitate & consecutione ex fide. 889
89. Brevis repetitio Decalogi. 905
90. De precatione. 936
91. De consiliis. 946
92. De Praceptis, qua dicuntur superaddita Decalogo. 955
93. De Magistratu. 961
94. De morte piorum. 967
95. De statu fidelium defunctorum. 971
96. De resurrectione mortuorum & judicio. 981
97. De vita aterna. 987

SUM-

SVMMA THEOLOGIÆ.

CAPUT I.

De Theologia, & ejus tradendæ Methodo.

ΘΕΟΛΟΓΙΑ est cognitio vel sermo ἔ θεολόγυ. Θεολόγ& (ut omittamus ea, quæ non inserviunt instituto nostro) est ὁ τὰ θεὸν ἐκ θεῦ ἐνώπιον ἔ θεῦ εἰς δόξαν αὐτὲ λέγων, *qui Deum ex Deo coram Deo ad gloriam ejus dicit.* Ita Paulus dicit, se *Deum suadere, non homines*, Gal. 1:10. h. e. se suadere obedientiam Dei, non hominum. Item totum hoc, quod fidei proponitur, *nomen Dei* appellatur. Johan. 17:26. *Notificavi illis nomen tuum*, h. e. quid de te sentiendum, dicendumque sit; quæ tua virtus sit, quæ celebranda est & glorificanda. Inde *nominare nomen Dei* ponitur pro tota religione. Rom. 10:13. 2. Tim. 2:19. quia Deo gloriam dare, deque eo cogitare & dicere, quæ convenit, eumque Deum suum in veritate appellare, tota religio est. Ergo θεολόγυ imprimis est *Deum dicere.* Psalm. 139:20. Sed *ex Deo.* Nam ex eo est sapientia. Prov. 2:5. *Coram Deo*, & *in Deo.* 2. Cor. 2:17. *Sermonem Dei tanquam ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* Deus enim judex præsidet in conscientia; &, nisi in Spiritu Dei, nemo Christum Dominum potest dicere. 1. Cor. 12:3. Deum autem, &, quæ sunt Dei, *propter Deum*, propter quem & ad quem sunt omnia, dicere oportere, clarissimum est. Nam &, qui Deum & divina loquitur non ex amore Dei & sic ad gloriam Dei, is neque verè Deum loqui potest, quippe quem non cognoscit, neque ex Deo & in Deo loquitur; & concupiscentiam suam loquitur, in bona autem conscientia non loquitur. *Quid Theologia?*

2. Cæterum maximè decere hominem θεολογῆν, & nullum opus *Theologia bo-*

mini necessaria.

opus esse, quod eum magis deceat, ex eo patet, quia hominem à Deo esse, & nisi à Deo esse non posse, evidens est; compertumque est, nullam veritatem (veritatem autem cognoscere hominem à bestia distinguit) absque Deo cognosci posse; & nullam esse sapientiam, rectique ac pravi, boni ac mali notitiam, quæ non in cognitione Dei fundetur; denique hominem, ut omnia opera Dei, ad ipsum & propter ipsum facta esse; & hominem singulariter, quippe intelligendi & volendi facultate præditum, ad Deum & gloriam ejus esse non posse, nisi secundùm Deum sit, ad cujus imaginem factus est, & Deum, qui solus bene ab ipso diligi & appeti potest, ita diligat, &, tanquam verum & suum bonum, appetat. Nam ex iis omnibus efficitur, hominis potissimùm esse, non tantùm cognoscere Deum, & amare, sed etiam ex eo amore in veritate nomen Dei ad gloriam ejus nominare.

Cognitio Theologi in via & patria, & ejus ἐχέτυπον.

3. Cognitio Theologi, quam in vita hac habet de Deo, non est ea cognitio, quam habet Deus de se & in se ipso; & qua Pater cognoscit Filium, & Filius (in quo est nomen Dei, Exod. 23:21.) Patrem; vel Spiritus sanctus scrutatur profunditates Dei: neque illa, qua cognoscemus Deum in patria, quum cognoscemus, quemadmodum etiam cogniti sumus; sed ex parte, quasi in ænigmate. 1. Cor. 13:8.9.10.12. Cujus ἐχέτυπον est id, quod Deus de se in vita hac distinctis temporibus notificare & cognoscendum dare decrevit.

Cognitionis Dei modus in hac vita, & ejus veritas.

4. Interim ea cognitio est vera, etiamsi non sit adæquata: quia, quæ de Deo cognoscuntur partim negativè, separando illa, quæ sunt infirmitatis & imperfectionis; partim in imagine; partim per attributionem ὑπεροχῆς ἀνεφίκτου *eminentiæ inaccessibilis* (dum recognoscimus, eum habitare lucem inaccessam) carent omni mendacio: licèt plus in re ipsa sit, quàm à nobis intelligi potest.

Theologia hominum imperfecta.

5. Et non tantùm Theologia *viæ* imperfecta est, si comparetur cum Theologia *patriæ*: sed etiam in omnibus est imperfectior, quàm in via cognosci poterat. Nam quis vel Apostolorum vel prophetarum omnia mysteria, quæ in verbo Dei sunt, intellexit? Nedum ut alii non Prophetæ & Apostoli pervenerint eo usque, ut nihil amplius ex verbo Dei possint discere, nihilque ultra per id possit revelari. In illa igitur imperfectione, quæ cum perpetuo profectu conjuncta est, sunt, qui habent πνεῦμα τῆς πίστεως, *spiritum fidei*, qua se affigunt Deo revelanti, & in Salutare Dei reclinantur,

parati

parati veram sapientiam & prudentiam discere per institutionem Spiritus sancti: sunt item, qui acceperunt λόγον σοφίας *sermonem sapientiæ*, quo ad conscientiam ostenditur veritatum divinarum connexio, conformitas, plenitudo, certitudo; & falsitates omnes refutantur: sunt, qui acceperunt λόγον γνώσεως, *sermonem circumspectionis* sive prudentiæ, ad cavendam viam malam, ad probandum potiora, ad discernendum spiritus; sunt, qui acceperunt προφητείαν, nempe illam ordinariam, qua verbum Dei exponitur. De quibus loquitur Apostolus 1.Cor.12:8.9.10.

Cognitio Dei imperfecta salutaris est cognitio & retentio Principii ac Fundamenti.

6 Quamvis autem Theologia viæ sit imperfecta, tamen habet illum usum, ut per ministerium ejus οἱ σωζόμενοι, *qui salvantur*, accipiant cognitionem Dei veram, per quam salventur; ut possint dici *Scire veritatem*, imò *scire omnia*. 1 Johan.2:20.21. Quod verè dicitur de illis, qui tenent *principium*, per quod Deus revelat nomen suum, quiq; *fundamentum*, in quo concentrantur omnes partes veritatis, ex eo didicerunt. Ii enim Deum & verbum ejus non ignorant; & id sciunt, in quo omnia continentur; & extra quod nihil est, quod necessarium sit scitu ad salutem, quod ad illud liceat addere. Ideò autem *omnia* in *fundamento* continentur, quia cognitio Dei facit sapientes. Sapientia autem sine ἀναλογίᾳ *harmonia, proportione, conformitate partium* esse non potest. Et, qui *fundamentum* didicerunt, *norunt omnia*; quia *sciunt*, *mendacium ex veritate non esse*, sed, quicquid ex vero sequitur, esse verum. 1.Johan.2:21. Qui enim id novit, ex quo nihil nisi verum sequitur, & quod est *ipsa veritas*, & novit, mendacium ex veritate non esse, atque ita cum ea copulari non posse, novit omnia.

Theologiæ finis.

7.Diximus, Theologiæ propositam esse gloriam Dei; nempe ut homo sit ad Deum. quod non potest fieri, nisi si Deus fiat aliquando glorioſus & admirabilis in homine, 2.Thess.1:10. & eum satiet atque impleat, tanquam bonum ejus, & in eo sit omnia. 1.Cor. 15:28. Unde &, qui gloriantur in spe vitæ æternæ & fruitionis Dei, dicuntur *gloriari in spe gloriæ Dei*, Rom. 5: 2. quia gloria Dei, h.e. Deum glorioſum fieri in nobis, est bonum nostrum, & spei nostræ objectum.

Theologia est practica.

8.Porrò, quandoquidem Theologia tota est comparata ad glorificandum Deum, ad amandum eum, ad eum quærendum, ad ei credendum, ad lætandum in eo, & eum colendum, non potest dubitari, eam esse practicam. Quippe quæ doceat hanc πρᾶξιν; atque

ita doceat, ut nulla sit veritas in Theologia, quæ non per se πρᾶξιν doceat. Sume hoc: *Deus est.* Statim subit cogitatio, Ergo nostrum est, Deum cognoscere, eum non abnegare, sed potiùs animo, lingua, opere confiteri, quòd ipse sit, & quidem dominus noster sit. Ita etiam in dæmonibus hæc veritas habet, quam oportet in illis habere, efficaciam. Nam credunt, Deum esse, & horrescunt. Jacob. cap. 2:19. Nam, qui *Deum* novit esse, novit esse eum, à quo ipse est, ut & omnia; ad cujus imaginem factus est; cujus ipse est; cui debet gratiarum actionem & glorificationem; qui propter eum fecit omnia, ut per ipsum ea sint ad illius celebrationem, tum, quæ homo cognoscere, & quibus uti potest, tum, quæ supra suam cognitionem & usum tractationemque sita esse in operum Dei impervestigabili magnitudine deprehendit; denique, qui bonum ipsius est, præter quod nullum bonum rectè, ut suum bonum, quærere possit, & contemtores sui, quia se abnegare non potest, judicaturus sit. Talia enim sunt, quæ, quum *Deus* nominatur, se sistunt menti nostræ cogitanda, illa sistente & animum in illa cogitatione vel benè & gnaviter vel perperam & nequiter se gerentem dijudicante conscientiâ. Quare causa non est, cur non, quam Apostolus vocat *cognitionem veritatis, quæ est secundùm pietatem*, sit Theologi cognitio; &, quam vocat *doctrinam secundùm pietatem*, h.e. ad pietatem efficiendam idoneam, ea sit doctrina Theologi. Tit. 1:1. 1. Tim. 6:3. Atque ita est secundùm pietatem vera Theologia, ut sine pietate parari & haberi non possit. *Timor Dei est sapientiæ initium*, dicit Scriptura Ps. 111:10. Prov. 1:7. 9:10. imò *sapientia*, Job. 28:28. Quod sanè planissimum est. Nam, qui se non Deo velit adjungere, vel etiam subjicere judicio ejus ut peccator, aut testimonio ejus ut ignarus divitiarum Dei & à sapientia ejus longè remotus, neque ea, quæ audit, ad gloriam Dei & amorem ejus referre: quomodo poterit cognoscere, quæ Deus in verbo suo loquitur & de suis secretis & decretis aperit? Quare & Psaltes dicit, *Secretum Domini*, imò *familiare commercium, esse timentibus ipsum, & fœdus ipsius, ut eos gnaros faciat.* Psal. 25:14. Cui succinit, quod Servator dicit Joh. 14:21. *Qui habet mea præcepta, & ea retinet, is est, qui me diligit. Qui autem me diligit, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & me conspiciendum præbebo ipsi.* Etiam Paulus 1. Cor. 2:14. *Animalis homo non recipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei, quia ipsi stultitia sunt: neque potest cognoscere, quia spiritualiter*, non sine amore & timore Dei,

Dei, qui est à spiritu ipsius, *examinantur*. Et rursus Servator Joh. 7:17. *Si quis velit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar*. Qui Deum hactenus novit, ut cupiat bonam conscientiam habere, & verbo jam audito parere, ei Christi doctrinam, unde sit, cognoscere facile est. Qui enim bonæ conscientiæ studium à se repellunt, 1. Tim. 1:19. ii non possunt audire sermonem Christi. Qui autem eum non possunt audire, nec cognoscere eum possunt. Johan. 8:43. *Quare meam loquelam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* h. e. animus vester abhorret à sermone meo, ita ut eum audire ad prudentem ἀνάκρισιν non sustineatis. Ex hac mente rectum est, quod dicit Nazianzenus in oratione 29. *De dogmate & constitut. Episcoporum.* Διὰ πολιτείας ἄνελθε· ἀφ' καθάρσεως κλῆσιν τὸ καθαρὸν. βούλῃ θεολόγος γενέσθαι καὶ τῆς θεότητος ἄξιος; τὰς ἐντολὰς φύλαττε· ἀφ' ἔργων πορεύου μάτων ὁδὸν. Πρᾶξις γὰρ ἐπίβασις θεωρίας.

9. Porrò, quod diximus, ex Deo Theologiam esse, & non nisi Deo præceptore homines nosse, quid de Deo dicendum sit: id nos ducit ad cogitationem de Theologiæ principio, sive de medio, per quod Deus hominem docet ea, quæ de se cognosci vult, quæq; de ipso cognosci necesse est, ut homo *imago* ipsius esse possit. *Principium aut medium cognoscendi Theologiam.*

10. Hîc sese offert duplex medium. I. Τὰ πνήματα, per quæ inde à jactis mundi fundamentis invisibilia Dei animadversa conspiciuntur, ipsius æterna potentia & divinitas: tum etiam inter ea πνήματα hominis *conscientia*, docens τὰ καθήκοντα, & Dei justum judicium. Rom. 1: 20. 21. 28. 32. cap. 2: 1. 14. 15. II. Verbum Dei, quo sua secreta revelavit. Unde, quæ duce ratione cognosci de Deo possunt, & sunt φανερὰ *manifesta*, τὸ γνωστὸν θεοῦ *cognoscibile Dei* appellantur; quæ autem non nisi per ἀποκάλυψιν *revelationem* noscuntur, μυστήριον *arcanum*, sive, ut Latini loqui amant, *sacramentum*, h. e. *sacrum secretum* vocantur. Et, quæ natura ac *factis Dei* nota sunt, ea faciunt γνῶσιν; quæ autem revelantur, πίστει *fide* tenentur; quæ in testis scientia & virtute recumbit. Quæ tamen *fides*, quatenus vel terminos percipit, vel ipsam testimonii *decentiam* (loquor cum Apostolo in epistola ad Hebræos cap. 2:10. 7:26.) fatetur, & ita tum, quæ testimonio divino præsupponuntur, agnoscit, tum, quæ ex eo consequuntur, colligit & concludit, γνῶσιν à se non repudiat, sed includit.

11. Quare neque magni ponderis est subtilitas eorum, qui *Fidei & Theologia distinctio.*

inter *fidem* & *Theologiam* distinguunt. Verum est, Theologum plura nosse, quàm fidelem quemvis: tamen Theologus verus non est, nisi fidelis: & *fides* tam amplectitur confirmationem & elucidationem mysterii, ut intelligatur esse sapientia, quàm ipsam veritatem fundamentalem; & non minùs consequentias, quàm id, ex quo consequentiæ deducuntur. Quæ sunt *fidei*: licèt rationis sit, eas consequentias ex priùs notis & palàm propositis deducere; idque mediante terminorum & rerum præsuppositarum, imprimis decentiarum sive virtutum Dei, prænotione.

Traditio sine scriptura & per scripturam.

12. *Revelationem* videmus aliàs per traditionem ἄγραφον *sine scriptura* conservatam; aliquando autem etiam per scripta divulgatam & privatæ publicæque omnium notitiæ commendatam. Ergo exquirendum est, quod nobis sit *principium* Theologiæ, h. e. instrumentum certum & summæ auctoritatis ad cognitionem Dei habendam: per quod fiamus idonei ad docendam veritatem, ad redarguendam falsitatem, ad lapsos corrigendos, ad ducendum in justitia. Nam hæ sine dubio sunt partes operis boni, quod qui in bona conscientia facit, Theologus, sive, ut Apostolus loquitur, ἄνθρωπος θεοῦ *vir Dei* rectè appellari potest. 2. Tim. 3: 17.

13. Atque hîc nobis distinguendum est tempus illud, in quo homo rectus & integer fuit; ab eo, quo jacet in malo: itemque tempus illud, quod legem antecessit, atque illud rursus, quod post legem datam venit.

14. Nam homini recto sua conscientia sola per se magistra erat, quid facto opus esset, & quæ spes ejus esset, qui fecisset, quæ oportebat facere. Quanquam etiam Deus ei locutus est.

Cognitio naturalis de Deo non prodest sola ad salutem.

15. Postquam autem peccatum intravit in mundum, *primò*, per ea, quæ natura de Deo cognosci possunt, non potest perveniri ad cognitionem eorum, quæ faciunt, ut, certi de remissione peccatorum, Deum ut justificantem impios & vitæ æternæ donatorem amemus: sed ad hoc opus est Dei verbo & ἀποκαλύψει *revelatione*. Quippe hominis non est Deo consilium dare de modo procurandæ justitiæ, vel etiam ex se scire, quomodo Deum deceat nobis justitiam & sic Deum nostrum fieri, vel denique, quod θελήματος αὐδοκίας *voluntatis & beneplaciti* est, nosse. Unde Apostolus id meritò μυστήριον θελήματος *sacramentum* h. e. *arcanum voluntatis* Dei appellat. Eph. 1: 9.

16. *Secundò*, quæ de Deo & ejus *divinitate* ratione & ingenio duce

duce cognosci possunt, non cognoscuntur à peccatore necdum sanctificato (qui *animalis* vocatur & *spirituali* opponitur) 1 Cor. 2: 14. ita, ut illa sunt γνωστὰ & cognosci possunt. Deest quippe illi νόησις, animadversio & consideratio, quæ est ad eam cognitionem necessaria. Rom. 1: 20. Hebr. 11: 3. Nam & in omni re divina, etiam eis, quæ revelata sunt, deest peccatori non regenito τὸ δυνατὸν γνῶναι *posse* eas res *cognoscere*, quia, ut paulò ante diximus, *spiritualiter*, & spiritu illuminante & cor aperiente, αὐτὰ ἐκείνου, *ad examen & judicium* revocantur. 1 Cor. 2: 14. atque ita etiam deest τὸ δυνατὸν ἀκούειν *posse audire*. Joh. 8: 43. Neque aliter fieri potest. Nam nemo, qui se novit peccatorem, potest delectari cogitatione sanctitatis Dei. Quæ in Deo vel maximè cognoscenda & amanda est; quamque conscientia non potest non Deo asserere, quando animus in eam cogitationem descendit. Unde etiam effectum est, ut plurimi Philosophi, etiam illi, qui rerum naturam sive potiùs causas eorum, quæ sunt, videri voluere venari, ita suas rationes instituerint, ut diligenter vitasse comperiantur, ne in Deum omnium causam & ipsius θειότητα, *divinas decentias*, inciderent; & inter illos inventi sint, qui, indicibili amentia, teste ipsorum malæ conscientiæ, elati sunt, ut inter ἀμφιζητήσιμα *dubia* ponerent, An Deus sit?

16. *Tertiò*, etiamsi (quum Deus omninò ignorari non possit) sese ingereret hominum cogitationi Deus, tamen evanuerunt homines suis ratiocinationibus, & obtenebratum est cor ipsorum inconsideratum. Nam, quum non attenderent Deo, & sibi siderent, longanimitate ac patientia Dei, quæ ducit ad pœnitentiam, abusi, eamque testimonium divinæ approbationis interpretati, putantes, se sapienter agere, excogitando & condendo religionem, stulti facti sunt. Rom. 1: 21. 22. Quam etiam ob causam, corroboratis jam & multiplicatis talibus opinionibus, & auctoritate doctorum ac legislatorum, civitatum consensu, principum imperiis, potentia mundi totius vallatis, quum Euangelium annunciaretur, nihil aliud, quàm *stultitia*, hominibus videri potuit. 1 Cor. 2: 14. Nec tantùm illis, qui coram idolis procumbebant, sed multò magis illis, qui suo sibi ingenio, detortis verbis Dei, falsam justitiam condiderant, & filium Dei, qui esset, ignorabant; in eo errore obfirmati ματαίᾳ ἀναστροφῇ πατροπαραδότῳ *vana conversatione à patribus tradita*. 1 Petr. 1: 18.

17. Revelatione igitur omninò opus fuit, non tantùm, ut homo *Revelationis necessitas.*

mo excitaretur ad νόησιν & *animadversionem* facturarum Dei, ut in illis conspiceret invisibilia Dei; atque ita palparet Deum & inveniret; sed multò magis, ut disceret, quid valeat, ESSE DEUM; & in hac perfectione cognosceret illam alteram, quæ propiùs ad Deum appellit, POSSE ESSE DEUM PECCATORIS: tum deinde perciperet illam maximam laudem Dei, quæ est VELLE QUÆRI ET INVENIRI A PECCATORE; denique, quomodo eum quæri oporteat, ut inveniatur. Sine qua cognitione & fide, impossibile est Deo placere, h. e. ad eum accedere, cum eo ambulare, ei grata facere, eumque colere. Hebr. 11:6.

Revelatio in paradiso facta ἀγεγράφως propagata.

19. Hoc igitur Deus revelavit in Paradiso. Quæ revelatio Traditione ἀγεγράφως absque scripto divinitùs inspirato custodita, per auctoritatem concorditer & statim ab initio tradentium parentum, qui eam non poterant finxisse, (non enim ex compacto loquebantur) & testem ejus ritum sacrificiorum (non sine manifesto testimonio divino in Abele, & clara aspernatione oblationis Caini; & martyrio Abelis) ipsamque Dei creaturam vanitati subjicientis longanimitatem; maximè verò per ipsam sapientiam divini oraculi in animis à Spiritu Dei tactis & illuminatis ad fidem valuit, ut secundùm fidem hæredes justitiæ fierent.

20. In iis autem fides effecit νόησιν *animadversionem* tum eorum argumentorum, quibus deprehenditur, secula verbo Dei esse concinnata, Hebr. 11: 3. tum, quomodo cum Deo ambulandum esset. Nam, quemadmodum promissio fidem operata est & amorem promittentis, ita fides omne studium glorificandi Deum, conscientia suggerente, quid bonum quidque malum esset, peperit. Lex enim iis temporibus repetita & publicata non fuit.

21. Fuit tum fidei quidem principium promissio; charitatis autem excitatrix fides, magistra conscientia.

Scriptura.

22. Postquam lex intravit, eaque onerans populum servitute, voluit Deus per Mosen scribi ea, quæ ad perpetuam Ecclesiæ institutionem voluit cedere, suo tempore etiam gentibus futura instrumentum cognoscendi Christi & regni ejus, denique ipsis Judæis extremo tempore ad eorum convictionem & conversionem servitura. Quod deinceps servatum est à Prophetis, Euangelistis & Apostolis.

23. Per Scripturam non est obliterata Traditio veritatis, quæ erat in mundo; sed confirmata: neque ei ademta est auctoritas, quam

quam habet in se ex perfectissima sapientia apud animum à Deo illuminatum & conscientiæ dictamen audientem: sed publicæ revelationis per Scripturam incorruptibilem quasi continuatæ auctoritas Veræ Traditioni accessit; & falsæ Traditioni antidotum oppositum est: atque eo effectum est, ut, populi magistris à vera doctrina discedentibus, tamen per populum & magistros ejus traderetur instrumentum cognoscendæ veritatis & mendacii damnandi.

24. Eodem modo, quum Euangelium prædicatum esset vivo sermone Christi & Apostolorum: quia venturæ erant hæreses & scandala, & Apostasia; divina providentia, qui ad hoc à Deo erant κεχειροτονημένοι *designati*, Actor. 10: 41. scripserunt, quæ ad omnem usum ædificationis in perpetuum prodesse possunt; quibus facile ac promtum est privatim operam dare; per quæ sermo ille vivus Christi & Apostolorum quodammodo, ceu per æquivalens, apud nos perennis sit; per quæ vera Traditio & κατήχησις defenditur, paleæ verò & mendacia discutiuntur. Ita tamen, ut & veritas ipsa audita & per fideles tradita insitum characterem divinitatis apud conscientiam non perdiderit, (quæ apud animum divino spiritu illuminatum inter potissima argumenta est credendi Scripturæ talem veritatem tradenti) & notitia Dei atque officii, quæ ex natura est, per Scripturam & fidem ejus minimè obscuretur aut enervetur, sed per eam confirmetur, & νόησις *consideratio* excitetur, & λογισμὸς *ratiocinatio* per eam certiùs gubernetur ac dirigatur, & per inanes cogitationes non sinatur evanescere.

25. Ergo jam tempore Novi Testamenti post Apostolorum excessum Scripturam habemus summam & infallibilem credendi & faciendi regulam, qua utamur ad edomandam omnem ratiocinationem, quæ se contra veritatem effert, & ad animum proximi subjiciendum Deo, 2. Cor. 10: 5. comparato 1 Cor. 2: 13. & Rom. 16: 26. Nam contra eam nihil valet ratio; & extra ejus testimonium nulla extat divina traditio.

26. Neque enim ullus nobis à Deo nominatus est Testis fidelis & Locutor verborum Dei, cui in omnibus obediendum sit, nisi Moses & Christus. Mosi autem succenturiavit Deus extra ordinem prophetas, qui à spiritu Dei acti sunt; qui *primò* non potuerunt quicquam dicere, quod non fundaretur in dictis Mosis; neque, *secundò*, potuerunt verba, quæ Christo reservabantur loquenda, *Traditio extra scripturam nulla.*

da, loqui. Christus autem tum ore suo loquutus est, tum per testes suos Apostolos & Euangelistas adhuc loquitur, & per ipsorum doctrinam Legem Dei, quæ est Lex fidei, posuit in propatulo. Neque constat nobis, necessarium esse ullum, qui auctor fiat veritatis credendæ, vel cujus interpretationi stetur, aut præceptis obediatur, aut judicium recipiatur: neque tale nomen à Deo datum invenimus.

Distributio Theologiæ. Locus primus.

27. Quum igitur primum sit in Theologia monstrare Principium, & certum docendi medium, instrumentumque Revelationis, quod tenendum est, & in quo permanendum; & à quo recedere est ὑστερεῖσθαι *defectio: Primus* hic locus est, quem Theologus tractat, de *Sacra Scriptura*. Inque eo loco demonstrat & defendit numerum librorum Canonicorum; eorumque divinam auctoritatem astruit; tum sufficientiam Scripturæ demonstrat; & ejus claritatem atque aptitudinem ad docendum veritatem, & ad rudes ac fatuos sapientes faciendum; ipsamque rationem eam interpretandi explicat; versionum utilitatem & vertendi & exponendi jus, quod habet Ecclesia, vindicat; ita ut hominibus deroget auctoritatem per imperium declarandi, quod sit Verbum Dei; aut docendi aliquid extra scripturam & fundamentum; aut interpretationem versionemque velut authenticam obtrudendi; aut omnino quippiam dicendi sine demonstratione tanquam ex potestate αὐτοκρατορικῇ aut νομοθετικῇ, sive *plenitudine potestatis, qualem habent legumlatores.*

28. Ita constituetur fidei principium, & commendabitur revelationis instrumentum, non uno effectu in omnibus. Nam apud eum quidem, qui *imperitus* fuerit *sermonis justitiæ*, hoc saltem obtinebit, ut se putet obligari ad attendendum, & investigandum, an *veritatem, quæ est secundùm pietatem, manifestatam ad conscientiam*, & *solidam* & planè θεοπρεπῆ Deoque dignam *sapientiam*, quemadmodum ipsa promittit, in ea inventurus sit: apud eum verò, qui jam degustaverit ex ea depromtum *sermonem justitiæ* (in quo fundamentum est) per gratiam Spiritus sancti efficietur, ut scripturam tanquam divinum maximum donum amplectatur, eique paratus sit obedire in omnibus. Is enim demum Scripturæ se subjicere potest, qui Deum amare inceperit. Hoc autem nemo facere potest, nisi qui viderit, in ea doctrinam & Deo dignam & quæ Deum peccatori amabilem proponat, contineri.

29. Quan-

29. Quandoquidem autem *Scripturæ ſermo eſt in adultis ſapientia*, 1 Cor. 2: 6. Theologus non tantùm veritatis partes ſigillatim & ſparſim ad credendum proponit, eaſque verbo Dei firmat; ſed etiam omnem veritatem ita curat tradere, ut omnium ejus partium inter ſe connexio & conſenſus appareat. Oſtendet ergo *fundamentum*, quod tenere, ut Deo per Scripturam loquenti parere aut ei credere dici poſſimus, neceſſe eſt: & id operam dabit, ut ea omnia, quæ cum fundamento conjuncta ſunt, ſine quibus id ſubſiſtere non poteſt, ordine explicet; itemque, quæ ex illo fluunt: ut ita pateſiat, verè doctrinam Scripturæ eſſe *ſapientiam*, quippe quum in fundamento contineantur omnia (ſine quo ne *fundamentum* quidem eſſet) & doctrinam Theologi eſſe *ſecundùm analogiam fidei*. Rom. 12: 6.

30. Ergo, quum Scriptura promittat doctrinam, quæ eſt ſecundùm pietatem, & ſcopus ejus ſit, ut Deo εὐαρεστῶμεν cum fructu vitæ æternæ: in id animi intentio dirigenda eſt, ut, quod neceſſarium eſt credere, ſine quo credito eſt impoſſibile Deo εὐαρεστεῖν & ad eum accedere, diligenter explicetur & confirmetur: tum deinde, quid facere ſit Deo placentia facere, exactè expendatur. Ita duabus partibus Theologia conſtabit. I. Credendis de Deo. & II. Præceptis χρειοπείας. Quod ita ſe habere, oſtendit Apoſtolus Hebr. 11: 6. dicens, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, h. e. Deo placentia facere. Ergo *credere*, & *ſecundùm Deum agere*, duo ſunt, quæ Theologia ſpectat. Ita & 1 Joh. 3: 23. *Hoc eſt præceptum ipſius, ut credamus nomini Filii ipſius Ieſu Chriſti, & diligamus invicem, ut dedit præceptum nobis.* Sic Joh. 15: 12. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis vos invicem, quemadmodum dilexi vos. Fidei* eſt, perſuaſum eſſe de dilectione Chriſti. *Charitatis*, propter eam dilectionem ipſius & viciſſim diligendo ipſum juxta typum dilectionis ipſius, quatenus is eſt imitabilis creaturæ, proximos diligere. Petrus id totum vocat *Animam ſuam Deo, ut fideli creatori, committere* (hoc fidei eſt) *in boni factione* (hoc eſt charitatis) 1 Petr. 4: 19. Et Paulus 1 Tim. 1: 5. *Finis denunciationis eſt* CHARITAS *ex corde puro, & conſcientia bona &* FIDE *non ſimulata.* Hanc καλὴν ξυνείδησιν, *bigam pulchertimam*, ſæpenumero Scriptura inculcat, & ad eam omnia revocat. Quæ cùm omnia complectatur, clarum eſt, fidem Jeſu Chriſti fundamentum eſſe: quia ex illa charitas procedit, & ultrò ab illa docetur. Quare & rectè id in limine Catecheſeos poſitum eſt & *Fundamentum.*

paulò latiùs explicatum. Quia sine eo cognito nec Scripturarum divinitas ultra convictionem persuaderi potest, & ex hujus veritatis amore omnis σύνεσις, προσοχὴ, *attentio*, quæ in Scripturarum lectione necessaria est, sequitur; & hoc fundamentum fons est τῆς ἀναλογίας τῆς πίστεως *conformitatis fidei*, quæ in prophetando tenenda est. Unde & meritò κλεὶς τῆς γνώσεως *clavis cognitionis* appellatur. Luc. 11: 52. Nam *in mysterio Dei & Patris & Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis occultati.* Col. 2: 2. 3.

Locus Secundus. 31. Apostolus dicto loco Hebr. 11: 6. ea, quæ necessaria sunt creditu, ut quis velit placere Deo, duo dicit. I. Quòd Deus sit. II. Quòd remunerator sit quærentibus se. *Credere oportet eum, qui accedit ad Deum* (id ponitur pro *ambulare cum Deo, Deo placentia facere*) *quòd sit, & exquirentibus ipsum remunerator fiat.* Quorum *primum* non tantùm spectat ὕπαρξιν Entis summi & primi, sed etiam omnem θεότητα ipsius, & nominatim *divitias ipsius* sive sufficientiam ad hoc, ut possit fieri Deus peccatoris, & ut peccator eum quærere & invenire possit. Alterum autem dicit Voluntatem ipsius utendi illa sufficientia & eas divitias effundendi; & comprehendit dationem *Viæ*, in qua quæratur Deus, & in qua peccator possit accedere ad Deum: & voluntatem adducendi peccatorem ad se.

32. Quare post tractationem de *Scriptura*, ut *principio*; & prægustationem *fundamenti*, quod in ea commendatur; ut in eo fundamento omnis *sapientia* inveniatur, in ejus evolutione occurrit *secundus locus* Theologiæ de Dei existentia. & in tali ordine expectanda est νόησις illorum argumentorum, quibus *animadversis* naturaliter ejus *æterna potentia conspicitur.* Quorum illustria specimina ab ipsa Scriptura suggeruntur; quæ utilissimum est ex illa colligere, &, etiam ad convictionem illorum, qui nolunt Deum esse (quod naturale est homini ante regenerationem) inculcare atque ad liquidum demonstrare. Prudentiæ autem est ab argumentis non evidentibus, quæ homo per se comminisci potest, abstinere, ne inutilis vitilitigatio cum injuria Dei & destructione audientium inde existat.

Locus Tertius. 33. Succedet *tertius locus* περὶ τῆς θεότητος αὐτοῦ *de* Dei *divinitate*, quæ à nobis vel glorificanda vel etiam imitanda est, h.e. de divinis nominibus & attributis; illis nominatim, quæ constituunt τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *id, quod de Deo cognosci potest*, tum illis, quæ non habent nomen, quod & creaturis attribuatur, quibus Deus ab omni creatura distin-

distinguitur: tum illis, quæ quoad nomen, propter quandam similitudinem aut quoddam vestigium, etiam de creaturis dicuntur. In quibus omnibus ratio Scripturam ducem & ὁδηγὸν facile sequitur.

34. Quandoquidem autem etiam sancti Angeli, qui non redemtione salvantur, sed in initio suo per obedientiam conservato vivunt, cognoscunt & glorificant Dei illam perfectionem, qua fit Deus peccatoris; quod quomodo Deo dignum sit, cognosci non potest, nisi cognoscatur *mysterium Patris & Christi*, adeoque Filii & Spiritus sancti (quatenus id à creatura cognosci potest, aut ad cognoscendam virtutem & decentiam *misericordiæ* atque adeò *divitias* ipsius manifestari necesse fuit) ideò cum cæteris Dei eminentiis hoc mysterium ex Revelatione Dei adstruendum est. Qui *quartus locus* esse potest. *Locus quartus*

35. *Quintus* ex ordine locus erit de *Consilio Dei* in genere: prout est origo rerum omnium, & omnibus rebus per id præstitutus est finis. *Locus Quintus.*

36. *Sextus* de *Creatione* universi, & nominatim Angelorum & Hominis: ut finis creationis distinctiùs cognoscatur. *Locus Sextus.*

37. Ad debitum verò Hominis cognoscendum *tractatio septima* succedet de *Imagine Dei in homine*; deque *Conjugio* & ejus fine, atque ita præparatione hæreditatis imaginis multiplicandæ in prole: & *Dominio*, quod Deus homini attribuit: item de *Sabbato primo*. *Locus Septimus.*

38. *Octava* commodè erit de *Fœdere operum* sive *lege naturali*, & *legali justitia*. Ubi etiam de *vita sacramento*. *Locus Octavus.*

39. *Nona* de *Peccati natura*. Ubi de creaturæ rationalis *libertate* & *mutabilitate*. *Locus Nonus.*

40. *Decima* de *Exploratione* hominis per præceptum de *arbore cognitionis boni & mali*. *Locus Decimus.*

41. *Undecima* de *Transgressione hominis*. & per occasionem de *peccato Angelorum*: & conservatione sanctorum Angelorum. *Locus Undecimus.*

42. *Duodecima* explicabit creaturæ dependentiam à Deo in suis actionibus, & *providentiam Dei circa mala*: quantum quidem de eo revelatum est & cognosci potest. *Locus Duodecimus.*

43. *Decima tertia* de effecto peccati in primo homine & in posteris. ubi de *peccato originis*, & *abrogatione prima fœderis operum*: quatenus inutile factum est ad justitiam & vitam. Simul de *libero* aut potiùs *servo arbitrio* peccatoris. *Locus Decimus tertius.*

44. *Decima quarta tractatio* consequitur de Consilio Dei, quod *Locus Decimus quartus.*

post peccatum, non ex peccato ipso (quemadmodum providentia circa peccatum) innotuit; sed ex gratia notificatum est: quatenus nempe versatur circa actus, gratiæ maximè, exercendos post peccatum. Hîc de *Testamento*, & *Mediatore Testamenti*, ejusque persona & requisitis; & *Sponsione*: ejusque effectu, nempe *non imputatione peccati*. quæ est fundamentum *secundæ abrogationis fœderis operum* quoad condemnationem. Item de hæredum *electione*: & distributione temporum in genere, ad gratiam non una mensura impertiendam. Ex opposito item de *Praeteritione*. In his versatur explicatio *Prædestinationis*.

Locus Decimus quintus. 45. *Decima quinta* de Executione Testamenti in prima parte temporis: quæ est in patefactione gratiæ per *Promissionem*, postea sæpiùs repetitam. Ubi explicabitur *Fœdus gratiæ* tollens execrationem, & benedictionem intimans. Hîc obiter de Vetusta *Traditione*.

Locus Decimus sextus. 46. *Decima sexta* de initio ἁγιασμοῦ *sanctificationis*, sive *Regeneratione*: deque *conversione ad Deum*, & *fide*, nominatim *Patrum*.

Locus Decimus septimus. 47. *Decima septima* de *justitia patrum ante Legem*. deque *sacramentis Fœderis gratiæ*, nominatim *Circumcisione*.

Locus Decimus octavus. 48. *Decima octava* de Consilio Dei, secundùm quod gentes dereliquit, & Israëlem assumsit. Hîc de *Veteri Testamento*. itemque Veteris Testamenti exsecutione in datione *Legis*. deque Legis diversitate & fine, & subjecto ejus. In his de *sacramentis Veteris Testamenti* superadditis Circumcisioni.

Locus Decimus nonus. 49. *Decima nona* de *Novi Testamenti promissione*; in contradistinctione Veteris Testamenti. deque hujus appropinquatione ad antiquationem.

Locus Vigesimus. 50. *Vigesima* de exsecutionis Novi Testamenti præparatione in Christi Filii Dei *incarnatione*, ad *officium triplex* obeundum; ejusque *passione* (ubi de *satisfactione* & *redemtione*) itemque *resurrectione* ex mortuis, *ascensione in cœlum* & *sessione ad dextram Dei*.

Locus Vigesimus primus. 51. *Vigesima prima* de *Euangelio* & missione Apostolorum, itemque de sacramentis Novi Testamenti. In quibus est antiquatio tertia Fœderis operum, quoad iram, timorem mortis, & servitutem.

Locus XXII. 52. *Vigesima secunda* de *fide Novi Testamenti*.

Locus XXIII. 53. *Vigesima tertia* de *Iustificatione Novi Testamenti, & meritis operum*.

Locus XXIV. 54. *Vigesima quarta* de hæreditate Christi, & *vocatione gentium*. Ubi de *judiciis* infidelium, Judæorum & gentium.

55. *Vige-*

55. *Vigesima quinta* de Ecclesiæ Novi Testamenti distinctione à populo Israëlitico, ut sub Veteri Testamento fuit. ubi de ejus *libertate* in oppositione *servitutis*. Locus XXV.

56. *Vigesima sexta* de *Capite Ecclesiæ*: deque *legibus* & *judiciis Ecclesiasticis*. Locus XXVI.

57. *Vigesima septima* de *ministris Ecclesiæ*: *eorumque vocatione*: & lege *cœlibatus*. Locus XXVII.

58. *Vigesima octava* de habitudine Ecclesiæ ad regnum mundanum. Locus XXVIII.

59. *Vigesima nona* de *statu Ecclesiæ Nov. Test. in hoc seculo.* ubi I. de luctâ. II. de persecutione & afflictionibus. III. de corruptione introductâ in doctrina & regimine. IV. de commixtione Bestiæ cum Ecclesia; ejusque occasione & profectu. V. de conservatione Ecclesiæ in ea. VI. de Antichristo. VII. de liberatione Ecclesiæ ab eo. tandemque VIII. de regno ejus. ubi nominatim de assumtione Judæorum: & IX. de fine seculi. Locus XXIX.

60. *Trigesima* de *Conversatione Christiana* ad χρῆσιν: ut ita fides non sit ἄκαρπος. deque *bonorum operum necessitate* & consecutione ex fide. Locus XXX.

61. *Trigesima prima* de *Consiliis perfectionis*, quæ jactantur; & *præceptis perfectionibus*, quæ addita dicuntur ad Decalogum à Christo. Locus XXXI.

62. *Trigesima secunda* de *Magistratu*. Locus XXXII.

63. *Trigesima tertia* de *morte piorum*, in qua est κατάργησις & παλαιᾶ ἀνθρώπου *abolitio vetusti hominis* & luctæ: atque ita antiquatio *quarta* Fœderis operum. Locus XXXIII.

64. *Trigesima quarta* de *statu fidelium defunctorum* post mortem. Locus XXXIV.

65. *Trigesima quinta* de *resurrectione mortuorum* (in qua, quoad fideles, antiquatur omnis effectus fœderis operum proveniens à peccato) & *ultimo judicio*. Locus XXXV.

66. *Trigesima sexta* de *Vita æterna*. Locus XXXVI.

67. Atque hæc sunt divinæ sapientiæ præcipua capita, quæ eo ordine, ut connexio, quæ inter illa est, conspici possit, tradere, Theologum fidelem decere putamus: ita ut profectus tam docentis, quàm discentis in his & in totis Scripturis, quæ omnis sapientiæ salutaris promtuarium sunt, quotidie quæratur & probetur.

LOCUS

LOCVS PRIMVS
DE
SACRA SCRIPTVRA.

CAPUT II.

De S. Scripturæ neceſſitate.

Verbum Dei neceſſarium, 1. quia ſine eo Theologus non habet, quod loquatur.

Primum, quod de S. Scriptura tenendum eſt, Neceſſitas ejus eſt. Neceſſitas ejus nobis imperabit neceſſitatem retentionis ejus & attentionis ad eam. Pedetentim autem progrediemur ad demonſtrandam ejus neceſſitatem.

2. Ante omnia convenit conſiderare, quo apparatu inſtructum eſſe oporteat Theologum. Theologi, h. e. ejus, qui divina aut de Deo loquitur apud Eccleſiam, vel quemvis, officium ita circumſcribit S. Petrus 1. Ep. 4: 11. *Si quis loquitur, ut oracula Dei* loquatur. eo nimirum fine, ut *recipientes verbum prædicationis Dei ab ipſo* loquente, *recipiant non verbum hominum, ſed verbum Dei.* 1 Theſſ. 2: 13. Ex quo intelligitur, neceſſe eſſe, ut Theologus loquatur, quod Deus loquutus eſt, ut ſermo ejus ſit *narratio.* atque ita non poſſe homines eſſe Θεολόγους vel Θεολογεῖν, niſi exſtet Θεῖος λόγος, *divinus ſermo.* Quem libenter à Θεολογία diſtinguimus. Hæc enim *divini ſermonis* cognitio & narratio eſt, non ipſe ſermo ſive revelatio Dei.

3. Intelligitur & hoc ex poſitis teſtimoniis, neceſſe eſſe, ut Theologus non ex alia auctoritate loquatur, quàm Dei revelantis verbum ſuum & fidem omnibus facientis, à ſe id prodiiſſe.

4. Quemadmodum & Chriſtus in Pſalmo 2: 7. præmonſtratur *narraturus juxta definitum modum, quod Dominus ad ipſum dixerat,* nihilque à ſemetipſo locuturus, & non in nomine & ex auctoritate Patris. Sic enim introducitur loquens: *Narrabo ad definitum. Iehovah dixit ad me.* Quo clarè ſignificatur, Chriſtum manifeſtatum, ad probandum, quòd ſit filius Dei & Chriſtus, & quòd Euangelium ſit verum, provocaturum fuiſſe ad id, quod auditum fuerit, quòdque Jehovah dixerit & quod omnes facile cognoſcere poſſint à Deo dictum eſſe.

5. Ita quoque miſit Chriſtus ſuos diſcipulos, ſive Apoſtolos, ſive

sive alios doctores & pastores, quemadmodum ipsum miserat Pater, ut non in alio nomine, neque alium Christum, aut aliud verbum, quàm quod ipse locutus erat, loquerentur. Joh. 20: 21. Unde patet missionem Christi & sermonem, qui ipsi prædicandus datus est, debere esse exemplar sermonis apostolorum & omnium docentium ac loquentium imposterum.

6. Præterea necessarium est verbum Dei sive revelatio divina omnibus, quia sine ea nemo considerat, sicut oportet, etiam ea, per quæ Deus manifestum fecit, quod de ipso cognosci potest & debet, ut eum glorificet & ipsi gratias agat. Hebr. 11: 3. Rom. 1: 21. *2. Quia sine eo non fit, ut considerent opera Dei ad cognoscendum Deum & debitum hominis: aut cognoscatur ipsa hominis corruptio.*

7. Homo enim animalis & carnalis ambulat in vanitate mentis suæ, obnubilatus cogitatione, alienus à vita Dei propter ignorantiam, quæ in ipso est, propter indurationem cordis sui, Ephes. 4: 17. 18. dicens in corde suo, non est Deus. Psal. 14: 1. Atque iccirco per verbum Dei etiam excitandus fuit, ut convinceretur, esse Deum; & argumenta conscientiæ ingerenda fuerunt, quibus consideratis æterna Dei potentia ac divinitas conspiciuntur; & debitum hominis ipsi inculcandum fuit, ut peccatum, quod in homine est, & sine lege quodammodo latet ac silet, per legem cognosceretur, excitaretur, exuberaret, & abundantissimè peccaminosum fieret. Rom. 7: 8. 9. 5: 20. 7: 13.

8. Quòd si ergo ponamus, Deum velle ab homine glorificari, necessaria est revelatio. Nam, ut modò & supra cap. 1. §. 15. 16. demonstratum, homo per qualemcunque cognitionem Dei, & debiti sui, quæ ex operibus creationis & providentiæ generalis hauriri potest, non potest adduci ad amandum Deum, sed magis impellitur ad ipsius odium, propter peccatum, cui naturâ immersus est. Rom. 7: 9. 10. 11. 13. 2. Cor. 3: 6. *3. Quia sine eo homo non potest Deum amare & glorificare.*

9. Imò ne Angeli quidem sancti scire possunt ex seipsis, quæ sit ratio hominem post peccatum justificandi. Unde & Angeli dicuntur concupiscere, ut inspiciant in ea, quæ nobis revelata sunt. 1 Petr. 1: 12. Tantum abest, ut homo per se cognoscat, quomodo Deus decenter remittat peccata; nempe ut ipse sit justus & justificet peccatorem; ut ita remissionem peccatorum sperando Deum glorificet. *4. Quia sine eo non cognoscitur justificatio, & justitiæ causa.*

10. Utcunque enim vel per longanimitatem Dei suspicio misericordiæ Deum decentis insinuetur, ne quis eam audeat abnegare; vel etiam, ubi est imago Dei, ut in sanctis angelis, ibi non possit

esse abnegatio divitiarum Dei ad rectè justificandum improbum sufficientium ; atque etiam conscientia post revelationem convincatur, misericordiæ modum (qui in verbo Dei explicatur) Deum decere : nihilominùs voluntas & propositum Dei justificandi peccatorem in Christo (quod Testamentum in Scripturis appellari solet) mysterium est in Deo absconditum, usque dum reveletur; atque etiam, postquam revelatum est, est mirabile & superat omnem cognitionem. Ipsa verò longanimitas Dei & beneficentia præbet homini occasionem sibi placendi in peccato, & Dei justitiam abnegandi. Rom. 7: 9.

11. Atq; in eo ipso mysterio vel maximè est imperscrutabile, (sine quo tamen neutiquam potest nobis innotescere justitiæ nostræ ratio & firmitas) quòd Deus est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, tres unum, eandemque potentiam & voluntatem & naturam habentes. Nam, quum id, postquam revelatum est, non possit à nobis cognosci, quatenus id verum est in Deo, & quomodo Pater Filium, Filius Patrem cognoscit, & Spiritus Sanctus profunditates Dei scrutatur; sed tantùm in quadam analogia & negatione imperfectionis, quæ est in creaturis : perspicuum est, non cognosci naturaliter. Omnis enim naturalis cognitio Dei τῆς μιμήσεων, & maximè imagine Dei, quæ est in homine collocata, nititur. Atqui hujus divinæ ὑπάρξεως, qua tres sunt unum, nulla in rebus imago est vel esse potest.

12. Porrò, quum non possit nobis constare, Deum posse esse justitiam nostram, & paracletum nostrum, nisi reveletur Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & trium una voluntas; at verò, nisi constet, Deum esse justitiam nostram, non possit in nobis & à nobis Deus glorificari : ob utramque causam maximè necessariam esse revelationem, quæ fiat per verbum, apertissimum est.

Necessarium fuit tandem verbum Dei scripto tradi. 1. propter oblivionem gentium.

13. Simul inde, quantum thesaurum perdiderint gentes, oblitæ verbi, quod solum est vita, æstimare est : &, quæ sit severitas Dei, eum subtrahentis, & faciem suam occultantis. Qua severitate nunc Judæos persequitur, & alios, qui verbum veritatis in mendacium convertunt.

14. Sanè, ex quo Verbum Testamenti in paradiso primitus editum, per Henochum & Noachum cæterosque repetitum, confusis hominum linguis, &, erecto Babylonico imperio religionem in legislationem humanam mutante, oblivioni mandatum est, vix possibile

possibile erat, quempiam salvari, nisi Deus de cœlo prospectans verba vitæ Abrahamo ac filiis ejus, denique populo Israëlitico per Mosen commendasset. Quod insigne προνόημα illi genti præ omnibus gentibus tributum est divina dignatione.

15. Placuit autem Deo scriptis voluminibus per servum suum Mosen omnem doctrinam fœderis consignare & in illis posteritati, etiam gentibus, cernendam hæreditatem præparare.

16. Neque dicimus, absolutè necessarium fuisse scribi verbum Dei, sed fuisse hoc inæstimabilis bonitatis, & sapientiæ ineffabilis, publico illo instrumento comprehensam divinam veritatem genti & per gentem illam mundo communicare.

17. Quatenus tamen per hoc & non sine illo Deus mysterium suum voluit innotescere hominibus; & ipsi Judæi non erant fideles futuri ad serviendum Deo in notificatione fœderis & nominis Dei ac justitiæ ejus, Deut. 31: 20. 21. 22. contra jam inolitas superstitiones, & pestilentes hæreses multis postea ætatibus exorituras & cum fraude ac violentia grassaturas, non potuit fides muniri aptiùs: omnino est Scriptura Ecclesiæ necessaria. 2. *propter idolatriam confirmatam, & Judæorum ἀπιστίαν, & hæreses atque defectionem in postremo tempore extituram.*

18. Non, quòd negemus esse in mundo fidem & confessionem veritatis, atque etiam interpretationem eorum, quæ scripta sunt; aut quòd, ut fides, ita confessio, catechesis, interpretatioque Scripturæ non sit necessaria: sed, quòd ad fidem salvificam & confessionem sinceram & doctrinam puram & certam & cognitionis uberiorem indies profectum necesse sit, Scripturam, ut in qua vita æterna est, tanquam normam, typumque & *μόρφωσιν deformationem delineationemque* veritatis ac pietatis custodire, adire, scrutari: ita ut, quicquid loquimur aut credimus ac facimus, ad illius auctoritatem eminentissimam referamus. Quippe quum Deus nullibi promiserit, oralem catechesin integram & incorruptam atque incontaminatam vel in populo Israëlitico vel in Ecclesia sive tota, sive certo loco, cathedra, collegio, societate hominum permansuram: imò contra antè monuerit, fore, ut fraude & mendacio doctrina salutaris corrumpatur.

19. Adeo ut nec Prophetæ, qui post Mosen locuti sunt, potuerint audiri, si quid contra aut præter legem loquerentur. atque ita tum falsorum Prophetarum fraus hoc medio debuerit convinci, & verorum oracula in lege debuerint habere testimonium.

20. Neque ipse Christus testimonium Mosis & Prophetarum 3 *propter fidem in Christum.*

voluerit, aut, propter ſapientiſſimam Dei ordinationem, potuerit abdicare: quin illud pro maximo allegaverit Joh. 5. & alibi.

21. Ne miremur, Apoſtolos perpetuò auctoritate Veteris Teſtamenti uſos, & proteſtatos, ſe nihil extra Moſen & Prophetas docuiſſe, & juſtitiam Euangelicam ad Legis non evacuationem ſed ſtabilitionem pertinere. Præparaverat enim Deus teſtimonium Chriſto, Moſis nimirum *teſtis Dei fidelis in tota domo ejus*, Hebr. 3: 5. & ſuccedentium Prophetarum, ut ſine negocio & ſtatim ab ovibus ſuis agnoſci poſſet. Neque enim debuit veniens εἶναι ἴσα θεῷ *eſſe inſtar Dei*, ſed κενὸς δόξης *exinaniri*, & eſſe *ſcandalum duabus domibus Iſraël*, Eſ. 8: 14. 15.

4. Propter claritatem Euangelii & Novi Teſtamenti.

22. Quod adeò verum eſt, ut, ſi quis Vetus Teſtamentum abjicere vel negligere audeat, is ipſi luci Novi Teſtamenti injuriam faciat, & ſimiliter faciat, atque ſi quis ſibi alterum oculum, tanquam non neceſſarium, eruat. Tum enim demum planè effulget lux Novi, quando non tantùm promiſſionis ac prædictionis commenſu hiſtoria & doctrina Chriſti fulcitur, ſed etiam, quæ in toto ſacrarum literarum corpore de quacunque veritatis divinæ parte & toto myſterii complexu, ordine atque ἀναλογίᾳ ab omnibus viris Dei dicuntur, inter ſe comparantur & componuntur & conſcientiæ cum ſolida demonſtratione proponuntur. Unde cognoſcitur, ut *Lex Dei in medio omnium poneretur*, juxta promiſſionem Jer. 31: 33. neceſſarium fuiſſe, ut non tantùm promiſſio ac prophetia, & operum Dei priſcorum hiſtoria ſcripta extaret, ſed etiam hiſtoria dictorum factorumque Chriſti & paſſionum ejus, & eorum, quæ poſt mortem ejus ad glorificationem ipſius facta, audita, cognita, prædicata ſunt. Quod conſilio Dei ſapientiſſimo ad maximam utilitatem Eccleſiæ propter glorificationem Dei ſcribendum fuiſſe, innuit Pſalmus 102: 19. *Scribatur* vel *ſcribetur hoc in diem poſtremum, & populus creatus*, nova creatio, *celebrabit Iah.* & quæ ſequuntur. Accedit, quòd in Novo Teſtamento ita debuit *lex Dei* ſive *lex juſtitiæ* (ejus nimirum, quæ eſt ex fide) in omnium auribus & oribus verſari & coram omnium oculis eſſe, ut *vir non amplius doceret proximum ſuum & fratrem ſuum, dicendo, cognoſce Iehovam: ſed omnes tam parvi, quàm magni Deum cognoſcerent*, & *eſſent omnes diſcipuli Iehovæ*, Eſ. 54: 13. Joh. 6: 45. 1. Joh. 2: 27.

Impietas ſententiæ dicentis,

23. Impia igitur eſt ſententia & fidelibus ſtatim pro peſtilenti rejicienda, Scripturam non eſſe neceſſariam; ſive fidelibus non eſſe neceſſa-

necessarium adScripturam attendere & eam scrutari,& eam retinere, ut solidum medium cognoscendi Deum & nomen ejus. Quod dogma in inferno cusum, Pontificiis hominibus obstetricantibus editum,homines non amantes veritatem à divina revelatione ad humanam dictaturam, à vera regula ad fucum, ab obedientia Dei ad obedientiam Diaboli, à studio scrutandi Scripturam ad ejus neglectum, à fide veritatis ad ignorantiam & superstitionem ac stultas opiniones, à glorificatione Dei ad ejus blasphemationem deducit. Quid potest audiri magis δύσφημον & abhorrens à fide, quàm, Scripturam θεόπνευστον *divinitùs inspiratam* non esse necessariam? Videlicet ea est hominum sapientia & prudentia, & σώφρεσις, & vigilantia, & bonæ conscientiæ studium, ut Scriptura non sit necessaria! At iisdem, qui dicunt, Scripturam non esse necessariam, videtur, necessarium esse, ut Ecclesia ita regatur à Spiritu sancto, ut dependeat ab hominis unius sententia. Dolus Pontificiorum apparet ex Bellarmino, qui de Verbo Dei non scripto lib. 4. cap. 4. docet, *Scripturas sine traditionibus nec fuisse simpliciter necessarias, nec sufficientes. Potuisse doctrinam Christianam conservari sine Scriptura ad 1500. annos. Quod Chrysostomus hom. 1. in Matth.* dicit, *Scripturas non fuisse necessarias Patriarchis & Apostolis; tamen nobis propter hominum corruptionem esse necessarias*: id *intelligi de necessitate non simpliciter, sed ad bene esse, id est, de utilitate.* Quis non videt, quò illa tendant? Traditionem talem esse, ut ea pro principio sufficienti haberi possit. Utilem quidem esse Scripturam, sed non necessariam, ut principium & instrumentum docendi Ecclesiam postremi temporis. Qui non legit Scripturas, tantùm carere aliqua majori utilitate. Et progrediuntur eò, ut & negent, omnibus utilem esse lectionem Scripturæ. quin &, tanquam noxiam, vetent. Nos igitur tenemus, Scripturam esse necessariam non tantùm ad aliquam certam utilitatem, (quam Bellarminus ne indicat quidem) quæ non ita facile absque Scriptura obtineri possit, sed simpliciter necessariam ad aliquam magnam utilitatem eamque necessariam in ratione Novi Testamenti; quæ utilitas sine Scriptura obtineri non potest. Quæ utilitas illa est, quòd extra eam non habemus aliud idoneum medium 1. revelationis, quo possit Ecclesia ultimi temporis uti tanquam indubitato canone. saltem, si abeamus à *sapientia sincerissima*, quæ in fundamento, cujus verba sunt in ore Ecclesiæ, continetur. quæ multis statim non innotescit: & vix ulli ita perfectè patet, ut

Scripturam non esse necessariam.

non aliquas paleas ei adjungat. 2. refutandi Traditionem Judaicam, ut imperfectam & corruptam. 3. conſervandi ſinceritatem Euangelii. 4. proficiendi ad ſapientiam. 5. Chriſtum & regnum ejus ſufficienter & plenè probandi. 6. legem Dei ponendi inter omnes, ut, quicunque credit, immediatè credat Dei vocibus, & ſit diſcipulus Dei. 7. cognoſcendi prophetias Veteris & Novi Teſtamenti. 8. confutandi Antichriſtum obtentu Traditionis ſimpliciores ludentem & faſcinantem. Sciendum autem eſt, quòd ad hæc omnia facilè & rectè & in bona conſcientia cumquè efficacia agendum Scripturæ datæ ſint non tantùm ſapientibus & exercitatos ſenſus habentibus ad diſcretionem boni & mali, ſed & parvulis. juxta promiſſionem Novi Teſtamenti. imò & *fatuis*, ut *viam ſanctitatis* ignorare non poſſint. Eſ. 35: 8.

Spiritus à Scripturis avocans ad traditiones non eſt à Deo.

24. Ille verò ſpiritus, qui ſine Scripturis loquitur, ſive ille ſit in Papis, ſive in Conciliis, ſive in quibuſvis aliis Enthuſiaſtis, ſe prodit non eſſe ex Deo. Etenim, ſi Scriptura eſt unica regula veritatis, conſequens eſt, qui Spiritus loquitur alia, quàm quæ in Scripturis continentur, Spiritum Dei eſſe non poſſe.

25. Quum ne ille quidem Spiritus ex Deo eſſe poſſit, qui, quamvis vera, ſine ἀποδείξει πνεύματος & *demonſtratione ſpiritus* ſpargit, & ſuſcipienda urget. Quæ eſt indoles ejus, qui, quum ſit Angelus tenebrarum, ſe transformat in Angelum lucis.

26. Qui à priſco tempore Phariſæos dementavit, ut traditioni tanquam legi orali, & interpretationi legis ſcriptæ, omiſſa φανερώσει τῆς ἀληθείας πρὸς τὴν συνείδησιν *manifeſtatione veritatis ad conſcientiam*, & vero ἐλέγχῳ inſuper habito, parem auctoritatem ac legi ſcriptæ deferrent: neque hoc operam darent, ut *vivæ interpretationem* ex ipſa lege ſcripta proferrent. Ut liquet in dogmate de reſurrectione mortuorum. Matth. 22: 29. Unde conſecutum eſt, ut apud illos catecheſis mutilaretur (quod Matth. 5. & 23: 23. arguitur) & clavis cognitionis occultaretur, Luc. 11: 52. atque interpretationes falſæ obtinerent, & ſic præcepta Dei violarentur. Matth. cap. 15. & 23.

Interim agnoſcenda traditio quadam.

27. Quanquam nos ex parte altera non ii ſumus, qui cum Sadducæis (quod Sociniani & ſimiles faciunt) Catecheſin penitus rejiciamus, dum eam regulæ ſubjiciendam & ex ea confirmandam, examinandam, reſtituendam, & quotidie amplificandam cenſemus. Fatemur enim, neque apud Iſraëlitas potuiſſe contingere,

ut

ut mysterium justitiæ Dei absconderetur penitus, neque inter Christianos posse evenire, ut non Traditio de Scripturæ salutari fide & verba fundamenti cum provocatione ad scripturas in ore fidelium (& cum eis in ore mentientium Christo) permanerent.

CAPUT III.

De auctoritate Scripturæ.

Demonstravimus, necessarium fuisse, ob magnas rationes, ut posterioribus temporibus Ecclesia haberet revelationem scripto insinuatam & in eo omnibus obviam; & ita quidem, ut posterioris alloquii divini veritas per priora oracula, quæ Judæi audire neglexerunt, manifestaretur. Proximum est, quandoquidem in manibus nostris versantur libri, qui partim ab Israëlitis lecti dicuntur, & à Judæis agnoscuntur, partim dicta, facta & passiones Jesu Nazareni & prædicationem Euangelii ac demonstrationem ejus continere perhibentur, ut videamus, an ii, qui sine contradictione inter Christianos hoc tempore recipiuntur, vera divinitatis argumenta possideant, sive quo jure & quàm apertis πίστεως ab Ecclesia pro divinis habeantur. Sic igitur dicimus.

2. *Scripturæ auctoritas* est certissima, & (ut cum Augustino loquar) *eminentissima*. h. e. constat evidentissimis atque irrefragabilibus argumentis, eam à Deo esse. ita ut primam habeat auctoritatem apud Ecclesiam. *Scripturæ auctoritas est prima ad nos.*

3. Aliud agunt Pontificii, quando vociferantur, se non negare auctoritatem divinam Scripturæ in se, sed tantùm quærere, quomodo auctoritatem obtineat *quoad nos*, h. e. apud nos; sive, quomodo nobis constet, eam esse divinam, aut πῶς πιστώσεται αὐτῆς, ὅτι ἐστὶ θεόπνευστος, *quomodo fides nobis fiat, quòd sit divinitùs inspirata.* Quomodo loquitur Apostolus 2. Tim. 3: 14. 16. Non enim, quando quæritur de auctoritate Scripturæ, quæritur, An sit à Deo: sed, unde nobis constet, eam esse à Deo? Illi Scripturam redigunt in ordinem eorum, quæ loquuntur homines, ita ut dubitari possit, utrum Deus illis locutus sit, nec ne: qualia sunt verba illorum prophetarum, de quibus dicit Deus, exspectandum esse, dum eveniant verba illorum. Deuter. 18: 22. Quæ insignis est est injuria Scripturæ illata: quasi nulla esset in Scriptura divinitatis radiatio. Unde & audent Scripturam cum Livio, cum

Alco-

Alcorano, cum fabulis Æsopi comparare; imò asserere, *Nihil quicquam divinitatis inesse Scripturæ, quæ nos ad credendum, quæ in illis continentur, religione aliqua constringat.* Biblia tota tolli de medio, vivorum judicum auctoritate sublata. Qualia à Pontificiis dici, antehac demonstravimus in tract. de Potentia Scripturæ. p. 37. 43. 44.

Circulus negantium primam ad nos Scriptura auctoritatem & ex ea probare nitentium Ecclesiam & ejus auctoritatem priorem ad nos.

4. Atque eorum multi, quum omnes negent Scripturam ex se ostendere divinitatem suam, impudenter ex ea, tanquam primam apud nos auctoritatem habente, Ecclesiam suam ostendere parant: quum impossibile sit, idem quoad nos primam auctoritatem habere, ad demonstrandam Ecclesiam; & tanquam non habens primam auctoritatem quoad nos, ab Ecclesia, tanquam eam habente, accipere fidem & existimationem divinitatis. Qui est nugatorius Circulus. Nam, ut rectè Aristoteles 1. poster. 3. ἀδύνατον ἐστι τὰ αὐτὰ τῶν αὐτῶν ἅμα πρότερα καὶ ὕστερα εἶναι. *impossibile est, ut eadem iisdem priora & posteriora sint*, eodem modo, nempe sive *simpliciter*, sive *ad nos*. Atqui cognitione divinitatis Scripturæ ipsis prior est, ad nos, cognitio infallibilitatis Ecclesiæ, & capitis ejus; & cognitione infallibilitatis Ecclesiæ & capitis ejus Papæ prior ipsis est, ad nos, cognitio divinitatis Scripturæ. Quam ob causam quidam fatentur, hunc *Circulum* esse. ut Henricus Holdenus de resol. fidei 1: 9. p. 180. qui tribuit eis, qui, interrogati, *unde sciant, unanimem Ecclesiæ Catholicæ assertionem esse infallibilem, non audeant, fidem divinam in certitudine & evidentia naturali fundare*, quòd *in circulum inevitabiliter illabantur, & in orbem turpissimè saltantes fidem, quam ipsa prima ratio format & efficit, rationis expertem reddant.*

Mala conscientia eorum, qui auctoritatem primam Scripturæ detrectant agnoscere.

5. Tergiversantur, & se αὐτοκαταχείτους demonstrant, qui argumenta nostrorum, quibus divinitas Scripturarum demonstratur, non audent rejicere, sed tamen negant per ea sufficienter ad fidem eam demonstrari. Sunt, *qui libentes prætermittant* considerare, *an Scriptura sibi ipsa testis sit, per sapientiam, quæ omnem humanam superet:* quia, *quicquid sit de hujusce rei veritate, paucorum sit id discernere.* Profectò malignus est & in Scripturam non bene animatus, qui non vult considerare, an ea non lucem divinitatis undique à se spargat, & ita quidem, ut quivis id percipere possit, si attendat, imò omnis fidelis, pro mensura sua quisque, percipiat. Sed iidem etiam ulteriùs prodeunt, ut declarent, eos, qui credunt Scripturis, *etsi omnes articulos fidei, nec plures nec pauciores, crediderint*; si eis *assensum præbeant vi propria sua & privata ratiocinationis, eò quòd nimirum existi-*

existimaverint, omnes illas veritates revelatas vel expressè reperiri in sacra pagina, vel saltem implicitè contineri, adeò ut putent, se posse illas omnes inde deducere: ita tamen, ut illis non vellent adhærere, nec credere, nisi judicarent, se posse illas ex sacris Scripturis evincere: eos nec verè Catholicos, nec Ecclesiæ catholicæ membra debere existimari. Et quæ ratio? *Quum enim medium, quo sibi applicarent hi credentes veritates revelatas, non sit aliud, quàm propria sua & privata ratiocinatio, harum non haberent propriè fidem, sed opinionem.* Ita Henricus Holden in resolutione Fidei, lib. 1. c. 6. p. 82.

6. Quòd sine auctoritate Ecclesiæ negant esse sufficientia illa argumenta, splendidum cavillum est. Ea enim est auctoritas Scripturæ, ut & Ecclesiam Dei ostendere possit. Credimus Ecclesiam. Cui credimus, esse Ecclesiam, &, hanc multitudinem esse Ecclesiam, nisi verbo Dei? Numquid credimus Ecclesiæ, esse ipsam Ecclesiam? An potiùs non credimus Ecclesiam, sed eam esse scimus, idque per se notum est? adeò ut jam non sit ampliùs mysterium, quod opus fuerit revelari, Christum sibi emere Ecclesiam. Quum omnem suam auctoritatem à Scriptura habeat Ecclesia; & eo ipso auctoritas Scripturæ innotescat nobis, quòd est sceptrum Dei ad colligendam ipsi Ecclesiam, &, eam ipsam esse Ecclesiam Dei, ad conscientiam testatum faciat: quomodo non argumenta nostrorum ad divinitatem Scripturæ probandam sunt *sufficientia?* nisi velint dicere, ex Scriptura non posse probari, quæ sit Ecclesia, sive, quòd Christianus populus sit Ecclesia Dei vivi.

7. Quòd vero *ad fidem* sufficere negant, quasi ille assensus in auctoritatem Scripturæ, qui per ea argumenta efficitur, non sit fides; putidum est. Causantur, fidem esse divinæ revelationis tantùm; at, quod per argumenta cognoscitur, non cognosci revelatione. Falsò! Deum, ut est, & καθ' αὐτὸν, nemo cognovit, ut possit de revelatione tali gloriari, quæ excludat omnem σωτῆσιν & λογισμὸν, tanquam qui viderit, quæ credit. Revelatio divina, quæ ad fidem obligat, est omnis notificatio ad conscientiam manifestans auctorem notificationis Deum.

8. Testimonium est, quod fide recipitur: quæ reclinat in testantem; idque propter judicium, quod de testante habet; quo ei attribuit parem testimonio sive idoneam ad testandum scientiam aut prudentiam, ac virtutem amoremque veritatis; imò & potentiam, si quid promittat.

9. Porrò, Deum non posse mentiri, nosque id tutò posse credere, natura cognitum est. Nam, si aliter esset, Deus non esset. Et ea Dei veracitas, & veritas, & fidelitas experimentis magis magisque probatur fidelibus.

10. Quòd autem Deus testetur, & non vel dæmon sit, vel homo mendacii suspectus, qui loquitur, non jam credimus, tanquam obscurum & inevidens, ut loquuntur, sed alia ratione cognoscimus, percipimus, certioramur, ut testimonium ipsius fide recipiamus. Quid autem testetur Deus, ex verbis ejus σωφρόνως *prudenter* colligimus, conscientia judicante.

11. Quod autem conscientia judicat, id verum est, & falsum esse nullo modo potest. Nam, si errare & fallere conscientia posset, non esset conscientia. Bona conscientia explorat omnia, donec dubitare ampliùs homo non possit.

12. Sed de hoc aliâs. De fide jam loquimur. quæ reclinat in Deo; non, quia credimus propter alterius testimonium, Deum mentiri non posse, sed, quia id novimus esse verum.

13. Fides autem testimonii, sive illius ἀποδοχὴ procedit ab auditu. Aliud est audire, aliud auditum credere.

14. *Auditus est per verbum Dei.* Auditus pro omni perceptione verbi Dei ponitur; quam perceptionem aut sensum verbum Dei facit, quemadmodum vox loquentis facit auditum.

15. Auditu igitur nititur fides, & quidem auditu attento, sive, cui animus adest judicans de loquente, & mentem sermoni audito affigens, ut, quid dicatur, rectè percipiat.

16. Non sine auditu fides est, non sine sermone, & quidem Dei, audito; non sine prudenti consideratione auditorum, fides est.

17. Tantum abest, ut assensus in testimonium propter auctoritatem testantis, ideò sit non *fides*, sed *opinio*, quia illi adest prudens dictorum Dei consideratio, & sensus sive veritatis manifestatio ad conscientiam.

18. Nisi sanè ad fidem requiritur, ut alius testetur, Deum non mentiri, & id ego ipse propria ratione non teneam: &, Deum loqui; & id ego nesciam: &, quæ audio, hoc aut illud significare; & ego id non intelligam. Quod si requiritur, nulla est fides. Nam in omni testimonio audito ad fidem requiretur testans de testantis virtute & prudentia, &, quis loquatur, & quid vocibus, quas audio, indicet. Ita ibitur in infinitum, & fidei βάσις & ἀφὴ tolletur.

Dices:

Dices: Me non audire Deum loquentem. Imò verò in Scriptura reperio voces, quas æquè non possum dubitare esse à Deo, atque si vel Deum in Sinai, vel Mosen, vel Prophetas, vel Christum, vel Apostolos loquentes audirem. Ei rei argumenta dicamus. In hac demonstratione incipiendum est à libris Mosis.

Divinitas Scriptura probatur, quia historia Scripturæ, atque ita divinus modus traditionis ejus, fingi non potuit.

19. Si cum Mose locutus est, spectante & audiente innumerabili multitudine, eo fine, ut imposterum ei crederent filii ipsorum, non tantùm ut Prophetæ sive servo Dei, sed ut fideli servo in tota domo Dei h.e. cujus ministerio de omni veritate in omne tempus omnes filii Dei erudiendi sunt, Exod. 19: 9. Num. 12: 7. eique negocium dedit, ut scriberet ea verba, ex quorum sententia fœdus cum Israële pepigit, Exod. 34: 27. atque is legem scripsit & tradidit sacerdotibus & senioribus populi, Deut. 31: 9. & singulis septenniis publicè prælegi præcepit. ibid. 10. dubitari non potest, quin id, quod scripsit, sit verbum Dei. Id autem verum esse, constat, quia Moses ita scripsit factum esse, & populus totus, qui hæc scripta tradidit, & contenta illorum narravit filiis suis, adeò ut ea traditione totus mundus sit impletus ab antiquo, quique & omnia sacramenta susceptit & retinuit, factus est testis omnium illorum, quæ Moses scripsit. Non potuerunt illa dici & legi in mundo, neque symbola ac monimenta tot spectari, nisi Israëlitæ illi prisci hæc filiis suis tradidissent. Neque ii tradidissent, nisi stetissent juxta montem Sinai, eaque dicta audivissent, gesta vidissent, librumque à Mose scriptum accepissent: imò etiam, quæ Moses narrat patrum ætate facta & dicta, à suis parentibus, nominatim Abrahamo, Isaaco, Jacobo, accepissent. Impossibile enim est, quæ dicta gestaque non sint, ea à tanta multitudine (eaque ipsa satis inobediente & immorigera) tanquam conscia, recipi, famigerari, celebrari. Nam quis unus homo sibi scienti volentique unquam imponi passus est, ut crederet & astrueret à se visa atque audita tanta cum evidentia, quæ nunquam viderit atque audiverit? nedum ut tanta multitudo in tanti mendacii auctorem non fuerit impetum factura, & eum planè rejectura. Eoque fit, ut nos hoc ipso tempore non minùs certi simus de iis rebus gestis & verbis dictis, quàm qui αὐόπται & ἀκοηρέται τ λόγ fuerunt.

20. Potest quis decipi volens à fabulatore, qui dicat, se solum absque teste vidisse vel audivisse, quod non viderit vel audiverit: velut Saraceni volentes decepti sunt à Muhammede, dicente, sibi

Angelum Gabrielem locutum esse. quem nemo vidit, cujus vocem nemo audivit. Non potest decipi, qui ipse testis scribitur dictorum & visorum, atque ita adjuratur, ut se pro teste ferat; & quidem diu reluctatus; qui testis, spectator & auditor non fuerit. Innumerabilis certè multitudo ad eum modum decipi non potest, ut, si quis scribat, eam totam res maximè insignes vidisse & fama accepisse, putet, se coram esse gestum & dictum, quod nec dictum nec factum sit, & de quo fando nihil audiverit.

21. Ea verò est certitudo historiæ de omnibus miraculis, postea patratis, deque omnibus sermonibus, quos Prophetæ habuerunt.

22. Imprimis de dictis factisque Christi & Apostolorum.

23. Deque Christi morte, & sepultura, & prædicata ipsius resurrectione atque ascensione in cœlum, & effusione Spiritus sancti.

24. Quæ opera quum sint facta, ut testes essent potentiæ ejus, cujus verbum est in Scripturis, non relinquitur dubium, quin in iis sit locutus omnipotens. Nam, qui potentior homine est, aut angelus est aut Deus est. Angelus bonus non rapit gloriam creatoris. angelo malo non permittit Deus eam rapere, ut ipse se penitus intestatum relinquat.

A Prophetiis complementum habentibus.

25. Prophetiæ autem suis complementis nunquam hucusque destitutæ indicant, eum verbi auctorem esse, cujus consilium stat, & qui omne suum beneplacitum perficit. Es. 46: 10.

A consensu Mosis, Prophetarum & Christi.

26. Supra omnem verò aleam dubitationis ponit Scripturam consensus cum primo verbo, quod per Mosen prolatum est, omnium sequentium virorum Dei, & ipsius Christi atq; Apostolorum.

A consensu omnium partium mysterii.

26. In quo consensu maximam potestatem habet harmonia omnium partium mysterii pietatis, & vaticiniorum. Videmus enim, ita à diversis esse prædictas easdem res, ut singuli tamen aliquid proprium ad rerum explicationem exprimerent, & nihilominus hiatus & conturbatio partium nulla uspiam reperiatur. Quod nisi uno spiritu veritatis effici non potuit.

A conservatione, & quidem juxta promissionem.

27. Et, quum in libris istis insit promissio, Verbum hoc nulla vi, nulla fallacia tollendum esse ex mundo; imò etiam illud ejusque partes in ultimis temporibus pro testibus responsuras in ore ipsorum non credentium illi; atque id ita fieri videamus: quomodo dubitabimus, id nos integrum habere & à Deo esse?

A gentium con-

28. Quid? quòd id verbum prædicit, doctrinam eo contentam

tam aliquando agnitum iri sapientiam & prudentiam veram à gentibus? Quod certè factum videmus. Adeò ut & hostes Dei cogat ipsi mentiri. Idque factum est mirabili modo, uti & prædictum erat, nempe ut Deus ex ore puerorum fundaverit robur, Psalm. 8: 3. & iis aperuerit mysteria regni, Matth. 11: 25. & iis dederit os & sapientiam, cui non potuerint contradicere neque resistere omnes renitentes. Luc. 21: 15. *versione secundùm promissionem.*

29. Quanti verò putabimus, quòd, quum doctrina in illo contenta habeat passim testimonium in hominum scriptis & legibus, quoad particulas; nullum tamen scriptum sapientissimorum & eloquentissimorum hominum est, quod ita confertam, meram, sinceramque & integram contineat doctrinam glorificandi Deum & ἁγιασμοῦ? Ita ut simul testimonium habeat in conscientia omnium hominum, quatenus hi aliquam veritatem habent; simul in eo, quòd cuncti homines ad hanc sapientiæ & prudentiæ ingritatem, quæ est in Scriptura, non pervenerint. Quomodo nos Moses docet argumentari Deut. cap. 4. v. 8. & Apostolus 1 Cor. cap. 1. vers. 21. *A defectu sapientiæ in mundo.*

30. Quodque stilus illius verbi cum decora majestate est simplicissimus & in ruditate sive inaffectato candore & sensibus fœcundissimus, & ad simplices erudiendos, doctosque exercendos aptissimus? cujus sapientissima ratio in profectu conspicitur. quandoquidem, ubi ad veros sensus perventum est, sentimus, ita omnia dicta composita esse, ut nihil possit quisquam comminisci ad sensus eos indicandum commodiùs & sapientiùs. *A stilo.*

31. Ipsa porrò doctrinæ sanctitas odio & fuga hominis carnalis & mali satis manifestatur: multò magis furore illo & ἐνθουσιασμῷ, quo mundus agitur contra illud: qui deprehenditur esse ab incitatione inimici, Psalm. 8: 3. *A doctrinæ sanctitate.*

32. Nec minùs clarissimis exemplis virtutum & patientiæ ac amoris Dei, quæ in iis conspecta sunt, qui huic verbo obediverunt.

33. Est sanè hic doctrinæ, quæ in eo proditur, genius, ut quilibet, qui ei obedit, in animo suo sentiat, esse Deo dignum, ut illo modo, quem id verbum revelat, se glorificet in nobis, & ut ipsi honori & laudi hoc modo, quem id imperat, esse nitamur. Jerem. 23. v. 28. 29. *Quid palea cum frumento? Nonne sic verbum meum, ut ignis, & ut malleus petras dissilire faciens?*

34. Atque ea est efficacissima nota divinitatis Scripturæ in no- *Ab effectu a-*

moris & timoris Dei.

bis, quando animus noster Dei (ejus, qui in Scripturis loquitur) vicem nobis dicit, Quærite faciem meam. Psalm. 27: 8. atque ita præceptum amoris Dei & proximi fit verum in nobis. 1 Joh. 2: 8.

A Spiritus Sancti dono.

29. Quod non caro aut sanguis, sed Spiritus Dei efficit. Sumus enim natura mali & cæci, ut nec videamus ea, quæ sunt Spiritus Dei, nec recipiamus. Et non potest à malo esse, quod bonum est. Bonum est, quod ad amandum Deum ducit & format. Necesse est autem Scripturam aut à patre mendaciorum esse aut à patre luminum. Si ab illo esse non potest, ab hoc est.

30. Quò magis certi sumus, quando ea, quæ Scriptura tradit, recipimus, nos verba Spiritus Sancti recipere, nosque Spiritum Dei, qui conscientiæ lucem in nobis reliquam esse voluit, habere.

31. Sine Spiritu quum nulla esse fides possit, sequitur, solum Spiritum, quem accipimus à conscientiæ nostræ fabricatore & illuminatore, efficaciter nobis, tanquam sigillum Dei, affirmare, quòd verbum Scripturæ sit verbum Dei. 1. Joh. 5: 6. *Et Spiritus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.* In qua demonstratione nullus circulus est, sed divinæ lucis undique coruscantis & in semet reciprocatæ plenissimus fulgor. 2 Cor. 3: 18. Quippe in Scriptura auctorem conscientiæ invenit animus, & in conscientia auctorem Scripturæ; in reparatione imaginis Dei creatorem, in creatore sanctificatorem: in ejusdem imaginis typo veritatem, in ipsa formulæ divinitatem.

32. Atque hoc modo Verbum Dei comperitur *spirituale*, h. e. dignum Deo instrumentum ad salvandum electos. quique id administrat, noscitur ministrare *Spiritui* per id operanti. quum omnis alia doctrina, quæ vel opera tantùm bona docet, atque ita est lex, tantùm sit *litera*, & *occidat*, 2 Cor. 3: 6. Rom. 7: 9. 10. vel, si de gratia loquatur, eam non loquatur, in qua est justitia Dei; atque ita Deum non glorificet: ideoque nec sit *spiritualis*. Ita credens homo fit Epistola Dei & Christi, ministrantibus Mose & Prophetis & Apostolis, scripta Spiritu Dei vivo in tabulis cordis, cognita & lecta ab omnibus hominibus. 2 Cor. 3: 2. 3.

Divinitas Scripturæ non adstruitur propria auctoritate Ecclesiæ.

33. Ceterum inter argumenta, quibus probatur divinitas Scripturæ, non recensuimus auctoritatem eorum, in quorum ea manu est, eorumque declarationem, quòd divina sit. Si enim ea declaratio haberet auctoritatem, quæ per se obligaret ad fidem, jam etiam à Judæis & eorum declaratione penderet fides divinitatis Mosis

Mosis & Prophetarum. Quare enim magis pendebit auctoritas Scripturæ & fides divinitatis ejus à testimonio & declaratione eorum, qui vocantur Christiani, quàm eorum, qui vocantur Judæi & sunt Israëlitæ, quos Deus palam allocutus est, ut populum suum?

34. Ecclesia declarat, sé Scripturam pro divina recipere; h. e. confitetur fidem suam. Non tamen imperat, ut propter suum dictum pro divina recipiatur; sed divinitatem ejus demonstrat ad omnem conscientiam.

35. Dico *omnem conscientiam*, cum Apostolo 2 Cor. 4: 2. Sunt enim illa argumenta, quæ protulimus, clara & evidentia apud omnem conscientiam. Atque etiamsi non omnibus sit verbum Dei *odor vitæ ad vitam*; sed *in iis, qui pereunt*, sit *odor mortis ad mortem*: 2 Cor. 3: 16. tamen & hi sentiunt, Deum, quem fugiunt, ad se locutum esse. Deus apud Jeremiam cap. 23: 28. omnium animos compellat. *Propheta, cum quo est somnium, narret somnium; & , cum quo est verbum meum, loquatur verbum meum, veritatem. quid paleæ cum tritico? Nonne sic est verbum meum, ut ignis, & ut malleus*, qui *facit dissilire petram?* Ita Paulus Hebr. 4: 12. *Vivus* est *enim sermo Dei & efficax & magis secans, quàm omnis gladius anceps, & penetrans usque ad divisionem animæ & spiritus, junctura rum & medullarum, & judicans cogitationes & cogitationes cordis.* *Scriptura probat suam divinitatem omni conscientiæ.*

36. Qui hoc sentit, quam majorem auctoritatem, aut quem testem exspectabit, ut credat? Qui hoc non sentit, aut se non sentire dicit, quique omninò omnibus rationibus se negat perpelli, ut credat Scripturæ, tanquam verbo Dei, quomodo is permoveri poterit, ut subjiciat se Deo, cujus cognitionem fugit? Quid facere oportet, nisi ut pro eo oremus, & eum omni occasione cum longanimitate exhortemur, ut imminentem iram effugiat, si forte Deus ei det resipiscere ad cognitionem veritatis ex laqueis Satanæ, ut servetur? 2. Tim. 2: 25. 26.

37. Et verò inter illos, qui negant se sentire vim demonstrationis, quæ à nostris solet proponi ad probandam Scripturæ divinitatem, non reperiri tales, qui sentiant, sed sentire nolint, impossibile est. Dictum enim est Apoc. 9: 6. *homines quæsituros mortem, sed eam fugituram ab ipsis.* & de זֵדִים *audacibus* πλημμυρῆς & לְצִים ἐμπαίκταις *irrisoribus*, quorum est tergiversari adversus veritatis demonstrationem, & quos ea *latet volentes* (2 Petr. 3: 9.) multus & gravis sermo habetur in Scripturis. *Rursus de mala conscientia renitentium.*

38. Et

38. Et tales esse inter eos, qui negant, nos fidem divinitatis Scripturæ sine auctoritate Ecclesiæ habere posse, ostendunt multa. 1. quia, etiamsi in genere dicant, ea argumenta non esse sufficientia, tamen nemo illorum audet ostendere, quis sit defectus in iis argumentis, ne faciant fidem. h.e quare non, qui ea argumenta videmus, debeamus haberi eo loco, atque si hæc verba, quæ legimus, tanquam vel ad montem stantes cum Israëlitis audiamus, vel ex ore Mosis percipiamus, vel in autographo Mosis legamus, vel ex ore Prophetarum & ipsius Christi atque Apostolorum recipiamus, & ea, quæ olim facta sunt, ipsi videamus.

39. 2. Quia sophisticè, quum nos loquimur de *conscientia*, quæ judicat de eo, quod Deum & hominem decet, & quod cum operibus Dei convenit, nobis objiciunt, quòd nitamur proprio *judicio rationis*. Quod non ita est. Nihil enim ex nobis comminiscimur secundùm concupiscentiam; sed auditum referimus ad conscientiam, testem recti & pravi, testem ejus, quod facimus & quod in nobis est, testem Dei, testem connexionis, quæ est inter vera; & contra propriam sapientiam & justitiam ad gloriam Dei definimus, ut eum amemus & timeamus.

40. 3. Quia eos damnant, qui tenent fundamentum, & fœdus cum Deo faciunt, & parati sunt credere omnibus, quæ in Scriptura docentur, cum Apostolo Actor. 24: 14. atque ita revera damnant innocentes.

41. 4. Quia ipsorum interest, non tantùm ea credi, quæ scripta sunt; sed Euangelium aliud, interpolatum, & assumentis ipsorum corruptum prædicari & credi. Interest, inquam, ad multa, quæ habent in mundo, πρήματα.

42. 5. Quia irascuntur iis, qui se profitentur velle tenere Scripturam & fundamentum, quod in ea traditur, seque metuere culpam temeritatis, si alia audeant dicere vel credere; & negant, se nosse aliam auctoritatem, quæ possit obligare ad fidem: eosque persequuntur. Hæc ira, is furor, & ea persecutio ostendit malam conscientiam. Quare enim irascuntur eis, qui ipsis resipiscere nolentibus molesti non sunt? nisi ob eam rationem, quæ movebat Pharisæos ad Christum occidendum? Joh. 11: 48. *Si omittamus eum ita, omnes credent in eum.*

43. 6. Quia sophisticè & captiosè disputant, Scripturam solam non posse esse principium fidei sine traditione. quasi, quia Scriptura

ptura non potest esse in mundo sine traditione, primò hominum Dei, deinde posteriorum, & credentium confessione; ideò tradentes habeant auctoritatem ad testandum de divinitate Scripturæ, ita ut fides divinitatis ejus per se & primò inde pendeat.

44. 7. Quia præfractè reponunt semper dictum Augustini, *Non crederem Euangelio, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas.* quum tamen sæpe ipsis demonstratum sit, Augustinum in Ecclesia, cui tribuit *auctoritatem*, comprehendere Apostolos, & eorum miracula; & posterioribus nullam auctoritatem tribuere, nisi quòd constat, eos Scripturam ab Apostolis accepisse; eumq; Scripturæ attribuere *Canonicam & eminentißimam auctoritatem*, & maximè propter *sincerißimam sapientiam*, & prophetias, & propter effectum, qui est amor & timor Dei, sive sanatio animæ. Quæ ostendimus in tract. *de Potentia Scripturæ.* c. 5.

45. 8. Quòd manifestè produnt, dum profitentur, se loqui ἄγραφα *non scripta*, quòd non teneant *fundamentum.* Nam, si id tenerent, ei superædificarent, quod credunt; atque ita jam Scripturis niteretur eorum fides.

46. 9. Quia in Circulum circumaguntur, ut probent auctoritatem Ecclesiæ: in quo multùm sudant.

47. 10. Quia contra apertam accusationem παραδόσεως *Traditionis* (quòd ea sit defectuosa & *fermentum* admixtum habeat, Matth. 16: 6. 11. 12.) & contra Prophetiæ, quæ ἀποστασίαν *defectionem* prænunciat, fidem, omni fuco conantur stabilire auctoritatem Traditionis: quasi impossibile sit, ζιζάνια, *hominibus dormientibus*, *seri*, Matth. 13: 25. 38. aut ἀποστασίαν invalescere, aut Bestiam oriri atque adorari.

48. Quos, dum Traditionis & Ecclesiæ Catholicæ assertionis unanimis infallibilitatem, ceu evidentem & naturaliter notam, artificiosè adstruunt, volentes latet, ab initio verbum promissionis traditum fuisse Adamo & Evæ, & tamen ante diluvium fuisse de Deo & cultu Dei litigatum, &, quum omnes homines, qui post diluvium fuerunt, Noachum patrem habeant, qui fuit præco unius Dei & justitiæ, tamen totum ferè mundum ad πλυθείαν prolapsum esse & justitiam Dei ignorasse, quum Deus Abrahamum filium idololatrarum ex medio illorum evocavit. Jos. 24: 2. ita ut in historia illorum temporum nemo Deum cognoscens memoretur, nisi Melchisedek. *Universalis Traditio potest corrumpi.*

49. Quis potuit esse universalis consensus, & quæ Traditio universalis integra atque intemerata, quando Deus *prospectavit ex cœlo, ut videret, an esset prudenter animadvertens, quærens Deum?* & vidit, *Omnes recessisse, una putidos effectos esse, non esse bonum etiam unum?* Psalm. 14. Quod Apostolus etiam de Judæis dictum asserit. Rom. cap. 3. vers. 19.

Argumentum pro infallibili Traditione universali.

50. Atqui, inquiunt, quod Apostoli in variis orbis partibus diligenter & studiosè inculcarunt, quod divina providentia custodit, quippe quum Christus promiserit, se Spiritum cœlitus missurum, id infallibile est. Doctrinam autem Christianam Apostoli ubique diligenter inculcarunt, & Christus promisit, eam semper in mundo fore. Ergo Traditio universalis est infallibilis. Ita argumentatur Holdenus l. 1. *de resol. fidei. c.* 8. *lect.* 4.

Responsio. 1. consensus universalis est incertus.

51. Non dicam jam, traditionem & consensum universalem circa omnia ea dogmata, quæ in dubium vocantur, quæ tenet cœtus Romanus, difficillimum probatu esse: adeò ut, si is sit fidei nostræ crepido, vix millesimus fidem habere possit. Quotusquisque enim est Christianorum, qui scire possit, in quid consenserint omnes Ecclesiæ, omnes fideles, omnes docti vel uno seculo aut tempore?

2. Nihil impedit, omnes consentire in errorem.

52. Ne hoc quidem dicam, quòd, si de ullo dubio dogmate probari posset, in id consensisse omnes Ecclesias, doctos, fideles, Christianos, nihilominùs tamen reddi non possit ratio, quare minùs omnes possint consentire in errorem aliquem, quàm pauci? Nam paucos fidelium & Christi nomen profitentium posse errare & in errorem consentire, constat.

Neque enim propterea Ecclesia deficeret.

53. Dicent, Si tota Ecclesia in errorem consentiret, deficeret. Nego. Nam pauci, errorem cum fundamento tenentes, non propterea deficiunt à fide, cupientes omnem veritatem discere & ab omni errore liberari. Imò, inquient, quia, in quod omnes consentiunt, id articulus fidei est; aut id necessariò pro articulo fidei habent. Petitio principii hæc est. Et, si sciunt omnes Christiani, id demum esse articulum fidei, quod omnes tenent, & Christiani sciunt, quid omnes teneant, ne pauci quidem fideles errare possunt, nisi velint errare. quod non est fidelium.

3. Consensus non est necessariò ex Traditione.

54. Ne hoc quidem dicam, etiamsi reperiatur apud omnes Ecclesias consensus in quod dogma, tamen non statim posse sciri, utrum is consensus ex Traditione majorum in suis locis sigillatim conti-

continuata natus sit, an ex aliorum auctoritate & persuasione provenerit: quemadmodum Alcoranus auctoritate & persuasione Muhammedis & sociorum ac successorum ejus susceptus est.

55. Etiam hoc non dicam, nihil tam speciosè dici posse pro Traditione Christiana, quod non pari specie possit dici de Traditione Judæorum vel Israëlitarum. cui tamen nullus Christianorum se patitur adstringi. *4. Paria pro traditione Iudaica dici possunt.*

56. Omittam & hoc, quòd, etiamsi concedatur, verbum semel diligenter & fideliter traditum conservari incorruptum potuisse à fidelibus universis attendentibus & advigilantibus omni tempore, & in omnem falsationem corruptionemque pariter insurgentibus; deque ea re posteros certiores fieri posse, si etiam talis universorum fidelium vigilantiæ imposterum maneant certa monimenta; aut fideles non cogantur aliquando obmutescere: quòd, inquam, difficillimum sit probare, omnes semper fideles ea communi vigilantia usos esse, & ad errorem omnem eliminandum conveniisse, & sui studii documenta reliquisse, & non fuisse oppressos, ut cogerentur in publico silere. *5. Non potest probari communis vigilantia & libertas.*

57. Hoc tantùm dicam: Non extare promissionem de servanda traditione incorrupta absque Scriptura & extra eam. *6. Non extat promissio de Traditione integra servanda.*

58. Necesse erat, ut Ecclesia esset in mundo, perseverare in ore hominum legem Dei, h. e. ea verba, quibus lex fidei per charitatem operosæ continetur. Es. 59: 21. Nam citra ea non esset fides; ideoque nec Ecclesia.

59. Necesse etiam erat conservari instrumentum revelationis. Nam sine eo non poterat Ecclesia propagari, aut veritas copiosè & plenè explicari, aut confirmari, vel falsitas confutari, vel opera Dei mirabilia, quæ sunt fidei firmamentum, cum irrefragabili certitudine cognosci. Ideoque necesse erat, hanc Traditionem, sive hunc sermonem in ore hominum conservari, Scripturam esse verbum Dei; eamque sic traditam esse, quemadmodum in ea perscriptum est: nempe, ut ii, qui eam acceperunt, testes fierent eorum operum Dei, quæ in ea commemorantur, & eorum dictorum, auditorum, quæ in ea narrantur.

60. Atque utraque Traditio etiam in mundo conservata est: quæ non largitur fidem vel fundamento vel revelationis perpetuo instrumento, sed ex ipso illo verbo & principio conservato fidelis comprobatur.

61. Et hoc promissum est: atque in hoc fidelis & potens reperitur Christus. Sed fideles ita vigilaturos, ut nihil temere dici aut fieri paterentur; & cum nullo errore aut temeritate communicarent (idque eo fine, ut, quod omnes dicerent ac facerent vel dici fierique paterentur, haberetur pro necessario) id nullibi scriptum, nullibi promissum est.

62. Imò contra prædictum est, gentes magno numero nomen daturas Christo, sed in illis plurimos futuros mendaces & infidos, eosque temeraria locuturos & facturos; & in eorum multitudine veros fideles aliquando publicè non comparituros, sed eos victum & quasi interfectum iri. Idque eo fine prædicitur, ut legem, quam velut signaturam in fronte & manu dextra plerique recepturi erant, fideles caverent recipere, sed *verbo Dei* & fundamento sive *testimonio Iesu Christi* affixi manerent. Apocal. 20: 4. Quod faciunt & illi, qui multa ignorantes, & in quibusdam errantes, tamen spem suam in Christo collocant, & parati sunt credere his, quæ scripta sunt, & ex illis proficere & corrigi desiderant.

63. Concludamus igitur cum Augustino. *Solis eis scriptorum, qui jam Canonici appellantur, hunc honorem timoremque deferamus, ut nullum eorum scribendo errasse audeamus credere.* ad Hieron. ep. 19. Decret. dist. 9. c. 5. Quæ autem ab aliis hominibus dicuntur ac scribuntur, ad illorum dicta, tanquam normam & regulam, referamus.

Confessio Ecclesiæ quomodo confirmet Scripturam.

64. Quanquam inter dicta hominum etiam necessariò audiatur confessio Ecclesiæ sive fidelium: quæ, ut statuminatur Scripturæ testimonio, ita vicissim Scripturæ divinitatem adstruit. Nam ipsa confessio Ecclesiæ est confessio gratiæ justificantis Deo dignæ, quæ sola facit Deum peccatori amabilem, & sola pietatem gignere potest; seque veram sapientiam esse omni conscientiæ probat. Cujus confessionis stipulatio ac formula quia in Scriptura proponitur, inde certum habemus, ab eo prodiisse Scripturam, quem confessione nostra & gratiarum actione verè celebramus & glorificamus. Quod non faceret ulla caro, nisi Deus se hominibus ita gratiosum, simulque sanctum & justum patefecisset.

Enthusiasta cavendi.

65. Cavendi hîc sunt, qui à Scriptura ad Spiritum privatum seducunt. Quod didicerunt à Papa & illis, qui se cum illo in thronis collocant, & se ipsi subjiciunt. qui putant, Papam non demonstrantem, imò etiam malè argumentantem, & extra Scripturas loquentem id, quod non constat ab Apostolis profectum esse, tamen

men non errare, sed nimirum prophetare, ut Cajaphas prophetavit, nesciens, quid diceret: &, qui ei se subjiciunt, à spiritu sancto regi, ut credant, quod nesciunt, an sit aliunde, quàm ab hominibus.

66. Neque est magnopere, quare hi refutentur. Spiritus sanctus non inscribit cordibus nisi legem Dei & priùs à Mose scriptam (Deut. 30:10.) & ad Novi Testamenti exsecutionem in medio omnium publicatam. Jer. 31:33.

67. Nemo igitur quicquam credens, dicens, faciens potest habere bonam conscientiam, si non, quod recipit, audiverit; quod decernit, consideraverit; quod loquitur, auditum narret; quod facit, auctore Deo voluntatem suam vel per conscientiam vel etiam per verbum notificante fecerit. Aliter non est in fide quid facere.

68. Nemo potest alienum dictum vel factum approbare, nisi vel idipsum in corde suo naturaliter scriptum reperiat, vel in sacris literis revelatum cognoscat.

69. *Spiritus Dei* loquens in Scripturis *attestatur spiritui nostro*, h.e. animæ nostræ, *quòd simus filii Dei*. Rom. 8:16. Anima nostra *clamans, Abba, Pater*, testatur, nos esse filios Dei. Nam, quem Patrem vocamus, ejus nos esse filios, testamur. Nemo diligit Deum, ut, patrem, qui non sentiat, se diligi, ut filium. Huic testimonio spiritus nostri attestatur Spiritus Dei: qui in Scripturis dicit, eos, *qui clamant, Abba, Pater, esse filios*: & ea propter jubet Deo dicere, *Pater mi*. Jer. 3:19. *Pro spiritu privato nihil facit locus Rom. 8:16.*

70. Quæ dicuntur visa & audita à fidelibus, non accipimus, ut principium fidei. Si in eis proponantur credenda, redimus ad certum verbum Dei, ut vel in eo quæramus expressè dictum, vel ex fundamento colligamus, ut ejus expositionem aut consequentiam. Si de consilio Dei eæ visiones loquantur, considerandum est, qualia sint, quæ dicuntur. Si terrores, cum præcepto fidei & resipiscentiæ; quæ est ordinaria prædicatio: per fidem & resipiscentiam est occurrendum divinis judiciis: si bona, qualia jussit Deus exspectari in certum tempus à filiis suis bonam conscientiam habentibus, ea sunt exspectanda, ita ut nihil interim temere faciamus: si alia nova & extraordinaria, suspendendum judicium, donec fiat, quod dicit Propheta, qui se dicit quippiam vidisse vel audivisse. Deut. 18:22. 2. Chron. 20:16. 17. 18. 19. 20. Jer. 28:9. *Visiones quomodo probanda.*

CAPUT IV.

De Libris Canonicis.

Proximum est, ut eos libros, quos Ecclesia orthodoxa sive Catholica vera pro θεοπνεύστοις habet, annumeremus.

Canonici libri unde dicti.

2. Habuit enim Ecclesia tum Veteris Testamenti, tum Novi, certum κανόνα h. e. κατάλογον sive indicem librorum divinorum. quos inde κανονικοὺς h. e. in Indice positos, nominarunt: quippe ὄντως ἐν τῷ κανόνι. Alios autem *extra canonem* esse dixerunt, & ἀκανονίστους vocarunt. Athanasius in Synopsi Scripturæ. πᾶσα γραφὴ ἡμῶν χρησιανῶν θεόπνευστός ἐστιν. οὐκ ἀόριστος ἦ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία. & postea. ὁμοῦ τὰ κανονιζόμενα τῆς παλαιᾶς διαθήκης βιβλία εἴκοσι δύο ἰσάριθμα τοῖς γράμμασι τῆς ἑβραίων. Illis opponit τὰ μὴ κανονιζόμενα. Ita Concilium Laodicenum. ὅπως δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης. Hieronymus in prologo Galeato. *Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inscribitur, & Iesu filii Sirach liber &c. non sunt in Canone.*

3. Intelligebant autem, eos libros solos habendos esse pro θεοπνεύστοις, & eos esse *Canonem & regulam* credendorum, dicendorum, agendorum. Ita Chrysostomus hom. 13. in Genes. τῷ κανόνι τῆς θείας γραφῆς καταλληλίζωμεν. Athanasius de libris N. Test. τοσαῦτα καὶ τὰ τῆς καινῆς διαθήκης βιβλία τάγε κανονιζόμενα καὶ τῆς πίστεως ἡμῶν οἱονεὶ ἀκροθίνια ἢ ἄγκυραι καὶ ἐρείσματα. ὡς παρ' αὐτῶν τῶν ἀποστόλων δι' Χριστοῦ, τῆς καὶ συγκροτουμένων ἐκείνῳ καὶ ὑπ' αὐτοῦ μαθητευθέντων, γεγραμμένα καὶ ἐκτεθέντα. *Tot & Novi Testamenti libri sunt, qui quidem ad canonem referuntur, & fidei nostræ quasi primitiæ & anchoræ ac fulcra sunt. quippe ab ipsis Apostolis Christi, qui & cum eo conversati sunt & ab ipso discipuli facti sunt, scripti & expositi.* Nec pejus etiam illa addere, quæ sequuntur. Habent enim & illa usum. ἐπεί τοιγε ὕστερον ἐκ τῆς τῶν ἐκείνων ἀκολουθίαν καὶ συμφωνίαν ἄλλα μυρία καὶ ἀναγίνωσκα βιβλία ἐξεπονήθησαν ὑπὸ τῶν ἐκ χάριτος μεγάλων καὶ σοφωτάτων θεοφόρων πατέρων εἰς μαρτυρίαν τῶν προλαβόντων καὶ διαθήκης. ὧν ἐν νῦν λόγος, ὡς πάμπολλων καὶ ἀορίστων ἐκ ἅμα πάντων τῶν αὐτῆς ἀκολουθίας τοῖς παλαιοῖς τούτοις ἐχομένων καὶ τὰ αὐτὰ ἐξηγουμένων καὶ αὐτῶν καὶ διαθεμένων. *Quanquam postea ad illorum sequelam & consonantiam alii infiniti & innumeri libri facti sunt à magnis & sapientissimis divino spiritu plenis patribus, qui omnibus ætatibus fuerunt, ad confirmationem*

mationem & illustrationem priorum. de quibus nunc non est sermo, quum sint admodum multi & incerto numero, simulque omnes eandem cum prisca regulam (vel sequelam) tenuerint, eademque & ipsi enarraverint & declaraverint.

4. Scilicet Athanasius posteriorum scripta hactenus probat, quatenus *eadem* dicunt & narrant, quæ in sacris literis leguntur, & ad eorum confirmationem & illustrationem faciunt, & scriptorum sacrorum sequuntur vestigia (id Athanasius vocat ἀκολουθίας ἔχεσθαι) & ab illis non discordant. Id vocat συμφωνίαν.

5. Athanasius inter illos innumeros scriptores non invenit patres, qui aliud scripserint aut scribere debuerint, quod non in sacris literis contineatur, & in quo eas non sequantur: nempe quod sine Scripturis traditum acceperint, & per scripta sua tradere posteritati voluerint.

6. Idem Athanasius statuit, fidem nostram in illorum librorum dictis fundari; & non venit ipsi in mentem, alios nominare, propter quos credamus iis literis, quosque velut certos & necessarios interpretes habeamus.

7. August. 2. contra Crescon. 31. *Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertinent, quos omnino judicare non audeamus & secundùm quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus.* Sed hæc alio loco erunt diligentiùs inculcanda. Nunc enim ante omnia recensendum habemus catalogum librorum sacrorum, quem Ecclesia ab omni tempore habuit.

8. Canonici libri partim sunt Veteris, partim Novi Testamenti. Quia autem libri Canonici sunt alterutrius *Testamenti*, à Veteribus ἐνδιάθηκοι appellantur. Eusebius lib. 6. hist. Eccl. c. 25. ex Origene in Psalm. 1. οὐκ ἀγνοητέον δ' εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους, αἷς ἑβραῖοι συγχρῶνται, δύο καὶ εἴκοσι. Nempe libri, qui Testamentum Dei continent, & Testamentum Dei exhibent, quique à Deo proponuntur fœderis faciendi causa, super quibus & per quos à nobis fidei obedientiam stipulatur, rectè ἐνδιάθηκοι appellantur.

9. Quòd verò quidam, ut Epiphanius & Damascenus, dicunt, libros veteris Testamenti fuisse ἐν τῷ Ἀρῷ, vel ἐν τῇ κιβωτῷ τῆς διαθήκης, id fortè explicatione juvandum est. Nam in Arca fœderis non erat, nisi Decalogus.

10. Ἐν-

Canonici Veteris Testamenti.

10. Ἐνδιάθηκοι libri V. T. aliâs 24. aliâs 22. secundùm literas Alphabeti, recensentur, varia quorundam vel combinatione vel distinctione. Hunc numerum post Josephum Eusebius, Cyrillus Hieros. Epiphanius, Hieronymus, Nazianzenus, Origenes, Athanasius, Damascenus, Hilarius, Ruffinus, Hugo de Sancto Victore aliique inculcant, intra eum Canonicos libros includentes. Hebræi distinguunt secundùm genera, in legem, Prophetas priores & posteriores, & כְּתוּבִים ἀγιόγραφα. In Novo Testamento vel universè appellantur *lex* aut *propheticus sermo*, vel distinguuntur in *legem* & *Prophetas*; ita ut post Mosen primus Prophetarum, qui scripserunt, Samuël indigitetur, Actor. 3: 22. 24. vel *in legem, Prophetas, & Psalmos.* Suntque quinque libri Mosis, Josua, Judices, Ruth, duo Samuëlis & duo Regum (sive quatuor libri Regum aut βασιλέων) duo Chronicorum (sive παραλειπομένων) Esras, Nehemias (sive duo Esræ) Ester (omissus à Melitone, & Nazianzeno. Ille fortè Esterem adjungit Esdræ: Athanasius trepidat circa *Esteram* ob additamenta notha. Nazianzenus videtur angustiâ versus & ἀπροσωπίαν Esterem omisisse. Nam is 22. libros numerans, post quinque Mosis, Jesum, Judicum, Ruth octavum, nonum & decimum ponit Reges & Paralipomena, tum Esram, tum quinque ᾠδὰς, & quinque προφήτας δωδεκαπρόσωπον. Deest igitur unus, Ester, ad summam viginti duorum) Job, Psalmi, tres Solomonis, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joël, Amos, Obadja, Jona, Micha, Nahum, Habacuc, Zephanias, Haggæus, Zacharias, Malachias. Qui τὸ δωδεκαπρόσωπον constituunt, juncti, ne propter parvitatem aliquid periret. Hinc sumtum, quod Actor. 7: 42. dicitur *scriptum* ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν.

11. Elogia horum librorum sunt, *Scriptura*, vel *Scripturæ* Joh. 5:39. (Hebræi dicunt הַסְּפָרִים τὰ γεγραμμένον) *libri* τὰ βιβλία Dan. 9: 2. סֵפֶר יְהוָה. *liber Iehovæ*, Es. 34: 16. מִכְתַּב אֱלֹהִים *Scriptura Dei*, sui parte. Exod. 32: 15. γεγραφαὶ ἅγιαι Rom. 1: 2. (quippe Dei, θεόπνευστοι, θεοπρεπεῖς, ἀψευδεῖς & λόγοι ἀδιάφθορον complectentes) ἱερὰ γράμματα, 2 Tim. 3: 15. (quippe Deo & rebus divinis appropriata, ad Deum in hominibus sanctificandum comparata, à Deo solo auctoritatem habentia, ejusque potentia ad salutem omni credenti) *liber legis*, Deut. 31: 26. Jos. 1: 8. 2. Reg. 22: 8. (ita quidem libri Mosis appellantur; sed κατ' ἀναλογίαν reliquæ omnes Scripturæ sic appellari

lari possunt) à materia, ὁ λόγος, οἱ λόγοι, τὰ λόγια θεοῦ, *lex, Testimonium Dei.* Solent etiam dicere הַפָּסוּק & קְרָא q. d. τὸ ἀναγινωσκόμενον.

12. A Canonicis Veteris Testamenti libris, tanquam גְּנוּזִים *Apocryphi.* ἀπόκρυφος & μὴ δημοσιευομένους (nam rectè statuit Synodus Laodicena, ὅτι οὐ δεῖ τὰ ἀκανόνιστα βιβλία λέγεσθαι ἢ τοὺς ἀναγινώσκεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) removemus non tantùm Orationem Manassis, appendicem Jobi, Psalm. 151. Præfationem Jeremiæ, tertium Esræ (quem Athanasius pro primo habet à Græcis libris deceptus) & quartum ac tertium Maccabæorum (quos & Concil Trid. sess. 4. rejicit) sed & assumenta Estheræ (propter quæ Estherem Athanasius recipere timet) Baruch, Epistol. Jeremiæ, Hymnum trium puerorum, Historiam de Dracone, Abacuc & Susanna (quæ est accessio Danielis genuini) & si quæ alibi à Lxx. interpretibus infarcta sunt: item librum Tobiæ, Judith, Maccabæorum duos (quos & Gregorius Magnus Papa *non-Canonicos* agnovit) Sapientiam Solomonis, (non, quam Græci aliquando appellant, τὰς παροιμίας, Hebraicè extantem, sed eam, quæ Græcè duntaxat fertur) Ecclesiasticum sive Sapientiam Jesu ben Sirach. quos Pontificii recipiunt *pari* cum Canonicis *pietatis affectu.*

13. Quanquam autem sub Veteri Testamento plura à Viris Dei fuisse scripta, inspirante Dei Spiritu; quæ, ut sermones ipsorum in nomine Dei prolati, cum reverentiâ excipi debuerunt, & κανονικὴν αὐθεντίαν habuerunt; tamen non voluit Deus Ecclesiam gravari immodica librorum, qui vel scripti sunt, vel scribi poterant, multitudine: Joh. 21: 25. sed ei prospexit de hisce, in perpetuum conservandis, etiam ad usum Ecclesiæ Novi Testamenti: in quibus promissio Dei verificari debuit, fore, ut essent testes in ore Israëlis contra ipsos, ut legerentur ultimis diebus; neque recessurum verbum ab ore Israëlis & seminis illius & seminis seminis illius. Deut. 31: 21. Es. 30:8. c. 59: 21. Ps. 102:19. *An Canonici libri perierint?*

14. Et, quum pateat, Judæis credita esse eloquia Dei, Rom. 3: 2. h.e. Judæos à Deo ad hoc electos esse, ut acciperent oracula Dei & ea servarent in ore & omnibus legenda exponerent, &, ut Patres loqui amant, capsarii ac librarii Christianorum fierent: hique libri, ipsorum linguâ Hebraicâ, aut ipsis non inusitata, in particulis paucis, Chaldaicâ compositi, ipsis manifesto à Deo & Prophetis traditi, &, propter tam evidentem traditionem, *Canonici Veteris Testamenti quare recipiantur?*

secundùm promissionem Dei, singulari & planè admirabili providentiâ, ministerio gentis & piorum inter ipsos sint conservati, descriptione frequenti & lectione tum publica, solenni, quæ anno Sabbatico lege affixa, & ordinaria in Sabbatis, tum privata (cujus lectionis, institutione peritorum propagatæ, memoria verisimiliter etiam notulis est adjuta) iccircò eos libros (in quibus etiam alia omnia divinitatis insignia apparent) fide, quæ in solum Deum recumbit, suscipimus, & vitam æternam nos in iis habere non dubitamus.

15. Non, quòd nitamur Judæorum judicio & auctoritate, tanquam si ipsi infallibiles testes sint (qualem ipsorum auctoritatem certè Ecclesia Christiana non agnoscit; & sine qua libri hi primam atque eminentissimam auctoritatem obtinuerunt omni tempore, etiam antè, quàm Euangelium prædicaretur & Christiana Ecclesia nominaretur) sed, quòd Ecclesia posterioris temporis eos libros sic legere possit, atque si eos ex manibus eorum, qui ipsos scripserunt, accepisset. A quibus quia scripti & traditi sunt, ideò necessariò à Spiritu sancto sunt. Compertum enim est, eos esse *sanctos Dei homines*.

16. Quòd autem eos sic habeamus, tanquam si eos de manu Mosis & Prophetarum accepissemus, apparet: quia Judæi illos non potuerunt habere nisi à sanctis Dei viris. Imprimis Libros Legis non nisi à Mose habuerunt: qui ipse sua manu eos libros scripsit, apud arcam deposuit, senioribus describendos & populo recitandos tradidit, & à regibus describi & descriptos haberi jussit. Quod etiam factum est: atque inde populus ea verba in ore ferre & secundùm ea instituta vivere assuevit.

17. Et, ne populus desineret in ea re officium suum facere, imminente captivitate Babylonica, quum instituta illa nondum fuissent exoleta & verba legis ac promissionis pleraque adhuc in ore hominum essent, sine dubio etiam quædam legis saltem ἀπαρχαί legerentur (Nam quomodo aliâs potuit institui Reformatio identidem à Regibus Judæ facta?) divina providentia repertus est liber legis in templo (sine dubio non nuper scriptus liber, sed saltem aliquam vetustatem præ se ferens) qui & lectus & agnitus fuit. A quo tempore non defierunt esse prophetæ & סופרים γραμματεῖς in populo.

18. Quod verò attinet historias Propheticas, eæ provocant ad publica populi acta & regum commentarios. 19. Pro-

19. Prophetici autem libri non clam compositi & subitò post excessum illorum alieno tempore editi sunt, sed partim publicis ministris traditi, ut Psalmi; partim vivis illis, qui prophetias locuti sunt, & propter eas plerique passi sunt.

20. Fidem autem merentur imprimis propter confirmationem legis & illustrationem mysteriorum ejus. Nam ad eam ablegant omnes Prophetæ. nominatim prophetarum ultimus Malachias: qui veluti claudens canonem Veteris Testamenti dicit c. 4: 4. *Memores estote legis Mosis servi mei, cui præcepi in Horeb ad totum Israëlem statuta* (sive definitiones, quibus nihil addendum & detrahendum) *& judicia*; præcepta, secundùm quæ judicabuntur. *Ecce ego mitto vobis* (mox mittam) *Eliam Prophetam, antequam veniat dies Iehovæ magna & terribilis. qui reducet cor patrum ad filios.* &c. Simul ad Mosen ablegat totum Israëlem, simul Christi adventum cum prodromo promittit: obiter innuens, nullum alium Prophetam interim venturum. Ad hæc accedit prophetiæ veritas, & miracula, quæ comitata sunt Prophetas, & maximè doctrinæ sanctitas.

21. Neque adeò damus, à Judæis codices sacros Veteris Testamenti aut de industria corruptos esse, aut corrumpi potuisse: cujus criminis potiùs rei sunt, qui Judæos temere accusantes in codice interlineari Anno 1572. Gen. 3: 15. הוּא in הִוא transmutare voluerunt, & fecerunt הִוא. *Iudæi non corruperunt Scripturam Veteris Testamenti.*

22. Et verò Judæos defendit, quòd id verbum, quod illi scribunt, legunt, pronunciant, contra ipsos testatur, & veritati Euangelii attestatur. Quis dicat, Judæos corrupisse libros suos, ut se ipsi damnarent & doctrinam, quam oderunt, confirmatum irent? Et excubuit hîc divina providentia. Nam Deus & per Mosen & per Prophetas indicavit, id, quod scriptum est à sanctis Dei viris, permansurum apud Ecclesiam, & nominatim in ore Judæorum.

23. Variæ lectiones non adeò multæ sunt: ad quas referimus differentias inter כתיב & קרי, non etiam תקון סופרים *correctionem Scribarum.* quod est genus expositionis. ut ostendimus ad Jobum cap. 7: 20. & 32: 3. Eæ lectiones variæ non sunt corruptelæ, neque periculosæ; ex quibus secundùm analogiam phraseos, contextus, aut sanè fidei, ea lectio eligi potest, in quâ animus æquus possit & debeat acquiescere. Certè fœdus Dei verbis certis & minimè variatis explicatur in omnibus codicibus. *Varia lectiones non officiunt auctoritati librorum Canonicorum. ubi de Correctione Scribarum.*

24. Ubi vel Chaldaica vel Græca interpretatio à lectione He- *An Græca vel*

Chaldaica versio præferenda Hebræo.

bræi Codicis discrepat, causam nondum videmus, quare lectio varians facilè ac crebrò debeat admitti. Quod qui tentant, & analogiam Linguæ & intelligentiam Scripturæ prodere comperiuntur.

Apocryphi cur non admittantur.

25. Apocryphi autem, quos diximus, libri post Artaxerxis tempora compositi vel incertos vel certè non prophetico Spiritu præditos auctores habent, neque adeò divinitus traditi, nec à populo Judaico accepti sunt, quippe lingua Græcâ aut Latinâ perscripti plerique, neque à Christo aut Apostolis aut Ecclesiâ primâ agniti, sed ab hac vel universali exclusione à Canonicis, vel etiam expressè reprobati; temere ut Ecclesiastica scripta, hoc est, scripta hominum proborum (*non inutiliter, si sobriè legantur vel audiantur*, judice Aug. *ad Gaudent. l.* 2.) ad publicam lectionem (quanquam *ad ædificationem plebis, non ad dogmatum confirmationem*, ut ait Hieronymus; quæ occasio fuit Carthaginensi Synodo *Canonicos* vocitandi sub Bonifacio 1. vide Concil. Carth. III. Can. 47.) admissi; malè pro Canonicis à Papis & à Concilio Tridentino laudati. quorum auctoritas & fides ad declarandam eorum αὐθεντίαν nulla est.

Malè quidam Apocryphi inter Canonicos collocantur.

26. Neque enim vel homo ullus, vel tota Ecclesia, vel Concilium Episcoporum potestatem habet tribuendi alicui scripto Canonicam auctoritatem & obligandi ad indubitatam ejus fidem & obedientiam. Benè Augustinus contra Faustum l. 13. cap. 4. docet, *neminem posse dare auctoritatem cuiquam libro, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut inde ad posteros firmata commendatione transcurreret.*

27. Augustinus loquitur de libris Novi Testamenti. Eadem ratio est librorum Veteris Testamenti. Dicit autem, *libros accepisse auctoritatem per Ecclesias ab Apostolis constitutas*, non, quòd propter Ecclesiarum illarum decretum & non sine eo accepti sint pro Apostolicis, sed quòd in illis Ecclesiis & singulos & cunctos non latuerit, eos libros ab Apostolis scriptos missosque esse, atque ideò eos non potuerint non pro Apostolicis suscipere. Accipit liber auctoritatem per Ecclesias, quas ipse liber, ut missus & traditus, cogit se suscipere & ut Apostolicum commendare.

Ecclesia non potest auctoritatem Canonicam dare libris.

28. Tantum abest, ut Ecclesia possit *impertire Canonicam auctoritatem quibusdam libris Scriptura, quam ex se ipsis non habuerunt.* quæ ex Pighio citantur.

29. Nam

29. Nam quî possunt fideles posterioris temporis testes fieri scriptorum res gestas declarantium, quæ scripta patres iis temporibus, quum res gererentur, non acceperunt, & quarum rerum testes ii non sunt facti? Possunt ne seri nepotes dicere de aliqua historia, quam nesciant unde sit, id, quod in ea scriptum est, ad eum modum gestum, & à patribus visum, auditum, narratum esse? Possuntne Christiani efficere sua auctoritate, ut Judæi & Ethnici teneantur pro libris divinis agnoscere, quos non norunt? qui characteres divinitatis non habent? Aut ut Judæi acceperint eos libros, quos non acceperunt? Ut videantur esse à Deo inspirati, à Prophetis traditi, quorum auctores ignorantur? Potestne Ecclesia posterior Ecclesiæ prioris sententiam rescindere? ut, quum prior dixerit, se certos libros in Canone non habere, sed examinandos judicare; sequens dicat, eosdem in Canonem recipiendos esse? Nam, si Canonem definire est auctoritatis & divinæ inspirationis, quæ adest Ecclesiæ; quî fit, ut prioris Ecclesiæ definitione non sit standum? Sin est fidelitatis, estne fidelior ea, quæ serior? imò quæ sunt argumenta, quibus citerior Ecclesia se probet fideliorem seniore? quomodo indagavit, quomodo invenit, quomodo ἀπεφήνη, quod prior non reperit, hos libros esse θεόπνευστους? Et, si necesse est à Prophetis, ab Apostolis traditos esse libros Canonicos; quomodo vel fidelis est prior Ecclesia, quæ negavit, Apostolos tradidisse & commendasse alios; aut posterior, cui non sunt traditi, & tamen dicit, alios præter eos, quos accepit à priori Ecclesia, esse Canonicos? *eam ex se non habentibus.*

30. Melchior Canus lib. 2. c. 7. p. 43. *Nec enim alios Canonicos habemus sive Veteris seu Novi Testamenti, quàm quos Apostoli probaverunt atque Ecclesiæ tradiderunt.* & postea: *Illud verò demonstrandum est, Ecclesiam fidelium nunc viventium non quidem scribere canonicum librum posse, sed definire, an liber, de quo disputatio est, canonicus sit, annon.* Et, *Tempore Hieronymi dubitare Catholico licuit, an Apocalypsis Iohannis sacra & canonica esset, nunc autem id non licet in dubium vertere.* Quis igitur Ecclesiam posteriorem fecit certiorem, si certò non constitit priori, & licuit dubitare? Pergit: *Quamobrem cum nostro tempore quidam in dubium vocent, An Baruch & Maccabæorum libri ac cæteri, de quibus quæstio in manibus est, canonici sint nec ne, hanc certè ambiguitatem præsentis Ecclesiæ judicium explanare poterit.* At, inquam ego, si prior Ecclesia negavit, aliquem librum ad canonem pertinere, licitum

utique fuerit, idem negare: imò idem negandum fuerit. Nunc verò posterior Ecclesia eandem jubeat recipere pro Canonico: non licebit id negare, & erit affirmandum. Utra igitur fidelis? Enimverò ita se res habet. Quos veteres excluserunt à Canone, eos nostri homines infulciunt in Canonem & jubent recipi.

31. Si injusta quorundam dubitatio esset, quemadmodum Amphilochius de Epistola ad Hebræos dicit; posset Ecclesia injustitiam illius dubitationis convincere, & fortè etiam censuram in eam stringere: at, si dubiæ auctoritatis liber sit, si liceat dubitare, ubi demonstratio certiorans nulla est; quomodo fiet illicita dubitatio. Quando verò liber rejectus est ab Ecclesia, si ea auctoritas est Ecclesiæ, quomodo ab Ecclesia posterioris temporis rursus poterit imperari ejus receptio? Imprimis, si verum est, quod idem Canus asserit contra Thomam Waldensem, *novas revelationes nulli exspectandas esse, nec Ecclesiæ, nec Papæ, nec Concilio, ad quæstionem de fide decernendam* (p. 45.) quomodo sine nova revelatione posterior Ecclesia potest certa esse de dubiis, aut corrigere rejectionem à prisca Ecclesia factam? Nonne tutius erat, dubios in ea dubietate relinquere; quum habeamus indubitatos libros Θεοπνεύστους, quorum fide servati sunt priores, & ad eorum normam eos, de quibus dubitatur, examinare, &, ubi consensus est cum non dubiis, propter horum auctoritatem approbare? & similiter de se ipso modestè sentire, & sibi non arrogare auctoritatem eos pro Canonicis & regula obtrudendi, quos nec à Prophetis nec ab Apostolis traditos aut commendatos esse constat, & in quibus divinitatis characteres non comparent, qui possint conscientiæ probari? Nam id facere est locum Dei occupare, & tanquam revelationem divinam divinâ auctoritate & potestate edere, imò idolum adorandum proponere.

Vitia Apocryphorum.

32. Adde, quòd in libris Apocryphis istis multa occurrant suspecta & fabulosa, cumque veritate & pietate non congruentia.

33. Talia sunt in *Tobia* Latino, quòd Saram & Gabelum locat in distinctis simul oppidis & in Rages civitate Medorum. cap. 3: 7. 4: 21. 9: 3. Angelus mentitur de genere suo, & de corde piscis, c. 6: 8. ubi & magiam docet: sibi arrogat oblationem orationis Domino, 12: 12. Templum exustum traditur ante annum 102. Tobiæ c. 13: 11. 12. 14: 7. quum à sexto anno Ezechiæ, quo Tobias deportatus, ad templi cremationem sint anni 130. *In Iudith*, quòd, Holoferne, quem Nebucadnezar miserit anno 13. Regni, occi-

occiso, nemo, vivente Juditha & postea multis annis, turbarit Israëlem. quum tamen Nebucadnezar anno 19. cremaverit urbem: quòd Simeonem facit filium Rubenis fratris sui c. 8: 1. coll. 9: 2. 3. laudat factum Simeonis, 9: 3. contra Gen. 49: 5. 6. laudat Judithæ peccata; mentitur de festo memoriæ Judithæ dicato. In *Baruch*, quòd scripserit Babylone anno quinto, tempore incensæ Hierusalem, ad sacerdotes, ut offerrent in domo Dei; qui cum Jeremia mansit Hierosolymis & in Ægyptum abiit. Idem vocat Baltasarem filium Nabuchodonosor, qui nepos. In *Sirachide* est error de Sapientia creata. c. 24: 14. de Samuële c. 46: 23. de Elia c. 48: 10. In *primo Maccabæorum* error de distributione regni ab Alexandro vivo facta, c. 1: 6. 7. quod pugnat cum Dan. 8: 22. 11: 4. & cum æra Antiochi 137. ab initio Seleuci, non à morte Alexandri. c. 1: 11. de Romanis c. 8: 7. 8. 15. 16. de Alexandro filio Antiochi, c. 10: 1. qui fuit Pompalus: de Dario Rege Lacedæmoniorum. 12: 7. qui nec Arius esse potest. quum Sparta sub tyrannis fuerit. In *secundo* de Epistolâ Judæ 1: 10. qui mortuus anno 152. de Antiochi cæde c. 1: 13. 16. contra Dan. 8: 25. & 1. Macc. 6: 4. 5. 9. 13. 16. & 2. Macc. 9: 2. 3. (ubi nec *primo* cum *secundo* convenit) de igne ex aqua, & Nehemia structore templi & adolente, 1: 18. 19. 20. 21. 22. contra fidem Esr. 1. de Jeremia tabernaculum & arcam & altare incensi occultante, 2: 5. & falsa Jeremiæ Prophetia de iis reperiendis v. 8. contra Jer. 3: 16. & 4. Esr. 10: 22. de biennio templi polluti, 10: 3. contra 1. Macc. 1: 57. & 4: 52. & Josephum. de oratione pro mortuis. 12. v. 46. De Raziæ morte incredibilis narratio & ejus laudatio cap. 14. His adde, quòd ipse hujus libri auctor profitetur, se breviasse libros Jasonis Cyrenæi, & in scribendo difficilem laborem expertum; & dubitat, an sibi fuerit ἐφικτὸν scribere καλῶς καὶ δύθικτως, & ὡς ἤθελεν. In *libro sapientiæ* vanitas apparet c. 9: 7. 8. & 4: 2. ubi supposititius Solomo novit certamina Græcorum; & 8: 20. ubi se ἀγαθὸν & in σῶμα ἀμίαντον venisse gloriatur. Cætera istiusmodi vide in præfatione Bibliorum Belgicorum ad Apocryphos.

34. Atque in illis quidem, Canonicis Veteris Testamenti, origo rerum, hominis conditio & peccatum, & Testamentum gratiæ per promissionem indicatum, & lex pòst subintroducta, & historia priorum seculorum cum notabilibus exemplis tum virtutis, tum peccatorum, tum gubernationis Dei, & Prophetiæ de Christo & regno

Materia Canonicorum utriusque Testamenti.

regno ejus continentur: Euangelium verò sive prædicatio Christi exhibiti & patefactio mysterii, & doctrinæ secundùm pietatem fundamentum & in præcipuis partibus adstructio cum Prophetiis ad ultima tempora pertinentibus in libris Novi Testamenti exstat.

Canonici Novi Testamenti.

35. Qui sunt quinque libri historici, Matthæi, Marci, Johannis, Lucæ duo: Epistolæ Paulinæ quatuordecim; pleræque integrarum Ecclesiarum depositum & conscii Ecclesiis scriptæ, per fidos homines missæ, omnibus Christianis legi jussæ, (à quibus non excipimus eam ad Hebræos; quam sub nomine Barnabæ agnovit Tertullianus) Jacobi, Petri duæ, Judæ, Johannis tres: Propheticus Apocalypsis.

36. In his quorundam sive librorum sive partium vel exauctoratio vel falsatio licèt tentata sit (artificio Satanæ) tamen eò illustriùs auctoritas emicuit studio & demonstratione piorum primæ Ecclesiæ. Itaque nec Jacobi epistola, neque duæ Johannis, neque secunda Petri, nec Apocalypsis cum ratione à quibusdam inter Apocryphos numerantur. Quos libros & pietas ac sanctitas doctrinæ conveniens cum Mose, Prophetis & omni Euangelio, itemque veritas Prophetiæ, ejusque conformitas cum παραγγελίᾳ προφητείᾳ, & antiquitas testimonii, quod habent, satis commendat ut θεοπνεύστους.

Canon ab Amphilochio expositus.

37. Nec deterius judico hîc subjicere *canonem* sive Catalogum, sive ab Amphilochio sive à Nazianzeno editum in Jambis ad Seleucum. v. 251. πλὴν ἀλλ' ἐκεῖνο προσμαθεῖν μάλιστά σοι προσῆκον. ὑχ ἅπασα βίβλος ἀληθὴς ἡ σεμνὸν ὄνομα τῆς γραφῆς κεκτημένη. εἰσὶν γὰρ, εἰσὶν ἔνθ' ὅπι ψευδώνυμοι βίβλοι· πινὲς μὲν ἔμμεσοι καὶ γείτονες (ὡς αὖθις εἴπω) τῆς ἀληθείας λόγων. αἱ δ' αὖ νόθοι τε καὶ λίαν ἐπιζήλους, ὡς προσῆκεν καὶ νόθα νομίσματα, ἃ βασιλέως μὲν τὸν ἐπιγραφὴν φέρει, κίβδηλα δ' ἐσὶ τῆς ὕλης δολούμενα. τούτων χάριν σοι τῶν θεοπνεύστων ἐρῶ βίβλων ἑκάστην. ὡς δ' ἂν ἀκριβῶς μάθῃς, τὰ τῆς παλαιᾶς πρῶτα λεκτέον ἐρῶ. ἡ πεντάτευχος τὴν κλῆσιν, ἔκ τ' ἔξοδον, λευϊτικὸν ἥ τ' μέσην ἔχει βίβλον, μεθ' ἣν ἀριθμὸς, εἶτα δευτερονόμιον. τούτοις ἑπτὰ προσπίπτει καὶ σὺν κριτὰς, ἑπτὰ τὴν ῥὺθ, βασιλέων τε τέσσαρες βίβλοι, παραλειπομένων ἥ ξυμφορέα. ἔσθρας ἐπ' αὐτῆς πρῶτος, εἶθ' ὁ δεύτερος. ἐξῆς ψιχιερὰς (aut ψιχήρης) πέντε σοι βίβλους ἐρῶ, ψαλτήριον ἄθλοις ποικίλων παθῶν Ἰὼβ, ψαλμῶν τε βίβλον, ἐμμελὲς ψυχῆς ἄκος. τρεῖς δ' αὖ Σολομῶντος ἡ σοφὴ, παροιμίαι, ἐκκλησιαστὴς, ἆσμά τε τῶν ἀσμάτων. ταύτης προφήτης προστίθει σὺν δώδεκα, ὥστε πρῶτον, εἶτ

'Αμὼς

Ἀμὼς τὸ δεύτερον, μιχαίαν, Ἰωὴλ, ἀβδίαν, καὶ τὸ τύπον ἰωνᾶ αὐτῷ δὲ τελημέρῳ παίδες. Ναοὺμ μεῖ' αὐτὸς, ἀββακοὺμ, εἶτ' ἔνατον Σοφονίαν, ἀγγαῖόν τε καὶ Ζαχαρίαν, διώνυμόν τε ἄγγελον Μαλαχίαν. μεθ' ὃς προφήτας μαθὼν σὺν πόνοις πολλοῖς τὸν μέγαν Ἡσαΐαν, Ἱερεμίαν τὲ συμπαθῆ, καὶ μυστικὸν Ἰεζεκιὴλ, ἕκτον τὸ Δανιὴλ, τὸν αὐτὸν ἔργοις τε λόγοις σοφώτατον. τούτοις προστιθέντες τὸν ἐθνῆ πνες. Καινῆς Διαθήκης ὧδε μοι βίβλους λέγων· Εὐαγγελιστὰς τέτταρας δέχε μόνους, Ματθαῖον, εἶτα μάρκον, ᾧ λεκαῦ τέλος προθεὶς ἀρίθμει τὸ ἰωαννίου χρόνῳ πίπτον, ἀλλὰ πρῶτον ὕψει δογμάτων. βροντῆς γὰρ υἱὸν τοῦτον εἰκότως καλῶ, μέγαν ἠχήσαντα τῷ θεῖ λόγῳ. δέχε τὸ βίβλον λεκᾶ καὶ τὰ δεκτέραν, τὰ τῶ καθολικῶν προέξειν ὀπτῆλων. τὸ σκότος ἑξῆς προσθὲ τὸ ἰακώβου, τὰ τῶ ἐθνῶν κήρυκα, τὸ ὀπτῆλον Παῦλον, σοφῶς γεγράψαντα τὸ ἐκκλησίαις ὀπτῆλας δὶς ἑπτὰ, μεμιγμένον μίαν, ἣ χρὴ σωφρόνων πρὸς Κορινθίους δύο, τῷ πρὸς Γαλάτας τε καὶ τῷ πρὸς ἐφεσίους, μεθ' ἃ δὴ τοῖς ἐν Φιλίπποις, εἶτα τῷ γεγραμμένῳ Κολασσαεῦσι, θεσσαλονικεῦσι δύο, δύο Τιμοθέῳ, Τίτῳ τὸ καὶ Φιλήμονι, μίαν ἑκατέρῳ, καὶ πρὸς Ἑβραίους μίαν. πνὲς δέ φασι τῷ πρὸς Ἑβραίους νόθον, σέ δ' οὐ λέγοντες. γνησία δὲ ἡ χάρις. Εἶεν, τί λοιπὸν; καθολικῶν ὀπτῆλων πνὲς μὲν ἑπτά φασιν, οἱ δὲ τρεῖς μόνας χρῆναι δέχεσθαι, τῷ Ἰακώβου μίαν, μίαν δὲ Πέτρου, τῶν Ἰωάννου μίαν, πνὲς δὲ τὰς τρεῖς, καὶ πρὸς αὐτοῖς τὰς δύο Πέτρου δέχονται, τῷ Ἰούδα δ' ἑβδόμῳ. τῷ δ' Ἀποκάλυψιν τῷ Ἰωάννου πάλιν πνὲς μὲν ἐκείνοις, οἱ πλείους δέ γε νόθον λέγουσιν. ἔστω ἀψευδέσταται καινὰ αὖ εἴη θεοπνεύστων γραφῶν.

38. Novi Testamenti librorum lingua Græca est; stilus Judæis & Gentibus, maximè primo tempore, in insulis Gentium (quemadmodum Prophetia prænunciaverat) docendis aptissimus. Quanquam futurum erat, ut utraque lingua gentibus barbara accideret, & imprimis Hebræis lingua Novi Testamenti: ut impleretur, quod legitur Es. 28: 11. *Lingua librorum Novi Testamenti.*

39. Horum librorum auctor & dator est Deus, (non tantùm Pater, sed & Filius) qui jussit eos scribi, & per Spiritum suum inspiravit, egit, rexit ministros suos ad eos scribendum. Exod. 17: 14. 34: 27. Deut. 31: 19. Es 30: 8. Jer. 36: 2. Apoc. 1: 19. 10: 4. & 14: 13. 1 Petr. 1: 10. 11. 12. 2 Petr. 1: 20. 21. 3: 16. Hinc Scriptura θεόπνευστος *divinitus inspirata.* 2 Tim. 3: 16. *Authentia librorum Canonicorum, quia sunt inspirati à Deo.*

40. Administri & amanuenses Dei fuerunt *Viri Dei, Prophetæ,* generali nomenclaturâ, dicti: qui *non propria voluntate sed acti à Spiritu sancto,* ut *locuti sunt,* ita & scripserunt. unde & λόγος προφητικὸς, γραφαὶ

γεγραφαὶ προφητικαὶ dicuntur. 2 Petr. 1: 19. 21. Rom. 16: 26.

41. Hi partim visa & audita à Deo in ecstasi, vel in apparitione ad oculum, aut in somnio, multa etiam Spiritu in ipsis luce aliqua supernaturali patefaciente, mero amanuensium ministerio descripserunt; alia verò etiam tum historicè narrando, tum docendo, secundùm sapientiam sibi datam (2 Petr. 3: 15.) commentati sunt; nonnulla etiam scribenda dictarunt: in quibus datum est ipsis esse fidelibus, non sine testimonio Spiritus Sancti. Num. 12: 6. 7. 1 Cor. 7: 25. 40. Jer. 1: 5. 7. 9. Ezech. 3: 27. Rom. 1: 1. Gal. 1: 11. 12. 15. 16. Unde consequitur, eos nec à re scribenda, memoriæ aut λογισμῶ infirmitate, nec à verbò, imperitiâ & imprudentiâ, aberrasse: sed omnia verba, quatenus in *literis* scilicet *sacris* tanquam signis continentur, tanquam verba Spiritus sancti, ad omnem exigentiam ædificationis, sine omni periculo, utilia, & sapientissimè composita, accipi & haberi debére. Cui sapientiæ etiam character orationis (sæpe resipiens ingenium & donum speciale ministri. Quippe quum Dei Spiritus, ut θεὸς εἰρήνης, sua dona suaviter contemperaverit) & dispositio auctore digna astipulatur.

Canonici in qua lingua sint authentici.

42. Hi libri tum Veteris tum Novi Testamenti in sua & originali lingua obtinent primam auctoritatem, & sunt τὸ πίστως οἰκεῖον ἀκροδίνια ἢ ἄγκυραι καὶ ἐρείσματα, ut Athanasius in Synopsi loquitur, verum & genuinum instrumentum demonstrandæ veritatis salutaris ad conscientiam; sive per terminos expressos, sive per consequentias necessarias: ita ut nihil extra illos sine demonstratione ex his traditum pro fidei dogmate recipiendum sit (hoc enim esset addere verbo Dei) nihil in his patefactum tutò possit negari (hoc enim esset demere) atque ita ἀκρότης ζυγὸς καὶ γνώμων καὶ κανών, ut Chrysostomus ait in 2 Corinth. homil. 13.

Symboli auctoritas.

43. Symboli, Apostolici dicti, sententiæ sunt authenticæ, quatenus in Scripturis positæ reperiuntur: symbolum ipsum est testimonium confessionis fidelium de potissimis religionis Christianæ partibus.

Confessionum auctoritas.

44. Confessiones Ecclesiasticæ sunt declaratio profectus piorum in cognitione veritatis, ad contesserationem fratrum, qui unam regulam & idem fundamentum tenent, ad denudandam fraudem falsorum fratrum ac declinandam societatem illorum, qui dissensiones & σχίσματα præter receptam doctrinam invehunt, compositæ, obligantes non per se sed vi demonstrationis ad conscientiam

ſcientiam tum de veritate dogmatum, tum de neceſſitate vel non recipiendi ignorantes vel vitandi negantes & alia omnia ſentientes, ſaltem alienum quicquam pro fundamento aut fundamenti parte ſine legitima demonſtratione, & ſic ſine divina revelatione, obtrudentes. Qui Deum diligit, etiam veritatem diligit: & tenetur eos, qui veritatem profitentur, non abs ſe ſpernere (hoc enim eſſet Chriſtum ſpernere) & poteſt tutò cum iis communicare, non metuens communionem peccati. Rurſus, qui Deum timet, debet mendacium odiſſe & mendacium dicentes redarguere, &, ſi ab illis pellatur, id ægrè non ferrè, atque etiam fugere & declinare eos, qui mendacium dici & malum fieri imperant, idque redargui nolunt. Vide Phil. 3: 15. Rom. 16: 17. 1 Tim. 6: 3. 4. 5. Tit. 3: 10. 11. 2 Joh. verſ. 10.

Caput V.

De Perfectione ſive ſufficientia Scripturæ.

Poſtquam auctoritatem Scripturæ adſtruximus, quam habet αὐθενλικὼ, & ut νόμος θεῖος, ſive λόγος θεὸς; & ſpurios libros à ſinceris diſtinximus: conſequens eſt, ut de Perfectione ſive Sufficientia ejus videamus. Commonet nos hic locus, ut de artibus Diaboli, quibus oppugnat regnum Dei, cogitemus.

Diaboli molitiones contra Scripturam.

2. Inſtrumentum enim, quo Deus Diaboli regnum debellat, & ſuum erigit, Verbum Dei eſt. Quò minùs mirum, quòd Diabolus non modò omni violentia, ſed omni aſtu hoc telum Dei inutile facere conatur.

3. Antiochum incitavit, ut ſacros libros combureret. Ita Cæſares, maximè Diocletianum.

4. Quo tempore Chriſtianis viſum neceſſarium officium, libros ſacros non tradere, & *traditores* appellati, qui conatum hoſtis libros tradendo adjuviſſent.

5. Judæis jamdudum perſuaſit, opus eſſe *orali lege*, quæ ſaltem interpretaretur legem ſcriptam. Dicunt enim, quòd תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה פֵּירוּשׁ לְתוֹרָה שֶׁבִּכְתָב *lex oralis* ſit *interpretatio legis ſcriptæ*. Eam autem exiſtimant illius eſſe auctoritatis, ac ſi ex ore Dei eam audirent: neque in ea vel vitium vel defectum eſſe poſſe: nempe, ut eos à ſcripti verbi ſcrutatione avelleret, affixos magiſtrorum catecheſi & ſchedis laceram patrum doctrinam obſcurè & tenuiter propinantibus.

6. Majori etiam impostura gentes, quæ Euangelium receperunt, (postquam efficere non potuit, ut Scripturam & nomen Christi de medio tolleret) à Scriptura abducere semper conatus est. Idque ut efficeret, se tranfiguravit in angelum lucis. Hæreticos excitavit, qui de Christi altitudine disputarent. Horum artificium fuit ratiocinationem contra veritatem extollere & Scripturam torquere ac sensum ejus controversum facere.

Præscriptio quamnam a Patribus opposita hæreticis?

7. Opposuerunt Patres *præscriptionem.* Jure enim statuebant, nihil novum, quoad *fundamentum* & *regulam credendi*, in Ecclesia audiri debere: quod ab initio auditum non esset. Ita enim mentem eorum explicat Peregrinus sive Vincentius Lirinensis commonitorio secundo. *Diximus in superioribus, hanc fuisse semper & esse hodieque catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus iis modis approbent: primùm divini canonis auctoritate: deinde Ecclesiæ traditione. non quia Canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed, quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroresque concipiant: atque ideò necesse sit, ut ad unam ecclesiastici sensus regulam Scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur: in iis duntaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.* Jure, inquam. Nam tum promissio Novi Testamenti, quæ extat Jerem. 31: 33. *Legem meam ponam in medio ipsorum*; sive *in cogitationes eorum* Hebr. 8: 10. facit necessarium, ut id, quod credendum est & faciendum ad salutem, fit publicè notum & omnibus vulgatum, & in memoria omnium: quemadmodum etiam ea, quæ extat Es. c. 59: 22. *Verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo & ab ore seminis tui*, flagitat, ut omnes, qui ad populum Dei pertinent, in ore suo habeant summam verborum Dei: tum, quòd Euangelica Scriptura docet, Euangelium prædicatum esse in mundo & creditum à gentibus, cogit fateri, non posse deinceps *aliud* novum atque inauditum *Euangelium* ex ullo angulo mundi prodire, quod teneamur credere, quod non primi acceperunt & didicerunt ab Apostolis.

8. Sed Patres ita provocantes ad traditionem, eo ipso non recedebant à Scripturis. Fatebantur enim, se cum *regula credendi* etiam Scripturas accepisse Propheticas & Apostolicas, *fidei fundamentum & columnam*, ut Irenæus dicit lib. 3. cap. 1. NON PER ALIOS *dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos*, PER QUOS *Euangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per*

per Dei voluntatem IN SCRIPTURIS *nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.*

9. Operæ precium eſt ſpectare, quomodo in loco hoc eludendo luctetur Bellarminus 4. de Verbo Dei non ſcripto c. 11. Hæc dicit. 1. Fatetur, Apoſtolos *ſcripſiſſe Euangelium.* Negat, *Irenæum dicere, quòd nihil aliud prædicaverint, quàm, quod ſcripſerunt.* Ergo prædicarunt quicquam præter *Euangelium?* Non fuerunt εὐαγγελισταὶ? non miſſi εὐαγγελίζεσθαι? 2. *In doctrina Chriſtiana tam fidei, quàm morum, quædam eſſe ſimpliciter omnibus neceſſaria. Hæc Apoſtolos omnibus prædicaſſe, & denique ſcripſiſſe.* Imò Irenæus dicit, *fidei noſtræ*, totam fidem notans, non partem fidei. Et, quum *noſtræ* dicit, Epiſcopos includit. Erat enim Epiſcopus. Idem negat ſe *per alios* accepiſſe Euangelium. 3. Quædam *non ita neceſſaria eſſe, ut ſine eorum explicita notitia, fide & profeſſione homo ſalvari non poſſit; modò promtam habeat voluntatem ea ſuſcipiendi & credendi, quando ſibi fuerint legitimè per Eccleſiam propoſita.* Horum *non omnia omnibus prædicaſſe, ſed quædam omnibus, quædam Prælatis, Epiſcopis, Preſbyteris* tradidiſſe: ut *de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis* &c. *Hæc non omnia ſcripta eſſe.* Atqui Apoſtolus dicit Coloſſ. 1: 28. *Quem nos annunciamus admonentes* OMNEM HOMINEM *& docentes* OMNEM HOMINEM *in* OMNI SAPIENTIA, *ut exhibeamus* OMNEM ſine diſtinctione HOMINEM (etiam, *quotquot non viderunt faciem* Pauli *in carne.* c. 2: 1.) *perfectum in Chriſto Ieſu.* Et Irenæus loquitur ut de communi fide. Et quomodo potuit legitimè proponi unquam ab Eccleſia, quod Eccleſia non audiverat, ſed tantùm ſingulares perſonæ? Et quomodo id porrò ad ſucceſſores Epiſcopos ac Preſbyteros dimanavit, quod quibuſdam in aurem tantùm dictum eſt? Et quomodo non pertinet ad Eccleſiam, quod eam recipere oportet? Et quomodo non eſt neceſſarium omnibus noſſe, à quibus quomodo Eccleſia deberet gubernari? Et quis dixit Bellarmino, hæc, quæ ipſe affirmat, ita ſe habere? ſi etiam cum verbis Irenæi poſſent congruere. quod fieri non poteſt.

10. Athanaſius cum Irenæo Canonicos libros vocat τὰ πίστεως ἀκροθίνια, ἄγκυραν καὶ ἔρεισμα. *Fidei primitias*, quia ſanctorum virorum Dei fides, quæ in exemplum eſſe debet, in iis expoſita eſt. *Anchoram*, quia iis debet niti Eccleſiæ fides in poſterum. *Fulcrum*, quia fides per illos ab omni corruptione & impugnatione defenditur.

11. Quare, ut Scriptura sine Ecclesia fidem *in Christum Dominum* confitente esse non potuit (mentiretur enim promissio) ita nec Ecclesia sine Scriptura *fidei fundamento & columna*. Nam non haberet, cui inniteretur, & vacillaret fides; ut docet Augustinus. *Titubabit autem fides, si Scripturæ vacillet auctoritas.*

Catholicum sensum quomodo Patres urserint?

12. Patres verò non tantùm urserunt *præscriptionem*, sed etiam interpretationem Scripturæ secundùm Catholicum sensum, h. e. secundùm *regulam fidei*, quæ ad omnes ab Apostolis pervenit. Idque rectè. Quippe quum nulla interpretatio Scripturæ posset esse sincera & vera, quæ incurrit in *fidei regulam* (rursus moneo, id *fidei regulam* appellasse Patres, quod Paulus κανόνα *mensuram, regulam*, & θεμέλιον *fundamentum* appellat) vel non ex ea procedit, sive, ut Apostolus loquitur, in fundamento inædificatur. 1 Cor. 3: 12. nempe ut ei quadret & conveniat, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Rom. 12: 6. Rectè igitur flagitarunt, ut omnis expositio esset confirmatio *regulæ*, sive fidei in Christum, & ejus, quæ ex fide procedit, charitatis. Nam *spiritus prophetiæ est testimonium Iesu.* Apocal. cap. 19: 10. De quo amplius, quum de interpretatione Scripturæ agemus.

Quid spiritus Antichristi sensim in Ecclesia contra Scripturam molitus sit?

13. His occasionibus abusus Satanas hoc egit omnibus modis, ut amplificaretur potestas Episcopalis, & ea sedes maximè extolleretur, quæ, ut, propter nomen & potentiam urbis, facilè inter ceteras præfulgebat, ita clariora monimenta servatæ doctrinæ ab Apostolis traditæ habere videbatur.

14. Deinde, ut negligentiùs tractarentur primaria quædam doctrinæ Christianæ capita, dum interim oppositionibus omne genus hæreticorum confessio magnitudinis Christi exagitaretur, & disputationibus ac humanæ sapientiæ rationibus vel convelleretur vel prostitueretur ac proderetur magis, quàm defenderetur.

15. Præterea, ut effluerent Patribus dicta quædam periculosa, & quæ facile in alienos sensus torqueri possent: exempli causa, de libero arbitrio & meritis.

16. Tum, ut putarent homines principium infallibile judicandi de controversiis & de expositione Scripturæ esse definitionem Concilii aut supremæ Cathedræ, aut consensum multitudinis, quæ, in oppositione hæreticorum manifestorum, Ecclesia Catholica dicitur.

17. Denique, ut opiniones in ea multitudine valentes, etiamsi nulla

nulla Scriptura roborarentur, haberentur pro dogmatis fidei, & traditionibus Apoſtolicis: quia nempe Eccleſia habet promiſſionem, quòd non ſit ſuperanda à portis inferni.

18. Ex quo illud proceſſit, ut tandem (in Concilio Tridentino præſertim) auctorarentur traditiones non ſcriptæ, ut *pari pietatis affectu* cum divinis Scripturis recipiendæ, &, prætextu talis traditionis, veritas in præcipuis dogmatibus, puta gratiæ ſanctificantis, & juſtificationis Euangelicæ, damnaretur: Scriptura à vero ſenſu detortâ.

19. Eò autem uſque procedit impietas, ut publicè ſcribant, Scripturam in iis, de quibus cum Pontificiis contendimus, *mutam aut ambiguam* eſſe; ſignificantes, ſe non teneri ad ſolam Scripturam, tanquam doctrinale, ſive inſtrumentum docendi, aut fidei principium; quippe quum ea de aliquibus fidei articulis ſileat & non loquatur: &, etiamſi de iis rebus, quæ credendæ ſunt, loquatur, tamen per eam ſolam nos non poſſe certam veritatem doceri: quippe quum omnia talia ſint *indefinita* & *ambigua*. ideoque illis expoſitionem Eccleſiaſticam, quam putant eſſe in Patribus, aut in Conciliorum ac Paparum definitionibus, aut in ſenſu hodiernæ multitudinis Papæ ſubjectæ, debere ſuccurrere. *Pontificiorum error.*

20. Qua in re non animadvertunt ſe graviſſimè peccare. *Ejus erroris peſtilentia.*
1. Dum diſcedunt à λόγῳ θεῦ ad δαιμόνια ἐν ὑποκρίσει ψεύδολόγα.
2. Dum diſcedunt à fundamento, quod in Scripturis continetur: & aliud fundamentum ponunt.

21. Et, cui ratio credendi non eſt verbum Dei, ſed qui eligit hoc dicere, quod homines dicunt, veram fidem non habet: &, ſi illis hominibus attribuat infallibilem traditionem, eo loco eos habet, quo pſeudoprophetæ habentur ab illis, qui credunt illis.

22. Et hominibus ſubſtringere fidem ad credendum id, quod Spiritus Antichriſti tentator eos facit effutire, eſt dæmoniis fidem ſubſtringere. Conſtat quippe, ab antiquo ſpiritum Antichriſti in mundo fuiſſe, 1 Joh. 4: 3. 1 Tim. 5: 15. Judæ v. 3. & accepiſſe poteſtatem ſeducendi mundum ad obediendum Antichriſto, 2 Theſſ. 2: 7. 11. Apocal. 20: 3. 7. 8.

23. Et, aliud quid, præterquam, quod Deus revelavit, pro articulo fidei obtrudere, eſt, ſine dubio, aliud fundamentum ponere.

24. Nobis igitur, qui volumus eſſe *diſcipuli Dei*, & *Ieſum Chriſtum Dominum* vocamus, neque aliud quippiam, præter id, quod *Scriptura perfecta & ſufficiens.*

Deus

Deus in verbo suo revelavit, recipiendum est: neque aliud instrumentum revelationis vel principium interpretationis, præter ipsam Scripturam. Id quod Scriptura appellat *retinere, observare legem Dei, præcepta Dei, auscultare Deo, manere in iis, quæ didicimus.* quibus oppositum est, ab iis recedere & converti ad aliam legem, ad aliud Euangelium, aliam signaturam suscipere in frontem & manum dextram.

25. Duplex adeò attribuenda est Scripturæ perfectio, 1. quòd contineat omnia credenda salutis causa; & in talibus non sit *mutæ* ulla ex parte. 2. Quòd Scriptura in omnibus partibus, ubi de rebus credendis loquitur, ita loquatur, ut auditorem non decipiat, aut *ambiguum* relinquat, quid debeat affirmare vel negare, ita ut alio interprete & doctore indigeat; sed ut certus sensus ex ipsa Scriptura deduci & ad conscientiam demonstrari possit.

26. Hanc perfectionem tribuimus Veteris & Novi Testamenti libris.

Perfectio librorum Mosis.

27. Nempe imprimis libris Mosis, qui à Deo nominatus est *servus fidelis in tota domo ejus*, h. e. in omni Ecclesia omnis ætatis usque ad ultimum diem. Num. 12: 7.

28. Quod explicans Apostolus Hebr. 3: 5. dicit, Eum *fidelem servum* exstitisse *in testimonium eorum, quæ in futurum dicenda* erant, nempe à Deo per Euangelium, & ab Ecclesia Euangelium confitente. ut nihil potuerit deinceps Ecclesia audire aut loqui sive confiteri sine Mosis testimonio.

29. Unde & Apostolus Actor. 26: 22. *Nihil dicens extra ea, quæ tum Prophetæ loquuti erant, futura esse, tum Moses.*

30. Idque porrò confirmatur ex Deut. 31: 19. ubi dicit Deus, *Canticum*, quod Mosen scribere jubebat, *fore in testem in filiis Israël*, &c. Quod sufficit Judæis in testimonium & in ἔλεγχον *redargutionem* sui peccati & suæ incredulitatis, & consequenter in iis, quos Deus vult salvare, ad conversionem, nempe ad Christum; id profectò perfectum est. Atqui libri Mosis, vel propter *Canticum*, quod in iis continetur, ad hoc sufficiunt.

31. Accedit, quòd Deus Deut. 30: 6. ubi promittit *Circumcisionem cordis* Israëlitarum, futuram per spiritum Christi, *ut Iehovam Deum suum diligant*, ibi regulam obedientiæ facit ea præcepta, quæ tum Moses præcipiebat. v. 8. *At tu converteris & auscultabis voci Iehovæ, & facies omnia præcepta ejus, quæ ego hodie præcipio tibi.* atque ea indigi-

indigitat in libro legis contineri. v. 10. *Nam obedies voci Iehovæ Dei tui, ad observandum præcepta ejus & statuta ejus, quod scriptum est in libro legis hoc.* Ubi observa, quòd librum suum vocet *librum legis*, &, quod in eo scriptum est, vocet תּוֹרָה *legem* & חֻקּוֹת *definitiones*, ὅρους. Quorum hoc vocabulo notantur præcepta, quæ definitum modum habent, ita ut nihil vel demi vel addi liceat. Illud autem significat doctrinam, quæ quasi demonstrat viam ad bonum: & quidem peccatori. Quæ est *lex fidei*, ut Apostolus dicit Rom. 3:27. Qui *descriptionem justitiæ fidei* ex illo ipso Deuteronomii capite desumit.

32. Et verò, *legem* non ex parte scriptam esse & ex parte non, docet Hoseas c. 8: 12. *Scribebam ipsi* Israëli *multitudines legis meæ*, omnes partes ejus, quàm multæ sunt. Ita *multitudo ossium* est omnis multitudo ossium. Job. 33: 19.

33. Quòd autem præcepta à Mose scripta sint חֻקּוֹת *definitiones*, h.e. talia, ut modum definitionemque certam habeant, quæ nec detractionem patiantur nec additionem, sine adulterio, clarè dicitur Deut. 4: 2. & 12: 32. Non poterat Deus Israëlitis præcipere, ut imposterum nihil adderent vel detraherent, si ipse constituisset aliquid imposterum addere vel detrahere: aut ipsa fœderis substantia additione vel detractione mutari potuisset.

34. Nam & hoc plurimùm ad rem facit, quòd in iis, quæ scripta sunt in libro legis, continetur *Testamenti* gratiæ, quod Abrahamo notificatum est, & utriusque Testamenti Israëlis substantia; & ea verba, in quæ Deus cum eis fecit *fœdus*. Exod. 34: 27. *Scribe tibi verba hæc. Nam juxta verba hæc pango fœdus tecum & cum Israële.* In quibus verbis maximè notabilia sunt ea, quæ habentur v. 6. 7. quibus Deus explicat *gloriam suam, nomen suum, vias suas*, & *omne bonum suum*. ut est cap. 33: 18. 19. Psalm. 103: 6. Libri, qui continent verba, in quæ Deus pepigit fœdus cum Israële, perfectè continent omne id, quod ad fidem & pietatem pertinet.

35. Non facimus hîc Judæis controversiam de emphasi vocis עַל פִּי, quod sonat, *juxta os horum verborum*. Facilè enim concedimus, quæ fuerunt scripta à Mose, fuisse narranda omni populo, atque etiam assidua κατηχήσει inculcanda & explicanda: atque etiam, id Mosen fecisse, non dubitamus. *De orali lege.*

36. Sed, primò, non habuerunt Israëlitæ fœdus aliud, quàm quod in mente, sensu & voce illorum verborum situm est, sive

quod verba illa loquuntur ad intellectum: ita ut de illo fœdere nihil sonare posset, quod non in verborum illorum potestate sit. Unde &, qui verba Testamenti aut Fœderis non intelligunt, dicuntur Verbum Dei non audire. Gal. 4:21. & credere verbo scripto vocatur *Audire vocem* Dei. Jer. 7:23. & *fides* dicitur *esse ex auditu*. Rom. 10:17. Deinde, id, quod auditum est inter Israëlitas, non fuit regula & norma, sed omnis sermo ad Scripturam fuit examinandus. Ideò jubetur Moses ea verba *scribere*, propter eam rationem, *quia ex tenore illorum cum Israële faciebat fœdus*. Significans, Scripturam debere esse regulam & instrumentum revelandi ac proponendi ea verba authenticum.

Perfectio librorum Propheticorum.

37. Secundùm libros Mosis tribuimus perfectionem libris prophetícis, prout illi libris Mosis procedentibus seculis additi sunt. Qui, ut non sine Mosaici Canonis auctoritate & testimonio recipiendi fuerunt, ita ab illo separari non potuerunt.

Prophetæ populum ad Mosen ablegant, & doctrinam Doctorum populi accusant.

38. Donec Canon Veteris Testamenti consummatus fuit per Malachiam. Cujus prophetia, post cæteras priores, fuit sufficientissima excitatio populi Israëlitici ad exspectationem adventûs Messiæ jamjam appellentis. Qui tamen interim fideles revocat ad legem Mosis, ut perfectum Canonem, dicens cap. 4:4. (quem locum etiam superiori capite citavimus) *Memores estote legis* (תורת) *Mosis servi mei, cui præcepi in Choreb ad* TOTUM (qui omni tempore futurus est) *Israëlem statuta* (*definitiones*, חקים; quod paulò ante declaravimus) *& judicia*, h.e. præcepta fœderalia, quæ certum & inevitabile judicium important vel justificationis vel damnationis. Quæ omnia perfectionem legis clarè & distinctè indicant. Sunt autem ea desumta ex Deuter. 5:1. & similibus locis. Malachias deinde promittit missionem alicujus Eliæ, & post eam *adventum diei Domini*. Unde patet, Israëlitas recordando *legem Mosis* sufficienter instructos fuisse ad fidem & justitiam Abrahami, & legem Mosis idoneum instrumentum fuisse, per quod Elias ille novus reduceret cor filiorum ad patres, sive ad sensum justorum; ut ita cor patrum rediret ad filios. Denique, Dominum, quum advenisset, non fuisse terram percussurum anathemate, si meminissent legis Mosis. Unde consequitur, Legem Mosis idoneum instrumentum fuisse, ut, qui ejus recordarentur, Dominum advenientem agnoscere, eique obedire, & anathema effugere atque benedictio cum Abrahamo fieri possent.

39. Per

39. Per Malachiam cap. 2. Deus increpat imprimis ſacerdotes, & quidem ut ad hoc conſtitutos & datos populo, ut *legem* ſive doctrinam juſtitiæ *ex ore ipſorum inquirerent*: quod futurum ait, ſi *labia ſacerdotis ſcientiam ſervarent.* Quippe quum is ſit *angelus Dei.* v. 7. Increpat autem eos, ut qui *receſſerint à via & multos fecerint offendere in lege.* v. 8. iiſque comminatur, quòd miſſurus ſit in ipſos maledictionem & execraturus benedictiones, & ſtercus feſtorum ipſorum conjecturus in faciem ipſorum, ut ipſi cum illo ſtercore everrantur. Quemadmodum factum eſt. Ex quo conſtat, Sacerdotes, ordinarios populi doctores, & angelos Dei, interpretes voluntatis ejus & benedictionis, non omnes functos fuiſſe officio ſuo uſque ad adventum Domini, neque Domino advenienti paruiſſe, aut ei gloriam dediſſe, aut ei atteſtatos fuiſſe, aut populum monuiſſe, ut ei obediret: ſed, ipſis præeuntibus, à *Iuda* ſive populo Judaico *profanatum eſſe ſanctum Domini, quod is diligit*, h. e. verum ſacerdotem (nam ſacerdos gerebat hunc titulum קֹדֶשׁ לַיהוָה *ſanctum Domino* vel *Domini*) & verum ſanctuarium.

40. Ex quo clariſſimum eſt, dictum Senatûs, cujus ordinarius præſes erat ſummus Sacerdos, & membra ſacerdotes, aut dictum Collegii ſacerdotum ante Chriſtum & tempore ἐπιφανείας Χριστοῦ non fuiſſe principium fidei vel ad aliquid credendum traditum ſine Scripturis, vel ad ſenſum Scripturarum indicandum aut recipiendum: ſed ipſorum officium fuiſſe, ut & omnium principum populi, *ſervare ſcientiam labiis*, h.e. id loqui, quod cum bona conſcientia ad omnem conſcientiam, atque ita cum demonſtratione ex Scriptura loqui poterant: *indicare verbum*, nempe Dei; *indicare legem*, nempe Dei legiſlatoris. Deut. 17: 9. 10. 11.

41. Non vacillavit interim divina promiſſio, quæ extat Gen. 49: 10. fore מְחֹקְקִים *legiſlatores* aut legis exſecutores & interpretes, uſque ad Chriſtum. Sederunt enim in cathedra Moſis Scribæ & Phariſæi, tempore Chriſti. Matth. 23: 1. In quibus hoc operata eſt divina veritas, ut lex Moſis ſcripta per eos proponeretur, & promiſſio Chriſti ac reſurrectionis mortuorum non occultaretur. Sed ea gratia non impedivit, quò minùs ipſorum ſtilus verbum Dei in mendacium converteret. Jer. 8: 18. Quemadmodum illa promiſſio non fuit ratio, quare clamarent homines, *Templum Domini hi ſunt.* Jer. 7: 4. Quaſi certum eſſet, Deum in iis velle habitare, eoſque ab omni errore immunes conſervare.

Auctoritas traditionis non probatur ex Gen. 49: 10.

Esaias attestatur perfectioni Scripturæ contra doctores populi.

42. Quemadmodum igitur eo tempore, quo Christus in carne apparuit, non fuit insufficiens Scriptura etiam ad cognoscendum Christum & demonstrandam veritatem Euangelii; sed extitit תורה ותעודה *lex* doctrina de via justitiæ & vitæ *& contestatio* de divino judicio conscientiam testem habens; ultra quam non opus fuit interrogare homines ullos: adeò ut eos consulere, & quidem Christo jam revelato, fuerit tantundem atque, omisso Deo, consulere engastrimythos, & pro vivis consulere mortuos, Es. cap. 8: 19. 20. ita imposterum fieri non potest, ut Israël vocetur ad credendum, quod scriptum non est, aut ad consulendum interpretem Scripturæ, qui ambigua ejus interpretetur, tanquam Spiritu Sancto ad id instructus, sine demonstratione ex Scripturis ipsis.

Christus attestatur perfectioni sacrarum literarum.

43. Hacpropter Christus vocavit Judæos ad *scrutationem Scripturæ*, affirmans, quòd *ea de se testentur*, &, quia *non crederent in eum, quem Deus miserat, sermonem Dei non haberent manentem in* se, sive *Mosi non crederent.* Joh. 5: 38. 39. 46. significans, eum, qui ad Mosis ac Prophetarum verba attenderit, eaque intellexerit, iisque crediderit, non indigere alio testimonio ad cognoscendum Christum & ipsius doctrinam. Nam & aliud testimonium sibi necessarium esse negat, v. 36. & cap. 7: 17. claris verbis dicit: *Si quis voluerit voluntatem ejus*, qui misit me, *facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar.* Velle facere voluntatem Dei, qui Christum misit, quid est, nisi velle credere promissioni, quæ est in scriptis Mosis & Prophetarum, & in illa fide Deum amare, & ex eo amore Dei amare proximum?

Christus ex sacris literis probat defectum & vitium traditionis.

44. Quid? quòd Christus ex ipsis sacris literis non modò omnem veritatem docuit, (quod & Apostoli fecerunt) sed etiam *traditionem* Pharisæorum & Scribarum, ut imperfectam & *fermentum* habentem coarguit. Imperfectam: ut 1. qui *clavim cognitionis absconderint.* Luc. 11: 52. Sanè, si *testimonium Iesu est spiritus prophetiæ*, Apoc. 19: 10. hoc testimonium est *clavis cognitionis*: &, qui Christum ignorarunt, abnegarunt, persecuti sunt, *clavim cognitionis absconderunt.* 2. qui de *justitia* non docuerint ea, quæ necesse erat scire hæredem regni cœlorum. Ita Matth. 5. suam legis expositionem opponit ei, quod vulgo *audiverant*, nempe à Pharisæis & Scribis; id est, eorum κατηχησει. 3. qui graviora legis omittant. Matth. 23: 23. *Fermentum*: qui legem faciant violari per suas traditiones. Matth. 15. & hypocrisin doceant. Matth. 16: 12. Luc. 12: 1. qui legem justitiæ non inve-

invenerint, suam constabilire nitentes. Rom. cap. 9. & 10.

45. Porrò, ne putemus, propter *ambiguitatem* dictorum Mosis & Prophetarum opus fuisse expositione non scripta, quæ haberet auctoritatem Verbi Dei, promisit Deus, *omnes filios* Ecclesiæ Novi Testamenti *fore discipulos Dei*. Es. 54: 13.

In Novo Testamento non requiri authenticam traditionem propter ambiguitatem Scripturæ, probatur ex promissione.

46. Necesse est igitur, ut omnes, qui credunt, audiant verbum divinum, cui credant, &, id verbum Dei esse, indubitatò cognoscant.

47. Quòd si homines, qui id loquuntur, vestigari & nominari; & ætates, quibus id loquuntur, à nobis numerari necesse est; & locus, unde id processerit, quærendus est: profectò non omnis verbi doctor nobis est Deus: sed alios quidem Deus docet, alios ii, quos Deus. Atqui hîc differentia indicatur temporis prioris & posterioris sive Novi & Veteris Testamenti.

48. Mater, quæ maritos habuit, peperit filios, qui non soli Deo subjecti fuerunt, sed etiam hominibus. Peperit enim ad servitutem. Nam maritos præter Dominum habuit hæc mater. At solus Deus, ut doctor filiorum, ita maritus est illius matris, quæ parit in libertatem. Vide v. 2. 5.

49. Id etiam clariùs dicit Jeremias, cap. 31: 33. *Legem meam ponam in medio ipsorum*, in oculis, in auribus, in oribus, in cogitationibus omnium, ut in omni loco, omni tempore, die ac nocte id habere possint penes se, *& in corde illorum scribam illam... & non docebunt amplius unus alterum.*

50. Manifestum est, distingui modos docendi diversos. Quamdiu Lex Domini non est in propatulo, & Dominus ab omnibus, qui ipsius populus vocantur, non cognoscitur, potest unus docere alterum, non quidem habens verbum peculiare, sed ostendens, quid in ænigmatibus & figuris & sub velo lateat, adhibitâ *clavi cognitionis*; quam scilicet certi singulari traditione acceperint: aut etiam potest adhuc verbum, quo Dei nomen declaretur, in publicum proferri, ut expressiùs noscatur & uno intuitu videatur, quod antea generaliùs & per particulas erat indicatum & non nisi obscuriùs cognoscebatur: illud item, quod ad consolationem conscientiæ restabat dicendum, audiatur. At, quando lex Dei inter omnes posita est, palam, sine velo, & omnes Deum cognoscunt, non potest amplius doctor existere, qui quid velut velatum aperiat, aut publicet, quod publicatum non est, aut indicet verbum,

bum, quo Deus cum virtutibus suis cognoscatur in veritate.

51. Priori tempore exspectabatur Propheta ille, non minor Mose, qui verba Dei loqueretur. Deut. 18: 15. 18. qui est *doctor ad justitiam*, Joël. 2: 23. Postquàm is venit, & *verba Dei locutus est*, quæ illum locuturum esse antè scriptum erat, nihil aliud exspectatur, nisi ut Deus judicet eos, qui *eum non audiunt*, & qui alios audiunt. Tum prophetant juvenes & senes, ut Joël dicit, hoc est, immediatam & claram Dei allocutionem habent parvi & magni, ut olim prophetæ.

52. Qui credunt in Christum, secundùm ea, quæ scripta sunt (1 Joh. 1: 4.) *unctionem à Sancto habent, & norunt omnia: neque opus habent, ut quis eos doceat, nisi quemadmodum unctio eos docet*; quæ legem in propatulo positam scribit in corde, facitque, ut ea retineatur, &, quoad fundamentum & stipulationem ejus, quod imputatur ad justitiam, intelligatur & ametur. Vide 1 Joh. 2: 27.

53. Ideò & Christus vetat alios doctores nominari præter se. Matth. 23: 8. 10. Quod certè non potuit dici à Christo; si non habemus verbum ejus θεόπνευστον publicatum inter omnes, per quod non minùs immediatè erudiamur, atque Moses & Israël per verba Dei eruditus est: sique alia ipse dixit & nobis in Scriptura publicanda curavit, alia autem non dixit, sed jussit peti à quadam multitudine & ejus capitibus & inter ea capita à Papa, ut vicario suo. Nam non habere doctorem in terra, quia Christus est doctor, & habere doctorem necessarium in terra, qui non est Christus, contradictoria sunt.

Probatio sufficientiæ Scripturæ ex 2 Cor. 1: 12. 13.

54. S. Paulus volens probare, se in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, versatum esse in mundo, hoc argumentum allegat: *Non enim alia scribimus vobis, quàm & legitis & agnoscitis.* 2 Cor. 1: 12. 13. *Legitis*, in Scripturis propheticis: *recognoscitis*, in rebus gestis. Quod non faceret, si non vellet de omni doctrina sua ex literis publicatis per Apostolos judicari, sique in Novo Testamento deberet aliquid dici, quod in Veteri non esset lectum, atque adeò scriptum; sique id ipsum, quod lectum fuit antea, intelligi non posset & agnosci verum in Christo & prædicatione justitiæ fidei.

Ex Rom. 2: 17. 18. 20.

55. Paulus idem tribuit Judæis, quòd glorientur, se habere μόρφωσιν τ γνώσεως καὶ τ ἀληθείας *deformationem cognitionis & veritatis in lege*, Rom. 2: 17. 18. 20. neque illi gloriationi contradicit:

&

& recognoscit in eis, quòd *legerint Vetus Testamentum.* 2. Cor. 3. v. 14. clarè innuens, eos habere utrumque, quod ad cognitionem veritatis requiritur, τὰς γραφὰς καὶ τὴν ἀνάγνωσιν *Scripturas & lectionem*, si non occasione veli essent indurati.

56. Idem Timotheum hortatur προσέχειν τῇ ἀναγνώσει *attendere lectioni*, 1 Tim. 4: 13. alibi eidem inculcans, ut *maneret in iis, quæ didicerat, & de quibus ipsi fides facta erat. Quippe qui à puero sacras literas nosset*, atque adeò per eas accepisset fidem eorum, quæ didicerat. Quibus tribuit *potentiam sapientem ipsum efficiendi ad salutem per fidem in Christo.* 2 Tim. 3: 15. *Manere* autem *in eis*, est iis affixum esse, & ab iis ad alia non transferri. Quæ verò literæ *possunt sapientem facere ad salutem*, quid illis deest? Nam, si dicamus, eis aliquid deesse, & extra eas aliquid credendum esse, dicemus, eas non *posse nos sapientes facere ad salutem.* Adde, quòd dicit, sapientiam illam ad salutem consistere *in fide & charitate.* Quo innuit, sacras literas sufficienter docere *fidem & charitatem* h. e. credenda, dicenda, facienda. alioqui enim non *possent sapientem facere ad salutem per fidem & charitatem.* Ex 1 Tim. 4: 13. & 3: 15.

57. Quàm pulchra verò illa sunt & manifesta, quæ Apostolus statim de sufficientia Scripturæ subjungit? *Omnis Scriptura, quæ divinitus inspirata est, est etiam utilis ad docendum, ad redarguendum, ad correctionem, ad disciplinam in justitia; ut aptus* & examussitatus *sit homo Dei ad omne bonum opus perfectè instructus.* Ubi Scripturæ *perfectionem* attribui, Chrysostomus, Oecumenius, Thomas Aquinas agnoverunt. Theodoret. πρὸς ἅπαντα τὴν πλάνην τὴν πεφυμαλδεῖ. Ex Tim. 3: 16.

58. Cæterùm ratio Apostoli, quare sit perfecta, est evidens, quia est θεόπνευστος. suppeditans nobis hanc propositionem. *Scriptura à Deo inspirata* necessariò est utilis ad omne bonum opus servi Dei sive Episcopi & Doctoris aut Prophetæ. Quippe, si aliter esset, Deus, qui inspiravit eam, non ἀπλῶς & εἰλικρινῶς ageret cum Ecclesia. Vide Psal. 19: 8. 2 Cor. 1: 12. Nam, quomodo inutile esset, quod Deus inspiravit? Aut, ad quid utile est, si non utile est ad docendum rudes, ad redarguendum mendacium, ad corrigendum lapsos, ad custodiendum per disciplinam in via justitiæ? Si non est ad omne utile servo Dei, sed eum in aliqua re destituit? Si est ut arcus dolosus, ut gladius plumbeus vel brevior, quàm ut tangat hostem?

59. Non aliter sentit Apostolus, quando fideles, ut tuti sint à Ex 2 Th. 2: 15.

sedu-

seductione, jubet retinere traditiones, quas docti erant per sermonem aut per epistolam, 2. Thessal. 2:15. significans, quod non posset disci ex ore Apostoli vel epistola Apostolica, id rejiciendum à nobis esse, nisi velimus *credere mendacio.* Nam nihil ab Apostolis dictum esse, quod non vel Apostolus Paulus sufficienter scripserit. Theodoretus. ἔχετε κανόνα διδασκαλίας σοῦ παρ' ἡμῶν ὑμῖν προστενεχθέντος λόγους· ὃς καὶ παρόντες ὑμῖν ἐκηρύξαμεν καὶ ἀπόντες ἐγράψαμεν. *Habete canonem doctrinæ sermones à nobis vobis oblatos: quos & coram prædicavimus, & absentes scripsimus.* Nobiscum facit Chrysostomus hom. 49. operis imperfecti in Matthæum: *Ex quo hæresis impia, quæ est exercitus Antichristi, obtinebit in Ecclesia, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium Christianorum potest esse aliud, volentium cognoscere veritatem fidei, nisi Scripturæ divinæ.*

Ex Es. 34: 16. 60. Neque alia ratio est, quòd nos Esaias revocat ad *librum Dei.* Es. 34:16. eumque à nobis consuli vult, quod attinet judicium Edomi. Necesse autem est, si verat Propheta, ex libro Dei intelligi posse, quis sit *Edom*, quis *populus anathematis Dei*, quæ causa anathematis, quæ plagæ ejus. Quod judicium, ut in Judæis evidens est, ita in omnibus evidens esse, necesse est. Eadem enim semper Christi & regni Dei & justitiæ ejus causa est: licèt à variis variè oppugnetur. Et vix potest reperiri error aut hæresis, quæ non à Judæis originem traxerit.

Ex libris judicium. Dan. 7: 10. *Apoc.* 20: 12. 61. Ita & Daniel 7: 10. vidit, *libros apertos* esse, ut *judicium exerceretur.* Apocal. 20: 12. Johannes vidit, *mortuos judicari ex scriptis in libris.*

Ex Apoc. 22: 18. 62. Idem cap. 22: 18. pronunciat, *si quis addiderit ad sermones prophetiæ illius libri, Deum additurum in ipsum plagas scriptas in eo libro.* Quod non diceret, si non in ipso illo libro pro se, & quatenus reliquis libris adjectus est, quorum auctoritatem stabilit, continerentur omnia, secundùm quæ judicium fieri debet vel de salutis & justitiæ competentia, vel de contraria sorte: sique esset ad salutem necessarium aliquid ullo modo scriptis adjungere.

Scriptura est sufficiens, quia est Lex, & continet fœdus Dei, & Euangelium. 63. Et quomodo negabimus sufficientiam Scripturæ, quæ verè & φερωνύμως appellatur *Lex Dei,* (quod & superiùs monuimus) & *fœdus Dei* continet, & *Euangelium?* Quid enim potest homo scire aut salutariter docere ac discere, quod non pertineat ad legem Dei, ad fœdus ipsius, & Euangelium?

Est μόρφωσις τῆς εὐσεβείας, 64. Quomodo non perfectum est, quod est μόρφωσις τῆς εὐσεβείας,

βείας, deformatio sive *formula pietatis*? Scripturam verò esse *formulam pietatis*, ita facilè demonstratur. Quod habet potentiam sapientem faciendi hominem ad salutem, id habet potentiam formulæ pietatis. Atqui sacra Scriptura habet potentiam sapientes efficiendi ad salutem. Ergo habet *potentiam formulæ pietatis*, sive est *formula pietatis*. 2 Tim. 3: 5. 15. *Scriptura est formula pietatis.*

65. Quid verò? num, qui audent Scripturam dicere *mutam* in quibusdam, quæ credenda sunt ad salutem, etiam negabunt in Scriptura contineri *fundamentum*, cui omnis doctrina est superædificanda? Quòd si autem *fundamentum* in Scriptura continetur, & in eadem *fundamentum* nominatur, & docetur, in eo *omnia* contineri, & ei superædificanda esse, ut ei quadrent & *ἀναλογα* sint, utique Scriptura perfecta est. Atqui Scriptura continet *fundamentum*, idque indicat, &, qui id credunt, eos testatur *nosse omnia*, & ei omnia *inædificanda* esse. Vide 1 Cor. 1: 17. 18. & 2: 1. 2. & 3: 11. 12. 1. Joh. 2: 3. 5. 7. 8. 27. 4: 2. Perfecta igitur est, &, ut Thomas dicit, ad 2 Tim. 3: 17. *adducens ad perfectum*: neque *muta* potest dici in iis, quæ ad justitiam credenda sunt. *Non est muta, quia docet fundamentum.*

66. Judas frater Jacobi, ostendit, se non tantùm habuisse voluntatem & *studium* prædicandi, sed & *scribendi de communi salute*. Quod studium sine dubio in omnibus Apostolis fuit. Sed id studium in iis demum, quibus id mandavit Spiritus sanctus, effectum habuit. Ita Judas non reperit *necessarium scribere*, nisi attestationem, quòd *fides semel sanctis tradita* esset, ut *super ea certarent*. Judæ vers. 3. Putabat enim necessarium, ut scriberet, quod necdum traditum & quidem omnibus sanctis traditum esset. *Testimonium Judæ.*

67. Neque verò *ambigua* potest dici, quæ parit *scientiam veritatis* & *cognitionem omnium*. 1 Joh. 2: 20. 21. *Non ambigua.*

68. Quæque habet *clavim cognitionis*. Luc. 11: 52.

69. Et servat *ἀναλογίαν* & *conformitatem* eorum, quæ docet.

70. Et permittit, imò jubet *prophetiam instituere juxta analogiam fidei*. Rom. 12: 6. Nam quid est *prophetare* in eo & similibus locis, nisi sermonem propheticum interpretari, & sic in fide & intellectu verbi Dei idem dicere cum Prophetis? Quemadmodum, qui ostendunt, Euangelium in Prophetiis Veteris Testamenti antè promissum esse, prophetant.

71. Et negat, *prophetiam Scripturæ esse privatæ expositionis*. 2 Petr. 1: 20. Ex quo loco sic argumentamur. Quod est expositionis publicæ *Privata expositio quæ?*

blicæ & communis omnium fidelium, id propter ambiguitatem non requirit verbum non scriptum divinæ auctoritatis; sed habet expositionem & sensum, qui ab omnibus fidelibus dijudicari potest. Atqui, quod *non est privatæ expositionis*, id est expositionis communis.

72. Ratio, qua S. Petrus probat, Scripturam non esse privatæ expositionis, id clarè insinuat. *Non enim voluntate hominum lata est unquam prophetia.* Ideò à *proprio motu* hominis nulla interpretatio Scripturæ provenit. *Sed spiritu Dei acti loquuti sunt sancti Dei homines.* Ergo verba prophetarum sunt intelligibilia: quia sunt verba Spiritus Sancti (confer modò dicta ad 2 Tim. 3: 17.) qui scribit in omnium credentium cordibus doctrinam veritatis, & verbis à se doctis convertit homines, 1 Cor. 2: 13. qui est spiritus fidei in omnibus, qui docet omnes fideles, qui ἐλέγχει *redarguit* mundum, qui sapiens est ad loquendum θεοπρεπῶς & ut rebus aptum est & conscientiæ hominis, qui est εἰλικρινὴς & non relinquit discipulos suos dubios in iis, quæ ipsos scire oportet, qui aperit corda ad attentionem, & revelat oculos, ut videamus mirabilia in lege Dei. Vel igitur Spiritus Sanctus jam in Scripturis loquutus est ea verba, quæ à salvandis intelligi possunt, & loquutus est, ut dignum est spiritu gratiæ, & satisfecit promissioni: vel non loquutus est in Scriptura, quæ intelligi possunt à salvandis, & tamen sciri & cognosci debent, & reliquit hominibus controversiam, quos homines debeant pro Prophetis accipere, quos non, & nec spiritum gratiæ se ostendit, neque promissioni satisfecit.

73. Quòd si quis loco S. Petri abutens dicat, negari à Petro, quòd ἐπίλυσις προφητείας γραφῆς sit privatorum hominum (qui ἰδιῶται in Scripturis appellantur) quasi indicetur, eam, singulari privilegio, esse doctorum, episcoporum, præpositorum: is apertam vim facit verbis, ἰδίας explicans per ἰδιωλικῆς; idque, ut contrarium ejus, quod Petrus dicit, ex verbis ejus efficiat. Præterea ei non favet ratio à S. Petro adjecta. Numquid enim ideò, quia *non voluntate hominum lata est prophetia*, ejus resolutio est certorum hominum, ex *proprio motu* dicentium se loqui? & præfantium sermonibus suis, *visum est nobis & Spiritui Sancto*, ita ut velint credi, *quod ipsis videtur, videri Spiritui Sancto?* Numquid, quia *à Spiritu Sancto acti loquuti sunt Dei homines*, ideò non est intellectus verbi Spiritus Sancti eorum, quibus ea, quæ locutus est Spiritus Sanctus, *administrata sunt?* 1 Petr. 1: 12.

74. Ii-

74. Iidem negant eadem opera, idiotas, non-episcopos, habere unctionem, credere Scripturæ, credere Deo, habere ἀποκάλυψιν: ut Episcopi fiant nobis Prophetæ inaudita loquentes & indemonstrabilia, ut in regno Dei subjiciamur hominibus, & jam omninò doceat vir socium suum, Cognosce Dominum. Si præpositorum est expositio Scripturæ, ut ea auctoritatem habeat ab ipsorum nomine, velim scire, quomodo ea perveniat ad ipsos: utrum per inspirationem & revelationem, quæ quotidie fit? Ita remittemur ad fidem Spiritus privati. Nam Spiritus, qui non loquitur omnibus, privatus est. Si verò expositionem indemonstrabilem acceperunt à suis prædecessoribus, quî fit, quòd ea ad solos præpositos pervenit, & non ad omnes?

Testimonium Augustini.

75. Augustinus nec mutam Scripturam credidit in iis, quæ credenda & facienda sunt, neque ambiguam. Dicit enim lib. 2. de doctrina Christiana, c. 9. *In iis enim, quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa* OMNIA, *quæ* CONTINENT *fidem moresque vivendi, spem scilicet & charitatem.* Qui liber habet ea, *quæ* CONTINENT *fidem moresque vivendi,* & quidem *apertè* in eo *posita*, non potest laborare defectu, sive non est regula in quibusdam muta aut ambigua.

Ejusdem argumentatio ex 1 Tim. 1: 5.

76. Suppeditat idem aliud argumentum, quo sufficientia Scripturæ ad docendum omnia necessaria probatur, & crimen ambiguitatis in eis, quæ tradit, eliditur. Inculcat is ex 1 Tim. 1: 5, τὸ τέλος τῆς παραγγελίας *finem præceptionis*; nempe dilectionem ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta, lib. 1. de doctrina Christiana cap. 26. 40. Inde conficit, *Omnium igitur, quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur legis & omnium divinarum Scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei, qua fruendum est, & rei, quæ nobiscum ea re frui potest.* & c. 36. *Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit.* Si Scriptura indicat τέλος τῆς παραγγελίας, & nihil potest in ea reperiri, quod eò non faciat, non potest Scriptura esse ambigua. Nam indicatum est, quid ex Scriptura promi & disci possit. Mich. 6: 8. *Indicavit tibi, ô homo, quid bonum. Et quid Iehovah requirit à te, nisi facere judicium & dilectionem studiosam, & humiliter ambulare cum Deo tuo.* Si finis præcepti in Scriptura est, non potest extra Scripturam reperiri præceptum, quod non sua natura sit ad illud

τέλος, & ex illo tanquam genere aut matrice prodeat. Ideò etiam audet lib. 2: 42. *Quicquid homo extra* divinas Scripturas *didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et, cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam omninò alibi sed in illarum* TANTUMMODO *Scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate discuntur.*

Chrysostomi testimonium duplex.

77. In quam sententiam etiam loquitur Chrysostomus ad 2 Tim. 3: 17. & Galat. 1: 9. Et hoc quidem loco hæc habet. δῆλον, ὅτι καὶ νεκρῶν ἐγκρυφίων ἀξιοπιστότερος εἶναι βούλεται τὰς γραφάς. & mox: αἱ γὰρ γραφαὶ πᾶσιν ὁμοῦ δῆλαι· ἀλλὰ ταῦτα δι' ὅλων ἡμῖν διασώζεται γραφεῖσαι ἐπίτηδες. Διὰ τοῦτό φησιν, Ἐάν τις ὑμᾶς εὐαγγελίσηται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν. & τὸ ταῦτα explicans ad vers. 8. οὐκ εἶπεν, Ἐὰν ἐναντία καταγγέλλωσιν ἢ ἀνατρέπωσι τὸ πᾶν, ἀλλὰ, καὶ μικρόν τι εὐαγγελίζωνται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα, καὶ τὸ τυχὸν ταράττωσιν, ἀνάθεμα ἔστωσαν. & p. 716. l. 40. ἐπίτηδες. & ὀλίγον ταραττηθέντα ὅλον λυμαίνεται. & p. 717. l. 4. ἀκούετε τί φησιν ὁ παῦλος, ὅτι τὸ εὐαγγέλιον ἀνέτρεψαν οἱ καὶ μικρόν τι καινοτομοῦντες. In epistolam ad Timotheum illa: εἶτα ἀγνοοῦσιν χρὴ, ἐκεῖθεν (ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων) εἰσόμεθα. εἰ ἐλέγξαι τὰ ψευδῆ, καὶ τοῦτο ἐκεῖθεν. εἰ ἐπανορθωθῆναι καὶ σωφρονισθῆναι, πρὸς παράκλησιν, πρὸς παραμυθίαν, φησὶ, πρὸς ἐπανόρθωσιν. τετύχηται, εἶτα λείπει καὶ χρὴ προσεπισθῆναι. ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ θεῖος ἄνθρωπος. οὐκ ἄρα χωρὶς αὐτῆς ἄρτιον ἵνα γένηται. αὐτὰ ἐμοῦ, φησι, τὰς γραφάς ἔχεις· εἶτα βούλει μαθεῖν, ἐκεῖθεν δύνῃ. εἰ δὲ Τιμοθέῳ πάντα ἔγραψε τῷ πνευματικῷ ἐμπεπλησμένῳ, πόσῳ μᾶλλον ἡμῖν; πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. οὐχ ἁπλῶς μετέχων, φησὶν, ἀλλὰ μὴ ἀκριβείας ἐξηρτισμένος. Libet etiam addere testimonium Dionysii, qui se *presbyterum* dicit, & Areopagita putatur. Is igitur de Eccles. hierarchia cap. 1. sic: ἡμῖν δὲ τὸ ἐκείναις (ὑπερκοσμίοις καὶ μακαρίαις λήξεσιν) ἐνιαίως τε καὶ συνεπτυγμένως δωρηθὲν ἐκ τῶν θεοπνεύστων λογίων, ὡς ἡμῖν ἐφικτὸν, ἐν ποικιλίαις καὶ πολυθρύλλητοις συμβόλων δεδώρηται. ὑσία γὰρ τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερουργιῶν ἐστὶ τὰ θεοπρεπῆ λόγια. στεφάνωμα δὲ λόγια ταῦτα φαμὲν, ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἀγιογραφίοις ἡμῖν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις.

Iniquitas adversariorum multiplex.

78. Iniquè verò nobiscum agunt adversarii & impudenter, multis modis. Primò negant, nos demonstrationem posse sumere ex controversis, sive potiùs ex locis, quorum sensus à quibusdam contradicitur, obscuratur, torquetur. Quasi id non possit esse odor vitæ ad vitam, quod alicui est odor mortis ad mortem, aut non

possit

possit intelligi ab eo, qui exercitatos sensus habet ad dijudicationem boni & mali, quod ignorat, qui est νωθρὸς τῇ ἀκοῇ *segnis auditu*; aut non possit esse sapientia in τελείῳ *perfecto*, provecto, adulto, quod est αἴνιγμα, *obscurior subindicatio* in νηπίῳ *puero*.

79. Deinde, quòd postulant expressa testimonia, quibus id negetur, quod ipsi affirmant: & ab ἐλέγχῳ removent consequentiam. Causantes, consequentiam fidem non facere. Quasi non, quod ex vero est, verum sit, & mendacium ex veritate non sit. 1 Joh. 2: 21. & fides debeatur veritati divinæ.

80. Tertiò, quum postulant à nobis, ut in omnibus demonstrationibus nostris omnes præmissæ sint propositiones expressè in Scriptura positæ. Quasi non Scriptura præsupponat multarum rerum notitiam naturalem, ut τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *cognoscibile Dei*, & lucem conscientiæ in hominibus, & ipsam intelligibilitatem terminorum plerorumque.

81. Quartò, quum intercedunt, ne ea, quæ in distinctis locis dicta sunt, componamus inter se; negantque, hanc esse expositionem Scripturæ per Scripturam; nisi etiam demonstremus, dictum esse, Hic locus per illum debet explicari: quasi non detur σύγκρισις τῶν πνευματικῶν *comparatio spiritualium*. 1 Cor. 2: 13.

82. Quintò, quòd Scriptoribus Ecclesiasticis, iis etiam, qui ad Scripturæ Canonicam & supereminentissimam auctoritatem volunt examinari & sua & omnium dicta, volunt interpretationem infallibilem attribui; etiam ibi, ubi argumentantur: quasi illi verba Apostolorum recitarent. Quum ne ipsi quidem Apostoli sibi voluerint credi, nisi φανερώσει τῆς ἀληθείας συνιστάνοντες πάσῃ συνειδήσει, *manifestam facientibus veritatem ad omnem conscientiam*. 2 Cor. 4: 2. & quidem διὰ τῶν γραφῶν *per Scripturas*, Rom. 16: 26.

83. Sextò, quòd, quum probamus, verba Scripturæ juxta modum loquendi in eo usitatum eum sensum ferre, quem admittit analogia Scripturæ, quique convenit cum scopo & intentione ac ordine sermonis; eo non contenti, flagitant, ut, & quidem per Scripturam expressam, probemus, sic debere intelligi, & non debere id intelligi, quod nec analogia fidei nititur, neque scopus & ordo sermonis postulat. quasi non sensus, qui ex analogia fidei & scopo ac ordine sermonis profertur, probetur ex Scriptura, aut quasi non satis moniti simus vitare aliena, &, quæ ex vero & certo cognito, ipsoque adeò fundamento, non sunt, non admittere. Quòd si absque *regula fidei*,

absque intentione & *contextione sermonis* (ut Augustinus loquitur 3. de doctrina Christiana c. 3.) aliquid liceret nobis, tanquam sensum Scripturæ admittere, &, nisi expressâ Scripturâ is sensus damnetur, rejici non possit; quid non efficient tortores Scripturarum?

Exemplum iniquitatis.

84. Tota propemodum controversia hæc agitatur propter illam sententiam: *Hoc est corpus meum.* Quam volunt esse ambiguam. Ejus autem ambiguitatem requirere auctoritatem Ecclesiæ, ut traditionem habentis. Ideoque nostram expositionem, quæ est, *Hic panis est corpus meum*, quanquam ea nitatur analogia fidei, cum scopo sermonis conveniat, paralleliam Scripturæ adstipulantem habeat, & in fundamento exædificetur, & ab usu phraseos non discedat, rejiciunt: suam autem, *Hoc, quod fuit panis & videtur esse panis, non est panis, sed corpus meum, quod sub hanc speciem adductum est*, volunt esse necessariam. quippe divinitus inspiratam. poscentes Scripturæ dictum, quo jubeamur verba Christi exponere tropicè. Quanquam fateantur, nostram expositionem esse commodam & facilem.

Regula de significatione verborum Scripturæ.

85. Ita agentes, ostendunt, se non intelligere, quid sit *docere* aut *significare*. Nam, quem sensum verba Scripturæ, juxta usum virorum Dei & omnium prudenter loquentium, juxta analogiam fidei & potestatem fundamenti, tenoremque sermonis & scopum loquentis, faciunt per se, absque ulteriori auctoritate, in mentem venire, quemque conscientia audientis approbat, eum sine dubio *significant*. Qui autem sensus sic non commendatur (omitto jam dicere, qui, hisce omnibus reluctantibus, proditur) eum verba non *significant*. Neque ejus propositio est interpretatio verborum, sed additio ad verba.

Rursus Augustini testimonium.

86. Bene Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, c. 28. *Per Scripturas divinas multò tutiùs ambulatur. Quas verbis translatis occupatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam: aut, si habet, ex eadem Scriptura ubicunque inventis & adhibitis ejus testibus, terminetur*, nempe controversia. & lib. 1. c. 37. *Asserendo temere, quod ille non sensit, quem legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat. Quæ si vera & certa esse consentit, illud non possit esse verum, quod senserat: fitque in eo, nescio quomodo, ut, amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse quàm sibi. Quod malum si serpere siverit, evertetur ex eo. Per fidem enim nos ambulamus, & non per speciem. Titubabit autem fides, si Scripturarum vacillat auctoritas.*

87. Quia

87. Quia nempe Augustinus nullam auctoritatem in mundo noverat, in qua fides posset acquiescere. Quam si nosset, non diceret, fidem collapsuram aut titubaturam, si vacillet auctoritas Scripturarum. Reperiret enim hominem aut homines, quorum traditio fide firmissima, etiamsi non demonstretur ex Scriptura, & extra eam sit, possit recipi. Quem aut quos quia non reperit, ergo reperit, *omnem hominem*, si quid loquatur (quod Deus in Scriptura non est locutus) *mentiri*. Quod est verbum Ecclesiæ non mentientis & fidem suam testantis in fuga & persecutione, qua premitur propterea, quia in fide loquitur. Psalm. 116: 10. 11. *Credidi* (nempe ei, cui credendum est; Deo, non homini) *quod* vel *quum loquebar*. Causa meæ prolocutionis & παῤῥησίας erat fides. *Ego* autem *debilitatus sum valdè. Ego dixi* (in fide) *quum fugerem*, *Omnis homo mentitur*. Deus solus non mentitur, &, qui in fide Dei loquuntur. nam illorum verbum, non est illorum verbum, sed Dei. Augustinus illum Psalmum interpretans hoc dictum accipit de infirmitate hominis: & ex eo conficit, neque *de ullo homine*, *neque de se ipso præsumendum esse*. Nobiscum tamen agnoscit, esse sermonem martyrum. Quid igitur impedit, esse dictum fidelis se sustentantis in fuga auctoritate Dei solius, & omnem auctoritatem humanam rejicientis? Quod certè prophetico spiritu dictum videri debet de eo tempore maximè, quo erant locuturi homines, tanquam Prophetæ, præter certum & omnibus notum verbum Dei, & fideles loquentes persecuturi: quo tempore confessio fidelium est, quæ ipsos sustentat, Omnem hominem, qui quid præter audita & scripta loquitur, & se verbum Dei habere asserit, mentiri. Quam suam mentem satis aperit Augustinus, quando de Scriptura loquitur, & ejus *Canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum* dicit 4. de doct. Christ. c. 3.

Caput VI.

De Perspicuitate & interpretatione Scripturæ.

Quandoquidem in Scripturis est *Canon*, & μόρφωσις τ γνώσεως καὶ τ ἀληθείας, sive *formula cognitionis ac veritatis*, & ὑποτύπωσις τ δικαιοσύνης Θ θεῦ *revelatio justitiæ Dei*; necesse est, eam habere suam claritatem & perspicuitatem, ut exponi & explicari possit, discique item & credi, & ut possit formula ac typus conversationis in ipso usu esse. *Scripturam perspicuam esse necesse est propter finem ejus.*

2. Quam

Claritas Scripturæ clarè in Scripturis asseritur.

2. Quam claritatem ei Spiritus Sanctus in ea loquens perspicuè attribuit. Psalm. 119: 105. *Lucerna pedi meo est verbum tuum, & lux tramiti meo.* Sine dubio autem, in Scriptura quod legitur, verbum Dei est. Psalm. 19: 8. *Testimonium Iehova est fidele, faxum sapientem faciens. Præceptum Iehova est clarum, illuminans oculos.* Prov. 6: 23. *Lucerna est præceptum, & lex* (doctrina commonstrans viam ad metam salutis) *lux.* 2 Petr. 1: 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis quod attenditis, tanquam lucerna lucenti in squalido & caliginoso loco*, quæ potest etiam tenebras cordis nostri discutere; *donec dies diluescat & phosphorus exoriatur in cordibus vestris.* 2 Cor. 4: 2. *Manifestatione veritatis commendantes nos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Si autem est velatum Euangelium nostrum, in pereuntibus est velatum.*

3. Insigniter loquitur Moses de claritate præcepti fidei ad justitiam Deut. 30: 11. *Nam præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est mirabile præ te*, h. e. non excedit captum & intelligentiam tuam, sed est revera sapientia & prudentia apud conscientiam; *neque est longinquum. Non est in cœlo, ut dicas, Quis ascendet nobis in cœlum, & accipiet id nobis, & faciet id nos audire, ut faciamus illud? Neque ultra mare*, in locis inaccessis & unde nemo redit, h. e. in abysso, inferno, *ut dicas, Quis ibit ultra mare, & accipiet illud nobis, & faciet id nos audire, ut faciamus illud? Sed verbum hoc est propinquum ad te valdè in ore tuo & in corde tuo, ut id facias.* Quum promisisset, Deum esse circumcisurum cor Israëlitarum, ad diligendum Deum (quod non potuit fieri, quoad statum hujus vitæ, perfectè, nisi per spiritum filiationis, & per exhibitionem gratiæ Dei in Christo, ut ipsum glorificarent & ei gratias agerent & in eo gloriarentur tanquam justitia sua, ablato reatu & sic consummatâ conscientiâ) addit præceptum hoc dilectionis Dei, quæ dilectio est fides in Christum. Quod præceptum dicit illos facturos, & non esse ejus naturæ, ut sit longinquum, sed tale, ut Filii Dei descensu de cœlo & reditu à mortuis fiat propinquum in ore & in corde, nempe ut credatur & confessione celebretur. Ita exponit Apostolus Rom. 10: 6—9. Quod autem est propinquum in corde, ut ei per obedientiam fidei pareatur, necesse est, clarum & perspicuum esse. Nam quomodo credent, quod non audiverint, nempe ut etiam intellexerint? Et quomodo confitebuntur, quod nescient?

4. Atque huc etiam pertinet promissio de novo Testamento

Jer. 31:

Jer. 31: 33. *Legem meam ponam in medio ipsorum, & in corde ipsorum inscribam illam.* Quæ duo distincta sunt. Primum notificatio evidens, & plena: alterum sanctificatio ad obedientiam fidei. Quorum neutrum sine claritate Scripturæ consistere potest.

5. Postquam igitur in genere vidimus, Spiritum Sanctum Scripturæ auctorem ei claritatem attestari; distinctiùs videndum est, qualisnam sit ea claritas? & quibus sit clara? sive, an nemini sit obscura?

6. Nihil enim impedit, eam esse claram atque perspicuam, & hominem nihilominùs esse τυφλὸν, πεπωρωμένον, ἀνόητον καὶ ἀσυνέτον, *cæcum, induratum, insensatum & inconsideratum*, & non habere sermonem Dei manentem in se. *Quibus Scriptura sit obscura, & quare?*

7. Quippe, uti liber naturæ clarè quidem dictat & aperit, imò quasi videnda præbet Dei invisibilia, æternam ipsius potentiam ac divinitatem, & tamen multæ sunt gentes ἀνόητοι *inconsideratæ* ignorantes Deum, quem ignorare non possunt: ita, etiamsi liber Scripturæ voluntatem Dei clarè doceat, tamen & ἀσυνέτος καρδία *cor inconsideratum* & μάταιοι λογισμοὶ *vanæ ratiocinationes* impediunt illius intelligentiam. Ita Apostolus Galatas vocat ἀνόητους *insensatos* aut inconsideratos, tametsi Christum coram oculis depictum haberent, in medio ipsorum crucifixum. Gal. 3: 1.

8. Neuter enim liber, nec naturæ nec Scripturæ, sine νοήσει sive συνέσει *animadversione* efficit intelligentiam dignam Deo docente & salutarem discenti.

9. Νόησιν verò h. e. *animadversionem* impedit concupiscentia, amor tenebrarum (qui efficit odium & fugam lucis) error præjudicatus, consilium improbi, Psalm. 1: 1. κενοδοξία & cupiditas gloriæ ab hominibus accipiendæ, αἵρεσις (quæ demonstrat αὐτοκατάκριτον, & eum, qui se non dignum vita æterna judicaverit, Tit. c. 3. vers. 10. 11.) & νοῦς ἀδόκιμος καὶ διεφθαρμένος *mens improba, nihil pensi habens, ac corrupta*; cui sæpe homines traduntur, ut credant mendacio, & semper proficiant in pejus, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι *seducentes & errantes*, στρεβλοῦντες τὰς γραφὰς εἰς ἰδίαν ἀπώλειαν *torquentes Scripturas ad propriam perniciem.* 2 Petr. 3: 16.

10. Quod eò minùs mirum in iis, de quibus Deus pronunciavit; *Occultabo faciem meam ab ipsis.* Deut. 32: 20. Qui judicii hujus severitatem experiuntur, quando velum in ipsorum cordibus positum est, quum legunt Vetus Testamentum. 2 Cor. 3: 13. 14. 15. hoc

est, qui amant id, quod pro velamine accessit per Mosen ad Promissionem patribus insinuatam & doctrinam justitiæ fidei, quæ in Abrahamo testimonium habet: &, offendentes in legem justitiæ fidei prolabuntur ad aliam legem, tanquam legem justitiæ, quæ justificare non potest; eo præjudicio indurantur. Quod velamen non tollitur, nisi quum ad Dominum convertuntur. ibid. v. 16. Similiter fieri non mirum est in aliis, qui ad simile judicium descripti sunt: quum ea sit naturæ nostræ corruptio, ut à rebus Spiritus Sancti simus alieniſſimi. Quod testatur Apostolus 1 Cor. 2: 14. *Animalis homo* (in quo non spiritus gratiæ, sed sola anima est lux ejus) *non recipit ea, quæ sunt Spiritus Sancti* (sed ipsi ἀνέλπιστοι, Act. 7: 51. & βυλὼ θεῦ εἰς ἑαυτὸν ἀθέτει. Luc. 7: 30. ἀπίθει, Joh. 3: 36.) quia *sunt ipsi stultitia*, propter *consilium improbi*, Psalm. 1: 1. Job. cap. 21: 10. h. e. vel persuasionem de propria sapientia & justitia, vel profanitatem: *neque potest cognoscere*, νοῆσαι, σωιέναι, vel etiam intelligere; *quia πνευμαλικῶς ἀνακρίνε*ῖ, non sine Spiritu Dei *examinantur*, trutinantur, expenduntur, & ad lucem ac judicium conscientiæ revocantur. Quare & Christus Joh. 3: 3. *Nemo, nisi regeneretur*, & alius homo fiat, *potest videre regnum cœlorum*, multò minùs *in illud intrare*. Atque eo ipso Christus probatur veritatis doctor, quòd nemo ipsius sermonem recipit. Joh. 3: 32. Quod enim lux est, non amatur ab amatore tenebrarum: veritatem odit, qui facit mendacium. Iccirco David precatur Psalm. 119: 18. *Retege oculos meos, ut videam mirabilia ex lege tua*. Multa obnubilant mentem nostram, ut non facilè videamus, quid Deus in lege sua dicat, vel ad eam attendamus. Et Apostolus similia precatur Ephesiis c. 1: 17. 18. 19. & similia Timotheo 2 Tim. 2: 7. Hæc impedimenta attentionis & intelligentiæ & assensus vocantur *præputium cordis*, quod abscindendum est, Deut. 10: 16. cujus ablationem Deus præstat per circumcisionem cordis promissam Deut. 30: 6. Hinc dicitur Deus aperire cor ad attendendum, Actor. 16: 14. cor carneum dare pro lapideo, Ezech. 11: 19. & 36: 26. Cui contrarium Deut. 29: 4. Es. 6: 9. 10.

11. Atque adeò Apostolus negat, Euangelium suum esse κεκαλυμμένον, *tectum*, obscurum, involutum, nisi *in pereuntibus*, *in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non splendeat ipsis lux Euangelii gloriæ Christi*. 2 Cor. 4: 4.

12. Nempe, cui Deus dat illuminatos oculos mentis (Ephes. 1: 18.)

1: 18.) in iis Euangelium non est tectum atque obscurum.

13. Inter illos, qui pereunt, maximè excæcatos notat Apostolus τοὺς ἀπίστους *incredulos*; qui audiverunt sermonem, & illum vel simpliciter rejiciunt, vel non accipiunt veritatem salutarem, quæ est in eo.

14. Sunt enim quidam *cæci*, qui *oculos habent*. Es. 43: 8. *Educam populum cæcum, qui oculos habet.* Jer. 5: 21. *Oculos habent & non vident.* Sic Ez. 12: 2. Judæi habent oculos, & non vident. Nam, quousque illi profecerint, ostendit Christus Joh. 5: 39. *Sciebant, in Scripturis* esse verba vitæ, & *se in iis vitam æternam habere putabant*, & tamen eam non *scrutabantur*, neque *sermonem Dei habebant manentem in se*, neque Mosi credebant, qui de Christo testatur. Ita Apostolus de Judæis & eorum studio in lege testatur Rom. 2: 17—20. & de zelo Dei, Rom. 10: 2. 3. & de quæsita lege justitiæ, Rom. 9: 31. Quippe illos sapientes in oculis suis dicit Esaias c. 5: 21. vide & vers. 19. & confer Es. 6: 9. 10.

15. Sed non in illis subsistit hæc cæcitas. Sunt enim etiam, qui illuminati sunt & gustarunt donum cœleste, & participes fuerunt facti spiritus, & gustarunt bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi sive Novi Testamenti, & tamen à veritate aberrant. Hebr. 6. vers. 6. qui cognoverunt viam justitiæ, & redeunt ad vomitum suum, 2 Petr. 2: 20. 21. qui habent formulam pietatis, & vim ejus abnegant. 2 Tim. 3: 5. qui veritati resistunt. v. 8.

16. Omnis non studii sed curiositatis dux ipsis est opinio propriæ sapientiæ & concupiscentia sua; & bonam conscientiam à se repellunt. Ideò cognoscere veritatem salutarem non possunt. atque, etiamsi ipsa verba fundamenti in ore habeant, tamen ea tantùm per *fraudem* loquuntur, sub iis occultantes sua mendacia.

17. Hæc nobis notanda fuerunt propter illos, qui sub colore & obtentu perspicuitatis Scripturæ gloriantur de propria sapientia & viribus, quasi Dei gratiâ & potentiâ ad intelligendam & recipiendam voluntatem ejus non indigerent. Quorum sententia declaratur à Simone Episcopio Inst. Theol. lib. 4. c. 16. *Sensus isti* necessarii *istiusmodi verbis ac phrasibus seu propriis seu figuratis sunt expressi ut ad earum significationem propriam & genuinam rectè percipiendum nullo alio aut externo aut interno lumine opus sit, quam vel naturali vel saltem à gratia illa, quæ universalis & communis omnibus esse dicitur, adjuto, id est, solo rationis rectæ dictamine, sive gratia universalis beneficio.*

18. Quum verò homo naturaliter sit alienus à cogitationibus Dei, & mysteria Dei ipsi sint mirabilia, etiam illis, qui credunt, multa obscuriora videri, in quibus se porrò exerceant, & quorum sensus serio studio eliquent, consentaneum esse, apparet. Si aliter esset, frustra de profectu & πίστεως *confirmatione* loqueretur Scriptura.

19. Ideò, qui primùm crediderunt, *pueri* appellantur; & *Euangelium* dicitur esse *sapientia in* τελείοις *adultis*, 1 Cor. 2: 6. 3: 1.

20. Ita Apollos opus habuit, ut Aquila & Priscilla *ei accuratiùs viam Dei exponerent*. Actor. 18: 26.

21. Et horum respectu esse quædam δυσνόητα & *difficilia intellectu* in Scripturis, ut Petrus dicit 2 Epist. 3: 16. satis convenit.

22. Sunt enim & res à communi hominum via, opinione & ratiocinatione remotæ in Scriptura; in quibus oportet habere sensus exercitatos ad dijudicationem boni & mali: & in discendo oportet progredi certa via atque ordine. Quo non observato & rebus inter se non distinctis, necesse est multa occurrere neophyto & puerilem tantùm cogitationem habenti, quæ non statim intelligat. Sunt item ænigmata, parabolæ sive παροιμίαι, signa & allegoriæ; quæ non patent, nisi clavim cognitionis habenti, & tum res eas, unde sumuntur signa, tum eas, quæ significantur, intelligenti, ut eas comparare inter se norit. Inveniuntur etiam schemata orationis & dictionis & modi loquendi: quæ eruditionem & exercitationem in linguis sacris & in sanctorum virorum stilo desiderant. Sunt etiam demonstrationes & argumentationes subtiles, & confutationes mendaciloquorum: in quibus necesse est ingenium dextrum & in judicando, contemplando & benè ratiocinando exercitatum adesse: imò etiam non parvam cognitionem rerum naturæ, & præcipuè ejus, quod natura docet decere Deum & hominem, & non decere.

23. In his igitur cum timore progrediuntur pueri; ubi possunt, utentes ὁδηγοῖς: sed nihil recipientes, nisi ἐν πληροφορίᾳ & νοὸς, *certitudine mentis*. Rom. 14: 5.

24. At ἀμαθεῖς, qui non didicerunt, & tamen sunt φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς, & discere nolunt; atque ἀστήρικτοι, non habentes στήριγμὸν fidei, sed opinionibus exagitati, & fluctuantes, ea convertunt ad propriam pestem. 2 Petr. 3: 16.

25. Illud ingenium conspicitur in eo, à quo ad negandam necessitatem

ceſſitatem πνευματικῆς ἀναγνώσεως *ſpiritualis conſiderationis* prætexitur Scripturæ perſpicuitas; quemadmodum contra loci, qui cæcitatem cordium noſtrorum arguunt, à Pontificiis obducuntur ad negationem perſpicuitatis Scripturæ: idque eo fine, ut homines abſterreant à Scripturis & ad ſe tanquam doctores infallibiles eos traducant.

Qualis ſit claritas Scripturæ?

26. Sed perſpicuitas ea eſt Scripturæ, humano ſermone loquentis, & veritatem patefacientis ad conſcientiam, ut homo illuminatus à Spiritu ſancto & Dei amore ac timore præditus judicare poſſit, id, quod Scriptura dicit, eſſe veram ſapientiam & prudentiam, & ejus ſapientiæ doctorem ſapientiſſimè docuiſſe.

27. Cujus perſpicuitatis quaſdam aſſignabimus rationes. *Prima* illa eſt, quòd nullum dictum in Scripturis continetur, quod pro falſa ſententia faciat, & pro ea allegari poſſit, ſine contorſione & violentia, quæ à vigili conſcientia, adhibitis mediis, quæ neceſſaria ſunt ad linguæ, qua Spiritus Sanctus loquutus eſt, intelligentiam, poſſit deprehendi.

28. *Secunda* perſpicuitatis ratio eſt, quòd Scriptura continet veritates, ſive propoſitiones, certam ἀναλογίαν, h. e. conformitatem, conſenſum & conſpirationem ac proportionem habentes: quæ ἀναλογία facit, ut doctrina Scripturæ ſit veriſſima & perfectiſſima ſapientia. Hujus autem lex eſt, ut *omne mendacium ex veritate non ſit*, 1 Joh. 2: 21. h. e. ut mendacium non habeat ullam ἀναλογίαν, affinitatem, cognationem, connexionem cum veritate, ut ex ea ſequatur, quod falſum eſt; ſed ut id, quod ex veritate eſt & conſequitur, ſit veritas; ac contra, quod ex fundamentali veritate non eſt, ſit falſum. Ex quo apparet, rectam ἀνάκρισιν *examinationem ſcrutationemque* non tantùm requirere examinationem & σύγκρισιν in ſingulis, quoad verba & res; ſed etiam σύγκρισιν πνευματικῶν *comparationem ſpiritualium:* ut, quæ diſcenda ſunt, revocentur ad conformitatem & harmoniam & conſenſum cum iis, quæ didicimus & credidimus; præcipuè cum fundamento. 1 Cor. 2: 13.

29. *Tertiò* perſpicuam facit Scripturam, quòd in illa continetur *clavis cognitionis*, & extra illam requirenda non eſt: nempe *Chriſtus Dominus* & *juſtitia Dei*, quæ eſt *ex fide in fidem*, ac *regnum ejus*. Vide Apoc. 19: 10. Col. 2: 2. 3. Actor. 3: 24. collato Luc. 11: 52. Unde ſumimus monelam, ne quis ſine judicio ſequatur incautè verſiones & expoſitiones Judæorum, Papiſtarum, Sociniano-rum, & omnium,

nium, qui dedita opera Christi personam, justitiam & regnum nesciunt; aut putet, nihil in Scripturis esse, nisi quod illi viderunt.

30. *Quartò*, quòd omnes promissiones Dei & omnes consolationes Scripturæ in hoc mysterio concentrantur: omnesque typi, figuræ, ænigmata, parabolæ, quæ huc faciunt, ex hoc habent liquidum certumque sensum, testem divinæ sapientiæ in doctrina πολυτρόπως & πολυμερῶς *multis modis & partibus* tradita: & quòd sine illius mysterii veritate & sinceritate Scripturæ non habent uniformem, constantem, indetortam, saturam & conscientiæ satisfacientem ubique expositionem.

31. *Quintò*, quòd doctrina resipiscentiæ sive gratiarum actionis, ut homo justificatus glorificet Deum, & in se reperiat sigillum justificationis, ad spem vitæ æternæ, nitidissimè in toto corpore Scripturarum tradita est, tum quoad principia pietatis, tum quoad conclusiones insignium officiorum.

32. *Sextò*, quòd Prophetiæ signantes ordinem rerum gerendarum in mundo, per quas adventus Christi in carne appropinquans debebat cognosci; & ipsam qualitatem temporis, quo Christus adesse debebat; & propagationem, tentationes, conservationem, reformationem, victorias Ecclesiæ de hostibus suis; ordine prudentissimo sine omni confusione ea omnia docent, & iis verbis, quorum valor implementis evidentibus hucusque comprobatus est: ut, nisi velimus dicere, PRÆTER MENTEM ET INTENTIONEM SPIRITUS SANCTI OMNIA IPSIUS VERBA EXACTISSIME EODEM ORDINE ET IISDEM CIRCUMSTANTIIS COMPLERI, ipsas historias à prophetiis descriptas quasi digito eo amonstrare possint, qui habent αἰσθητήρια γεγυμνασμένα *sensoria exercitata*, & suas hypotheses non admiscent Scripturæ.

33. Cui evidentiæ accommodationis non debet opponi, quòd quidam faciunt; quòd Prophetias explicare sit ejusdem, cujus est eas dictare. quemadmodum Ostorodus alicubi loquitur. Quanquam enim sine Spiritu Dei nihil quisquam discat ex sacris literis salutariter; tamen, quod illi volunt, non est verum: opus esse nova revelatione ad intelligendas prophetias. Quare enim prophetiæ dicuntur ἀποκαλύψεις, si nova revelatione opus est, ut non inutiliter legantur? Quare id stupori & contumaciæ Judæorum imputatur, quòd Christum videntes & verba ipsius non intellexerint,

rint, eum esse Christum? quòdque temporum signa non animadverterint? Quomodo à veritate prophetiæ argumentamur, si nescimus, an prophetia verè impleatur, nec ne? Quomodo Apostoli per sermonem prophetarum demonstrarunt Euangelium, si non datur demonstratio ex prophetiis?

34. Atqui, inquies, multa indefinitè dicuntur: ita ut nec subjectum nec prædicatum certam determinatamque habeat significationem. Resp. Dari id posse. Sed eo nos non impediri, quin animadvertamus & judicemus, quæ res à quoquam gesta sit ad id exemplum, ita ut verba ei rei gestæ & illi homini conveniant. Quod exemplum omninò habendum est illius generis, de quo loquitur prophetia. Si igitur in eo exemplo non totum implementum erit, eo tamen non efficietur, ut ea res gesta, cui verba prophetiæ quadrant, nihil pertineat ad prophetiam. Præsertim, si etiam temporis qualitas ei rei gestæ conveniat. Solet autem temporis qualitas indicari per ordinem rerum futurarum: quum dicitur, post certa quædam eventa etiam aliud quid futurum esse. Quum igitur post talia eventa tale quid evenerit, si & reliquæ circumstantiæ conspirent, etiam tempus ex signis & qualitate sua innotuisse, putandum est.

35. Neque hîc opponi potest, Theologiam symbolicam non esse argumentativam. Id enim ita crudè & universè dictum non est verum. Figuræ Veteris Testamenti docebant. Docent parœmiæ Solomonis. Docent typi. Docent parabolæ Servatoris. Quid igitur? 1. Similitudines ab hominibus excogitatæ nihil probant. 2. Determinatio eorum, quæ prædicta sunt indeterminatè, ad personam, locum, tempus & rei specificam qualitatem, si ea fiat humano arbitrio, fit temerè & non auctore Deo. Ideòque nihil probat, nihil ostendit.

36. *Septimò*, quòd, etiamsi quis necdum implementa tanta viderit vel observaverit & cum Prophetia comparaverit, nihilominùs tamen ita fidei & charitatis regula illustris est, ut quivis possit in tentationibus & visitationibus suis officium suum dignoscere, & ea, quæ sunt regni Christi, ab eis, quæ pertinent ad regnum Satanæ, discernere.

37. *Octavò*, quòd & fides & charitas & spes (quatenus ea versatur circa regni Christi de mundi regnis & hostibus suis triumphantis adventum) in Scripturis habet formulam & regulam non

modò

modò unicam, sed & sæpissimè repetitam, summa cum conformitate, quoad substantiam, & cum mutua partium illustratione, quoad definitionem rerum ipsarum vel circumstantiarum: ita ut in eorundem officiorum, earundem promissionum, vel etiam prædictionum repetitione semper nova lux & nova sapientia resplendescat, & lector non segnis *de gloria in gloriam ad imaginem Christi transformetur quotidie*, & in divino mysterio proficiat. Quodque propter eam toties frequentatam repetitionem unaquævis idea omnium officiorum, promissionum, prædictionum Canon est.

38. *Nonò*, quòd in omnibus his is stilus & ea λέξις est Scripturæ, ut, quando ex omnibus, quæ in mentem interpretibus venerunt, id, quod simplicissimum simul & plenissimum atque ordini sermonis accommodatissimum est, fuerit repertum, homo non imperitus sermonis sacri non possit comminisci, quomodo id sapientiùs efferri debuerit, & quivis, imbutus cognitione Christi, & bonam conscientiam habens, in rebus, quæ tali expositione promuntur, lucem, veritatem, ἀναλογίαν, sapientiam indicibilem animadvertat.

39. Unde fit, ut homo legens Scripturas cogatur non priùs acquiescere, quàm repererit vel audiverit expositionem eam, quæ ita conscientiæ satisfaciat; ne verba pro verbis substituendo, addendo, detrahendo, transponendo videatur verba Dei mutare; aut ea emendare: quemadmodum ludimagistri puerorum schedas corrigere solent, & mentem eorum divinando & conjectura deprehendentes veniam illis dant imperitioris & imprudentioris loquelæ. De qua re egregriè loquitur Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana c. 6. *Hic aliquis forsitan quærit, utrum auctores nostri, quorum scripta divinitùs inspirata* CANONEM *nobis saluberrimæ auctoritate fecerunt, sapientes tantummodò, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud me ipsum, & apud eos, qui mecum, quod dico, sentiunt, facillimè solvitur. Nam, ubi illos intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse.* & post pauca. *Ubi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia; sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus, non solùm inventione, sed etiam exercitatione deberet.*

40. Ne-

40. Neque igitur sufficit, id pro sensu reddere, quod quomodocunque occasione eorum, quæ leguntur, legenti in mentem venit; dummodo id alioqui non sit falsum; & nescio quo supplemento, enallage, ellipsi, aliove quo schemate utcunque adjuvari possit. Nam non hoc quæritur, quid interpres verum dicat, sed quid Spiritus Sanctus in quovis loco doceat.

41. Quando enim interpres aliud dicit, quàm quod Spiritus Sanctus dicit, licèt verum dicat, tamen *Scripturis non mentientibus fallitur. Sed tamen, si ea sententia fallitur, qua ædificat charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, &, quàm sit utilius viam non deserere, demonstrandum est; ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur. Asserendo enim temere, quod ille non sensit, quem legit, plerumque incurrit in alia, quæ illi sententiæ contexere nequeat. Quæ si vera & certa esse consentit, illud non possit verum esse, quod senserat: sitque in eo nescio quomodo, ut, amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse, quàm sibi. Quod malum si serpere siverit, evertetur ex eo.* &c. Ita Augustinus de doctrina Christiana lib. 1: 36. 37. Quod testimonium etiam supra posuimus, c. 5.

42. Et non tantùm periculum est in tractatore sacrarum literarum, sed etiam in auditore. Si enim auditor non id audiat, quod perspicuè videat à viris Dei esse dictum, vel incipiet, insuper habitis Scripturis, tractatoris eloquentiæ & χρηστολογίᾳ ad tempus delectari, vel simul Scripturam & tractatorem contemnet: certè fraudabitur sensu illius loci, quem tractator habet præ manu, & non ædificabitur per eum, neque ad amandam scrutandamque Scripturam earum apertione invitabitur.

43. Scopus autem omnis institutionis est, ut auditor se patiatur doceri à Deo & ipsius vocibus pasci.

44. Neque verò metuendum est, ne cujusvis loci sensus proprius, si is offeratur, non habeat ἐπίδειξιν & vim ad conscientiam, per quam mentes possit in obsequium sui redigere: siquidem verum est, quòd OMNIS *Scriptura divinitus inspirata sit etiam utilis ad docendum, &c.*

45. Nam, quæ interpretatio pondus vocabulorum, usitatam rationem phraseos (ut quàm minima sint supplementa, ellipses aliæque orationis salebræ; & ipsæ tamen illæ orationis figuræ, si cubi adhibeantur, commodè ac tempestivè adhiberi deprehendan-

tur) ἀληθείαν rerum, & ἀναλογίαν Scripturæ obſervat, & rebus ipſis in omni ipſarum modo atque ordine comprobatur, ita ut *verba non à dicente adhibita ſed rebus ipſis velut ſponte ſubjuncta videantur* (ut rurſus cum Auguſtino loquar) quin ea ſana, recta, certa expoſitio verborum, & ipſa ἀποκάλυψις Spiritus ſit, nulla ratio dubitare finit.

46. Nam quis poteſt dubitare, hoc ſignificare verba Spiritus ſancti, quod valent, &, ut cum Apoſtolo loquar, τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς eſſe illius *ſignificationem*. 1 Cor. 14: 11. Quis neget, hoc voluiſſe Spiritum ſanctum ab eo, qui legit vel audit, cogitari & pro *mente* ipſius accipi, quod ut cogitet lector vel auditor, verba ipſa efficere poſſunt, nulla parte ſermonis refragante, & τῇ διανοίᾳ ſive intentione loquentis poſtulante?

47. Quod niſi demus, tollendus eſt uſus ſermonis ex mundo: non tantùm Scripturæ ſunt ſeponendæ. Nam, ſi etiam dicas, Doctorem aliquem debere nobis declarare, quis ſenſus Scripturæ ſit; unde ſciam, quis ſenſus ſit verborum, quibus utitur is, qui perhibetur declarare ſenſum Scripturæ; ſi non id, quod valent verba alicujus ſermonis, omnibus conſideratis, ſignificare, id ſignificant?

48. Profectò nihil aliud eſt *ſignificare*, quum de ſermone dicitur, quàm conſtare verbis aptis ad excitandam in auditore eam cogitationem, quæ eſt in loquente. Nam, ſi hoc valeant verba, ſigna ſunt, & ſigna ſunt cogitationis, quæ eſt in loquente. Cujus autem mentis ſigna ſunt, eam ſignificant.

49. Et hinc ſtatui poteſt, an verba, quæ nonnunquam latiùs, nonnunquam ſtrictiùs ſignificant, nonnunquam propriè, nonnunquam impropriè uſurpantur, aliâs in pleniſſima notione, aliâs in minùs plena adhiberi ſolent, hoc vel illo modo accipienda ſint.

50. Nam, quam notionem intentio loquentis, membrorum concinnitas, rerum ordo & diſtinctio, poſtulat, ea agnoſcenda eſt: quam verò hæc non poſtulant, eam verbis attribuere violentum eſt.

51. Neque hîc mihi dicat aliquis, Aliud alii videri commodum. Reſpondeo, Fieri non poſſe, ut non melior interpretatio melioribus ſit ſubnixa rationibus. Interim tamen (excepto, ubi pervicacia & ἐριθεία & κενοδοξία & cupiditas eſt cauſa fovendi alios ſenſus) poſſe aliquando fieri, ut in eodem verbo alius alio plus videat, & Deus velit utrumque ſignificari, & per diverſos diverſas ſententiæ partes Eccleſiæ notificari. *Partes*, dixi, *ſententiæ*. Neque enim ampliùs

ampliùs uno ſenſu literali & hiſtorico in Scriptura admittimus: qui in verbis eſt ex mente & intentione loquentis; ſive verba in propria, ſive in metaphorica & tranſlata ſignificatione veniant: ſive etiam nonnunquam in utraque.

52. Nam allegoria non conſtituit peculiarem ſenſum Scripturæ. Quæ geſta ſunt, ſi ea etiam ſimilitudinem habeant rerum, quæ erant impoſterum futuræ, ea ſimilitudo ex promiſſione utiliter animadvertitur. Si autem etiam Scriptura dicat, impoſterum ſimile exſtiturum ejus, quod præceſſit, hæc Scriptura facit, ut in qualitate rei geſtæ futuram contemplemur. Ita, indice Davide, Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec; & Melchiſedec à nobis conſideratur ut ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. Pſ. 110. Hebr. 7. Similiter Sara & Hagar ſit typus duplicis populi, indicante Eſaias cap. 54: 1. Gal. 4: 21. 22. 27.

53. Si quæ aliæ ſint conſequentiæ ſenſûs primi, non ſenſum faciunt peculiarem, ſed ſenſus integri partem.

54. *Decimò*, quòd in hiſtoriis priſci temporis & chronologiis ſive genealogiis, ſicubi non ad plenum, juxta omnes circumſtantias, à lectore res omnes geſtæ determinari poſſint, tamen ex iis, quæ intelligi poſſunt, ſive generaliùs ſive ſpecialiùs, ſcopus earum hiſtoriarum & genealogiarum expoſitarum attingatur.

55. *Vndecimò*, quòd, ut Auguſtinus dicit 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. *Nihil de obſcuris erui poteſt, quod non contineatur in apertis*, ſive eaſdem ſententias præ ſe ferentibus, ſive certè ut clavim interpretationis oſtendentibus. Ita ut lector non νωθρὸς τῇ ἀκοῇ *ſegnis auditu*, ſed σπουδῶν καὶ προσέχων τὸν νοῦν καὶ ἀναγινώσκων *animadvertens, conſiderans & examinans*, ſi colligat ea, quæ apertè dicta ſunt, ſine præjudicio, ex illis paulatim cætera interpretari, vel certè juxta illa interpretationes dijudicare poſſit. Quod eſt Apoſtolo Rom. cap. 12: 6. προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, h. e. Prophetias *juxta conformitatem fidei* ſive veritatis jam agnitæ & creditæ interpretari.

56. Sed hîc cavendus eſt dolus & fallacia duplex. 1. Novorum Methodiſtarum: qui, ut ipſi profitentur, relinquentes praxin omnium, qui hactenus Scripturam interpretati ſunt & errores confutarunt, novum quid excogitarunt, quo veritatis profeſſores ſibi videntur φιμῶν. Quia enim cum Auguſtino dicimus, neceſſaria in apertis conſiſtere; requirunt à nobis non tantùm, ut veritates noſtras

probemus ex verbis ita apertis, ut nullo opus habeant syllogismo: sed etiam ut argumenta, quibus errores illorum refellimus, proferamus istiusmodi. Atqui Apostolus Johannes 1 Epist. 2: 22. dicit, *Eum esse Antichristum*, ut neget *Iesum esse Christum*, *& neget Patrem ac Filium*. Quod si intelligendum est de verbis apertissimis, Antichristus nullus erit hypocrita: nullus sedebit in Ecclesia Dei: nullus est *mendax*, nisi qui totidem syllabis dicit, *Iesus non est Christus*.

57. Quòd si saltem aliquis est *mendax*, qui hæc verba nobiscum recitans tamen illa abnegat, si qua est *fraus blanda loquentium*, si qui sunt ψεύδολόγοι ἐν ὑποκρίσει *mendacium loquentes in simulatione* Christianæ fidei, & illi refutandi sunt, & ad illos refutandos faciunt tum illius fundamenti veritas, tum alia verba Scripturæ; non sunt repudiandæ in eo genere docendi consequentiæ. Christus, quum non tam refutaret Sadducæos quàm doceret resurrectionem mortuorum, usus est illo verbo, in quo palàm nulla mentio est resurrectionis mortuorum. addito etiam eo verbo, quòd naturaliter cognoscitur esse verum: *Deum non esse Deum mortuorum, sed viventium*. Aut igitur Christus non benè docuit, aut probatio per consequentias est legitima & faciens fidem: neque sunt *non aperta* dicenda, quæ docent, quod ex illis, quod dicunt, consequitur. Sed de his etiam paulò pòst § 75. & sequentibus.

58. Altera est fallacia Socinianorum, qui non quidem in docendo & refutando consequentias rejiciunt, sed dicunt, necessaria esse in iis, quæ nullam habent controversiam & contradictionem.

59. Quod planè extra Scripturas dicunt. Imò contra Scripturas. Nam ipsum hoc, Jesum esse Christum, contradicitur. Et resurrectio mortuorum contradicebatur à Sadducæis.

60. Quod si admittimus, admittendi sunt omnes, qui verba Scripturæ contorquent ad propriam & aliorum pestem & exitium.

61. Ex hisce, ad quæ alia adjungi possent, conficimus, Scripturas, quippe divinitus, ab ipso omnis sapientiæ, cognitionis, & sermonis auctore, inspiratas, sic loqui, ut sint utiles ad doctrinam, redargutionem, correctionem, disciplinam in justitia; ut homo Dei sit ad omne hoc bonum opus exaptatus. 2 Tim. 3: 16. 17.

Quibus sint claræ Scripturæ & utiles?

62. Neque tantùm *hominibus Dei*, h. e. doctoribus & rectoribus Ecclesiæ, eum usum præstat, sed etiam utilis est ad ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως, ad φανέρωσιν τῆς ἀληθείας πρὸς πᾶσαν συνείδησιν, *manifestationem veritatis ad omnem conscientiam*.

63. Adeò

63. Adeò ut illi, qui sunt δυνατοὶ ἐν ταῖς γραφαῖς *potentes in Scripturis*, possint ἀποδείκνυσι τὴν ὁδὸν τοῦ πνεύματος *ostendere ea, quæ ad viam pertinent.* Actor. 18:24. 25. 28. & possint καθαιροῦν λογισμοὺς καὶ αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, *demoliri ratiocinationes & captivam agere omnem cogitationem* sive *rationem* (non lumen ejus extinguendo, sed per lumen ejus eam vincendo, devinciendo & constringendo) *in obedientiam Christi*, 2 Corinth. 10: 5. & hostes ipsorum ori & sapientiæ non possint resistere. Luc. 21:15. sæpe etiam cogantur blandiri & (licèt non sine fraude ac dolo) mentiri Deo & eadem cum piis loqui. Psalm. 12: 3. 10: 7. 66: 3. 139: 20.

64. Porrò non tantùm Scriptura in se habet illam perspicuitatem, ut per eam servari possit homo etiam alio instrumento & adjumento destitutus, sed etiam Deus per gratiam suam facit, ut extet Scripturæ inter[illegible]etatio & manifestatio veritatis ex ea. *Claritas Scriptura inter Christianos habentes familiare fundamentum & demonstrationem veritatis ex Scriptura.*

65. Itaque jam non primùm opus est ex Scripturis invenire veritatem, tanquam insolentem & inauditam (quemadmodum Judæorum sensus ex Talmude & interpretibus, Turcarum ex Alcorano, aliarum gentium emortuas opiniones ex libris veterum cogimur requirere) sed Deus Ecclesiam per Prophetas, Christum, Apostolos olim collectam, propagans usque ad finem mundi, & in ea veritatem conservans, ita ut non recedat ab ore ejus, Es. 59: 21. facit, ut in mundo prædicetur, usque ad consummationem seculi, Euangelium; facitque, ut id omnibus sit obvium, cum ipsis sacris literis; promtumque sit veritatem ex ea cognoscere & approbare. Ita mansit in mundo Catechesis tradita viva voce, & per Scripturas confirmata. Cujus instar est apud Cyrillum Hierosolymitanum, Augustinum, & propemodum omnes scriptores. Huc referenda est institutio omnis Scholastica & Ecclesiastica: item judicia Synodorum. Est enim Ecclesia ἑδραίωμα & מוּקַד מוּקָד res firmiter posita & fundata: sed ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας & tanquam columna in veritatis basi collocata, 1 Tim. 3: 15. in qua si non stet, ne erit quidem. deinde promissio fert, legem in Dei novo Testamento in medio & cogitatione omnium fore. Jer. 31: 33.

66. Quanquam enim traditio Catecheseos non processerit absque multis multorum nugis, & quisquiliis humanarum præceptionum (quarum auctoritas in Ecclesia nulla esse debebat) atque etiam heterodoxiis & hæresibus; atque ita multi falsum funda-

mentum pro vero amplexi sint (quos homines *Zizania* vocat Christus in parabola) & propter ἐνέργειαν τῆς πλάνης *efficaciam erroris* sacra Scriptura, (quæ significatur Apoc. 11. per duos testes, qui sunt Moses cum choro Prophetarum, & Christus cum choro Apostolorum) fuerit in multis inefficax & tanquam occisa & interfecta: nihilominùs tamen tanta vis veritatis fuit, ut verba eam explicantia nunquam fuerint de medio sublata; & ex Scripturis facile fuerit veritatem à falsitate distinguere; falsa dogmata, nisi abeundo à regula & aliam regulam aliudque fidei principium addendo, non potuerint recipi; ipsaque Scriptura fuerit à multis vindicata.

67. Cæterum aliena dogmata & omnes hæreticas sententias ipsa novitas auctoritatis, & sententiæ receptæ ab omnibus Ecclesiis & ex Scripturis demonstratæ diversitas statim damnat.

68. Atque huc referendum est, quòd omnes Ecclesiæ facilè eas pericopas Scripturæ, in quibus summa fœderis Dei continetur (cujus cognitio ita necessaria est ad salutem, ut sine illa fides esse non possit) animadverterint; quodque eæ in omnibus linguis eodem modo noscantur, & à pueris æquè ac senibus celebrentur.

69. Neque tantùm, sed quòd per donum ἑρμηνείας *interpretationis* id effectum est, ut sacræ literæ omnium gentium linguis sic legantur, ut, in quibus versiones consentiunt, ex iis per se nullus error capitalis procedere possit, & ad proficiendum in cognitione veritatis plurimum commeatûs sit; in quibus autem est aliqua varietas, ibi facile sit ex analogia fidei & loci sive materiæ (adhibita imprimis scrutatione & demonstratione peritorum) veriorem aut pleniorem intelligentiam δοκιμάζειν & exploratione diligenti adhita probare & præferre.

Vertere Scripturam est licitum: imò est debitum: & utilis versio multorum.

70. Quomodo per ἑρμηνείαν Ecclesiam ad puriorem pleniorem que intellectum adjuvare, non tantùm licitum est, sed & debitum eorum, quibus hoc donum concessum est: sive ut confirment ea, quæ bene exposita sunt, sive ut defectus & aberrationes corrigant.

71. Semper enim dabitur profectus in cognitione veritatis & sacrarum literarum intelligentia: neque ulli nominati sunt expositores & tractatores atque interpretes, post quos nihil ampliùs disci & explicari possit ex iis. Multorum autem, in hoc incumbentium, ut in omnibus linguis Verbum Dei legi possit cum maxima intelligentia, labor duo insignia bona præstat Ecclesiæ. 1. Tollit

lit ſecuritatem acquieſcere volentium unius hominis ſenſibus; & cogit eos, qui opportunitatem diſcendi habent, ipſos fontes addiſcere aut ſaltem ſæpe inſpicere. 2. Tollit dubitationem de iis verbis, in quibus fundamentum & ſumma fœderis, & plurimæ veritates doctrinæ continentur, an illa ſcilicet in fontibus ita reperiantur. quum ea verba ab omnibus fontium peritis eodem modo vertantur; qui tamen non ex compacto idem dicunt.

72. Tantùm ne temere in mala conſcientia aliquid reddant interpretes præter ſententiam verbi Dei: neu verba detorqueant: evacuent, exinaniant, & ad docendum inutilia faciant: neque etiam aliis imperent, ut ſuos ſenſus ſequantur: ſed omnibus permittant loqui, quod Deus ipſis revelavit cum demonſtratione Spiritûs.

73. Nulla igitur unquam verſio ab hominibus facta habenda eſt authentica (quod Pontificii arrogant vulgatæ Latinæ) & quæ non ſit obnoxia examini; quemadmodum omnis expoſitio. *Nulla verſio authentica.* *Vide §. 84 &c.*

74. Neque verò hîc quiſquam objecerit varias lectiones Veteris aut Novi Teſtamenti, quæ in codicibus fontem referentibus reperiuntur: quaſi propter eas deſerenda ſit Scriptura prophetica & Apoſtolica originaria, & auctoritas Eccleſiæ, & ab ea auctorata verſio, admittenda. Quippe illæ ipſæ varietates nobis commendant providentiam Dei in conſervanda Scriptura, & integritatem ejus. Nam 1. nihil ex illis varietatibus, quoad ſubſtantiam fœderis Dei, promi poteſt, quin contineatur in Scripturis, quæ nulli dubitationi ſunt obnoxiæ. 2. In iis, quæ certa & indubitata ſunt, continetur Canon, ad id ex varietatibus illis eligendum, quod optimum eſt & ſinceriſſimum. Quibus animadverſis, tota machinatio Moriniana contra integritatem Scripturæ evaneſcit. *Varia lectiones non faciunt interpretationem incertam: aut verſionem authenticam.*

75. Neque pluris eſt Walenburgiana μεθοδεία, quæ hoc ſatagit, ne ea, quæ ex ſcriptis per neceſſariam conſequentiam conficiuntur, videantur eſſe revelata ad fidem. Quaſi non, quæ neceſſariò conſequuntur ex ſcriptis & immediatè revelatis, æquipolleant revelatis, & Dei teſtimonium ſint, atque ita fidem obligent & ea accipiantur. *Interpretatio recta facit fidem. confer §. 56. & 57.*

76. Qua in re S. Johannes nobis auctor eſt, id, quod ex vero eſt, pro vero recipiendi, *quia mendacium ex veritate non eſt*, & cum ea nullam cognationem aut connexionem habet. 1 Joh. 2: 21.

77. Chriſtus ipſe docet nos ex Scripturis argumentari, &, quod ex Scriptura conſequitur, nonintelligere vocat *ignorare Scripturas.* Matth. 22: 29.

78. S. Pau-

78. S. Paulus ubique argumentatur, & tamen negat, se quicquam extra Mosen & Prophetas loqui.

79. Idem auctor est ὃ διδάσκων συγκρίνοντες τὰ πνευματικὰ, *docendi per comparationem spiritualium.* 1 Cor. 2: 13.

80. Idem docet, dari προφητείαν. Et quæ est προφητεία ordinaria Novi Testamenti, nisi prophetici, imò omnis divini sermonis interpretatio, & ad res, quæ fiunt, applicatio. Quæ si datur, datur etiam λογισμὸς, ratiocinatio, & veri ex vero deductio. De qua veri cum vero *connexione* & ejus *veritate* (sic appellat Augustinus) fidelis hominis, qui omnia rectè perpenderit & consideraverit, conscientia judicat.

81. Quin imò Apostolus jubet fideles προφητεύειν κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως, Rom. 12: 6. *prophetare secundùm analogiam fidei.* Quod quid aliud est, quàm sensus singularum partium verbi prophetici, & omninò divini, cum sensu aliarum partium, jam credito, & cum veritate fundamenti conjungere: & quidem ad fidem porrò faciendam de eo, quod ex prophetico sermone amplius proficiendo discendum est.

82. Quod igitur ex fide procedit, an id fides non apprehendit? Analogia, consecutio (ἀκολουθία, dicit Athanasius) conformitas, connexio fidem facit, & fide non tenebitur id, de quo per ἀκολουθίαν & ἀναλογίαν fit fides, sive ὃ πιστεύεται διὰ τῆς ἀναλογίας?

Confer cap. 1. § 11.

83. Illius μεθοδείας auctores vanè distinguunt inter *fidem* & *Theologiam*: non aliter ac si distinguentes inter fidem incipientem & proficientem negarent, hanc esse fidem, quia illa est fides. Qui certè, quod Apostolus fidei esse dicit, σώζειν & νόησιν, *animadversionem & considerationem*, id fidei esse negant. Nam ita ait Apostolus Hebr. 11: 3. πίστει νοοῦμεν, *fide animadvertimus. Fidei*, quæ habetur verbo, virtus, opus & ἐνέργεια est attendere ad πνεύματα & in illis Dei invisibilia videre; quantò magis, quæ in vi & potestate verbi Dei continentur, scrutari, & visa atque animadversa, tanquam νοῦν θεοῦ *mentem Dei* loquentis recipere?

Confer cap. 3. § 7--18.

Interpretari est omnium, qui id donum habent; & de interpretatione judicare omnium fidelium. Interpretatio

84. Nulla διήλυσις γραφῶν *resolutio* sive expositio *Scripturarum* est ἰδία, sive privati juris aut privilegii. 2 Petr. 1: 20. nempe ut aliquis in Ecclesia doceat tradendo vel interpretando, quod Unctio sive Spiritus gratiæ à Christo datus suis vocibus & per attentionem à se effectam non doceat illos, qui in Christum crediderunt, dum in veritatis cognitione proficiunt. 1 Joh. 2: 27. *Et vos* quod attinet,

Unctio,

Vnctio, quam accepistis ab ipso, in vobis manet, & non habetis opus, ut quis vos doceat, nisi (ἀλλὰ pro εἰμὴ, ut Matth. 20: 23. ex ambiguitate Hebræi אם. quod valet *sed* & *nisi*) *ut ipsa Vnctio vos docet de omnibus & verum est, & non est mendacium. Et, quemadmodum docuit vos, manebitis*, sive manete *in eo*. Nullus est necessarius doctor, cujus datum sit nomen, propter quod nominatum & allegatum credibile sit, quod is dictat: ut sola credendi causa sit, quia ipse dicit; & sine illius traditione, jussione, pronunciatione nihil possit credi. Neque enim in Novo Testamento docet unus homo alium (tanquam privilegium habens docendi, & non vicissim audiens, aut etiam non revelatum aut indemonstrabile tradens, aut clavim cognitionis solus sive cum paucis possidens) Jer. 31: 33. sed omnes filii Ecclesiæ sunt discipuli Dei, Es. 54: 13. &, quod discitur in Ecclesia, ἀποκαλύπτεται *revelatur* à Deo, Phil. 3: 15. docetur ab Unctione, 1 Joh. 2: 27. atque adeò *spirituales* omnia ἀνακρίνει dijudicant sive *examinant, & à nemine judicantur*, nisi à Deo. 1 Cor. 2: 15. *privati Spiritus nulla.*

85. Quapropter interpres Ecclesiæ necessarius, carens dono linguarum, Prophetiæ & ἑρμηνείας *interpretationis*, ἀναποδείκτως pronuncians quicquam, imò etiam ex falsis præmissis concludens, tanquam mentem Spiritus Sancti & dictorum ejus; præmissa præfatione, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*; est ψευδοπροφήτης *falsus Propheta* & ἄνομος, h.e. פרץ & משפח deficiens à Deo ac verbo ejus, & ab eo deficere faciens. Nihil enim aliud significat ἄνομος, quàm eum, qui τῷ νόμῳ τῆς δικαιοσύνης *legi justitiæ*, & verbo eam docenti, non subjicit se; & aliis dictat legem, cujus receptio est recessio & abjectio jugi Christi.

86. Isque est eò magis execrabilis, quia nullum ullo tempore datur exemplum talis interpretis, quo Deus voluerit Ecclesiam indigere. *In Novo Testamento eò magis non est necessaria authentica interpretatio, quia nec in Veteri Testamento fuit.*

87. Nam, quantumvis in Veteri Testamento Catechesis & *clavis cognitionis* tradita potissimùm fuerit senioribus, dum de rebus futuris vaticinia adhuc viderentur pro magna parte esse ænigmata, atq; etiam præceptum extiterit, in quæstionibus dubiis adeundum esse judicem & sacerdotem ac Senatum constitutum in loco, quem Deus eligeret; & promissio, futuros esse מוכיחים *præceptores & statutorum Dei exactores* in eo loco, saltem apud tribum Judæ, usque dum veniret Siloh, h.e. Christus; Deut. 17: 8. 9. Gen. 49: 10. nihilominùs nulla fuit concessa Synedrio αὐθεντία & infallibilitas; sed

ipsi fuit imperatum *indicare verbum & monstrare legem*: quod non est legem condere. Deuter. 17: 9. 10. 11. Mal. 2: 5—8.

88. Quapropter Judæi, utut ipsis concedatur, populum debuisse observare præcepta à sapientibus imposita, Matth. 23: 2. 3. (qualia præcepta מִדִּבְרֵי סוֹפְרִים vel מִדִּבְרֵיהֶם *à Magistris, ex verbis Scribarum*, illi volunt esse סְיָג לַתּוֹרָה *sepem legis*: quæ unam partem legis oralis constituunt) propter ἐξουσίαν ac patriam *potestatem*, quam habebant in populum ad eum coërcendum & retinendum sub pædagogia (dummodo propter traditiones & jussiones ipsorum non transgrederentur legem Dei, Matth. 15: 3. Actor. 5: 29.) tamen in eo errant, 1. quòd putant, à Synedrio non potuisse exire errorem, & 2. ipsorum בֵּירוּשׁ *interpretationem* (ita vocant alteram partem legis oralis) volunt recipi propter eorum auctoritatem; quum tamen constet, eos & potuisse in παιδείαν modum excedere ac jugum nimis truculenter gravare; &, neglecta demonstratione ex verbo, clavim cognitionis abscondere, & in legem impingere: & 3. quòd eam extendunt ultra demonstrationem ex Scriptura, contra evidentia dicta Dei, ut Exod. 34: 27. *Scribe tibi verba hæc: quia juxta hæc verba facio fœdus tecum & cum Israële.* & Deut. 30: 10.

89. Ipse Christus in diebus carnis suæ doctrinam suam subjicit examini juxta Mosen & Prophetas: & omne testimonium ipsius tale est, ut à choro Prophetarum comprobetur.

90. Orandus igitur est nobis Deus cum Davide: *Retege oculos nostros, ut videamus mirabilia ex lege tua.* & retinenda, quæ Salomon inculcat Prov. 28: 4. 5. *Qui relinquunt legem, celebrant improbum: & observantes legem litigant cum iis. Viri mali non considerant vel intelligunt judicium; sed quærentes Dominum* יְבִינוּ νοῆσαν *animadvertunt & intelligunt omnia.* Nam *rectæ sunt viæ Domini, & justi ambulant in eis, sed defectores offendunt in eis.* Hos. 14: 10.

Caput VII.

De Fundamento.

Jam aliquoties mentionem fecimus *fundamenti*: ut quod interpretationis regula est: quod si planè exstat in Scripturis indicatum & explicatum, nec insufficiens nec obscura haberi potest: quodque ipsum ad Theologiam ex Scriptura discendam commovere potest. De eo igitur utile est nunc paulò pleniùs & distinctiùs agi.

2. Fun-

2. *Fundamentum* non uno modo dicitur in Scriptura. *Primò* enim notat eum, ad quem accedunt & cum quo conjunguntur, ut in ipso sint, & in ipso vivant, & ipso ad spem nitantur, qui constituunt templum sanctum Domino, & in perpetuum manent. *Fundamentum 1. notat Christum.*

3. Ita dicit Petrus 1 Epist. cap. 2: 4. *Ad quem*, Dominum, *accedentes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, apud Deum autem electum, honoratum; etiam vos, ut lapides vivi, ædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spiritualia sacrificia.* significat, nos simul accedere ad Christum & cum ipso conjungi tum ut in ipso simus lapides vivi, tum ut constituamus partem domus spiritualis, in qua habitat Deus: simul accedere ad eam domum, ut in ea offeramus spirituales hostias, velut Sacerdotes sanctos Deo.

4. Atque ita Ecclesia dicitur *fundatum fundatissimum*, sive structura firmissimè fundata, (imò *justus*, nisi is verè justus servus Dei, *fundamentum seculi*, Prov. 10: 25.) propter *lapidem*, qui *in Sione* dicitur *esse fundatus*; & appellatur ejusdem structuræ *angulus*, & quidem *preciositatu ejus*. Es. 28: 16.

5. Neque aliter Apostolus Ephes. 2: 20. *Inædificati in fundamento Apostolorum & Prophetarum; dum est angularis lapis ipse Iesus Christus.*

6. *Fundamentum Apostolorum* dicit, quod Apostoli, testes resurrectionis Christi, posuerunt prædicando Euangelium.

7. *Fundamentum Prophetarum*, quod ex prophetiis demonstratur per eos, qui habent donum prophetiæ: atque ita jam à vetustis Prophetis indicatum & positum est.

8. Apocal. 21: 19. *Fundamenta Civitatis* novæ Hierusalem duodecim dicuntur. Non, quòd plura sint fundamenta: sed quòd unum fundamentum habeat omnia *ornamenta*, quæ per duodecim gemmas significari possunt: quòdque duodecim Apostoli, ut duodecim tribuum Prophetæ, id posuerint.

9. Is est *lapis* propositus Sacerdotibus & omnibus gentibus ad intuendum. Zach. 3: 9. Qui propositus est ad intuendum, propositus est ad quærendum, ad amandum, ad confidendum. Nam, cui confidere non possumus, id nec amare aut desiderare aut quærere possumus, neque delectat nos. Itaque est fundamentum, quod sustentat.

10. Qui lapis non potest alius esse, quàm *Rupes salutis*. Deuter. 32: 15. Psalm. 95: 1.

11. Is nempe, quem Prophetia introducit dicentem: *Respicite ad me, & salvamini, omnes fines terræ.* Es. 45: 22.

12. Ita ut appareat, idem fundamentum ab Apostolis positum esse, in quo recumbamus & cui confidamus ad justitiam ac vitam, quod & Prophetæ antea posuerunt. Absque quo si esset, Prophetæ Novi Testamenti id ponere non possent. Quippe qui ex sermone prophetico demonstrant rem Novi Testamenti.

Fundamentum unicum.

13. Id fundamentum unicum est. Nam *quæ est rupes, præterquàm Deus noster?* Psalm. 18: 32.

14. Quanquam enim etiam in domo Dei sint *columnæ*, quæ non tantùm pro se firmiter stant, sed etiam alios confirmant & ἐπιστηρίζουσιν, & quidam propositi nobis sint ut patres, ut Abraham, David, Petrus, qui etiam promissionem acceperunt; unde & suo modo *radices* appellari potuerunt; & in ipsis benedicimur, ut exemplo: tamen hi non sunt *fundamentum*. Id enim merito & potentia ac verbo gratiæ ac potentiæ suæ omnia sustinet; & est summus testis; & est receptus ad confugiendum; & ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας (Hebr. 3: 1.) qui honor nulli creaturæ dari potest. Itaque ad Abrahamum, ad Petrum accedimus, ut ad exemplaria fidei, & benedictionis, ut iis coædificemur & eorum cohæredes fiamus, etiam filii illorum nuncupemur; non verò ut merito illorum vel nomine ac potestate nitamur.

Fundamentum 2. notat fundamentalem veritatem.

15. Secundò *fundamentum* notat veritatem fundamentalem sive axioma fundamentale.

16. Sine cujus agnitione & confessione nemo potest dici Deo & verbo ejus credere, aut verbum Dei intelligere, & in se manens habere, licèt multa alia, quæ in verbo Dei dicuntur, fateatur, agnoscat, dicat, meminerit.

Quod tenendum explicitè.

17. Ita ut ejus fides apprimè necessaria sit. Non, ut teneatur involutè & implicitè, (quemadmodum, quæ in verbo testantis, cui fidem habemus, continentur, credimus, antequam ea cognoscamus; quia parati sumus testanti credere) sed ut teneatur explicitè.

18. Nam ejus veritatis, quæ fundamentum est, ὁμολογία *confessio* est divinæ θεοδιαθηκίας sive stipulationis & fœderis acceptatio & approbatio. Atque adeò, si ea ignoretur aut rejiciatur, fœdus Dei, quatenus proponitur homini, fit irritum; quippe quod homini inutiliter & frustra, quoad ipsum, propositum sit, si eam veritatem non re[illegible]piat.

19. Ut-

19. Utpote cujus receptione Deus juſtificetur, ut juſtificans, & glorificetur, tanquam virtutibus abundans, & ametur, ut bonus & omni gratiarum actione dignus.

20. Unde liquet, ſi id ignoretur, Deum nec juſtificari, nec glorificari, nec omninò amabilem videri poſſe.

21. Eam verò veritatem, ut fundamentum ſit, neceſſe eſt, in ſe continere omnes veritates Theologicas: quemadmodum à fundamento ſuſtinetur totum ædificium. *Quod omnia continet.*

22. Ita ut, qui fundamentum tenet, verè dicatur *veritatem noſſe* & *omnia noſſe*, nempe in virtute fundamenti. 1 Joh. 2: 20. 21. Unde & *præceptum Dei* dicitur *latum valdè*. Pſalm. 119: 96.

23. Et, qui quid ex ſacris literis diſcit, & aliquid pro veritate approbat, id in fundamento, h.e. primaria illa & latiſſimè patente veritate, inædificet.

24. Hoc eſt, cum ea conjungat, & eadem fide atque æquè certa fide apprehendat, qua ipſum fundamentum tenet, ideò, quia *mendacium ex veritate non eſt*, ſed, quicquid ex veritate eſt ſive ex ea conſequitur, verum eſt & mendacium non eſt. 1 Joh. 2: 21.

25. Atque ita veritatem cognatam & connexam ad fundamentum adjungendo & ei inædificando proficiat ad ſapientiam & prudentiam ſalutarem.

26. Quippe propterea eſt myſterium fidei *ſapientia*, quia totum in una veritate continetur.

27. Nam, ſi eſſet ſibi diſſimile in partibus, & partes partibus non cohærerent, *ſapientia* non eſſet.

28. Quæ ſapientia relata ad ſingulos actus hominis præbet regulam, ſecundùm quam utile ab inutili & omninò melius à viliori diſtinguatur. Quæ eſt *prudentia*.

29. Quo animadverſo, apparet, quid ſit προφητεύειν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *prophetare ſecundùm proportionem* & conformitatem *fidei*. Rom. 12: 6.

30. Nempe ex verbo prophetico & omninò ex verbis Spiritus ſancti ea proferre, quæ cum creditis, nominatim cum fundamento, conveniunt & congruunt, ita ut nec vocibus aliis nec oratione alia id dictum oportuiſſe videri meritò poſſit: atque ita mentem Spiritus ſancti ex verbis ipſius per σύγκρισιν πνευματικῶν *comparationem ſpiritualium* ad conſcientiam demonſtrare & manifeſtare. 1 Cor. 2: 4. 6. 13. 16. 2 Cor. 4: 2.

31. Ejusdem fundamenti notitia præstat etiam hoc, ut de aliena & spuria doctrina ex eo possit judicari.

32. Unde & Paulus 1 Cor. 12: 3. ad unam veritatem, tanquam certam normam & regulam, revocat judicium de iis, qui in Spiritu Dei loquuntur, & non in Spiritu Dei loquuntur.

33. Quod etiam facit Johannes 1 epist. 2: 22. & 4: 2. 3. ostendens, ex unius veritatis sive axiomatis tenore & sententia dijudicandum esse Spiritum Dei à spiritu Antichristi.

34. Certè non significans, quotquot id axioma in ore habent, habere Spiritum Dei, quicquid etiam præterea dicant. Nam ita omnes, qui dicunt, *Domine, Domine*, essent Christi & ab ipso abnegari non possent. Matth. 7: 22.

35. Ergo significans, qui id axioma non tantùm in ore habent, sed etiam ex sententia illius cætera loquuntur, & nihil nisi ei congruum loquuntur, & factis suis non abnegant, quod dicunt, pro iis haberi tutò posse, qui in Spiritu sancto revelante, docente, agente loquuntur.

36. Eos autem, qui non loquuntur, quod ei congruum & cognatum, atque *ex eo* est (quippe quum, qui id tenet, teneat *omnia*.) & in eo ædificari possit, ut ab eo sustentetur & confirmetur; atque ita *aliam* (*alienam* quippe ab eo, quod didicimus) & *variam* minimeque congruam *doctrinam* & *aliud Euangelium* loquuntur: si etiam id loquantur, ut ponentes fundamentum; &, in antithesi veri sensus verborum fundamenti & ejus, quod ipsi loquuntur, verum sensum fundamenti potiùs rejiciant, quàm suum errorem, quem *temere loquuntur*: non esse recipiendos & consolatione dignandos, ceu fratres; sed potiùs redarguendos, terrendos, &, si non cedant veritati, cavendos, ne cum ipsis communionem peccati contrahamus. Rom. 16: 17. *Rogo vos, spectetis eos, qui dissensiones & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab ipsis.* Galat. 1: 6. *Quòd tam celeriter transferamini ab eo, qui vos vocavit in gratia, Christo ad aliud Euangelium.* Hebr. 13: 9. *Doctrinis ξέναις alienis, & ποικίλαις variis nolite circumferri.* 2. Joh. 10: 11. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, ne accipite eum domum, & Ave ne dicite ei. Nam, qui Ave ipsi dicit, communicat cum operibus ipsius malis.*

37. Nam, qui Domini amicus non est, nobis debet esse ἀνάθεμα; quemadmodum Domino est ἀνάθεμα: & quia ipse Dominum dicit ἀνάθεμα. 1 Cor. 16: 22. 12: 3. Dum enim ἀνάθεμα dicit veri-

veritati & ei, qui falsum non recipit, *Dominum* dicit ἀλήθεια.

38. Quæ ita patebunt, si & cognoscamus, quodnam illud fundamentum sit. Non potest autem, ut clarum est, aliud axioma *fundamentalis veritas* appellari, nisi id, quo ostenditur is, ad quem accedentes vitæ & justitiæ participes sumus. De quo fundamento antea locuti sumus. *Fundamentale axioma quod?*

39. Quumque Deus unus sit, & justitia proinde una sit, & finis unus sit; fieri non potest, ut fundamentum diversis hominibus aut diversis temporibus possit esse diversum.

40. Ideoque & in Veteri & in Novo Testamento unum fundamentum est. Nisi quòd eum, qui est fundamentum fiduciæ, oportet in alia conditione esse, ut Novo Testamento introducendo causa & fundamentum sit: atque adeò verbum fundamentale Novi Testamenti sive Euangelii eam conditionem oporteat amplecti. Quæ est πλείωσις ἢ σωτηρίας ἀρχηγῦ, *principis salutis consummatio.* Hebr. 2: 10. *Quomodo varietur in Novo Testamento?*

41. Quare & ab initio & in Veteri Testamento sic nominatus est verbo fundamentali Rupes salutis, ut tunc nominari potuit; ratione tum temporis futuri, tum temporis præsentis. In Novo autem Testamento nominatur, ut est consummatus.

42. Ut cum *consummatione* ipsius *consummationem* τῶν ἁγιαζομένων, *illorum, qui sanctificantur*, connexam intelligamus, pariter affirmandam; sic, ut, alterâ sublatâ, tollatur & altera.

43. Quamvis autem variis verbis in Scripturis Veteris & Novi Test. Axioma fundamentale proponatur, tamen id in se unum est.

44. Abrahamo dixit Jehovah: *Ero tibi in Deum. In semine tuo benedicentur gentes.* Israëli dixit in Ægypto & postea: *Ego sum Deus vester.* Ezech. 20. Mosi dixit: *Ero, qui sum.* Exod. 6.

45. Eidem indicavit nomen suum & vias suas & omnem bonitatem suam. Exod. 33. & 34. Psalm. 103.

46. In monte Se *sanctificatorem Israëlis*, Exod. 31: 13. alibi se *Assertorem Israëlis*, & rursus *Angelum Goël assertorem* nominando complexus est omnia.

47. Ita hoc verbum, *Iehovah justitia nostra*, Jerem. 23: 6. 33: 16. omnis veritatis summa est. Cum quo consentit, quod est Es. 45: 24. *De me dixit, Tantùm in Iehovah est justitia omnis & robur: in Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Omitto alia ejusdem valoris.

48. In

48. In Novi Testamenti aditu prædicavit & Baptista & Christus regnum cœlorum imminens.

49. Paulus negat, se quicquam decrevisse scire inter Corinthios, *præter Iesum Christum, eumque crucifixum.* 1 Cor. 2: 2. addens, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod situm est; qui est Iesus Christus.* 1 Cor. 3: 11.

50. Idem Euangelium compendio vocat *sermonem crucis.* 1 Corinth. cap. 1: 18.

51. Et 1 Cor. 12: 3. *Nemo in spiritu Dei loquens dicit ἀνάθεμα Iesum: & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.*

52. S. Johannes 1 cap. 2: 22. *Quis est mendax, nisi qui negat, quòd Iesus sit Christus?* Et cap. 4: 2. 3. *In hoc agnoscitis Spiritum Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum, qui in carne venit, ex Deo non est.* Sic epist. 2. vers. 7.

53. Alibi Apostolus τῇ χρηστότητι *gratia & bonitate* omnia comprehendit. Rom. 11: 22.

54. Alibi dicit, *In mysterio Dei & Patris & Christi omnes thesauros sapientiæ & prudentiæ esse absconditos.* Col. 2: 2. 3.

55. Et, quum *Christum nobis* dicit *factum à Deo sapientiam, & justitiam, & sanctificationem & redemtionem*, satis innuit, hunc apicem *doctrinæ secundùm pietatem* esse. 1 Cor. 1: 30. Hujusmodi alia capitalia axiomata, inter se ἰσοδυνάμα, passim observari possunt.

56. Qui autem hoc axioma fundamentale vera fide tenet, is est reverà יסוד *fundamentum* (Prov. 10: 25.) στύλος, *columna*, Apocal. cap. 3: 12. στερέωμα τῆς ἀληθείας, *firmamentum à veritate sustentatum* tanquam basi & in ea inædificatum, 1 Tim. 3: 15. *murus*, Cant. cap. 8: 10.

57. Fundamentum autem & in eo amabilitatem Dei cum gloria ipsius conjunctam gustasse oportet eum, qui accedit ad Deum, eumque quærit, & tum in natura atque conscientia tum in revelatione Dei Deum & ejus virtutes vestigat. Atque ideò etiam rectè Catechesis in prima Quæstione summam consolationis, quæ in vita & in morte animam fulciat, proponit, Quòd simus Jesu Christi fidelissimi Domini nostri.

LOCUS

LOCUS SECUNDUS DE DEI ΥΠΑΡΞΕΙ SIVE EXISTENTIA.

Caput VIII.

De argumentis naturâ cognitis, quibus demonstratur, Esse Deum.

Ut doctrina de fœdere & Testamento Dei (ex quo spes est vitæ æternæ, & amor ejus, qui eam spem facit & dat; in quo totius Theologiæ apex, consummatio & finis est) tradi possit, necesse est, animum auditoris firmari in ea cogitatione, quòd Deus sit. Quod nisi quis certò statuat, non potest quærere Deum, ad eum accedere & ad testimonium ejus attendere. *Ante omnia necesse est credere, Deum esse.*

2. Moses, explicaturus Dei fœdus cum homine & cum Israële (quod ex Testamento est) volumen suum inde orditur, *In initio creavit Deus cœlum & terram:* significans, eum, qui dixit Abrahamo, *Fiam tibi in Deum, & semini tuo post te*, fuisse absque initio; cæteras autem res omnes tempus & initium habere; & quidem ab ipso. Qui quanquam hanc fundamentalem veritatem, ut homini φανερὸν καὶ φανερωθὲν *manifestam* & *manifestatam*, Rom. 1: 19. supponere posset: tamen &, ut à Deo se revelante auctoratus & nominatus testis fidelis in tota domo ejus, testimonii auctoritate huic veritati fidem facit.

3. Exoritur hîc cogitatio, utrum melius sit, ad *Dei* & *divinitatis* ipsius demonstrationem, sepositâ ad tempus revelatione, procedere ex iis, quæ citra eam in mundo cognosci possunt: an verò ab ipsa revelatione ejusque divinitatis certitudine meditationem ordiri. Nam, si revelatio divina extat, eamque divinam revelationem esse certò constare potest, certum est, hac inventa, jam Dei existentiam inventam esse; & breviùs certiusque ex ea, qua- *Sine revelatione non quæritur cognitio Dei.*

lis sit Deus, sive τὸν θεότητα αὐτοῦ *divinitatem ejus* addiscit.

4. Nobis, qui revelationem habemus & agnovimus, constat ex ea, & ipsa experientia & ingenii atque affectus humani cum divina sapientia comparatione, hominem talem esse, ut, nisi dum credit Deo se revelanti, non attendat ad ea, ex quibus *Dei aterna potentia & divinitas* νοούμενα καθορᾶται *mente perpensa conspicitur.* Rom. 1: 20. Id dicit Apostolus Hebr. 11: 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ. *fide expendimus & animadvertimus, secula aptata esse verbo Dei.*

5. Idque innuit, quum eodem in loco, ubi docet, *cerni quodammodo Dei invisibilia* ex *factis* & τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *id, quod de Deo cognosci potest & debet*, esse *manifestum*, & *homines cognovisse Deum*, tamen etiam monet, hominem habere ἀσύνετον καρδίαν *cor minimè factum ad prudentiam & considerationem*; quod nihil nisi λογισμοὺς ματαίους *ratiocinationes*, quibus id magis *obscuretur*, proferat. Rom. 1: 21.

6. Idemque testatur 1 Cor. 2: 14. docens, *Ea, que spiritus Dei sunt, spiritualiter examinari*, h. e. non sine spiritu Dei perpendi & considerari.

7. Unde & Psalmus decimus quartus dicit, *stultum* (h. e. spiritu Dei & illuminatione ejus carentem, atque in peccatis mortuum hominem, sive irregenitum) *dicere in corde suo, Non est Deus.* Ut enim fides primò recipit, *Esse Deum*, Hebr. 11: 6. ita infidelis id non recipit: sive fugiens, negligens & expectorans cogitationem de Deo, quasi is non esset; sive conans ejus notitiam expellere ratiocinationibus; sive alium sibi Deum fingens, & non illam *divinitatem* videns ac θεοπρέπειαν sive *decentiam divinam*, secundùm quam glorioso homini in *Deum* fieri potest. Psalmus autem illam ἀθεότητα & *impietatem* ponit vel maximè ἐν τῷ μὴ συνιέναι καὶ ἐκζητεῖν τὸν Κύριον, in eo, quòd *non attendant, neque curent Deum*: cui respondet, quod Apostolus dicit, μὴ δοκιμάζειν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *non tanti facere, ut Deum habeas in agnitione.* Rom. 1: 28.

8. Quare inutile videtur, omissa revelatione, sola naturæ luce ad cognitionem Dei velle quempiam ducere. Et verò certum est, omne, quod adhibetur à Philosophis, qui verum Deum non cognoscunt, studium ad cognoscendum Deum, esse vel animi irrequieti, quique non finitur non cogitare de Deo, æstuationem, conantis Deo imponere, & nescio quem laborem suum ipsi imputare; vel etiam sperantis Deum invenire non dissimilem sibi; atque adeò

adeò curiositatem potiùs, quam studium cognoscendæ solidæ & necessariæ ad salutem veritatis: vel studium intricandi & obscurandi illa, quæ rectè & cum lubenti obsequio attendenti manifesta sunt: vel etiam occupationem ingenii in superfluo horum aut illorum examine argumentorum (quasi obscurum esset, Deum esse, & laboriosum atque difficile eam veritatem invenire) ut interim non vacet divinæ revelationi & cognoscendis rebus, quæ ad salutem & laudem Dei maximam pertinent.

9. Quid? si in quibusdam sit superbia & fastus, se efferentium ingenii acie supra alios, & se hominibus commendantium, ut apud eos magni & irrefragabiles habeantur? Neque enim profectò sufficit, ut pius sis, te scire, Deum esse (quod & dæmones norunt, Jacob. 2: 19.) & non cohorrescere, quum nomen ipsius nuncupas, imò etiam Testamentum ipsius assumis in os; si interim sic cogites, loquaris, facias, atque si Deus esset similis tui: Psalm. 50: 21. imò si non id, quo maximè hominis dissimilis est, æstimes humiliter, & id, in quo ipsius habetur communio, cum ardenti fame ac siti justitiæ ad gloriam ipsius amplectaris. Quod est Deum, ut Deum, glorificare, & ei gratias agere. Rom. 1: 21.

10. Hæc tametsi ita sint, Deusque adeò nec verè nec salutariter cognoscatur à quoquam non fideli; in quo, ut Calvinus rectè dicit, non est oculus per fidem interiori revelatione illuminatus, ad perspiciendum ea, quæ sunt Dei: tamen, quia Scriptura testatur, etiam gentes, quæ verbum Dei (scriptum certè) non acceperunt, *Deum* suo modo *cognovisse*, & *manifestum esse in ipsis*, *quod de Deo cognosci potest & debet*, *Deumque se illis non reliquisse intestatum*, & illos, qui Deum non curant, & dicunt, non est Deus, tamen *cognovisse*, nempe non tantùm illos, qui *populum Dei comedunt*, sed omnes illos, qui *panem edunt*, & *Deum non invocant*, Psalm. 14: 4. bonum factum est, ut & illam communem qualemcunque cognitionem non prætereamus. *Est nihilominus quadam cognitio Dei sine revelatione.*

11. Quæ certè prodest ad pudorem ordinemque retinendum in rebus publicis: & præsupponitur vigens & sincera in eo, qui judicat, verbum Dei, quod est in mundo, divinum esse & πιστεπὲς *Deo dignum*: illos autem, qui Deum non glorificant, qui se sapientes autumant & stultè agunt, qui eum non curant, qui populum ejus comedunt, qui veritatem in injustitia detinent atque inhibent, constituit *inexcusabiles*, Rom. 1: 20. i. e. reos peragit com-

pertoſque oſtendit malitiæ, imò impotentiæ ad ſubjiciendum ſe Deo.

Ratio, quare de argumentis divinæ exiſtentiæ naturâ cognitis agamus poſt doctrinam de verbo Dei & fundamento.

12. Tamen de eis argumentis & de ea cognitione, quæ naturaliter haberi poteſt, demum hoc loco, poſtquam egimus de Scriptura & de fundamento, quod in ea continetur, agere voluimus paulò diligentius. 1. quia non neceſſarium eſt, Deum demonſtrari homini, quem ignorare non poteſt. quem etiam eſſe præſupponendum eſt ei, qui vel nominat Theologiam. 2. quia inutile eſt diligentiùs Deum demonſtrare ei, qui non amabilitatem Dei in fundamento deguſtaverit, atque ea ipſa fuerit commotus ad quærendum Deum. Nam, qui eam non guſtaverit, ei amara & acerba accidet ea demonſtratio, & cum illius tergiverſationibus erit nimiopere luctandum. Qui autem bonitatem Dei deguſtaverit, is conſiderabit, ut libentiùs, ita diligentiùs & ſinceriùs, quæ in natura reperiuntur, argumenta deitatis.

Qualis cognitio Dei in gentibus.

13. Clarum autem eſt, Scripturam, quum cognitionem Dei omnibus, etiam impiis & gentibus à Deo deſertis, attribuit, plus illis tribuere, quàm facultatem cognoſcendi, ſi argumenta adſint vel demonſtrentur: quemadmodum in homine non ſtupido eſt facultas diſcendi Mathematicæ diſciplinæ ſaltem aliquantulum; ſi docentem quærere, & ipſe attendere velit. plus item de illis dicere, quàm hoc, eſſe argumenta in mundo, quæ docentibus utilia eſſe poſſint, ad eos docendum; vel quæ ipſis poſſint perſuadere, ſi debitè illa conſiderent: ſive laborioſum ſit ea argumenta invenire, ſive facile.

14. Neque id contendimus dicere Scripturam, eos nunquam non cogitare de Deo. Negat enim, eos *attendere* aut *quærere* ſive *curare Deum*; & de gentibus alicubi dicit, *oblitas eſſe Dei*. Pſ. 9: 19. ſive id de prophanis in mundo gentibus, ſive de illis hominibus & populis, qui à cognita veritate deficiunt, & non recordantur ejus, cujus nomen profitentur & verbum in ore ferunt, intelligamus.

15. Enimverò ſic de illis Scriptura loquitur, ut oſtendat, tam propinquam eſſe Dei cognitionem in homine per ea, quibus Deus ſe cognoſcendum præbuit, ut non poſſit non ſæpe de Deo cogitare; & teſtem intra ſe tam locupletem & indicem tam inſtantem, ut non niſi cum labore & vi ſibi facta eam cogitationem de Deo excludere poſſit, quæ Dei gloriæ conveniens eſt; &, quanquam occupationibus & vanitatibus ſe diſtineat, & media cognoſcendi Deum negligat,

gat, non possit tamen effugere, quin identidem excitetur odiosa illa cogitatio, sæpe etiam indignè suscipiatur, quum Deum vult servire suis cupiditatibus & maximè iracundiæ.

16. Quia verò plurimi se vanis occupationibus & negociis temporalibus non possunt exsurdare, fit, ut etiam cogitationes Deo indignas de ipso fingant & ratiocinationibus confirmare satagant; imò etiam Dei notitiam in se extinguere laborent.

17. Qui nihilominùs testem conscientiam habent, se, dum hoc conantur, Deo dicere, *recede à nobis, & viarum tuarum cognitione non delectamur.* Job. 21; 9. idque eos facere, omnibus prudentibus manifestum est. Instar enim habent hi illorum, qui irati luci quacunque de causa se in tenebras condunt, vel oculos claudunt, vel seipsos ex hoc mundo, ubi est, quod videre nolunt, expellere quærentes impediuntur, ne id facere possint. Cujus generis est id, quod dicitur Apoc. 9: 6. *In iis diebus quærent homines mortem, & cupient mori, & fugiet mors ab ipsis.* Quærere obfirmationem in erroribus, optare ignorantiam earum rerum, quæ palam sunt, & ex verbo Dei demonstrantur, & cum demonstratione prædicantur; est mortem fugientem optare & quærere. Siquidem enim ignorantia & torpor conscientiæ *mors* quædam est, eam optare & affectare est mortem quærere: & accusationem verbi Dei ac conscientiæ effugere non posse, est mortem non invenire, neque ea potiri. Quanquam illi, qui mortem quærunt, non desinant mortui esse, quippe *animales, Spiritum Dei non habentes*, & divinam veritatem ipsos non latentem propter suas concupiscentias blasphemantes & exosam habentes. Quæ violentissima mors est, in hoc genere. Neque ea potest in quoquam esse, quin ipsum Deum esse ex animo maximoque affectu nolit. Igitur, illa morte regnante, non mirum est, multos reperiri professione atheos.

Atheorum conatus manifestat Deum.

18. In quibus hoc ipsum, quod audent ratiocinari contra Dei vitam, & ejus abnegationem suadere, est argumentum, non latere eos Dei sanctitatem & veritatem. Nam, si nullus est Deus, quare saltem non patiuntur alios opinari, Deum esse? quum non sit ullus tam injustus & improbus, ut non cupiat alium esse propter timorem Dei ab omni injuria remotissimum? nempe ut ei insidiari possit, & minùs metuendum habeat.

19. Rectè omninò advertit Plato in Protagora, ὃν ἄλλως δρᾶπῆς, si quis dicat, se artes nosse, quas non norit, vel rideri, vel pro insano haberi:

haberi: at, si quis dicat, se injustum esse & impium (etiamsi talis sit) videri insanum. quum tamen aliâs videatur homo mentis compos veritatem dicere. adeò videri homini, necesse esse vel videri probum & pium, sive sit sive non sit, aut μὴ εἶναι ἐν ἀνθρώποις *in hominibus non numerari.*

20. Quem verò Deum ultorem metuit atheus, si dicat cum aliis, Deum se credere; siquidem nullum esse novit?

21. Atqui mentes à religione, maximo jugo, liberare gestit: ut Lucretius, qui quasi de religione triumphat: *Quare religio pedibus subjecta vicissim obteritur; nos exæquat victoria cœlo.* Et, *Primùm quòd magnis doceo de rebus, & arctis Religionum animos nodis exsolvere pergo.* Ea scilicet charitas est.

22. Quod est incentivum hujus charitatis? nempe ut spectet homines, soluta religione, fide, societate, se mutuò devorantes? Saltem religio, imò superstitio, honestatem aliquam morum & ordinem in mundo servat. Saltem spem facit, utut vanam: sine qua dulcis non est hæc vita. quam adimere mortalibus est desperatione, malo gravissimo, eos implere. Quid verò est pudorem tollere, & laudis cupidinem; nisi vitam hominum bestiarum vitâ inferiorem efficere?

23. Quum igitur tanta bona in hominibus ex opinione numinis existant, quibus ipsi athei carere nolint; clarum est, eos insania quadam & odio numinis & conscientiæ inclamatione adigi ad impietatem suam profitendam & suadendam, ut, qui non possunt quiescere in suis ratiocinationibus, si assensum reperiant, paulò securiùs suo mendacio credant & existimatione ingenii exultent.

24. De quibus rectè Maximus Tyrius serm. 1. οἴδασιν γὰρ ἑκόντες καὶ λέγουσιν ἄκοντες: *sciunt inviti; nolentes dicunt.* Nam &, dum suadent abnegationem, dicunt; &, dum dicunt, ut cogitetur & sentiatur & videatur, efficiunt, quem esse nolunt. Dicunt autem, quia miseria ipsorum ipsos securos & taciturnos esse non patitur.

Recte ne possit homo dubitare, an sit Deus? & quæ dubitatio circa Deum recta?

25. Qui porrò animum inducere potest, ut credat, se esse alicujus creaturam numinis, & propter illud esse factum: is dubitare non potest, nunquam licere homini dubitare, an sit numen: h. e. nunquam licere argumenta procudere, quibus sibi persuadeat, id non esse; nunquam justum esse, dicere, Fortè non est Deus. quemadmodum in omni re divina impium est γογγύζειν καὶ διαλογίζεσθαι, *murmurare & ratiocinari.* atque adeò peccatum esse gravissimum,

&

& testimonium degenerationis à principio suo bono ad statum inordinatum & desperatum, stultitiæ & malitiæ plenum, *non habere Deum in agnitione*, deque eo non semper cogitare, & quidem, quæ vera, sancta & illi decora sunt. Abit enim à fine, quod est non ad finem. Et quod à fine abit, à se & natura ac bono suo recedit.

26. Attamen eum, qui audit de Deo, non oscitanter id, quod audit, prætermittere in aures effusum, sed de eo diligentissimè cogitare æquum est: & imprimis quidem, quò diligentiùs cogitet, non debet sibi attribuere sufficientem cognitionem rei tam nobilis, ne fortè non satis amet aut quærat; aut etiam adoret, quod nescit: sed, quamdiu aliquid de Deo cognoscendum restat, an satis perfectè ejus ὕπαρξιν & δύναμιν & ὑπόστασιν, *existentiam* (sive mavis cum Macrobio dicere *extantiam*) *potentiam, divinitatem*, imò voluntatem, gratiam, gloriam cognoverit, imò an satis firmiter ei assensus sit, h.e. ita, ut oportet, eum amet, etiam atque etiam dubitare.

27. Quæ non de Deo dubitatio, sed de nobis est. Qua qui uti non vult, is nescio quo pacto possit non videri sibi confidere. Imprimis, quum Deus & in natura se ostenderit conspiciendum, sed τοῖς νοῦσιν, *animadvertentibus*: & in Scriptura argumenta, quibus vult deprehendi, suggesserit. Illa igitur negligere, & de iis nolle cogitare, est negare, Deum se manifestasse.

28. Dicere autem, simpliciter credendum esse, quòd sit Deus, & non permittere, ea argumenta, quibus Deus cognoscitur, confiderare; alterutrum est, vel se Deum facere, vel Deum non esse docere. Deum enim se facit, qui sibi vult credi sine demonstratione: Deum non esse docet, qui non vult argumenta existentiæ ipsius considerari.

29. Neque mirum nobis accidere debet, Deum non videri; quum invisibilis sit: aut non semper novo modo se demonstrare, ac cum hominibus loqui; quum & semper nobis loquatur sine voce & sermonibus, & voce ac sermone hominibus ita innotuerit, ut id ignorari, certè celari, certè negari non possit. & ad gloriam ipsius & verum cultum pertineat, ita agere & loqui, ut fides suum habeat exercitium. *Gloria Dei est*, inquit Sapiens Proverb. 25: 1. *occultare sermonem*, vel rem, h.e. sermonem & veritatem suam ac operum suorum non ita publicare, ut sine labore & attentione reperiantur. *Quare si Deus non evidentissimè manifestet sapius?*

30. Nam

30. Nam, si dignum est aurum, quod ex visceribus terræ cum periculo vitæ eruatur, & ad quod multiplicandum homines per totam vitam laborent, non dignus est Deus, ut enixissimo studio, animadversione & sagacitate quæratur? *Si ad prudentiam exclames, ad intelligentiam extollas vocem tuam; si eam quæras, ut argentum, & ut thesauros investiges; tunc intelliges timorem Iehovæ, & cognitionem Iehovæ invenies.* Prov. 2: 3. 4. 5.

31. Et, quum homo non tantùm sensibus externis instructus sit, sed etiam mente, qua illa, quæ sentit, qualia sint, & ad quid sint, dignoscere possit, non injuriâ Deus ita plerumque cum homine agit, ut mentis aciem ab eo requirat, ad sui inventionem. Neque pessimè Maximus ille, quem dixi, Tyrius ita sensilia à νοητοῖς *intelligibilibus* distinxit, ut illa quidem γνωριμώτερα τῷ πρὸς ὁμιλίαν, *notiora, quoad commercium*; hæc autem γνωριμώτερα φύσει *natura notiora* dixerit.

32. Et fortasse hoc ita verum est, Deum, rerum intelligibilium primum, *notiorem* esse *natura*, ut, nisi homo imagine Dei se spoliasset, ne *commercio* quidem quicquam homini Deo propinquius futurum fuerit, quàm Deus: quum ei, qui est imago Dei, & qui hoc ipso differt ab aliis rebus, quas sensus attingit, nihil potuerit esse magis proprium & suum, quàm is, cujus est imago. Nam quid est homini naturalius, quàm cogitare de se ipso, deque mente sua & rectæ mentis archetypo & luce?

Esse Deum, probatur 1. quòd is, qui dubitat, an Deus vel omninò aliquid sit, revera est, & à seipso esse non potest.

33. Sed agamus eo ordine, quem & Scriptura demonstrat, quique est torpentibus ad spiritualia accommodatior. Esse corpora, dubitari non potest. Certè nemo ambigit, Videri aliquid esse. Et Sextus Empiricus pyrrh. hypoth. l. 1. 11. de φαντασίᾳ dicit ἐν πείσει καὶ ἀβεβλήτῳ πάθει κριθὴν ἀζήτητός ἐστι. *Quum in* receptione *& non voluntaria passione sita sit phantasia, extra dubitationem est.* Idem ipsi est τὸ φαινόμενον, *quod apparet.* Quin & καταναγκαζόμενα & *coacta* appellat ea, in quibus homo versatur cap. 12.

34. Parum refert, mea sententia, ingredi cum talibus eam disputationem, qua concludatur, Res, quæ apparent, esse. quod quidam ea methodo faciunt, ut priùs sumant, eum saltem, cui quicquam apparet, esse, neque à se esse, sed à perfectissimo esse: quem cum cognoscat etiam veracissimum; utique res, quæ apparent, etiam esse: ne scilicet deceptor fiat, qui verax est.

35. Sed

35. Sed etiam ad inveniendum Deum satis est, quòd concedi-
tur, cogi nos, ut aliquid nobis esse videatur. Et sanè tum in som-
niis multa nobis exhibentur, quæ non fiunt, hoc est, fieri videntur,
quæ non fiunt. In Ecstasesi Deus multa conspicienda præbuit san-
ctis, quæ fortasse re ipsa & corpore atque substantia non exstite-
runt; licèt certas res olim futuras significarent: ut cùm S. Johan-
nes vidit candelabra, hominem inter illa ambulantem, agnum in
medio throni, Draconem, Mulierem parientem, puerum raptum
ad dextram Dei, & similia. Ergo non omnia, quæ quomodocum-
que φαίνονται & *apparent*, etiam re ipsa sunt.

2. *quia aliquid nobis videtur esse; quod, sive sit sive non sit, quod videtur esse, arguit, esse, qui efficias nobis videri aliquid esse.*

36. Tamen & illa, quæ apparent, & non sunt, illis apparent,
qui judicare possunt, ea apparere, & non esse. Norunt enim illa
comparare cum illis, quæ & ipsi semper vident & percipiunt, quæ-
que omnes alii similiter percipiunt, & in quibus apparentibus ra-
tio, ordo, ac connexio conspicua est. Quæ si non nota essent, nec
confusa illa somniantium spectra existerent; nec ὄνειροι divinæ in-
solitum ordinem habentes dijudicari possent.

37. Nam, ut exemplo utar, cui candelabri usus & ratio agni,
puerperii &c. natura perspecta non est, is per ista emblemata in
visione non erudietur. Igitur, quæ dixi, ita apparere, ut non sint,
facilè apparet, non omninò *apparere* & φαίνεσθαι εἶναι *esse videri*;
quum de se ipsis testentur ei, cui apparent, se rem non esse. insom-
nia quidem, quia confusa sunt & rationem nullam habent, & vix
memoriam sui relinquunt: visiones autem, quia aliud quid docent:
utraque, quia à diurnis vigilantium, & sobriorum, quique suæ
spontis sunt, & perpetuis omnium visis discordant.

38. Attamen esto, dubitemus, an illa sint aliquid, quæ tanquam
mundus, cœlum, terra, Sol, Luna, sidera, dies, nox, æstas, hiems,
arbores, plantæ, animalia, homines, mare, pisces, volucres, nu-
bes, lux, pluvia, fulgur, tonitrua, imbres, ros, nix, & infinita alia
apparent & esse videntur: quò minus rei atque substantiæ istis om-
nibus φαινομένοις sive *visis* attribuemus, eò priùs incurremus in
eum, qui illa ita esse videri facit.

39. Nisi velimus dicere, ea, quæ non sunt, sed videntur esse,
sibi ipsis, aut eos, quibus, sæpe quasi aliud agentibus, sæpe etiam
quasi invitis, apparent, causam esse, quare ipsis esse videantur.

40. Atque id, nisi exsecare animum lubet, non jam videtur,
sed planè constat, & scire cogimur, impossibile esse, ut id, quod

non fuit, à se ipso esse incipiat, &, quod non est, per seipsum esse videatur. Nam idem simul esse & non esse neutiquam potest. Atqui id, quod non est, sed esse videtur, si dicitur sibi causa esse, cur esse videatur, quum non sit, & quicquam, quod non fuit, à se & vi atque operatione, sponte aut voluntate sua esse incepisse: idem simul esse & non esse dicitur.

3. Quia relatio est inter speciem & sensum ac mentem: denique omnia sunt propter aliquid.

41. Taceo jam, quòd, propter eandem rationem, ipsæ imagines rerum (quas constat hominem non fabricasse) quamvis conturbatæ, in eo existere non possint, nisi à rebus sint homini ingestæ: quodque id ipsum φαίνεσθαι apparere, φαντασίαν accipere, &, ut clariùs loquar, sensile & sensus, intelligibile & intellectus illam inter se relationem habeant, ut, quum unum sit propter alterum, & neutrum alterius causa sit, manifestum argumentum sit, esse aliquum, qui illa sibi invicem aptaverit, & unum paraverit alteri, sive, qui omnia, quæ videntur, sensibusque & mente percipiuntur, ad cognitionem hominis sensu & mente utentis fecerit.

42. Ita Sol propter oculum est: Oculus Solis radiis accipiendis factus est: neque tamen Sol oculum, aut oculus Solem fecit: sed est optimus potentissimusque δημιουργὸς atque artifex, qui Solem oculi oblectamentum, oculum, mentis fenestram vel potius εἰσαγγελέα, res tam præclaras nunciantem, eique ad artificis notionem concipiendam semen præbentem, & ad eam pariendam obstetricantem paravit.

43. Hoc argumento magnus ille Hippocrates arguit, non esse in rebus αὐτόματον, quem *casum* Latini appellant: quia nihil est aut fit, nisi propter aliquid & ad aliquid. Hoc enim sine ratione ac sapientia, & porrò voluntate, eaque una, omnia coordinante, & potenti, ut non frustra sit, fieri non potest. Verba ejus sunt in libro de Arte. τὸ αὐτόματον οὐδὲν φαίνεται ἐὸν ἐλεγχόμενον. πᾶν γὰρ τὸ γιγνόμενον ἀεί τι διείσκοισ' αὖ γιγνόμενον, καὶ ἐν τῷ ἀεί τι τὸ δι' αὐτόματον οὐ φαίνεται ὑπίλιον ἔχον ὑδεμίλιν, ἀλλ' ἢ ὄνομα μόνον. *Casus nihil esse deprehenditur, si recta ratione examinetur. Quidquid enim fit, comperitur fieri propter aliquid, & in eo, quod est propter quid: casus autem non comperitur ullam habere essentiam, sed solum nomen.*

44. Hoc se ignorare cupivisse, & non potuisse, ostendit Lucretius illis versibus lib. IV.

Illud in his rebus vitium vehementer & illum
Effugere errorem vitareque prameditator,

Lumi-

Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus &c.
Cætera de genere hoc inter quæcumque putantur,
Omnia perversa præposteraque sunt ratione.
Nil ideò quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus; sed, quod natum est, id procreat usum.

Nempe credendum est, id non factum & ortum esse usus causa, quod sine usu frustra est. Et quæ ratio?

Nec fuit ante videre oculorum lumina nata:
Nec dictus orare prius, quam lingua creata est.

Ergo lingua non exstitit propter sermonem, quia sermo non est ante linguam? Quid stultius?

45. Sanè ineffabilis est rerum omnium ordo, quæ sunt in mundo. neque in vanum in eo vestigando laborant venatores naturæ; qui si non ad illius comprehensionem, tamen ad admirationem magis magisque proficiunt: quin etiam in natura variarum & excellentium semina artium inveniunt.

46. Solet is ordo insignibus exemplis in Scriptura indigitari & commendari; qualia sunt fundatio terræ, sive aridæ, ut emineat supra mare, ut habitent in ea homines, Es. 45: 18. animalium alimenta, cum præparatione organorum nutritionis; eorundemque varia indoles & generatio: productio siderum, calor Solis per totum mundum distributus, constitutio partium mundi in locis suis sine fulcris, fibulisque, anni conversio, pluviarum, nivis, grandinisque, venti, fulgurisque administratio.

47. In omnibus nobilis ordo est oculorum, per quorum sensum omnes res animo sine verbis, sermonibus & voce, quasi per literarum ductus, singulis diebus atque noctibus, imò omnibus momentis, renunciant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicant, Psalm. 19: 2. 3. 4. 5. 6. 7.

48. Prætereamus nunc sensum, quo odores, saporesque dijudicamus, aut corporum aliorum appositu commodè aut incommodè afficimur.

49. Quid autem admirabilius est ordine mentis, aurium, linguæ, literarum, oculorum? Ea enim ita nata sunt, ut sibi invicem ministrent ad maximum bonum. nempe communicationem veritatis inter homines. Nam quis non videt, quòd lingua sonis articulatis sensa animi pandit, sermoque inter gentes usurpatur habens

bens analogiam, imò elegantiam & venustatem & vim quandam delenificam & ἑλκυστικὴν, & in affectus hominis quod ammodo dominans, eumque auris, mirò artificio plantata & ex capite cum decore enata, accipit, mentique examinandum sistit, & mentem alius hominis animo suo effigiat; sermoque literis facillimè & variè ad colloquium cum absentibus & posteris committitur: id minimè ad nullum bonum, nedum ad deceptionem & noxam, sed ut sit coagulum animorum in nexu charitatis, per veritatis, tanquam Solis mentium, manifestationem, institutum & comparatum esse? Quamvis enim & horum abusus sit in mendacii prolocutione & diffusione, tamen ne hoc quidem absque specie veri & boni, qua id tegatur & incrustetur, fieri potest. Unde ad regnum veritatis illa ordinata esse, perspicuum est.

4. Quia est mens producta, cui omnia subjecta sunt.

50. Paulatim accessimus ad id, quod non videmus, ullove sensu attingimus, quod in nobis esse, ipsa illius operatione, h. e. τῷ λόγῳ *ratione* & intelligentia, deprehendimus.

51. Ita enim id abstrusum est, ut non cognoscatur nisi ut operans, h.e. νοῦν, λογιζόμενον, μνημονεῦον, βουλόμενον, *intelligens, ratiocinans, memorans, volens*, & hæc quidem operans non tantùm circa sensibilia & præsentia, verùm etiam circa absentia, invisibilia & à sensu omni remota.

52. Quæ res, ut proculdubio est à corporum natura differens (nam quis dixerit, in pulvere à natura esse vim cogitandi & eas quidem res, quæ non sunt pulvis aut materia?) ita non potest esse ab ulla natura corporea producta. Quomodo enim producet rationem & voluntatem, quod ratione, consilio, intentione, persecutione finis destitutum est? quod sui movendi potestatem non habet? Quod in organorum agilitatem formatur, ut menti subjiciatur, consilio regatur, atque à voluntate moveatur? Quæ ratio est in semine, ut membra fingat usibus hominis, qui nascetur? nedum ut animum ex se effundat, cui membra facta in utero matris movenda regendaque subdat. Quanquam nec animus sibi illud domicilium fecit: itaque sensibus ac membris utitur, ut, quomodo id fiat, ipse ignoret.

53. Quàm verum compertumque est, quod de se Jobus ad Deum dicit, *Annon ut lac fudisti me, ut caseum coagulasti me, cute & carne induisti me, ossibus ac nervis contexuisti me, tum vitam & gratiam fecisti mecum; & tua visitatio servat spiritum meum?* Job. 10:10.11.12.

54. Quem-

54. Quemadmodum autem animus, quando se cum animantibus cæteris componit, facilè videt, quæ ad corporis alimoniam & nutritionem ac incrementum, & propagationem generis pertinent, non aliter suo corpori, quàm in illis, administrari; & in brutis variam quidem indolem & industriæ simulacrum statim ab ortu esse, sed non uniformiter in aliis ea agere, neque studio parare vel augere ullam, quam habent, habilitatem; & denique eisdem quidem moveri rebus, quibus ipse propter corpus appositum movetur, sed illis motibus attentionem, consilium rationemque non adhibere, nec sensum cum consideratione & σωφρονι in ipsis esse, neque porrò ratione quicquam agere; proinde in illis animum & spiritualem substantiam non esse: ita videt, propter se & ut sibi subjiciantur suoque regimini, facta ortaque esse; &, quatenus à suo regimine non pendet illorum motus, eatenus moveri juxta naturalem instinctum; qui nihil potest esse aliud, quam nutus omnipotentis creatoris. 5. *Quia bruta agunt quædam sapienter.*

55. Hanc meditationem causæ ingenii, quod est in animantibus, aut ipsis deest, commendat Deus Jobo cap. 39. Elihu autem accusat eum, qui per socordiam & brutum stuporem non dicit, *ubi est Deus, qui fecit me? qui dat cantus in noctibus? qui nos docet præ pecudibus terræ, & præ altilibus cœli nos sapientes facit?* Job. 35: 10. 11.

56. His gradibus attingimus mundum invisibilem, sine quo totus reliquus mundus mancus & inutilis, &, ut Esaias dicit, cap. 45: 18. revera νηπιον και ανοσιον τι *indigestum atque inornatum quid* foret; nempe mundum spirituum; quorum vita est intelligere, ratiocinari, meminisse, velle; bonitas est sapere & per amorem sapientiæ bene velle, ac porrò membra & omnia sibi subjecta ordinatè & sapienter regere. 6. *Quia spiritus non habet aliud, quo expleri possit & ad quod ordinetur.*

57. Quanquam & stultitiam & malitiam in eodem mundo animadvertimus; sed præter naturam invectam.

58. Quem igitur dicemus esse ordinem spirituum? Ad quid sunt? Oculus ad lucem est, Sol ad oculum, sonus ad aurem, auris ad sonos: animus ad quid est? Nempe ad id, quod ipsum expleat, quo cognito sapiens, quo amato sanctus, cujus fruitione beatus sit.

59. Quod neque ipse est, neque corporeum quicquam (qualia non sine fastidio degustat) sed aliquid & ipso melius & omnibus rebus aliis, quas novit.

60. Atque id ipsum ei tam propinquum est, ut, si id non sit, no-

rit, se frustra esse, neque finem habere: noritque, id tale esse, ut ipsius cognitio sapientem, amor sanctum, fruitio beatum faciat: prorsusque, quum semet intuetur, se ejus imaginem ex naturali ordine esse debere, intelligit.

7. *Quia in spiritu est imago Dei.*

61. Quod & gentibus manifestum fuit. Inter quas visum fuit pulcerrimè ab Arato dictum illud: Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Nam genus ipsius sumus.* Actor. 17: 28. quo & nos ex Deo, & Deo similes esse, insinuatur. Alii *mentem divinæ auræ particulam*, alii ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος ἐκ μιᾶς ἀμφοτέρους πνεῖν μητρός *idem virorum & deorum genus esse & una matre spirare* (*Pind. Nem.* 6.) stultè dixere; videntes, *exemplum Dei* esse & ἐμφέρειν τὸ μέγαν νῦν *similem esse quoad magnam mentem*, sed inter *archetypum* & *effigiem*, finem & id, quod propter eum est, bonum & eum, cujus bonum est, quique eo expletur, non, ut dignum est, distinguentes.

62. Partem ordinis rerum in mundo viderat Manilius, &, ut cunque à religione alienus, cogitur exclamare:

Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole,
Quàm ratio & certis quòd legibus omnia parent.
Nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat
Laxius & levius, mutatove ordine fertur.
Quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?
Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
Qua patent mundum divino numine verti,
Atque ipsum esse Deum (Stoicum hoc) *nec Forte coisse magistra,*
Vt voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resolvit, &c.
Quis credat tantas operum sine numine moles
Ex minimis cacoque creatum fœdere mundum?
Si Fors ista dedit nobis, Fors ipsa gubernat.

63. Igitur est is ordo rerum, quo non tantùm lex certa servatur, sed unaquæque res ad aliquid est, ut αἰσθητὰ ad αἴσθησιν, *sensibilia ad sensum*, sensus non tantùm ad percipiendum res sensibiles, sed & ad eas animo renunciandum, qui eas judicet, & ex iis cogitet ea, quæ non videntur aut palpantur aut alio sensu capiuntur; animi cogitatio ad aliquod intelligibile optimum inveniendum & contemplandum, idque amandum & quærendum, eoque cum gloria illius fruendum.

64. Qui finis si non est, reliqua etiam omnia, quantumvis in

fine

sine propinquo illorum ordo spectetur, tamen summo sine carent; & sic ipse ordo frustra & sine ordine est.

65. Quem ordinem qui videt, facilè, nihil istorum in eo se ordine ipsum collocasse, aut sibi quicquam, quod ad se respicit, fecisse, animadvertit. Priùs enim sunt, etiam illa, quæ cognoscunt, quàm sciunt, se in ordine esse collocatos. Quare etiam Deus Jobum cap. 38: 4. interrogat, ubi fuerit, Deo omnia faciente? imprimis vers. 21. an noverit, quando à matris utero proditurus esset, & dies multos victurus? significans, aut hominis aut Dei deliberatione hæc cum homine coordinata esse; &, quia non hominis, Dei. Non enim potest ignorari, alicujus sapientia & voluntate res sic ordinatas esse. Sapientiam autem & voluntatem omnia inter ipsa & ad se ordinantem divinam esse, nemo dubitat.

66. In ordine isto etiam illud ineſt, quòd unum agit in aliud; & hoc movet illud, nominatim animus membra; aliud item est generans, aliud generatur. Inde, & à simili dependentia, *causæ* nomen venit. Quia igitur in rebus est *causatio*, esse *causam primam* necesse est. 8. *Quia est movens primum, & causa prima.*

67. Nam partim eorum, quæ causantur, naturaliter id faciunt, &, quum id, quod agunt, sit ad aliquem finem, tamen nesciunt finem, propter quem agunt. quales sunt multæ actiones animalium; ad quas considerandas Jobum vocat Deus cap. 39. Quod verò agit ad finem sibi incognitum, id à cognoscente finem in actione dependere, indubitabile est. Ita in nobis ipsis eadem fieri cernimus, sine nostro consilio & providentia, quæ & in animalibus fiunt. 9. *Quia nulla causa suum effectum plenè cognoscit.*

68. Partim volunt effectum, & eum ex parte cognoscunt, & nesciunt, quomodo eum operentur. Ita movemus membra; ad movendum aliquid extra nos, vel ad sentiendum: imprimis linguas sermonis formandi causa; &, quomodo moveamus, nescimus: imò, quomodo materies bruta, in organa sensionis & motûs efficta, menti subjici possit, planissimè ignoramus.

69. Nam quid dicam de iis, qui generant, & naturam geniti nullo modo cognoscunt? Certè nec figurationem partium & membrorum, nec vitam generato largiuntur.

70. Tantùm abest, ut generans Spiritum generet, qui tamen est in generato: ut in homine. Nam *Spiritus* est talis res, quæ nec generare, nec generari potest. quippe πηλὸν καὶ ῥεῦσιν *defectionem & fluxum* respuens. 10. *Quia spiritus ingenitus est in homine genito.*

71. Par-

11. *Quia quorundam motuum causa alia reperiri non potest.*

71. Partim observamus motus & effectus in rebus insignes, eosque tum ordinatos, tum varios, quorum causæ penitus latent. Quis enim asseveratè dicere possit, esse aliquam secundam causam illius motus, quo fit, ut lucem nunc videamus, nunc vicissim non videamus, & ut illa singulis diebus novum quasi regnum occupet, variante dierum longitudine & Solis altitudine?

72. Cujus motûs etiamsi causa secunda esset, tamen in toto mundo reperiri non posset, quæ conscia sit finis illius motus: aut, si conscia, (quemadmodum de Intelligentiis statuerunt Peripatetici) sola non omnem illum efficeret motum, aut omnis motus consentanei, & propter quem ille fit, auctor esset. atque adeò administra non domina illius esset. Quod enim multi consilio agunt, domino præcipiente agunt.

73. Itaque Deo, ut luculentum potentiæ ipsius testimonium, hunc motum ascribit Scriptura, quum dicit Es. 40: 25. *Efferte in altum oculos vestros & videte: quis creavit hæc? Qui producit in numero exercitum ipsorum. Singulos nominatim vocat, præ amplitudine facultatis & contentione virium nullus desideratur.*

12. *Quia meteora nec efficiuntur nec gubernantur a causa secunda, saltem satis potente & providente.*

74. De pluvia, rore, pruina, nive, grandine, fulgure, tonitru, glacie, ventis, quàm patheticè interrogat Deus Jobum sapientissimum virum! *An venisti ad thesauros nivis, & thesauros grandinis vides? Quæ comparsi in tempus arcti, in tempus prælii & belli. Quæ via est, quæ dividitur lux, spargit Eurum in terram? Quis duxit inundationi* imbri *aquæ ductum? & viam fulgetro tonitruum? Ad pluendum super terra,* in qua *non* est *vir, desertum, in quo non est homo? Ad satiandum vastitatem vastissimam? ad germinare faciendum locum feracem graminis? Nunquid est pluviæ pater? Aut quis genuit stillas roris? Ex cujus utero exiit glacies, & pruinam cœlorum quis peperit?*

75. De pluvia Jeremias cap. 14: 22. *Nunquid sunt in vanitatibus gentium, quæ pluant? Et an cœli dant guttas?*

76. Deus quærit ex Jobo: *Quis utres cœli facit discumbere?* cap. 38: 38. Ipse Job cap. 26: 8. miratur, *Aquas constringi in nubibus, & nubem non findi.* Adde & sententiam Elihu de istis rebus c. 36. & 37.

77. Illis viris sapientissimis perspicuum erat, pluvias non sine manu Dei attolli, colligi, ferri & suspendi, effundi, aliis temporibus, terris, agris dari, aliis negari. Ita Ægyptus non compluitur: terram Canaan visitat Deus à principio anni ad finem ejus.

78. De vento mirificè dicit David Psalm. 18: 11. Deum *volitare*

tare in alis venti. q.d. Ne ventus quidem quicquam efficit, cui Deus non sit præsens. & Job. 28: 25. Deum *facere vento pondus.* Omitto elegantissima hujus generis in sermone Elihu à cap. 36:24. usque ad cap. 37: 18.

79. In quibus observamus non tantùm statas vices & quasi leges, & utilitatem hominum atque animalium; ut dubitari non possit, illa administrari ab eo, qui homines & animalia conservat, eisque providet (Actor. 14: 17. Psalm. 36: 6. Psalm. 145: 15. 16.) vel etiam judicat populos (Job. cap. 36: 31. 37: 13.) sed etiam, quòd causæ illorum omnium in occulto sunt: certè quòd illa nec terræ, nec mari, nec aëri, nec cœlo vel astris asscribi possunt, ut in illis vel singulis vel cunctis ratio, consilium, facultas & operatio & directio illarum rerum comperiatur, imò nulla illorum naturalis ratio demonstrari vel conjectura aut suspicione queat indagari, quæ reperta non relinquat in ipsis venatoribus naturæ maximum stuporem. de quo testatur Elihu cap. 36: 24. 25. *Omnes homines aspiciunt id: homo intuetur è longinquo.* q.d. attoniti & stupentes id spectant, κεχλωότες καὶ πεπηπότες.

80. Omitto tellurem *fundatam* supra maria & fluvios, Psalm. 24. dorsumque germinibus, animalibus & hominibus præbentem. 13. *A fundatione terræ.*

81. Omitto mare non modò litorum arenis coërcitum, sed, usque ad finem lucis cum tenebris, veluti circino in modulum redactum (Job. 26: 10.) hoc est, usque ad novilunia & pleniluria crescens, & exinde decrescens. 14. *A maris limitatione.*

82. Omitto, suspendi in nihilo tantam molem, Job. 26: 7. non minùs quàm ingentia illa siderum corpora.

83. Quæ omnia causam primam & independentem ab alia demonstrant. Nam, sive infinitas causas dependentes, medias & ministras dixeris, præterquam quòd numerum innumerabilem, atque ita numerum non-numerum, & ea, quæ non apparent, dixeris; etiam eadem opera dependentes & independentes feceris. Omnes enim, quantumvis infinitæ & innumerabiles causæ dependentes, si independens causa non est, à nulla dependebunt causa & sic independentes erunt. 15. *A causarum omnium dependentia; & quod ea infinita esse non possunt.*

84. Accedit, quòd requiritur causa jubens & jubendo ac q. vocando sistens atque exhibens res & rerum motus. quod ex eo constat, quia res in se sunt nihil, & ad suum esse & moveri se habent, ut μὴ ὄντα, *quæ non sunt.* Unde efficitur, eas, ut sint 16. *A creatione sive imperio potenti, quod necessarium est. Id probatur.*

& agant ac moveantur, vocatione & nutu imperii adduci.

a. Quia nihil æternum est in rebus, quæ videntur.

85. Ita verò se res omnes habere, hoc pacto constare potest. *Primò*, quia omnia, quæ videntur, initium habent & aliquando γεγόνε, *exstiterunt* sive esse inceperunt. Æterna enim esse non possunt, quia non sunt ἀναλοίωτα *invariabilia* & *immutabilia*. Nam, quod æternum est, id nunquam aliter se habere potest. Deinde, omnia momentis mensurantur. Tempus, in quo est motus, & numerus motus secundùm prius & posterius, initium necessariò habet: ne & hîc numerum innumerabilem faciamus. Quare &, ante initium quod est, sive in initio fuit, non autem in initio ἐγγόνον *ortum est*, id æternum est. ac porrò, ante initium temporis aliud initium esse vel possibile esse dicere, est dicere, possibile esse, ut sine initio res mobiles ac mutabiles sint: & initium posse esse non initium; & tempus, quod initium habet, posse esse ab æterno.

86. Quanquam Aristoteles tempus æternum admisit, Metaph. 12: 6. ubi dicit, ἀλλ' ἀδυνάτων κίνησιν ἢ γενέσθαι ἢ φθαρῆναι· ἀεὶ γὰρ ἦν. οὐδὲ χρόνον. οὐ γὰρ οἷόν τε πρότερον καὶ ὕστερον εἶναι, μὴ ὄντος χρόνου. καὶ ἡ κίνησις ἄρα ὥτω συνεχὴς, ὥσπερ καὶ ὁ χρόνος. ἢ γὰρ τὸ αὐτὸ ἢ κινήσεώς τι πάθος. *At impossibile est aut generari motum* (potiùs *incipere esse*) *aut corrumpi. nam semper erat. neque tempus: quum non sit possibile, prius & posterius esse. si tempus non sit. & motus sanè ita continuus est, ut tempus. aut enim idem, aut quædam ipsius motus passio est.* Qui planè sui oblitus est; quandoquidem alibi docuit, ἐν τῷ ἀριθμῷ εἶναι ὅπερ τὸ ἐλάχιστον πέρας, *in numero esse terminum, quo itur ad minimum*, 3. Phys. cap. 3. hoc est, in numeris minimum sive primum dari.

87. Sed, si quis contendat, & tempus absque initio esse non posse (quod verum est) & tamen initium temporis prius esse posse, dicit simul tempus esse extra tempus, (initium quippe temporis in tempore alio, secundùm quod prius & posterius dicitur, esse) & tempus duplex esse; aliud initium habens, aliud initio carens. Quæ ego quidem conciliare non possum.

b. Quia est Spiritus intelligens productus.

88. *Secundò*, quia in mundo est spiritus intelligens, atque etiam quotidie producitur, quum homo formatur & nascitur: qui Spiritus non potest ulla ratione esse productus ex materia vel à causa materiali ac corporea; sed tantùm per jussum & vocationem, sive voluntatem omnipotentem.

c. Quia est generatio.

89. *Tertiò*, quia est generatio: quæ necessariò initium habet, ita ut redeamus ad primum generans non generatum, sed voca-

tum.

tum. De qua re Scriptura dicit, Es. 41: 4. *Qui vocat ætates ab initio.*

90. *Quartò*, quia quotidie fit generatio, imprimis animalium, quæ habent corpus organicum & animam sive rationalem (atque adeò spiritualem & immaterialem) sive rationis expertem. Atqui formatio organorum, & vivificatio animalis, & nominatim collocatio mentis in hominis corpore, non est effectum rei materialis & non intelligentis, neque fit per organa, sed sola voluntatis omnipotentis jussione. Et, quia omnis materia ad hanc dispositionem & vitam & receptionem formæ humanæ nihil habet nisi potentiam passivam; perspicuum est, id, quod generatur & formatur, se ad causam formantem ac vivificantem, quæque facit esse hoc animal, habere ut Nihil. *d. Quia est formatio organorum, & conjunctio spiritus cum eis.*

91. *Quintò*, quia omnia, quæ in mundo sunt, sunt ἐνδεχόμενα εἶναι καὶ μὴ εἶναι, sunt, inquam, contingentia, quæ ex æquo possunt non esse atque esse. Idque sanè ante omnia in ipso homine compertum est: tum in animalibus & plantis. Quare idem dicendum est de illis, quæ, si homo non esset, inutilia, & prorsus frustra essent. Nam si id, propter quod quid est, non necessarium, sed contingens est, sequitur, eam rem, quæ propter hoc est, similiter posse non esse. Ergo, quia totus mundus potest non esse, necesse est, eum se habere ut nihil, &, quemadmodum dictum est, opus habuisse causa vocante. *e. Quia omnia sunt contingentia, & posse esse arguit potentiam æternam.*

92. Id verò, quod dicimus potuisse non esse, videmus, esse potuisse. Impossibile autem est, ut id, quod potest non esse, possit existere & prodire per suam potentiam, voluntatem & operationem. Nihil enim est. Ergo *posse esse* in illo, quod nihil est, nihil significat aliud, quàm extare potentiam & voluntatem, ad cujus imperium & vocationem illa necesse habeant comparere & extare. Eamque *potentiam* non posse non esse: ac proinde *æternam* esse. Ita S. Paulus argumentatur à *ποιήμασι factis* ad ἀΐδιον δύναμιν *æternam potentiam*. Rom. 1: 20.

93. *Sextò*, quia nihil seipsum conservat, ut duret, maneat, atque esse perseveret. Neque enim ad nutum & voluntatem nostram sumus & superstitamus; neque novimus, quamdiu futuri & victuri simus. nedum ut illæ res, quæ ratione carent, se ipsas tueantur & supereſſe faciant. Neque porrò aliquid est, nostri simile, (sive materia, sive spiritus sit aliunde dependens) quod efficiat, ut maneamus. Nam, si quid conservare aliud posset, id ex se ipso esset, *f. Quia nihil se conservat.*

ex se ipso supereſſet: neque penderet ab alio. Sibi enim id largiretur, quod alii largiri poteſt. Hoc eſt, quod Apoſtolus dicit: *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Actor. 17: 28. Item illud Deuter. cap. 8. verſ. 3. *Non in pane ſolo vivit homo, ſed in omni verbo, quod exit ex ore Dei.*

94. Perſpicuum igitur eſt, omnia, quæ in mundo ſunt, ut nihil ſe habere, & opus habere Cauſa prima, cujus imperio vocentur & ſiſtantur.

Creatio autem eſt Entis increati tantùm. Id porrò confirmatur à divinitate, quæ cernitur in creationis auctore.

95. Ea autem potentia vocatrix ſive creatrix ut neceſſariò eſt, ita neceſſariò eſt ejus, qui à nullo dependet. Creaturæ enim, quæ ab aliò creatore dependet, nulla ratione eſſe poteſt. Nam voluntas, quæ quid vocat & eſſe jubet, ſi dependeat ab alia voluntate & ipſa & volitio ipſius & res vocata, jam ipſa non cauſa eſt, ſed effectus; & res non ipſius ſed ſuperioris voluntatis juſſu adducitur.

96. Ideò Apoſtolus nos monet, *factis* non tantùm *Dei potentiam*, ſed *æternam potentiam*, atque etiam *divinitatem animadverſam conſpici*. Eſt autem *divinitas*, quæ *conſpicitur* ex creatione, imprimis quòd Deus major eſt omni creatura, ut nulla ipſi comparari poſſit (Eſ. 40: 25.) neque à creatura ulla poſſit comprehendi ipſius perfectio; unde *inviſibilis* dicitur 1 Tim. 1: 17. Exod. 33: 22. & *lucem inacceſſibilem habitare*, (1 Tim. 6: 16.) imò quòd nulla perfectio ipſi deeſt. Unde μακάριος *beatus* appellatur, hoc eſt omni bono abundans. Nam, ſi qua perfectione indigeret, eam vel accipere poſſet ab alio (& foret dependens) vel non poſſet accipere. Atque ita neceſſariò eſſet imperfectus: bonumque adeò & optimum eſſet, deſtitui perfectione boni. Quæ contradictio eſſet.

97. Propter eam perfectiſſimam bonitatem vocamus Deum *infinitum*: quia terminus perfectionum ejus nullus eſt, neque ulla datur perfectio extra ipſum: quippe quum, quicquid præter ipſum eſt, tantùm ſit umbra & veſtigium perfectionis ejus. neque adeò quicquam eſſe poſſit, niſi quod ipſum aliquo modo in decenti ordine repræſentet, ſive glorificet.

16. A cognitione boni perfecti, quæ eſt in animo noſtro.

98. Quum autem planum atque apertum ſit, omnia in mundo eſſe imperfecta, id quoque planum & apertum eſt, inditam eſſe animo noſtro vim cognoſcendi bonum: imò illam lucem in eo accenſam eſſe, ut ea bona, quæ non omnem rationem entis & boni explent, pro talibus, h. e. imperfectis, habere, maximeque, eam in omnibus ineſſe debilitatem, ut, niſi dependenter, eſſe non poſſint,

sint, ideoque habere causam, cogamur fateri: quaque τῷ θείῳ *divinitatem & divinam decentiam* primæ causæ, cujus *æternam potentiam* reperimus, aliquo saltem modo *assipiamus*. Hanc Apostolus appellat suo modo γνῶσιν θεοῦ *cognitionem Dei*. Rom. 1: 21.

99. Hæc lux animi sine dubio testis est, à quo & ad quem ipse animus factus sit. Nam sine ea nihil veri novit atque apprehendere potest.

100. Stultissimum enim est mendacium, & meræ animi humani tenebræ, cogitare, se esse optimum, sive nihil se esse melius; se primum esse, se independentem esse, se sibi fecisse omnia, quibus se vanè occupat, vel ea causam nullam habere: aut, illa esse tantùm à causa dependenti. Mors verò est, de ea re ne cogitare quidem.

101. Enimverò, quia animus, quoties de seipso cogitat, unde sit & ad quid sit, necessariò Ens perfectissimum & primum & necessarium cogitat; &, quoties de Deo cogitare (quod sæpiùs fit, multis de causis) compellitur, ea, quæ diximus, περιπήματα Deo necessariò attribuit, &, si non attribuat, stultus, si detrectet attribuere, insuper hostis & Dei & omnis veritatis comperitur; idque hominem latere non potest: eam cogitationem esse verissimam & Dei ipsius in conscientia vocem, est manifestum.

102. Neque hîc movere quemquam debet, quòd quidam, se istam lucem in animo videre, negant. Nam non omnes uti νοῆσαι, *attentione & consideratione*, satis constat. quid autem τῷ νοοῦντι *consideranti* pateat, animus attendentis testatur. Siquidem non potest fingi, animorum naturam diversam esse. Ideoque & Vir Dei Ps. 36: 2. testatur, *Dictum defectionis ad improbum* esse *in corde suo*. Quasi diceret, sibi compertum esse, tanquam si id voce improbi expressum foret, quid ἀσεβὴς improbo dictet. Quantumvis igitur nemo videre possit recessus alieni cordis, tamen, qui lucem divinæ veritatis in animo suo radiantem conspexit, novit, eandem lucem in animo alterius vel plenè radiare, si attendat, vel conscientiam malam ferire & exagitare, saltem ad se animadvertendam etiam torpentes excitare. Idem enim Deus est, eadem veritas, ejusdem naturæ mens. Quamobrem etiam illa, quæ certis rationibus & causis nobis cognita sunt, ut aliis ex eisdem causis certa aut admittenda solemus in omni argumentatione proponere.

103. Quemadmodum verò omnia, quæ in mundo sunt, imperfectiora sunt, ut ita dicam, hominis intellectu; quia homo novit 17. *Ab appetitu boni, quo*

homini naturalis est.

entitatem, quæ in illis non est: ita etiam omnia sunt minora ipsius appetitu. Appetit enim aliquid melius. Nihil enim est in mundo, quod eum satiare possit. Et tamen ita comparatus est, ut quærat bonum, quo satiari possit, sive cujus amore æternùm fruatur & delicietur. Quæ res effecit in Philosophis quæstionem de summo bono. Quorum quidam conati sunt, quum bonam conscientiam non haberent, amorem suum in sui admirationem; alii in voluptatem aut stuporem ac securitatem includere: sinceriores in deorum consortio id constituerunt. quanquam Deum volentes ignorabant, quum sibi per sapientiam falsam vanas religiones finxissent.

13. A cognitione attributorum & virtutum Dei, quæ est in homine.

104. Non inutile reor, alia quoque Dei attributa, quæ ad ipsius ἤθη pertinent, porrò ex præsuppositis deducere, ut videamus, hominem, qui illa cognoscit, cuique naturalis quædam lex infixa est illis Dei attributis, proprietatibus atque eminentiis respondens, planè ad imaginem Dei factum esse, atque ea propter, quemadmodum ex pictura archetypon, ita ex homine Deum, verum hominis ἀνάγραμμον sive exemplar, inveniamus. Uti enim nihil depingi potuit in tabula, cujus ideam artifex non habuerit in mente: ita, si constet, nos imaginem melioris esse, h.e. ad illum exprimendum & repræsentandum esse ortos, non potest dubitari, eam imaginem habere ἀρχέτυπον sive exemplar: & id Deum esse.

105. Animadvertimus jam Causam primam, independentem, æternam potentiam, consilium, voluntatem, quæ jussu suo vocat omnia & sistit, infinitam perfectionem, & amabilitatem summam. Quid porrò pronius est, quàm ut, quum ex eo, quòd omnia imperfecta videmus & deprehendimus, collegerimus, Deum habere infinitam perfectionem; similiter conficiamus, Deum non esse similem ulli rei nobis notæ: primò materiæ, quoad substantiam, aut partes, aut terminos, aut sensilitatem, aut motum; sed planè incorporeum esse. quam substantiam *Spiritum* appellat Scriptura.

106. Deinde nec spiritui finitam perfectionem habenti. qualis est noster spiritus. qui etiam materiæ partibus diversis non uno est præsens tempore. Nam Spiritus noster nunc in corpore est, nunc extra corpus. Itaque Spiritum finitum habere aliquid commune cum tempore & loco, velut materia: infinitum autem & temporis & loci expertem esse. Nam Spiritus quidem finitus est mutabilis (verbi gratia, quoad scientiam & voluntatem) & initium habet, & alii atque alii materiæ parti præsens est; licèt non,

ut

ut materia, partes habeat, quæ sibi invicem locum faciunt: at Spiritus infinitus est æternus, & proinde immutabilis, & locum non mutat (momentis enim astringeretur & æternus non esset) à quo discedi longiùs, ad quem accedi propiùs non potest.

107. Minimè adeò esse spaciosum, neque *partes* habere sive veras sive *potentiales*, (ut quidam absurdissimè loquuntur) secundùm quas diversis rebus quasi diversus aut coextensus adsit. Qua ratione quidam prudentissimè dixerunt, Deum secundùm se *nusquam* esse; quia nihil cum loco habet commune: omnibus tamen, quæ sunt, esse præsentem, &, quæ esse poterant & esse possunt, ideò esse posse, quia ipse sufficiens est ea tenere, & eis esse, quemadmodum Scriptura loquitur, מעון *habitaculum*. Psalm. 90: 1. Deut. 33: 27.

108. Neque quisquam cogitet, nos ista Deo attribuendo potiùs aliquid de Deo negare, quàm de ipso dicere; potiùs proficere ad non cognoscendum, quid sit, quàm ad cognoscendum. Nam, quum à Deo removemus, quæ cum ipsius esse pugnant, ipsum esse adstruimus; & multum ad Dei cognitionem proficimus, quum deprehendimus, eum supra omnia & supra ipsum mentis nostræ captum esse. Nam & per hoc ipsum fortiter ad verbum ipsius auscultandum appellimur, ut eum magis contemplemur in eo, in quo cognosci vult & potest, quàm in eo, in quo non potest.

109. Unum esse Ens perfectissimum, & necessariò unum, monstrat, quia, una voluntate omnia ordinata & vocata esse, manifestum est. Mundus igitur unius Dei est. Si plures essent, illorum non esset hic mundus: neque essent in hoc mundo; quia hic mundus non consisteret in ipsis. Abessent igitur à mundo; & per consequens non essent. Nam Deus, qui abest, non est. Finitus enim est, limitibus inclusus, mutabilis, quoad locum, non æternus; potest accipere, quod non habet. Ideò Scriptura vocat verum Deum Deum ex propinquo & ex longinquo. Jerem. 23: 23. quippe qui à nullo absit: & deorum, qui cœlos & terram non fecerunt, nomen periturum affirmat. Jer. 10: 11. Quia nempe illos nominare est cogitationem stultam & vanam effutire.

110. Deinde plures uno dii vel necessariò haberent eandem voluntatem, & dependerent unus ab altero (quod divinum non est) vel diversas voluntates habere possent. quales sunt dii Homerici. Ita vel unus alterius opus destrueret, vel impotentia in altero esset, quippe esset, quod is esse nollet.

111. De-

111. Denique esset plurium deorum differentia, & sic quilibet illorum non esset indefectus; & vel illa differentia esset infinita (& sic infinitus defectus in singulis) in infinito deorum numero, cum manifesta contradictione, qua finitum (ut numerus) infinitum diceretur; aut in numero finito. cujus certè finitio esset non necessitatis, sed voluntatis superioris.

112. Quemadmodum porrò unum, & infinitè perfectum, & immutabilem, & independentem, ita quoque, simplicem Deum esse & minimè compositum, & spiritum, observamus. Imperfectio enim est, ex addititiis rebus coacervatum esse. quippe in partibus est numerus, in numero finis, in partium vel rerum plurium compositione dependentia.

113. Porrò quis dubitabit, eum sapientem esse, qui omnia novit, & tam bona fecit, & perfectus est: & rectum sanctumque, qui sapiens est: & felicem, qui nulla re indiget?

114. Jam id neminem latere potest, Si Deus est, & creator hominis est; eum quoque dominum esse hominis, & finem. Finem, inquam, non ut aliquid accipiat ab homine, sed ut glorificetur in homine. Sunt quidem & alia omnia propter Deum, ut enarrent gloriam Dei; sed homini. Homo autem ita propter Deum est, ut ipsi se, ut est gloriosus & bonus, cognoscendum præbeat, & ab homine glorificetur. quippe in homine est à Deo facultas cognoscendi & amandi Deum. Glorificari autem in homine non potest, imò nec laudari ab homine, si homo non sit Deo similis, h.e. si id, quod homo sapit, apud Deum non sit verum; si id, quod amat, non sit Deus; & Deum non amet, ut Deum, sive eum *glorificet*, eique *gratias agat*.

19. *A cognitione imaginis Dei naturali.*

115. Et, quemadmodum homo hac via deducitur ad cogitandum, non posse se bonam & Deo dignam creaturam esse, si non sit factus ad imaginem Dei, ita, dum hæc cogitat, invenit, se ad imaginem Dei factum esse, & Deum esse suum exemplar. Nam sentit, se ad hoc cogitandum esse factum, quod cogitat. quippe, si vera sunt, quæ de Deo cogitat, videt, se ab optimo Creatore ad sapientiam & bonum maximum, idque cum ultimi finis assecutione conjunctum, vocatum esse; si autem illa vera non sint, unde sit, quomodo sit, quare sit, & quare melius sit se esse, quàm non esse, planè non videt. Deinde eos actus & affectus animi sui observat, qui adstruunt, homini naturaliter (si suus sit) cognitam esse Dei

veri-

veritatem. Laudari vult. Novit igitur judicem. Vituperat prava in proximo: vult videri bonus. Novit igitur discrimen recti & pravi. Quod nullum est, nisi propter æternam quandam veritatem. Pudet eum turpitudinis. Immortalitatem appetit. Suspirat, optat. Si corvus clamat ad D um, h.e. si ipsa corvi crocitatio indicat, esse, qui corvo det necessaria; ad quem, si ratione agat, clamor ipsius directus esset: quantò magis oculi hominis ad illum respiciunt. Ratiocinatur: sapientia delectatur. Cupit cognoscere, quo cognito sit beatus. Metuit & contristatur in ærumnis. Judicem timet. Hæc rudera imaginis Dei sunt: quæ testantur, vera esse, quæ de Deo cogitat, &, ut ea cogitet, sibi à natura imperari: seque non minùs enarrare opus manus Dei, imò exemplar suum Deum, quàm umbra figuram corporis opaci, quod Sol altrinsecus collustrat & stringit: veluti umbra in Luna terram sphæricam.

116. Idque tam apertum est, ut nulla sit gens in mundo tam barbara, quæ non societatem aliquam specie & ostentatione aliqua juris & virtutis & religionis inter se colat. Nam sine hoc, ut homines confiteantur, bonum esse, virtutem habere, fidem alteri servare, veritatem invicem loqui, bonum sociorum, amicorum, parentum, cognatorum quærere, judicia sanctè exercere, nulla coalescere societas & amicitia potest. Atqui, hoc qui fatentur, fatentur, se ad hoc natos esse, ut per virtutem & fidem inter se coagulentur ad maximum, quod homo cogitare potest, societatis bonum: & contra scelus non tantùm opere perpetratum, sed & animo conceptum & perfidiam cùm abominationem omnium, tum pœnam severissimam mereri, & eam non esse evitaturum, qui hominum judicium & ultionem effugerit. Igitur & sibi jurant mutuò, quum societatem faciunt, & munia adeunt, quum judicaturi considunt, quum testimonium dicturi sunt, testantes, se credere, quòd sit judex, seque illius judicium pertimescere.

117. Hoc est, quod & Apostolus gentibus attribuit, nempe quòd sciant καθήκοντα *officia*, & Θεοῦ δικαίωμα, *Dei sententiam*, quæ eum justum probat, quòd, qui malè faciunt, *digni sint morte*. Rom. 1: 28. 32. Atque id ostendunt, quando irascuntur illis, per quos putant se & societatem lædi, eosque ad pœnam deposcunt, &, quorum peccatorum pœnas ipsi sumere non possunt; iis ἐκδίκους pœnas imprecantur, & eas infligendas se exspectare testantur.

118. Quid porrò? quis neget, Deum esse; qui non tantùm iis 20. *A manifo-*

ſtatione nominis Dei in mundo.

rebus, quæ mundum conſtituunt, ſed etiam ita *manifeſtum ſe fecit homini*, Rom. 1: 19. dum nomen ſuum fecit in mundo per omnes ætates frequentari, atque ita effecit, ut vel cogitationem de ſe ſæpe ſuſcipere, vel, ne multoties ſuſciperet, multa facere & vim ſibi adhibere non parvam cogeretur. Omnibus enim, ab ultima temporum memoria, ætatibus Deus in toto mundo nominatus fuit: neque reperitur mundi aliquis angulus, in quo non Numen aliquod nominetur, niſi fortè in iis partibus, in quibus homines ita à ſe ipſis abierunt, ut, quiſquis honeſtus eſt, cupiat illorum eſſe diſſimillimus. Qui ſi reperiuntur, perſpicuum eſt, non ſine humanitatis exſtinctione cogitationem & nominationem Dei poſſe aboleri: & illam ἀπηνείωσιν & efferationem hominum ſeveriſſimi ſupplicii divinitus irrogati inſtar habere: ut, quia tanti non putarunt, Deum habere in agnitione, traditi in mentem inconſideratam & nihil penſi habentem eſſe videantur. Rom. 1: 28. certè, qui tales ſunt, ut videantur Deum non habere ante oculos, ſint לְכָל־בָּשָׂר לִדְרָאון *omni carni nauſea*: ut de aliis generis ἀθέοις vivis cadaveribus loquitur Scriptura. Eſ. 66: 24. Dan. 12: 2.

119. Quî verò potuit fieri, ut nomen Dei ita omni tempore auditum nominatumque fuerit, ſi non vel poſteriores à prioribus id acceperunt, qui, quum fuerint ſapientiores & rectiores, quàm nunc ſunt homines, filios ſuos erudiverunt, &, ut nobis contingit, iis adhuc rudibus & imperitis reverentiam numinis inſeverunt; vel, ſi ſupponimus, æquè ſegnes homines ſemper fuiſſe ad cogitandum de Deo, Deum ipſum locutum aliquando homini, & quidem omnium parenti, fuiſſe. Nam, quis auderet fingere, fuiſſe aliquando tempus, quum nulla fuerit Dei mentio in mundo, quumque nova illa in neſcio quo angulo exſtiterit, & omnes tam prona credulitate pervaſerit?

120. Et quæ tandem gens eſt, quæ non oraculorum gloriata ſit voce, prophetarumque ἐνθουσιασμῷ? Atqui illi, qui in gentium adytis & ἐγγαστριμύθοις loquuti ſunt, Spiritus mali fuerunt, & debiles: qui divinitatem affectarunt. Malos fuiſſe conſtat, quia ſtulta & flagitioſa tradiderunt: debiles, quia honorem ſuum tueri non potuerunt. Fuerunt tamen Spiritus hominibus potentiores, ſed, quia pravi, à bona origine devii, & boni hoſtes; quia debiles, ergo aliunde uſum porentiæ habentes. Hi autem ipſi ἀθεότητα non potuerunt niſi ſub oſtentu falſæ ſapientiæ & religionis vanæ introducere.

cere. Ita falsa religio, adjutores habens malignos Spiritus, veræ religionis & veri numinis testis est: sive quòd Deus non voluit se ignorari, sive quòd hominibus conscientia Dei non potuit eripi. Taceo, quòd is, qui deceptores spiritus silere jussit, & verbo suo mundum torpentem & in tenebris jacentem illustravit & vivificavit, se illis potentiorem & sanctiorem & verè Deum & conscientiæ in nobis effectorem demonstravit. Nam, ex quo veritas audita est, falsitas irrideri & conspui cœpit.

121. Cum religione, utut depravata, leges valuerunt & judicia, & auctoritas parentum & principum, & plurimus sermo de virtute & vitiis mundum implevit. Quæ, sublata religione, intercidere & exstingui omnia necesse est: & in feritatem abire mortales. Voluit verò Deus etiam hoc nomine censeri, quòd sit יסר הגוים ὁ σωφρονίζων τὰ ἔθνη, Psalm. 94: 10. Certè verum dicit Sapiens, *Sapientiam in fastigiis, ad viam, in compitis, apud portas, in aditu urbium, in aditu ostiorum praconium facere. Per eam reges regnare, & principes statuere justitiam, imperatores imperium exercere & ingenuos, omnes* denique *judices terræ.* Prov. 8: 1—16. Præclarè Imperator Philosophus τὰ εἰς ἑαυτὸν l. 4. §. 4. εἰ τὸ νοερὸν ἡμῖν κοινὸν, καὶ ὁ λόγος, καθ' ὃν λογικοί ἐσμεν, κοινὸς· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ προστακτικὸς τοῦ ποιητέου ἢ μὴ λόγος κοινὸς· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ νόμος κοινὸς· εἰ τοῦτο, πολῖταί ἐσμεν. εἰ τοῦτο, πολιτεύματός τινος μετέχομεν. εἰ τοῦτο· ὁ κόσμος ὡσανεὶ πόλις ἐστί. Quod si est, est & imperator & νομοθέτης hujus πόλεως.

122. Omitto jam miracula, quæ ab omni ævo facta sunt: quæque facta esse, negari nullo modo potest. quippe quum testes habeant illos, qui viderunt, quibus, ut conscii, scriptis tradita est eorum historia, ut ea narrarent in omnem ætatem. 21. *A miraculis.*

123. Quid dicemus de prophetia, quæ vel paulò post vel post secula suis rebus gestis expleta est, ut eas videntes intelligant, eas in prophetiis vivis coloribus esse depictas; licèt, antequam fierent, nullus intellectus plenè & distinctè eas posset explicare, ut futuræ erant? 22. *A prophetia.*

124. Numquid etiam possumus dissimulare, Deum esse in mundo: cujus verbum est in mundo? 23. *A verbo Dei.*

125. Vel, cujus regnum est in mundo: h. e. qui habet populum, qui ipsum quærit, ipsius nomen profitetur, ipsius voluntatem facit, & suam voluntatem malam ipsius voluntati subjicit, & membra ac vitam suam ipsi consecrat, abjectis, quæ in hoc mundo 24. *A regno Dei.*

sunt, omnibus? Quod certè Deo dignum esse, si sit, negari non potest. Quòd si autem dignum Deo id est, & ad gloriam ejus adstruendum facit; quomodo non fit virtute ejus, qui per hoc glorificatur? aut, quomodo glorificatur id, quod nihil est?

126. Quo sublato, necesse est id omne evanescere, quod in hoc mundo potest esse gratum, jucundum, amabile, & pulchrum.

2. *Ab evidentia terminorum, quibus dicitur, Deum esse: & evidenti absurditate eorum, quibus negatur Deum esse.*

127. Quod esse, tam manifestum est, ut etiam ipsis vocibus auditis cogatur animus non malus nec torpens statim assentiri. Nam quid tandem est dicere, *Non est Deus?* Annon hoc, Quod æternum & necessarium, & optimum est, id nec est, nec esse potest?

128. Dico, Nec esse potest, & ne inter possibilia quidem est. Nam, si non est, ne esse quidem potest. Nam, si non est, & tamen esse potest, est τὸ δεχομένων εἶναι καὶ μὴ εἶναι, sive de rebus contingentibus. Jam verò contingens & necessarium idem esse non potest. Deinde, quod esse potest & non est, id ab alio produci potest. Atqui Deum produci, esse incipere & à quoquam dependere, causamque & effectorem habere, est ita absurdum, ut, qui Deum dicit, eo ipso dicat effectorem omnium à nemine factum & nullius indigentem. Itaque, qui negat, Deum esse, dicit, optimam, perfectissimam, necessariam, æternam, omnium effectricem, nullius indigentem substantiam esse non posse: atque adeò necessarium non esse necessarium, æternum non esse æternum. Nam profectò, quum quid negatur esse, eo ipso significatur, ejus rei, cui τὸ ὑπάρχειν negatur, talem esse naturam, ut τὸ posse non esse, vel etiam τὸ non posse esse includat. quemadmodum quum dico, *Vallis sine monte non est*; significo, *vallem sine monte* esse vocabulum, quod suâ naturâ postulet negationem, & cogitatione fingi non possit, ut res extans. Quocirca, qui negat, Deum esse, is necesse est dicat, Vocabulum *Deus* eam vim habere, ut ejus nulla cogitatio suscipi possit: nempe, ut, quemadmodum *Vallis sine monte* ut res extans cogitari non potest, ita Optimum, præstantissimumque & necessarium nisi cum cogitatione impossibilis ὑπάρξεως nominari & audiri non possit. Quum tamen contra necessarium & æternum omnem cogitationem ὃ non esse excludat.

129. Et hoc dictum eò magis est plenum ἀφροσύνης (Psalm. 14: 1.) quòd is, qui hoc dicit, cogitur dicere, Id, quod non est optimum, sed impotens ac debile, & nuper non fuit, ipsum à se esse potuisse: & quidem sine eo, qui ipso melior ac potentior sit. Qua

re

re quid absurdius dici potest? Nam cogitari quidem non potest.

130. Itaque rectè sentiunt, qui ipsis vocibus ac terminis clarum ac φανερὸν *manifestum* esse cum Apostolo dicunt, *Deum esse*: & apparet, quòd Scriptura verè id stultis & flagitiosis attribuat, atque adeò stultitiam & flagitium vocet dicere, *Non est Deus.*

LOCUS TERTIUS
DE
DEI ΘΕΙΟΤΗΤΙ

Cap. IX.

De Nominibus Dei.

Deum non per essentiam cognoscimus, sed per effecta, & per nomen, quo ipse voluit suas ἀρετὰς *virtutes* (quæ est θεότης αὐτοῦ *divinitas ipsius*) nobis patefacere.

Quid nomen Dei significet in Scriptura?

2. *Nomen Dei* in Scriptura significat id omne, quod de Deo cognosci potest, quodq; Deus voluit de se ad maximam laudem suam à nobis cognosci. Id igitur comprehendit omnia, quæ natura de Deo nota sunt aut nosci possunt, quæque ultra naturalem Dei notitiam nobis de Deo revelata sunt, non tantùm, quæ naturalia sunt Deo, sed etiam ἐυδοκίας, quæ per beneplacitum à Deo ad decentias suas & divitias suas ostendendas eduntur. *Nomen Dei* dicitur *adorari*, quia Deus in hoc nomine adoratur & glorificatur. Omnia enim sunt gloriosa, quæ Deus de se cognosci credique voluit. *Nomen Dei invocamus*, quia Deum, quem invocamus, nomine suo, h. e. per illa, quæ ipse de se dixit, discernimus à falsis diis, & in fide illorum Deum invocamus, petentes & sperantes id, quod congruum est ipsius nomini. *Nomini Dei confidimus*, h. e. confidimus ei, qui nobis innotuit, quemque credimus talem esse, qualem se esse dixit, eique fiduciâ nostrâ gloriam nominis sui damus. *Venit nomen Iehova in Ægyptum* Es. 19. quando in Ægypto prædicatur. *Nomen Dei* indicatum est Mosi Exod. 34: 7. h. e. omne *bonum* Dei, & *viæ* ac *facturæ ejus.* Exod. 33: 19. Psalm. 103: 7. Ejus nominis veritas in Christo cognita est. Joh. 17: 26.

Nominum Dei distributio.

3. Nomina, quæ Deo dantur in Scripturis, sunt partim personalia, partim essentialia. Et hæc rursus partim substantiva, eaque vel ἀγκοινώνητα & incommunicabilia creaturis omni modo; vel Deo quidem propria in emphasi, quodammodo tamen creaturis communicata: partim adjectiva denominantia Deum à proprietatibus suis. Quæ tametsi omnes sint creaturis incommunicabiles, ut non possint in ipsis esse, quemadmodum in Deo sunt: tamen partim eis nominibus enunciantur, quæ & creaturis propter quandam convenientiam earum cum ipso aut etiam imaginem ejus, quæ est in ipsis, attribuuntur. Aliæ autem istiusmodi sunt, ut nomina earum nullo modo creaturis convenire & concedi possint. Sunt & nomina, quæ fiunt ab effectis. In Scholis obtinet, ut vocabulorum divinorum alia *Nomina*, alia *Attributa* dicant. Nunc de *Nominibus* agemus.

Nomen יהוה. de ejus pronunciatione.

4. Imprimis occurrit vocabulum magnum & glorioſum יְהוָה, quod jam usu ferè omnium pronunciatur ita ut scribitur cum punctis; nempe *Ieboväh*. Sanè in Codice punctato Bibliorum, si ita velimus legere hanc vocem, incurremus in quasdam grammatices regulas & solœcismum in lingua Hebræa faciemus. veluti, si ita pronunciemus, בַּיהוָה *bajhoväh*, ita מֵיהוָה *Mejehoväh*; item, quòd eam vocem solet sequi dagesch, in litera, quæ duplicis potestatis est, ubi sensus continuatur; quod non solet fieri post vocalem cum litera quiescente. Nihilominùs tamen, quare non sit ea vera & sua illius vocabuli pronunciatio, nondum puto argumentis evictum. Est locus in Scripturis, qui, quantum apparet, nisi puncta mutentur, per Adonai pronunciari hoc vocabulum non permittit. Nempe Deuter. c. 32: 6. הֲלֵיהוָה, pro quo quidam Codices habent הֲלַיהוָה / Si *Adonai* pronunciare velis, faciendum erit הֲלַיהוָה / Quod analogiam nominis proprii, quod dicitur שֵׁם עֶצֶם, attinet, satis notum est, eam non esse certam & regulis adstrictam. Potest tamen ex similitudine aliorum judicari, quid mos linguæ ferat. Quæ à quiescentibus in ה descendunt, amant finem ה֫, ut יְהוָה / Litera Jod per se, nisi cum sequenti conjungatur, vocalem aspernatur. Fateor, ex Græcorum libris produci *ιαωὶ* & *ιαὼ*. Sed patet, hæc resipere segmenta nominum propriorum, quorum compositionem ingreditur hæc vox. Alterum enim apparet in יְהוֹצָדָק *ιαωζεδὲκ.* curtiùs Græci *ιωσεδὲκ.* alterum in יְשַׁעְיָהוּ *ισαϊαύ. ιαϐὲ* resipit τὸ יָהּ / Sed quis scit, an hoc idipsum sit, quod pronunciatum est à sacerdotibus

tibus in templo? Fateor, ſine peccato ita pronunciari potuiſſe & eadem cum ſignificatione vocabuli. Neque enim in vocalibus propriorum ulla eſt modificatio ſignificationis, ut in conjugationibus & declinationibus nominum & verborum. Unde etiam videmus, Hebræos ſine ſcrupulo hoc nomen inſeruiſſe nominibus hominum, nunc per יְהוּ vel יוּ, nunc per יָהוּ vel יָרְ. quæ literæ aut ſyllabæ ſatis viſæ ſunt eſſe ad commemorandum hoc nomen & ſignificationem ejus. Sed, ut noſtræ conjecturæ rationem edam, 1. alicubi, ut demonſtravi, ſi vocales ſequamur, non poſſumus pronunciare *Adonai*. 2. nunquam, quando hæc vox ſola eſt, habet omnes vocales יְהוָה *Adonai*. Sic enim ſcribitur יְהוָה non יָהוָה / & tamen, quando אֱלֹהִים *Elohim* pro eo pronunciant, ſic eſt יֱהוִה / Neque dici poteſt, perinde eſſe (ֱ) & (ֲ) Si enim perinde eſſet, lingua non diſtingueret. 3. quia initiales literas duas habemus cum illis vocalibus: ut in compoſitione vocis אֱלִיהוֹעֵינַי, Eſr. 8: 4. ubi Græci ἐλιαωναῖοι: quod ſonat אֵלַי יְהוָה עֵינַי / Si non aberratur, quum dicitur *Ieho* pro יְהוָה, quomodo aberrabitur dicendo *Iehovah?* Certè *Vau* poſt *Cholem* movendum erit, propter vocalem ponendam in fine ante ה / Et ante ה nulla vocalis commodiùs poni poteſt, quàm (ֵ) Poſſumus igitur non tantùm tutò ſed & prudenter ac cum ratione ſine temeritate ſequi communem morem, & *Iehovah* pronunciare hanc vocem; neque aliam pronunciationem quærere. Si quis tamen pronunciet *Adonai*, ei non iraſcemur: quia & Apoſtoli per κύριος id expoſuerunt. Quam expoſitionem legentes, cogitabimus, poſſe eam vocem reſpondere יְהוָה τῷ æquè atque אֲדֹנָי τῷ, ut eam, quæ eſt in fonte, vocem requiramus, & ejus emphaſin, quam habet in ſuo loco, conſideremus.

5. Exod. 6: 3. legimus, וְשְׁמִי יְהוָה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם *& quoad nomen meum IHVH non innotui ipſis.* Id non ita accipiendum eſt, quaſi nomen id antea fuerit inauditum & incognitum patribus. Fuiſſe enim antea auditum & cognitum, conſtare poteſt. non inde, quòd Moſes id crebrò uſurpat in hiſtoria. Id enim fieri potuit, etiamſi tum primùm, quum mittebatur ad educendum populum ex Ægypto, id accepiſſet. Quem enim verum Deum noverat, eum ſuo nomine, quod ab ipſo didicerat, quodque ipſo dignum erat, potuit nuncupare. *An vocabulum hoc notum patribus?*

6. Majus argumentum eſt, quòd in verbis ſanctorum Moſes id recitat uſurpatum. Ita Evah id uſurpavit Gen. 4: 1. & Enos, ibid.

26. & Abram Gen. 12: 8. 13: 4. 14: 22. 15: 2. ubi & Deus narratur sic dixisse Abramo, ut dixit Mosi (Exod. 6: 2.) אֲנִי יְהוָה v. 7. & Angelus cum Hagar loquens Gen. 16: 11. Ita Dominus loquens cum Abrahamo Gen. 18: 14. & Angeli ad Lotum. Gen. 19: 12. & Angelus inclamans Abrahamum Gen. 22: 16. & Abraham ibid. 14. & idem cap. 24: 3. 7. & Eliezer, v. 12. 27. 35. 40. 42. 48. 56. & Laban v. 31. 50. 51. Isaacus c. 26: 25 Abimelech v. 28. 29. Rebeccah 27: 7. Jacobus c. 27: 20. Rursus Isaacus 27: 26. Deus ad Jacobum cap. 28: 13. Jacobus, vers. 21. Laban, 30: 27. Jacobus, 32: 8. 49: 18.

7. Quod igitur dicit, se *non apparuisse patribus* in *nomine suo IHVH*, id de effectu veritatem nominis approbante intelligendum est.

8. Quare de significatu hujus nominis cogitandum est.

Significatio nominis Iehovah.

9. יְהוָה igitur, sive *Iehovah* significat, 1. Eum, *qui est.* unde & אֶהְיֶה *sum* vel *ero.* Exod. 3: 14. *Ehjeh misit me ad vos.* quo notatur æternitas (ut ejus explicatio fit ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος) & infinita perfectio sine omni defectu atque ἀδεήνεια. ut ita intelligatur *esse*, ut nihil ipsi cogitetur *deesse*. Nam, cui quid deest, hactenus, quatenus ipsi aliquid deest, *non est.* Non est enim id, quod esse potest; quod si esset vel haberet, perfectior esset, & magis *esset.* Atque ita etiam omnipotentia in hoc vocabulo continetur. Nam, qui impotens est, nihilque potest vocare, ut veniat atque existat propter vocantem, ei magna deest perfectio. Nec tantùm, sed etiam sufficientia ad hoc, ut sit vita & bonum suæ creaturæ. Nec tantùm, sed etiam abundantia divitiarum, ut possit esse justitia creaturæ injustæ, certè hominibus. Iis enim, & quidem peccatoribus, se ita nominavit & ita se abillis nominari voluit. 2. *Qui est, quod est.* h. e. simplex & immutabilis. Qui enim simplex non est, non est hoc ipsum, sed est hoc & non hoc, sive aliud. Qui verò mutatur, non semper est, quod est. Mox enim est, quod antea non fuit, mox non est, quod fuit. 3. *Qui fit, quod est* (duobus enim istis modis reddi potest hoc λόγιον, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה Exod. 3: 14. quia τὸ הָיָה utrumque significat τὸ εἶναι sive ὑπάρχειν, & γίγνεσθαι) id est, qui virtutes opere, decreta & promissiones facto manifestat, & neutiquam se & virtutes ac decentiam suam vel verbo vel facto abnegat. Quorum illud *bonitatis* est sive χρηστότητος, hoc autem *veritatis.* Ita τὸ γίγνεσθαι *fieri* in hac voce spectari, patet tum ex formula Testamenti, *Fiam tibi in Deum*; tum precibus sanctorum, ut הָיָה לִי לְצוּר מָעוֹן

γίνε

γένε μοι, *fias mihi petra habitationis; manus ipsius, auxilium ab hoste & patronus ei fias.* Deut. 33: 7. & in præscriptis gratiarum actionibus. ut Es. 12: 2. *& factum est mihi salus.* In quibus Græci non tantùm τὸ εἶναι, sed & τὸ γίγνεσθαι, quod tum notat, *se præstare talem opere*, usurpant.

10. Unde liquet, cui nomen hoc attribuitur, eum esse æternum Deum & *habere vitam in se.* Nam, si quis dicat, per nomen hoc significari impletionem promissionum; ideòque posse attribui ei, qui quidem non sit Deus summus, sed tamen ejus promissiones impleat atque exhibeat; nempe velut instrumentum aut minister: atque porrò dicat, ad hunc modum Christum hoc nomine JHVH appellari, quia omnes promissiones Dei sint in ipso τὸ ναὶ καὶ τὸ Αμὴν: neque tamen propterea esse Deum primum & summum, sed tantùm Deum quendam μεταγενέστερον: Si quis, inquam, hoc dicat, is noverit, Jehovam non appellari, nisi qui *suas* virtutes, *suam* pollentiam, *suas* divitias, *suum* decretum, *suam* δόξαν, *suas* promissiones implet, atque ita *fit*, *quod* EST. Ideòque, qui Jehovah appellatur propter præstationem promissorum, eum quoque oportet earum promissionum auctorem & κύριον sive datorem ex potestate esse. Imprimis, quia sunt promissiones, quæ non possunt impleri & præstari, nisi per Deum ipsum. Qualis est de Dei appartitione in carne, de redemtione, de justificatione, de sanctificatione Israëlis. *Nomen IHVH incommunicabile.*

11. Sunt enim quædam opera, quæ non possunt fieri per causam secundam. nempe illa, quæ pariunt dominium & gloriam. quæ Deus non potest *alienare.* Deut. 32: 27. Quum enim omnia necesse sit Deum facere propter se, non potest dare causæ secundæ, ut ea sit finis operis Dei, & ad eam gloria redeat, & ut ea fiat domina creaturæ ad imaginem ejus factæ. Nam, si Deus ei gloriam cedat operis sui, faciet, ut ea sit Deus, ipse autem non sit: atque ita non fiat, qui est. Ideòque dicit Es. 42: 8. *Ego Iehovah. Hoc est nomen meum: & gloriam meam alii non dabo, & gloriationem meam sculptilibus.* Et hoc verbum non tantùm est Veteris Testamenti, ut quidam delirat. Nam hoc ipsum dictum pertinet ad Novum Testamentum. Loquitur enim de vocatione Servi Dei, super quo est Spiritus Dei, cum justitia, ad aperiendum oculos cæcos &c. h.e. de adductione Christi & justitiæ, & de gentium conversione. Denique Decalogus in æternum non permittit Israëli alium Deum di-

cere, habere, quærere, glorificare, adorare, invocare. Ita & Hos. 12: 6. nomen hoc Deo appropriatur, & non tantùm integro in valore sed etiam soli vindicatur. *Et Iehovah* Deus *exercituum: Iehovah est memoriale ejus.* q.d. is Jehovah, qui est Deus exercituum, est verè Jehovah, & hoc ipsius nomen est, non ejus, qui est non-Jehovah.

12. Nihil ad rem facit, quod dicunt, à Mose arcam compellatam esse nomine Jehovæ. Moses enim non arcam compellavit, sed habitantem inter Cherubinos. Item, quòd Civitas nova dicitur *Iehovah ibi.* Aliud enim est Jehovam appellare, aliud Jehovæ sedem. Et, quum Angelos dicunt sibi nomen Jehovæ sumsisse, quippe qui loquerentur instar domini mittentis, dicunt, Angelos, qui sunt servi spiritus, commisisse sacrilegium ingens, & sibi sumsisse honorem Domini sui & ejus verba locutos esse. Quod qui dicunt ex nominatis Christianis, immemores sunt, Angelos diligenter cavisse, ne sibi προσκύνησις, quæ Deo soli debetur, à ministris Christi tribueretur. Apoc. 19: 10. Neque verum est, quod dicere solent Hebræi, legatum loqui eo modo, quo mittens eum loqueretur. Inter homines ita non fit. Nullus legatus dicit, Ego sum Rex. Quod agnoscit Crellius de vera religione l. 1. cap. 11. pag. 80. *Non solent eandem rationem principum personas assumendi, ac loquendi formam servare legati.* Et ita videmus, Mosen & alios Prophetas, quanquam pro Deo loquerentur ad homines, nunquam præfari: *Ego sum Iehovah Deus tuus*, aut, *Ego benedicam*, *Ego multiplicabo.* Quum nomen & verbum Jehovæ assumunt, est manifesta prosopopœia inserta verbis eorum. ut Deut. 29: 5. 6. Attamen Crellius nihilominus vult, *Angelos nonnunquam, Deo ita volente, ipsius personam assumere & tunc quodvis ipsius nomen & ipsos sibi tribuere & ab aliis sibi tribui pati. ut tantò plus auctoritatis habeat res & oratio. In dramatibus similia nos quodammodo cernere.* p. 79. Legatos quidem non usurpare Regum nomen & sermonem, quia *minus gratiæ & gravitatis habitura esset aliena personæ assumtio*: quia *nemo non aliam legati, aliam principis personam animo concipit: At Angelos repræsentare Deum hominibus inconspicuum, nunquam visum, nunquam mortalibus videndum.* Igiturne ob eam causam possunt nomen Dei & sermonem ejus assumere, quia Deus in hac vita non videtur? Fortè, quia perinde est Angelum animo concipere & Deum. Quod certè falsum est. Nam quare Angelos nominamus & à Deo distinguimus & non ut Deum colimus? At fortasse nemo noscit, utrum Angelus loquatur, an Deus: atque ideò potest

Ange-

Angelus nomen & ſermonem Dei aſſumere: quia homini conducit, putare, *ipſum Deum adeſſe*. Quid igitur opus eſt Angelo? Non poteſt Deus ipſe loqui? Non dat Angelis ipſum id loqui? Deinde Moſes & Prophetæ expreſſè notarunt, Angelum fuiſſe, qui loqueretur. Nos æquè illa audimus, ut illi, qui id primi audiverunt. Nos autem novimus, Angelum fuiſſe nomine Dei appellatum. & novimus, hoc non millibus angelorum, ſed uni Angelo (aut ſummum duobus Angelis) datum eſſe. Ipſi etiam veteres ſciebant, ſe cum Angelo loqui, & Angelum ſe nominare Deum & Jehovam, & Angelum invocarunt, & ei gratiam & benedictionem & opera divina attribuerunt. Dramatum verò luſus hinc procul removendi ſunt. Sæpe quidem in propheticis ſermonibus non tantùm propheta ut propheta loquitur, ſed etiam verba Dei interponuntur & verba Eccleſiæ, ut in ſcripto dramate variarum perſonarum voces legenti occurrunt, aut in dramate, quod agitur variis perſonis prodeuntibus, varii ſermones à ſpectatoribus audiuntur; ut ſignificetur, Eccleſiam procedente tempore non tantùm eas voces diverſas audituram, ſed & perſonas, quibus eæ voces competunt, viſuram. Ex quo potuit Eccleſia illius temporis, quo Prophetæ locuti ſunt & ſcripſerunt, colligere, hæc ipſa præparari in poſterum dicenda; quandoquidem tunc perſonas, quibus ii ſermones competunt, & in quibus ii verificari debebant, non videbant. Nam ea verba ſignificabant plerumque aliquid, quod in perſonis, quarum ea erant, cerneretur. Deum autem non decet hiſtrionia, ut ſuo loco angelos in proſcenium mittat, loquentes verba ipſius. Deus ipſe & loquitur & facit, quæ ad ſalutem noſtram & conſolationem pertinent: ac angelos mittit memores conditionis & miniſterii ſui, ſic loquentes, quemadmodum miniſtros decet. Unum autem Prophetam promiſit, qui loquuturus eſſet verba ſua: qui eſt Angelus Aſſertor & Redemtor ac Dominus.

13. אֲדֹנָי & הָאָדוֹן *Dominus* appellatur, 1. Quia omnia ſibi ſubjicit. 2. Quia hominem lege adſtringit: δεσπότης. 3. Quia habet peculium à ſe emtum, in quo glorificetur & admirabilem ſe præſtet. Itaque hoc nomen ſingulari modo eſt Redemtoris. *Nomen* Adon & Adonai *h.e. Dominus. Item* δεσπότης.

14. Animadvertendum eſt, in Novo Teſtamento vocabulum κύριος (quod etiam pro יְהוָה ponitur, quia pro eo pronunciabatur אֲדֹנָי) diſtingui à vocabulo δεσπότης. Id liquet ex Judæ v. 4. τὸν μόνον *Item* κύριος.

μον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. *solum herum Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* quorum vocabulorum hoc, ſine dubio, ſignificat, nos acquiſitos eſſe ab ipſo, ut peculium & hæreditatem: illud autem ſignificat jus imperandi. Eſt autem diſtinguendum inter אֲדֹנַי *domini mei* Geneſ. 19: 2. & יְהוָה *Dominus*. quod, quamvis plurali forma, tamen & de uno dicitur: & eſt nomen planè creaturis incommunicabile.

Nomen Schaddai.

15. שַׁדַּי τὸ αὐτάρκη καὶ μηδενὸς προσδεόμενον notat, δι' ὃν καὶ δι' ὃν τὰ πάντα, *per quem & propter quem ſunt omnia.* quippe qui omnibus dat vitam & halitum & omnia: ex cujus *ubere* (שׁד Hebræis) omnia ſive *vivere*, ſive *moveri*, ſive *eſſe* ſaltem trahunt: quo ſubducto, ſequitur שֹׁד *vaſtitas* rerum & interitus. Ita ut à voluntate ejus & divitiis ejus tanquam ubere vivifico perpetuò manante ſit omnium & exiſtentia & ſubſiſtentia. Quæ ἐτυμολογία innuitur, cum שֹׁד מִשַּׁדַּי ut cognata conjunguntur. ut Eſ. 13: 6. *Ejulate, quia propinquus eſt dies Iehovæ; ut vaſtitas à Schaddai veniet.* hoc eſt, Dies Domini veniet cum vaſtitate tali, qualis arguit auctorem eum, qui omnibus eſſe & conſiſtere largitur, & ſine cujus gratia ac voluntate creatura nihil eſt aut habet. Sufficientia igitur Dei, imprimis ad opus miſericordiæ præſtandum, hoc vocabulo denotatur. Eam innuit Scriptura, quum Exod. 6: 3. dicit Deus. *Et apparui Abrahamo, Iſaaco, Iacobo in* אֵל שַׁדַּי / q. d. cum ea præfatione, me eſſe Deum omnipotentem & ſufficientem ad omnem effectum gratiæ. Ita fuerat locutus ad Abrahamum Gen. 17: 1. *Ego Deus ſufficiens. ambula coram me & eſto integer: & dabo fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te valdè admodum.* Iſaacus in hoc nomine benedixit Jacobo Geneſ. 28: 3. *Et Deus Schaddai benedicet tibi, & faciet te fructificare, & multiplicabit te, & fies cœtus populorum; & dabit tibi benedictionem Abrahami, tibi & ſemini tuo tecum, ut hæredites terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus Abrahamo.* Jacobo dicit Deus Geneſ. 35: 11. *Ego Deus Schaddai: Fructifica & creſce* &c. Gen. 43: 13. in hoc nomine precatur Jacobus filiis ſuis, ut eis det miſericordiam coram præfecto Ægypti. & Geneſ. 48: 3. repetit Jacobus id, quod ſibi dictum erat apud *Luz*; cap. 35: 11.

16. Nomen יְהוָה videtur referendum ad verbum הָיָה, quod eſt Jer. 10: 7. כִּי לְךָ יֶאֱתֶה *nam tibi convenit*, te decet. Quidam putant, id nomen eſſe decurtatum ex יִהְיֶה: quod mihi perſuaderi non poteſt. Nam quare decurtaretur id nomen? numquid ut minus moleſta

lesta sit pronunciatio? Atqui toties ingeminatur hoc vocabulum: & in eadem pericopa frequentantur nomina יְהוָה & יָהּ & אֲדֹנָי. ut Psal. 130:1.2.3. Quin etiam יָהּ cum יְהוָה arctè conjungitur. ut Es. 12:2. כִּי עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ יְהוָה *quia robur meum & cantio Iah Iehovah.* Es. 26:4. כִּי בְיָהּ יְהוָה צוּר עוֹלָמִים *in Iah Iehovah est rupes seculorum.* Et sic puto jungi שְׁמוֹ יָהּ & אֱלֹהִים Psl. 68:5.19. His addamus Psl. 89:9. מִי כָמוֹךָ חָסִין יָהּ *quis ut tu præditus Iah?* Ex his facilè persuadebimur, hanc vocem esse non tantùm concretæ sed abstractæ significationis; & cùm regere tum regi. Rectè autem verti *decentiam*, etymon proximum testatur. Nec tantùm verbum יָאָה apud Jeremiam extat; sed etiam nomen יָאָה in usu sermonis Aramici frequens est. docet Methurgeman, id respondere vocibus טוּב, נָאנָה, יָפֶה / & in Syriaca N. Test. versione respondet τῷ πρέπειν, ἄξιον, ὡραῖον & τὸ ΝΙΙΙΙ τῷ δόξα 1 Petr. 1: 24. Chaldæus solet reddere per הַלְלוּיָהּ / A quo non abit R. Solomoh. Rectè igitur videmur, quando hæc vox ponitur in sensu concreto ut nomen Dei, intelligere eum, qui est חָסִין יָהּ *qui pollet & abundat decentia*, ὁ πάσῃ ἀξιοπρεπείᾳ κεκοσμημένος, qui indutus est laude gloriosæ gratiæ. Nam in ea est *rupes seculi.* Es. 26: 4. Quando igitur in Psalmis ἐγκελεύομεθα per verbum הַלְלוּיָהּ (quod Apocalypsis exprimit tanquam vocem omnium gentium, ἀλληλούια, Apoc. 19:1. — 6.) significatur, fore aliquando, ut Ecclesia possit confiteri Deum, ut omni decentia eminentem, cujusque opera attestentur omnibus ipsius virtutibus & divitiis ipsius supergredientibus omnem humanum captum: & eo tempore fore mutuam cohortationem ad celebrandam Dei decentiam & pulchritudinem perfectam, omnibus speratis & exspectatis operibus & beneficiis testatissimam. Potissimùm portendit hæc denominatio demonstrationem δι' πρεπείας ἐν τῷ ἀρχηγῷ τῆς σωτηρίας, *decentiæ in principe salutis.* Hebr. cap. 2: vers. 10. cap. 7: vers. 26. In eo enim totum nomen Dei & virtutes ejus & laus gloriæ gratiæ ejus manifestata est. Nolim autem hoc nomen יָהּ confundi cum syllaba יָהּ, quæ ex nomine Jehovah assumitur in compositione propriorum nominum: ut in יְשַׁעְיָהוּ / Hoc enim caret Mappik, quod in illo literam ה firmat.

17. Nomen אֵל δυνάστης, δυνατὸν, ἰσχυρὸν significat: in emphasi τὸ παντοδυνάμον sive παντοκράτορα. Ad quem Filius dicit אֵלִי יָדִי *potentia mea*, vires meæ. Psalm. 22. v. 20. Derivatur enim ab אוּל. quod extat Psalm. 88: 5. Id autem notare δύναμιν & facultatem, *Nomen El.*

patet ex אֵל in ea phrasi, quæ legitur Prov. 3: 27. בַּהֲיוֹת לְאֵל יָדֶךָ לַעֲשׂוֹת, *quum est in facultate manus tuæ facere.* Quando dicit Psalmo 22. v. 2. אֵלִי אֵלִי, *Deus mi, Deus mi*; id explicat v. 20. per אֱלוּתִי *facultas mea, ad auxilium meum festina.* Ubi Lxx. explicant per βοήθεια μου, & conjungunt cum verbo præcedente תרחק, quod vertunt μακρυνῇς, quasi esset תָּרַחֵק. Sed confundunt cum עָזְרָה, quod vertunt αὐτίλημψιν. אֵלִי valet, *Tu, qui es facultas mea.* Sine quo nihil possum; in quo possum omnia; cujus potentia mihi addicta est, ut non magis, si mea esset, meo bono ea uti possim, quam te certus sum ea usurum.

18. Hoc nomen etiam hominibus tribuitur: & in plurali dicitur אֱלִים; ut Exod. 15: 11. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *Quis est ut tu,* vel par tibi, *in potentibus, Iehovah?* Lxx. τίς ὅμοιός σοι ἐν θεοῖς, κύριε; & v. 15. אֵילֵי מוֹאָב Lxx. οἱ ἄρχοντες, fortè huc referendum est. Sed אֵל dicitur καθ' ἐξοχὴν & ἀντονομαστικῶς, qui est אֵל אֱלִים Dan. 11: 36. quod rectè explices *potentiam potentium*, δύναμιν τῶν δυναστῶν. h. e. à quo omnes potentes habent omnem suam potentiam, omnes vires, omnem vigorem, industriam, efficaciam.

19. Cum שַׁדַּי igitur junctum distinguit illum, cujus est omnipotentia & sufficientia ad omnia, ab illis δυνάσταις, quorum brevis est manus & parva potentia, quæque est ab ipso. Neque enim sunt αὐτάρκεις, ut ipse. Propter quam causam etiam benè שַׁדַּי tanquam compositum accipitur, אֲשֶׁר דַּי ὁ ἱκανός.

Nomen Eloah & Elohim.

20. אֱלוֹהַּ & pluraliter אֱלֹהִים (quod redditur θεὸς) Hebraicæ potiùs quàm exoticæ originis vocabulum esse, putamus. Quod enim ex Arabico afferunt in significatione colendi, id nescio annon eodem jure derivandum sit à voce אָלוֹהַּ atque Græcum θεῶν vel πιθεῖν ad θεὸς referendum est.

21. Si usum ejus spectemus, ibi maximè Deo tribuitur, ubi fidei ad unionem & communionem ejus habetur ratio, atque ita significatur auctoritas summa testandi de eo, quod homini bonum est, & fidelitas in communicanda bonitate sua credentibus in ipsum. Nam, quando dicit, se velle *fieri alicujus Deum*, significat, se πιστῷ λόγῳ, tanquam jurejurando, patefecisse bonitatem suam, & credentibus in se, & ita sibi jurantibus, suamque veritatem obsignantibus, nunquam non fidelitatem suam comprobaturum. Quæ omnia nos ad ὅρκιον aut verbi aut sanè nominis אָלָה revocant. Id verbum significat *adjurationem.* ut patet ex Gen. 24: 41. אָז תִּנָּקֶה מֵאָלָתִי

sum

tum non teneberis adjuratione mea. Abrahamus dixerat v. 3. אַשְׁבִּיעֲךָ *adjurabo te.* & v. 8. *& immunis eris* נִקֵּיתָ מִשְּׁבֻעָתִי *à juramento meo hoc,* quod tibi impoſui; ſub quo te rogavi. Et, in voce אֱלֹהִים reſpectum eſſe ad adjurationem, patet ex Eſ. 65: 16. *Iurans in terra jurabit* בָּאֱלֹהֵי אָמֵן *in Deo Amen* h.e. cui reſpondendum eſt *Amen. Amen* autem reſpondetur adjuranti. Num. 5: 21. 22.

22. Quando igitur dicitur Gen. 17: 7. *Et erigam fœdus meum inter me & inter te, & inter ſemen tuum poſt te in generationes ipſorum, in fœdus perpetuum, Me futurum tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* &c. ſignificatur, Deum effecturum, ut Abraham & ſemen ipſius ſibi adjuranti eos & conteſtanti, annon ab ipſis mereatur omnibus modis amari, honorari & glorificari, *Amen* reſpondere poſſint, & ipſi תּוֹדָה atque ὁμολογίαν exſolvere, quòd nimirum omnia tibi præſtiterim, quæ decenter à Deo, ut tuo, quamvis peccator ſis & quia peccator es, exſpectare potuiſſes. Quando Deus peccatori dicit, *Ego tibi fiam* ſive *ero in Deum*, clarè ſignificatur, Deum illius cauſâ aliquid facturum, propter quod ſe ipſi fidem, confeſſionem, gratiarum actionem, glorificationem debere intelligat.

23. Sæpe repetitur אֱלֹהַי *Deus meus:* quo ſignificant Patres, 1. ſe maxima beneficia ab eo, creatore ſuo fideli (quicquid ſcilicet ad vitam & pietatem eſt) ab ipſo exſpectare; in Veteri Teſtamento: vel accepiſſe; in Novo: ita ut eum ſuum dicere & in eo gloriari ac ſibi benedicere poſſint. 2. ſe ipſi confidere, ipſique adhæreſcere velle & in ipſo gloriari. Quod aliquando ſignificatur per *jurare per ipſum.* Qui per Deum jurat, dicit *Vivit Deus.* h.e. teſtatur fidem ſuam de Dei vita. Ita, qui credit in Deum, ut ſuum, & in eo gloriatur, jurat per Deum Amen, Deum ſuum, & ei *jurat*, & *vovet* fidem, amorem, glorificationem in omne tempus.

24. Numerus pluralis hujus nominis non rectè explicatur à quodam viro docto; quaſi ellipticè dicatur אֱלֹהִים pro אֱלֹהֵי אֱלֹהִים *Deus deorum.* Nam 1. in tali reduplicatione etiam plurale adhibetur: ut patet ex Deut. 10: 17. *Nam IHVH Deus veſter eſt* אֱלֹהֵי הָאֱלֹהִים *Deus deorum*, & אֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים *Dominus dominorum.* 2. abſurda ſignificatio eſſet. Ita enim, quod dicitur אֱלֹהַי *Deus meus*, ſignificaret, *Deus deorum meorum.*

25. Sed ille quidem huc compulſus eſt, quia ſine dubio non ſatisfecerunt ei rationes, quas dant Judæi & Sociniani, cur pluralis numerus de Deo uſurpetur. De qua re infra ſuo loco ampliùs dicendum erit.

26. Sunt

26. Sunt, qui putent cum Judæis, hoc nomen אֱלֹהִים & שֹׁפֵט esse nomen commune & appellativum, atque in genere significare וְדִין *judicem*. Hi ea ratione commoventur, quòd in lege judices videntur אֱלֹהִים dici, ut & angeli. Sed errant, qui ita statuunt. Neque enim, quando Deus dicit Abrahamo, *Fiam tibi Elohim*, significat, *fiam tibi judex*. Ita, quum dicitur *Deus justitiæ meæ*, non notat *judex & vindex justitiæ meæ*, ut vult Crellius: sed *Deus meus, justitiam mihi donans; qui est justitia mea*. Quare etiam non est verum, quod dicunt Hebræorum Magistri, per אֱלֹהִים *Elohim* significari מִדַּת הַדִּין *proprietatem judicii*, & per יהוה *IHVH* notari מִדַּת הָרַחֲמִים *proprietatem misericordiæ*. Tametsi enim per vocabulum hoc *IHVH* notetur maximè patefactio divitiarum Dei in misericordia, qua fit *peccatori Deus*: tamen etiam notat virtutem judicii; qua se ipse non abnegat, & peccatum non dimittit impunitum. Exod. 34: 6. 7.

27. Est revera, in proprietate sua, hoc vocabulum solius Dei, qui æternus est, & omnium auctor & creator est: sed creaturis, nimirum hominibus, *ad quos verbum Dei factum est*, & *angelis* vindicibus legis, propter analogiam, quòd illis populus Dei ad tempus subjectus fuit, communicatur; sed cum manifesta restrictione, quòd verbum Dei acceperint; Joh. 10: 35. & quòd abolendi sint, & sic, patefacto *regno solius Dei* (1 Cor. 8: 6.) Ecclesia libera, ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, ipsis non sit subjecta; & quòd sint λεγόμενοι θεοὶ: neutiquam absolutè & in compellatione.

28. Id ostendit Psalmus 82: 6. *Ego dixi, Dii vos.* Et alioqui, si vox *Elohim* per se notaret *Iudicem*, non satis venustè opponeretur, *sed ut homines moriemini*. q. d. vos quidem appellati estis dii, & obliti estis, vos esse homines; ego autem ostendam, vos esse homines. Ergo etiam in tali communicatione vocabuli habetur ratio proprietatis, quâ *homini* ἀνθρωπίνῃ). Ita, quando Deus dicit ad Mosen, *Ego te dabo Pharaoni in Deum; & Aharon tibi erit Propheta*. Exod. 4: 16. 7: 1. perspicuum est, Mosi hoc nomen non dari, ut commune Deo & hominibus, sed in metaphora. quali metaphora (licèt non eodem sensu) solemus dicere, *Homo homini Deus, & homo homini lupus*. Non igitur verè fuit deus aliquis Moses cum Jehovah, quemadmodum Sol & Luna nomen commune stellarum aut luminarium possident; sed tanquam Deus ille unus & verus locutus est ad Pharaonem; & Aharon ipsi fuit tanquam Propheta. Et simili ex ratione, qui consederunt in cathedra Mosis, *dii appellati*

sunt;

sunt; nec fuerunt: ut & angeli. Neque judices qua judices, appellabantur *dii*; sed, ad quos verbum Dei factum erat, hi tantùm vocati sunt dii: à quibus tanquam clavim cognitionis habentibus (apud cathedram enim hanc depositа erat) Israël requirebat verbum Dei; secundùm quod etiam judicabant. quorum erat dicere fratribus suis, *Cognoscite Iehovam.* Quando igitur vox אֱלֹהִים, aut θεὸς, quæ ei respondet, articulum habet, id non accipiendum est, atque si dicamus, certus quidam Deus; nec vicissim, quando articulus omittitur, accipiendum id est, quasi dicatur deus aliquis: quemadmodum, quum dicitur אִישׁ vel ἄνθρωπος, valet ἄνθρωπός τις. Sed אֱלֹהִים & הָאֱלֹהִים & θεὸς, vel ὁ θεὸς perinde notant Deum unum, qui summus est. Ita Genes. 1: 1. *In initio creavit* אֱלֹהִים θεὸς *cœlum & terram*: non indefinitè *aliquis Deus*, sed definitè is, qui est Deus. Ita ut inania sint Crellii περιέργια de vi articuli, in hoc quidem negocio. Nam, ut ἥλιος & στελλὴν idem est, quod ὁ ἥλιος & ἡ στελλὴ, ita θεὸς idem est, quod ὁ θεὸς. Neque igitur Joh. 1: 1. in eo, θεὸς ἦν ὁ λόγος, alius θεὸς cogitandus est, quàm qui in initio creavit cœlum & terram.

29. Occurrit etiam vocabulum צְבָאוֹת, sed cum voce יְהוָה, aliquando etiam pleniùs sic יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת vel אֱלֹהִים צְבָאוֹת יְהוָה / Significat igitur vel, Jehovam esse exercitus populi sui; vel, eum esse Deum exercitus habentem; nempe tum cœlestes, tum terrestres. Qui *exercitus* nominatim sunt *gentium*. Jer. 3: 19. ut intelligamus, eum non tantùm velle esse Deum Israëlis, unius gentis, sed הֲמוֹן גּוֹיִם *turba gentium*. Rom. 3: 29. Ex tali autem conjunctione vocabuli יְהוָה cum צְבָאוֹת non rectè infertur, illam vocem regentis instar habere.

30. Vocabulum θεὸς & reliqua capiuntur vel ὑποστατικῶς, & significant τὸ θεῖον, Actor. 17: 29. vel σὺν τῷ θεότητι ἔχοντες, Patrem scil. Filium & Spiritum Sanctum conjunctim; vel ὑποστατικῶς aliquam divinam personam, idque vel subjectivè vel attributivè. Retinetur autem etiam tum plurale אֱלֹהִים, quia est vox denominans ab eo, quod est in tribus personis. Hoc oportuit hîc præmoneri: ut, quando *Deum* audimus, non statim cogitemus, unam personam & non plures, vel semper plures designari. Sed de personarum divinarum τριάδι postea agemus pleniùs, Deo volente. *Notio nominum divinorum ὑποστατικῶς & ἀποστατικῶς.*

31. Deus unus est, quia θεότης, complectens omnem θεότητα, unica est, ita ut extra unam nulla sit; &, quia *tres, qui in cœlo testantur,* *Deus unus*

unum sunt, h. e. unam habent θεότητα & θέλησιν, sive θείαν φύσιν. Deut. 6:4. 1. Joh. 5:7. Unitatem Dei ostendimus c. 8. §. 109. 110. 111.

32. Una igitur est æterna potentia, una voluntas, à qua pendent omnes divini effectus. Et, quia tres testantes in cœlo unum sunt, non est Pater extra Filium, nec Filius extra Patrem, nec Spiritus Sanctus extra Patrem & Filium: sed hi simul sunt, & in se mutuò sunt. quæ unitas trium ἐμπεριχώρησις appellari solet. Et ex ea unitate procedit, quòd Filius nihil potest facere, nisi quod videt Patrem facientem: quodque Filius est imago Dei sive Patris, &, qui vidit Filium, vidit Patrem.

Attributa.

33. Attributa prædicantur de Deo per verbum ἔχειν, οἰκεῖν, εἶναι πιστὸν. quod fit per quandam συγκατάβασιν ad cogitationes & sermones nostros. θεὸν γὰρ νοῆσαι μὲν χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, imò φράσαι μὲν ἀδύνατον, νοῆσαι δὲ ἀδυνατώτερον. Naz. Illa igitur analogicè intelligenda sunt ex comparatione earum perfectionum, quæ in creaturis inventæ testantur fontem in Deo inæstimabiliter perfectiorem, cui creatura utcunque assimilatur & testimonium reddit. Nam in Deo nihil est, nisi *esse hoc, quod est.*

Attributa incommunicabilia.

34. Attributa incommunicabilia non tantum οὐσίᾳ sed & nomine Deum separant à creaturis; ita ut illa nomina attribuere creaturis sit blasphemia, ἁρπαγμὸς & ἱεροσυλία. Eorum rem negando attingimus; quanquam in Deo ea sit ὄντως.

Simplicitas. πνεῦμα. Spiritus est Deus. Visio Dei.

35. *Simplicitas* tollit à Deo compositionem, & modum corporis. Bene Greg. Naz. ἢ γὰρ ἀσώματος κενὸν χωρήσει ἔδαφος, καὶ τὰ πάντῃ εἰκήσειν ἡμῖν. ἵν' ὑφεθῇ θεὸς καὶ σῶμα χλωμῷ καὶ σὰρκ ἔχων, ὅσα πεποίηκεν. ἢ σῶμα ἐν σώμασιν ἔσται, ὅπερ ἀδύνατον. &c. *Spiritus* igitur est, hoc est, ἀσώματος. Joh. 4:24. Luc. 24:39. Es. 31:3. Hinc ἀόρατος, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, 1 Tim. 6:16. ipse *lux*, *vita*, *veritas*, *charitas*, οὐχ ὁμοίως χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπων. Quippe nos, quâ πνεῦμα & dissimiles animantibus aliis, κατ' εἰκόνα θεοῦ h. e. imago Dei in spirituali rectitudine. Actor. 17:29. Si enim nos, ea parte, quâ sumus effigies Dei & q. proles, sive quæ potest esse similis Deo, non possumus figurâ exprimi, aut ad terminos substantiæ corporalis extendi aut coarctari, & in partes dividi: multò minùs Deus. Et, si nos ipsos ea parte cogitando non pervestigamus, nedum ut Deum ulla cogitatione nobis sistere & exhibere, qualis est, possimus. Hinc δόξα θεοῦ *gloria* i. e. excellentia *Dei* & ὁμοίωμα κτίσεως *similitudo creaturæ*

oppo-

oppoſita. Rom. 1: 23. Eſ. 40: 18. 24. Unde iſta doctrina oritur. 1. Deum velle coli in ſpiritu, & non tantùm membris. Nam in ſpiritu noſtro poteſt eſſe ſimilitudo Dei. Quæ membris fiunt, vel non ſunt actus virtutis propriè, vel ſine virtute fieri poſſunt. Iis igitur, quæ non ſunt actus virtutis, non colitur Deus: ea verò, quæ virtus imperat, ſi abſque virtute ſint, Dei cultus non ſunt. 2. Nihil eſſe Deo comparandum vel in ſubſtantia, vel in efficacia.

36. Igitur non vidit Deum, niſi Deus. Matth. 11: 27. Joh. 1. verſ. 18. 1 Cor. 2: 10. Viſio autem Dei, quæ tribuitur creaturis, non eſt viſio eſſentiæ, ſed vel ſymboli, aut ὀρχάνου ἐνυποστάτου, aut cognitio nominis Dei, quatenus inter homines nominari poteſt, aut apparitio ad accipienda juſſa Dei, (quemadmodum angeli etiam puerorum dicuntur videre faciem Dei. Matth. 18: 10.) aut perceptio bonitatis ipſius, maximè in vita beata, ubi *cognoſcemus, quemadmodum cogniti ſumus*, 1 Cor. 13: 12. h. e. percipiemus & ſentiemus, quomodo amati fuerimus à Deo, in ſimilitudine ſanctitatis, abundantia gloriæ & ſuavitatis, admiratione ſapientiæ & divitiarum ejus.

37. *Æternus* eſt, ἀΐδιος, Rom. 1: 20. αἰώνιος, Rom. 16: 26. Hebr. 9: 14. quia *neque initium dierum neque vitæ finem habet*, Hebr. 7: 3. *cujus anni ſunt in ætate ætatum, neque tamen finiuntur*, Pſalm. 102. verſ. 28. & ſunt innumerabili numero abſque perſcrutatione, Job. 36: 26. quippe qui eſt עַתִּיק יוֹמִין *permanens dierum*. Dan. 7: 9. (עַתִּיק *permanens*, μὴ παλαιούμενον Eſ. 23: 18.) cui coëxiſtentia rerum tempori ſubjectarum nullum affert fluxum, ut largitur denominationem. Iccircò & actio Dei perſonalis, ut generatio Filii, quippe æternà, in omni tempore eſt, ut omni tempore poſſit dici genitus. Pſalm. 2: 7. Eſt enim הוּא ὁ αὐτὸς, *primus & ultimus*, cum quo creatura aliquando non fuit; ſine ipſo contra nihil unquam eſt: *cum ultimis idem: vivens.* Apoc. 1: 18. Hoſ. 2: 1. Pſalm. 42: 3. *vitam in ſeipſo habens: à ſeculo eſt, à die, ab initio.* Pſalm. 90: 2. Eſ. 43: 13. Joh. 1: 1. Habens *vitam indiſſolubilem.* Hebr. 7: 16. ἀφθαρτος, μόνος ἔχων ἀθανασίαν *incorruptibilis, ſolus habens immortalitatem.* 1. Tim. 6. v. 16. עוֹלָם אֵל, Gen. 14: 33. אֱלֹהֵי עוֹלָם *Deus ſeculi*, Eſ. cap. 40: 28. Βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος *Rex ſeculorum incorruptibilis.* 1 Tim. cap. 1: verſ. 17. Quod declarat Pſalmus 90: 2. וּמֵעוֹלָם וְעַד עוֹלָם אַתָּה אֵל *& à ſeculo & in ſeculum tu es Deus potens. Seculum* (עוֹלָם) eſt tempus omne atque integrum cujuſque rei. Habet enim quævis res ſuum עוֹלָם αἰῶνα, *ſeculum.* Deus fuit in principio, & cum ulti-

Æternitas.

mis manet idem. Omne tempus ullius rei Deum non comprehendit & ipsius vitam non mensurat. Nam & Deus ante principium fuit. h. e. non simul incepit esse, quando res fluxæ esse inceperunt: & jam tum habuit immutabilem vitam. Ita non ab æterno fuit creatura cum Deo; sed Deus semper est cum creatura.

38. Æternitatem incommunicabilem diximus & antea. Nam, quicquid æternum est, est immutabile. Quicquid immutabile, id perfectissimum est. Quod autem perfectissimum est, id Deus est. Creatura autem Deus non est. Deus creari non potest.

39. Igitur, quod ante principium est, æternum est. Nam in tempore non est. Tempus ante principium temporis non est. Quod autem æternum est, id divinum est.

40. Sapientia apud Deum fuit ante montes fixos. Proverb. 8. vers. 22. h.e. ab æterno. Ante jacta mundi fundamenta præcognitus est Christus, 1. Petr. 1: 20. & in ipso electi sumus. Ephes. 1:4. & ante tempora secularia data est nobis gratia in ipso. 2 Tim. 1: 9. nempe ab æterno. Ea phrasis æternitatem indicat, non, ut Crellius autumat, quia necessarium est Deum æternum esse, sed, quia cum fundatione mundi tempus incepit: ut ita sub tempore non sit, & principium non habeat, quod ante tempus fuit.

41. Quare & impossibile est, angelos ante mundum fuisse, si principium est in cœli terræque vocatione: vel decreta Dei non esse æterna. quanquam id non impediat, ea esse libera. ut suo loco dicemus. Æternitas facit, ut sint immutabilia, non ut sint necessaria.

42. Et de æternitate Dei miserabiliter philosophantur, qui metuunt, ne ea intereat, nisi habeat fluxum prioris & posterioris momenti. In punctum enim redigi. Ita non possunt, quando de Deo cogitant, abjicere, cogitationem temporis, quod est mixtum quid ex esse & non esse. nam quod fuit, non est; quod est, statim fiet, quod nondum est, sed erit. Abutuntur etiam Scriptura, quæ annos & dies attribuit Deo. Attribuit sanè Deo annos diesque, sed qui non finiuntur, qui non numerantur (atque ita in se momentis numerabilibus non constant) qui non transeunt, qui manent. Nam & malè *antiquum dierum* dici arripiunt, quum Deus non fuerit junior, neque senex factus sit: quem debebant intelligere *permanentem diebus* sive dies permanentes habentem. Quo ὁξυμώρῳ docemur in nostris & secularibus annis divinæ vitæ perpetuita-

petuitatem immutabilem, quoad possibile est, cogitare, & omnem προπλὴν, omneque momentum, fluxum, & transitum à tempore in tempus à Deo removere. Quod & Boëthius studuit facere de cons. Ph. 5. pr. 6. quum *æternitatem* ad hunc modum descripsit. *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Quam descriptionem immeritò rident illi philosophastri, tanquam sibi adversam: non observantes, nos vix aliter, quàm per ὀξύμωρον Scripturæ, æternitatem adumbrare posse. Nam Boethius, quum *æternitatem* dixit *totam vitæ possessionem*, eam non collocat in momento, ut, eo abeunte, finiatur: sed momenta aufert ab æternitate, relinquens τὸ εἶναι & esse *ipsum* sine principio, fluxu & fine, tanquam in *Nunc.*

43. Quàm verò puerile est illud: *Quòd si æternitas Dei nullas habet partes, nihilque in ea prius est & posterius; certè, quum omnia in æternitate fiant, omnia eodem momento fient, &, quicquid Deus semel fecit aut facturus est, æternùm fecit ac facturus est.* Neque enim æternitas habet momenta; neque ea, quæ priùs ac posteriùs eduntur, in æternitate eduntur. Deus autem, qui æternus est, æterno consilio æternaque voluntate ea facit esse & apparere suo quodque tempore. Sic dico: Propter æternum Dei consilium & voluntatem sunt omnia in tempore à principio & in perpetuum.

44. Porrò si vita Dei haberet successionem, anni ejus & numerum & initium haberent: igitur nec esset. Quotumcunque duratio sub lapsu temporis est & habet prius ac posterius, ea nec æterna simpliciter, nec Deo coæterna esse possunt, sed necessariò initium habent.

45. *Immensus* est & verè *magnus*, Jer. 10: 6. *sine perscrutatione*, Job. 11: 7. 8. 9. Psalm. 145: 3. עליון Gen. 14: 18. 19. 20. (item עליונין Dan. 7: 27.) ὁ ὕψιστος, *altior cœlo*, Hebr. 7: 26. *cujus thronus est cœlum, terra suppedaneum.* Es. 66: 1. quem *cœlum ac terra non continet* aut *sustinet*, velut locus ejus. 1. Reg. 8: 27. *non* est *Deus è longinquo & non Deus ex propinquo, quippe qui cœlum & terram implet.* Jer. 23: 23. 24. Ideò nec creatura ab ipso abire potest, quia, quicquid est, movetur, vivit, in ipso est, movetur, vivit, Psalm. 139: 7. 8. 9. 10. Actor. 17: 27. 28. Ipse petra & מעון *habitaculum*, Psal. 90: 1. & ipse nobis gratia & spiritu suo adesse potest, Matth. 18: 20. 28: 20. Apoc. 2: 1. imò, cœlo non relicto, descendere de cœlo, & venire in mundum, in quo fuerat, potuit. Johan. cap. 1: 1. 10. 3: 13. Si Deus immensus non esset, & ubi atque locum haberet,

Immensitas.

qui eum teneret, & mutaret locum, & æternus minimè foret.

Immutabilitas.

46. *Immutabilis* est Jac. 1: 17. Mal. 3: 8. quippe simplex, æternus, (Nam τὰ ἀΐδια sunt etiam ἀναλλοίωτα) immensus. Ideoque nec pœnitentia afficitur. Num 23:23. & ipsius βεβήσεις, χαρίσματα, κλῆσις sunt ἀμεταμέλητα, non tantùm quia χάρις notat irrevocabilem donandi voluntatem, & κλῆσις sive τὸ velle aliquid venire, non potest stare cum voluntate, qua quid abigitur & abesse jubetur; sed etiam propter immutabilitatem naturæ. Rom. 1: 29. Neque nova in Deo existere voluntas potest, sed omne ipsius decretum & consilium æternum est: nec scientia; sed omnia ab æterno intuetur. Captiosè cavillantur, qui dicunt, non quidem posse in Deo existere novam voluntatem ac scientiam, sed posse aliquid fieri novè objectum divinæ voluntatis & scientiæ. Quasi non esse objectum voluntatis & scientiæ sit decerni & sciri.

Caput X.

De attributis Dei communicabilibus.

Quomodo dicantur attributa communicabilia?

Scholæ non tantùm *incommunicabilia* quædam Dei *attributa*, sed & *communicabilia* dicunt. non, quòd quicquam in creaturis esse possit divinum, aut in Deo simile ejus, quod est & cognoscitur in creaturis, quod utrisque sit *commune*, ut loquuntur, συνωνύμως, atque in quo exæquentur. quod negat & ratio & Deus apud Esaiam cap. 40: 18. 25. aut in Deo attributa *communicabilia* sint absque *incommunicabilibus*, & non secundùm modum incommunicabilium; sed, quòd de quibusdam creaturis, propter imaginem Dei, quam Deus in illis ponit, eadem nomina in sacris literis usurpentur; quæ tum non notant θείαν φύσιν *divinam naturam* in creatura & τὸ πρωτότυπον (ut quidam satis hyperbolicè loquuti inveniuntur) sed εἰκόνα & ὁμοίωσιν *similitudinem* Dei, tamen sine paritate; tantùm in aliqua adumbratione.

2. Omnia enim attributa Dei sunt ἰδιώματα, *proprietates*: quæ, propriè loquendo, non possunt *communicari*.

3. Deus *gloriam suam* h. e. præstantiam suam *alteri non dat*: Es. 42: 8. 48: 11. &, quod perfectissimum est, non potest fieri & esse πλήμα *factura*. atque cum ea ἐξισοῦσθαι.

4. Ideò, quanquam & homo dicatur σοφὸς *sapiens*, per imaginem, tamen Deus vocatur μόνος σοφὸς *solus sapiens* propter proprietatem.

prietatem. Neque commune genus Dei & creaturæ dici potest, sed tantùm ἀναλόγως, &, ut Philosophi loquuntur, ἀφ' ἑνός. Atque ideò, quum Deus vocabulis humanis de se loquitur (non enim potest nobiscum loqui nisi lingua nostra; &, quando nobis innotescere vult, necesse habet συγκαταβαίνειν ἡμῖν & se nobis assimilare) quando, inquam, vocabulis humanis de se loquitur, non est cogitandum idem, quod cogitamus de homine, eadem vocabula de eo usurpantes; sed elevanda est mens ad id, quod incomprehensibile & inaccessibile est, & vocabulis vel major significatio, quàm in creaturis habere potest, assignanda est, vel etiam ea in metaphora accipienda sunt. Proinde etiam Deo non est adjungendus *socius*. Et rectè quidem Crellius lib. 1. de Ver. Rel. cap. 18. pag. 115. dicit, illos violare primum decalogi præceptum, qui *Deo adjungunt socium imperii naturæ limites excedentis*, QUEM DEUS SIBI NON ADJUNXIT: sed malè, quòd statuit, Deum sibi socium illius imperii & honoris adjungere, & ita gloriam suam *alii non Deo* dare posse, & revera adjunxisse. Pugnat enim non tantùm cum Dei unitate sed etiam summa excellentia & altitudine, ipsi socium potestatis & imperii ac honoris adjungi. Imò, id planè esse impossibile, existimandum est. Et est manifesta cavillatio præcepti primi Decalogi, *Non habebis alium Deum*, quasi id sit, non attribues meum dominium & honorem ulli socio, nisi ei, cui ego dedero. Verba enim illa socium planè excludunt, & Deus negat, se gloriam suam aut partem ejus ulli non-Deo daturum, vel unquam apud se visum cognitumque deum alium, qui socius fuerit operationis operum suorum, cuique honor ejus debeatur, Deut. 32. Omnia per Deum sunt, omnia propter Deum sunt, quæ fiunt & sunt in mundo. Nemo esse potest, qui fiat finis operis Dei: ut ei detur honor & glorificatio. Nemo igitur & auctor operis Dei ita esse potest, ut ei honor & gratiarum actio debeatur. Quare illi, qui *voluntatem independentem*, & cum ea *potestatem*, & *potentiam*, & *imperium naturæ modum excedens gubernationemque universi occultam*, & *honorem*, & *dominium* alii tribuunt; atque etiam *suis viribus* efficientiam salutis & justitiæ arrogant: revera alium Deum habent.

5. Hæc attributa sunt partim *Vita* Dei, partim *Virtus*, (ita ἀρεταὶς appellat Petrus 1 Petr. 2: 9. πλοῦτος possumus appellare ex verbis Christi Matth. 5: 48.) partim *Potentia*. *Distributio attributorum communicabilium.*

6. Vita Dei consistit in *Intelligentia* & *Voluntate*. Quæ in Deo *Vita.*

sunt

sunt ipsius essentia. Spiritus enim est, & quidem simplicissimus.

7. Quum *spiritum* dicimus Deum, non tantùm incorporeum & materiæ expertem dicimus; sed & *vitam*, quam *in se habere* excellentissimam dicimus. Vita enim Dei est intelligere & velle. Nam hæc sunt in vita excellentissima, quam cogitatione attingere possumus. Neque enim Deus vivit, ut illa, quæ φύονται velut plantæ, incrementis, aut animalia verberatione specierum externarum ac progressu. In nobismet ipsis meliorem vitam sentimus; propter quam nos & non bruta animalia divinæ imaginis invenimus esse capaces. Quæ vita in nobis τῷ intelligere & velle absolvitur. Neque invenimus vitam excellentiorem, quam vel nominare vel cogitare possimus. Quanquam in nostra intelligentia & voluntate reperimus imperfectionem; quam à vita Dei & ejus intelligentia ac voluntate detrahimus, ut ei vitam perfectissimam & beatissimam adjudicemus.

Intelligentia Dei.

8. Intelligentia in Deo non habet se ut potentia, sive ut *facultas* (quemadmodum Crellius loquitur) sed ut actus. Ideoque magis propriè dicitur Intelligere, quàm habere intellectum. Quicquid in Deo est, est æternum. Non educitur è potentia in actum.

9. Intelligentia igitur Dei est æterna. Neque in ea quicquam fit novi. Quia non mutatur Deus, neque ipse novus est. Nam, si in Deo aliquid novi admittimus, non potest esse æternus. Ergo neque novum objectum in Dei scientiam venit, ut Franciscus à S. Clara statuit. Nam existeret in Deo nova scientia.

10. Imprimis Deus novit & intuetur seipsum. Prima enim veritas ipse est.

11. In sua perfectione videt, quid possit præter se esse propter voluntatem suam opus se dignum.

12. Cognitio rerum possibilium, h. e. earum, quas Deus potest velle, ut sint, vulgò appellatur *cognitio simplicis intelligentiæ*. Nescio an termino satis ἁδαπλῶς. Vocant etiam *cognitionem necessariam*. Quia & sine ea esse non potest, & id ejus objectum est, quod aliter habere non potest.

13. Nam, ut Deus necessariò est, & necessariò est finis omnium, quæ propter ipsum sunt, ita necessarium est, quæ res possunt esse, tales esse in sua natura atque essentia, ut, si sint, narrent & testentur gloriam Dei: & sic perfectionibus ejus respondeant.

14. Illæ

14. Illæ igitur res, quarum natura non est testari perfectionem Dei, non possunt esse & à Deo vocari.

15. Multò minùs eæ, quæ, si à Deo fierent, testarentur contra Dei naturam & virtutem.

16. Atque, ut probè dictum est de viro bono à Juris-Consulto Papiniano ff. lib. 28: 7. leg. 15. *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est:* ita multò magis de Deo dicendum est, Quod non est testimonium perfectionum Dei, aut obscurat virtutem Dei & gloriam, id Dei opus esse non potest.

17. Ideò etiam dicitur, *Deum se abnegare non posse.* 2. Tim 2: 13. h.e. quicquam dicere aut facere, quod fidem faciat, Deum alium esse atque est, aut non esse eum, qui est.

18. Contra, quum de exauditione Christi, ut sacerdotis agitur, dicitur POSSE IPSUM *servare ex morte.* Hebr. 7: 5.

19. Et maximè in negocio reconciliationis & remissionis peccatorum τὸ πρέπον *decentia* urgetur Hebr. 2: 10. 7: 26.

20. Et in omnibus δόξα Θεοῦ ostenditur esse finis necessarius actionum Dei: quam, ut alteri non dat, ita ipse non abnegat.

21. Eaque in omnium operum colophone insigniter patescit. 2 Thess. 1: 10. Rom. 5: 2. 9: 22. 23.

22. *Sapientia* Dei spectatur in eo, quòd, ut novit, quibus rationibus gloriam suam illustrare potest, ita non vult, nisi quod ad gloriam suam illustrandam facit, & quidem ita, ut in nullo decreto frustra sit aut pudefiat. *Sapientia Dei.*

23. Quæ Deus novit posse illustrare gloriam suam, ea non necessariò vult. Sunt enim ἐνδεχόμενα εἶναι καὶ μὴ εἶναι. Sed tamen, ut dictum, non posset illa velle & esse jubere, nisi illustrare gloriam ipsius h.e. *perfectiones* ejus & *virtutes*, possent.

24. Ideoque, quum dicimus, Deum quid voluisse, præsupponimus, id, quod Deus voluit, tale esse, ut per id Deus glorificetur. Non tantùm, quia non dubitamus, Deum nihil nisi sibi decorum velle posse, sed etiam, quia judicamus, bonitatem ejus, quod Deus vult, se posse conscientiæ approbare: ut Deus id volens sapienter voluisse cognoscatur. Nam *gloria Dei*, quæ est operum ejus consequens, & qua efficienda se testatur esse finem, est in creatura, & est bonum creaturæ, quæ est secundùm voluntatem Dei.

25. Atque usque adeò esse bonum & posse benè ac decenter

fieri, atque sic cognosci, prius est, naturæ ordine, divina volitione sive decreto, ut ipsum illud, quod per se indifferens est, ad concedendum homini vel negandum, ad imperandum vel vetandum, priùs necesse sit cogitare tale esse, ut benè, ad probationem dominii Dei, ex arbitrio ipsius liberè possit concedi vel negari, imperari aut vetari, quàm cogitetur, à Deo hoc vel illo modo in esse constitui aut legem de eo dari: atque etiam id ipsum, propter decretum Dei & legem naturam non mutet, sed in se maneat indifferens, h.e. nec bonum nec malum. Verbi causa, Esus cibi aut abstinentia ab eo. *Esca enim non commendat nos Deo.* 1 Cor. 8: 8. Ita *circumcisio & præputium nihil est, sed observatio præceptorum Dei.* 1 Cor. cap. 7. vers. 19.

Præscientia. 26. Quæ Deus vult esse, de iis habet *præscientiam.* Quæ vocatur à quibusdam *Scientia visionis*, & *scientia libera.* Sed decretum potiùs est liberum: scientia propter decretum est necessaria. Quanquam hujus vel illius rei, ut futuræ, scientia non sit necessaria propter naturam Dei in se solam.

27. Præscientia Dei non in eo fundatur, quòd futura coexistunt æternitati. Non enim coexistentia temporis aut partium temporis aut rerum in tempore cum æternitate facit existentiam rei temporalis æternam, ut possit ea existentia esse ratio & causa æternæ scientiæ in Deo.

28. Neque præscientia nititur Dei infinitate. Quemadmodum enim non propterea, quia Deus infinitus est, res futura est, ita nec propterea, quòd Deus infinitus est, præscitur, ut futura.

29. Neque verò Deus præscit per conjecturam.

30. Sed Deus ab æterno præscit, quæ futura sunt; quia nihil futurum est sine opere Dei. Actor. 15: 18. *Deo ab ævo cognita sunt omnia opera ipsius.* Adeò ut & peccatum præviderit. Nam habet ab æterno decretum de eo, quod interveniente peccato facturus est. Quippe *elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta.* Ephes. 1: 4. 3: 11. 2 Tim. 1: 9.

31. Quod quanquam ita sit, nihilominùs cogimur cum Apostolo dicere, *O profunditas—cognitionis Dei.* Rom. 11: 33. & cum Psalte, *Tu cognoscis sedere meum & surgere meum, animadvertisti cogitationem meam è longinquo* (h. e. longè ante, Es. 25: 1.) *—mirabilis est scientia præ me, sublimis est, non possum eam attingere.* Psalm. 139: 2. 6.

32. Meliusque & modestius est, hîc in eo, quod quoad rem certum

tum est, & Deus de se ipse testatur, acquiescere, quàm modos velle scrutari, aut ex ingenio suo confingere; & Deo illa affingere, quæ Deo non sunt decora, & eum faciunt similem homini, quasi videret, ut homo. Job. 10: 4.

33. Hujus generis est *scientia media* à quibusdam excogitata, & à Ludovico Molina ejusque sequacibus diligenter inculcata; qua Deus dicitur nosse, quid ex hypothesi facturus sit homo sive boni sive mali, si in certa conditione ponatur. Quod vocabulum est cassum mente & sensu. Nam *conditio*, in qua homo ponitur, non est causa, cur sequatur factum hominis; quem volunt in suis actionibus esse indifferentem: ergo nec ut factum ejus præsciatur. Quare illa vox *scientia media* est potiùs abnegatio scientiæ, quàm ejus demonstratio. Nisi dicas, *fatali lege* operationes causarum secundarum esse conditionibus consertas: cujus *fati* Deus conscius præsciat futura, sine consilio suo, ut Jupiter Homericus μοίρας trutinans. Præterea facit illa opinio hominem & creaturam intelligentem in actionibus suis independentem à Deo. Jp. 204.

34. Loca Scripturæ, quæ à defensoribus hujus vocabuli proferuntur, significant vel id, quod ex divino decreto & ordinatione consequitur, ut, quod de Keïlæis responsum est Davidi: vel, quod Deum circa certas personas deceat operari, si cum œconomia temporum id conveniat. ut, quod Christus dixit de Tyro & Sidone, Matth. 11: 22. Pronunciantur futura sub conditione; sed futuritionem conditionatam, sive veritatem verbi conditionati de futura re videt Deus in sua decentia aut in sua ordinatione. Ita omnibus promiscuè promittitur vita, si in fide stent stabiles & radicati: quia decet Deum, eos, qui in se credunt, & Filium salvatorem amplectuntur, justificare & glorificare. Quia gentibus ordinaverat Deus vocationem ad fidem, declarat, Tyrios (si apud ipsos facta essent, qualia in Bethsaida: atque ita hora visitationis ipsorum veniisset) pœnitentiam acturos per Dei gratiam. Videtque eam veritatem non dubiè aut medio modo, sed certissimè & præsentissimè. Neque necesse est, cogitare, Deum apud se fecisse consilium de iis, quæ non facit; tanquam qui determinaverit, quid ex occasione data & causa aut ratione oblata facturus esset. Satis est, Deum sub conditione inobedientiæ ea comminari, & voluisse comminari, quæ ipsum facere justum est, &, quæ in inobedientibus facit: & ea bona proponere iisdem, quæ obedientibus decrevit concedere.

35. Quæ igitur videt futura esse, videt in decreto, quo vel res vocat, ut sint, vel creaturæ peccanti præstare concursum causæ primæ (sine quo secunda agere non potest) statuit. Quod decretum Dei qui abnegant, necessariò etiam consequenter abnegant, Deum omnia futura simpliciter præscire. ut Crellius.

36. Videt igitur res futuras, quia futuræ sunt: & futuræ sunt, quia eas prævidet. Nempe, quia rerum futuritio propter decretum est causa sciendi; &, quia scientia Dei falli non potest, scientia Dei & prædictio est ratio certæ futuritionis.

37. Videt Deus & discursum; quippe qui docet hominem sapientiam: quanquam non cognoscat per discursum. novit etiam, quòd cogitationes hominis sint vanitas. Psalm. 94: 11.

38. Deus in initio videns omnia, quæ decenter ab ipso vocari, fieri, mandari, vetari, concedi & permitti possunt, *scrutatus est sapientiam*, h.e. clarissimè scivit, quomodo sapienter hominem posset deducere ad finem & bonum suum. Job. 28: 27.

Voluntas. *Beatitudo Dei.* 39. Secundum in Dei vita est *voluntas*. Est enim Deus volens; imò amor. In quo ejus vel *beatitudo* vel *bonitas* consistit. *Beatitudo*, quatenus seipsum & suas perfectiones, suamque sufficientiam & virtutes amat, & delectatur in operibus suis. Quam necessarium est, Deum esse, & intelligere; tam necessarium est, ut velit, & amet, quod necessarium est esse. Nam sine eo nec Deus esset. Hinc ὁ μακάριος dicitur 1 Tim. 6: 15.

Bonitas. 40. *Bonitas* est, quòd aliquid esse præter se vult ad gloriam suam. Quæ libera est, quia nullo indiget. Sed eum decet, ut divitem & potentem. Quanquam autem necesse sit, Deum cum creatura ad imaginem suam condita sic agere, ut se non abneget; tamen non est necesse, ut ei ostendat omnes divitias suas & eas effundat plenissimè, ubicunque potest. Videmus enim Deum decuisse in opere ποικιλότητα.

Velle *distinctè* dicitur. 41. *Velle* de Deo, quum ad ea, quæ non sunt Deus, refertur, non uno modo dicitur. Nam aliquando significat *jubere*, *ut fit*. pro quo etiam dicitur *vocare* rem. Declaratur hoc etiam per προθεσιν ποιεῖν *propositum facere*: & talis *voluntas* θέλημα, βουλὴ nuncupatur. ut in illo: κατὰ βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Ephes. 1: 11. cui attribuitur εὐδοκία *beneplacitum*. ibid. v. 9. Hinc vulgo *voluntas beneplaciti* appellatur, quod Deus decernit, ut fit.

Voluntas beneplaciti.

Decretum per- 42. Quo indirectè refertur decretum permittendi peccatum.

Nam,

Nam, quia in eo Deus decrevit opus suum, quod est causæ primæ, ad hanc voluntatem reducitur: quatenus tamen circa peccatum versatur, quod Deus non *vult* neque jubet esse, *permittendi* decretum appellatur. *mittendi.*

43. Peccatum enim Deus non *vult*. Nam *velle* significat approbare, delectari, æstimare pro similitudine sua, jubere esse, facere, ordinare vel ut finem, vel ut medium. Quæ *peccato* nullo modo conveniunt.

44. Chrysostomus, Damascenus, & si qui alii, distinxerunt *voluntatem antecedentem & consequentem.* Ii intelligendi sunt per illam notare id, quod de voluntate Dei priùs cognoscitur; per hanc, quod de ea posteriùs cognoscitur. Sed periculosum est in docendo uti vocabulis μὴ κυρίοις & non propriè, distinctè ac clarè significantibus. Si verò Scriptura ἀνθρωποπαθῶς & συγκαταβατικῶς de Deo loquatur, ejus modi loquendi per propria vocabula sunt exponenda, & quidem, quantum ejus fieri potest, ab ipsa Scriptura suppeditata. Termini enim nostri sunt ferè λογομαχίαις obnoxii. Λόγοι διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου *sermones docti à Spiritu sancto* (1 Cor. 2: 13.) sunt longè aptiores nostris ad docendum. *Voluntas antecedens & consequens.*

45. Velut, quum de Deo prædicatur *pœnitentia.* Quæ quia in Deo esse propriè non potest, Num. 23: 23. ideò nec *voluntas consequens*, quasi voluntas recens, & consilium ἐξ ὑστερήσεως captum, & cum displicentia voluntatis prioris. Sed, quum *pœnitentia* de Deo dicitur, metaphoricè intelligitur opus simile operi pœnitentis. Solet is, quem pœnitet sui operis, & cui id displicet, opus suum penitus abolere, ut, si fieri possit, ejus nec vestigium nec memoria exstet ampliùs. Ita Deus, quum instituit (juxta consilium ἀμεταμέλητον *cujus eum non pœnitet*) mutare opus beneficii aut iræ, *pœnitudine affici* dicitur. *Pœnitentia quomodo de Deo dicatur.*

46. Sunt quædam opera Dei, in quibus ne quidem pœnitentia metaphorica locum habet, sed planè sunt ἀμεταμελήτως *sine pœnitudine*, h. e. de quibus non potest esse consilium mutandi rem. Ita Apostolus dicit Rom. 11: 29. ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. Sed de eo postea.

47. *Velle* etiam dicitur Deus, quæ homini & angelo mandat aut prohibet. Item, si quid promittit, aut comminatur. Potest enim dici, Vult Deus, ut habeat vitam, qui ipsi obedit. *Voluntas Dei est, ut, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Joh. 6: 40. *Voluntas signi.*

Non volet Dominus remittere ei, qui voluerit ſaturam apponere ſitienti. Deut. 29: 20. Quinetiam Deo attribuitur ſermo optantis. ut Deut. 5: 29. *Vtinam ſit ipſis cor hoc ipſorum ut timeant me.* Quo non ſignificatur, Deum optare aliquid, quod in ſua poteſtate non ſit; aut quod non decreverit dare, quia id velit à libera hominis voluntate expectare (qualia ferè Crellius hîc tradit p. 316.) ſed, gratum Deo eſſe cor tale, ſi ſerium ſit, ſique adeò conſtans ſit: quemadmodum ei, qui quid vehementi cum deſiderio optat, ſi id eveniat, gratum ſine dubio accidit. Simul innuitur, Deum noſſe ipſorum cor non integrum, atque ideò nec conſtans. Quippe noverat, Iſraëlem necdum accepiſſe cor ad intelligendum, &, quem miſſurus erat prophetam loquentem verba ſua, quæ ipſi ſupererant dicenda, non auditurum. Scholaſtici hæc ſermonis genera referunt ad *voluntatem ſigni*. h. e. vocabulum *velle* explicant nunc de propoſito Dei, nunc de *mandato*, *promiſſione*, *comminatione*, aliove ſermone. Per *ſignum* enim in ea phraſi poſſumus intelligere *ſermonem*, quo Deus *voluntatem ſuam* h. e. vel conſilium, vel præceptum ſuum, vel favorem ſuum & approbationem facti, vel, quid obedientes maneat, notificat.

48. Quæ Deus *vult*, h. e. eſſe jubet, non diverſis temporibus, neque diſtinctis actibus jubet & vocat, ſed uno ſimpliciſſimo actu. Ideoque in Deo non ſunt diſcernenda diverſa decreta. Neque eſt verum apud Deum: *Quod eſt ultimum in exſecutione, id eſt primum in intentione*: niſi hoc ita interpretemur, *Quod eſt ultimum in exſecutione, id eſt primarium in intentione*; quippe in quo bonitas omnium antecedentium actuum evidentiſſimè elucet.

49. Deus, quemadmodum omnia, quæ decenter fieri in quocunque ordine poterant, vidit, ita, quæ fecit hactenus, quæque facturus eſt, vidit ſe ſapienter & decenter facere poſſe; atque hæc liberè voluit & eſſe juſſit. Liberè, quia non neceſſe erat, Deum vel aliquid condere, vel cum conditis omninò ad illum modum agere. Libertas repugnat neceſſitati ejus, quod decernitur; non autem æternitati decernentis & conſilii ipſius. Igitur Pr. 8: 22. inter antiquiſſima Dei ponuntur מעלליו *molitiones ejus* decreta ejus. Ita, quum cœlum conderet, ſcrutatus eſt ſapientiam, h. e. jam tum habuit cognitum, quę futura eſſent ultima, & quomodo in primis ſimul & mediis & ultimis gloria ſua manifeſtanda eſſet. Ita *fecit omnia pulchrè tempore ſuo*. Eccl. 3: 11. Nam, quod *vocavit*, quodammodo jam *fecit*.

50. Quan-

50. Quantumvis autem uno actu Deus voluerit & jusserit omnia esse suo tempore, nihilominus tamen, quum voluntas Dei nomen accipit ab aliquo actu sive effectu, rectè secum ipsa comparatur, ut denominatur ab effectu alio. Ita voluntas regenerandi & justificandi (quæ est *electio*) rectè comparatur cum voluntate, quatenus propter eam electi sunt filii Adami, & non sine ea cum eo in condemnationem venerunt. Rursus eadem rectè comparatur cum voluntate glorificandi. Nempe ut recognoscamus bonitatem & decentiam voluntatis divinæ, quæ hæc omnia simul decrevit: quæ decentia ex rerum decretarum ordine noscitur.

51. Rectè dicitur, *Deus vult, hoc esse propter hoc:* id est, Deus hæc media cum illo fine coordinavit: non autem: *Deus vult hoc propter hoc:* quasi Dei voluntas moveretur ab externo.

52. In voluntate Dei prima virtus est *Sanctitas*. Quæ in eo consistit, ut necessariò amet veritatem; & nihil dicat vel agat, quo veritatem abneget & occultet. *Sanctitas.*

53. Ex quo *veracitas* in sermone, *rectitudo* in actione sive operatione consurgit. Deus enim est ἀψευδὴς *mentiri nescius*. Numer. 23: 23. Tit. 1. vers. 2. Ejusdem enim est mentiri, cujus est amare mendacium. *Veracitas.*

54. Hinc est, quòd *seipsum abnegare non potest*, h. e. non potest dissimulare virtutes suas & jus suum, aut id facere, quo testetur, se non eum esse, qui est, & virtutes, quæ divinæ sunt, non habere. Idque, quia ipse est *exemplar* & ἀρχέτυπον creaturæ intelligentis; cujus est creaturæ in suis operibus monstrare suam naturam, decentiam, jus, excellentiam. *Rectitudo.*

55. Hinc attribuitur Deo *puritas oculorum, ut non videat malum*, h.e. id ante oculos suos non ferat, *idque intueri non possit*. Hab. 1: 14. & *ira*, quæ est voluntas vindicandi sive puniendi peccatum; & *zelus*, quo asserit, quod sibi charissimum est, veluti cum flagrantia, nempe gloriam suam & nomen suum. Quod per peccatum violatur & abnegatur. Nam, qui peccat, non *dicit* Deum *Dominum*, & exemplar suum non dicit bonum, & Deum non dicit finem & bonum suum. *Ira & Zelus.*

56. Hinc ei tribuitur *judicium*, & in judicio *justitia*, ἀνταποδοσία. Qua judicat secundùm veritatem. Rom. 2: 2. Es. 42: 3. *Judicium.*

57. Quo judicio id efficitur ante omnia, ut Deus non videatur similis peccatori. Psalm. 50: 21.

58. Hinc

58. Hinc θεῖ ἐντολὴ *præceptio Dei*, ut est ἁγία, *sancta* & purissimæ Dei naturæ atque æternæ veritati conveniens, ita est δικαία *justa*, quia debitum exigit, & verum rectumque judicium ei connexum est, quod per promissionem & comminationem justam indicatur. Rom. 7: 12. Justa enim est sententia: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* & illa, *Maledictus, qui non permanserit in omnibus.* Gal. 3: 10. 12. & ita *justa*, ut recta & *sancta*: & earum sententiarum abnegatio sit abnegatio non tantùm juris Dei, sed & naturæ Dei.

59. Eo ipso enim, quòd Deus habet creaturam intelligentem, ejus judex sit.

60. Neque posset punire, & ὀργὴν ἐπιφέρειν, si posset non punire. Nam absque ratione puniret. Si enim nulla est ratio, propter quam intersit gloriæ Dei punire peccatum, punitio erit opus ratione carens & ad gloriam Dei non faciens, aut proveniet ex lubitu destruendi operis manuum suarum. Job. 10: 3.

61. Non potest autem non punire; quia est exemplar, & creatura intelligens ad imaginem ipsius facta est. Non potest igitur Deus dare communionem sui peccatori; ne testetur, se esse similem illius. Psalm. 50: 21. Detrahunt igitur divinæ naturæ & dignitati Sociniani, qui *peccata remittere* & punire ponunt inter illa, quæ *salvæ naturæ intelligentiæ* (imò divinæ) *dignitate & fieri & omitti possunt.* Crellius cap. 23. p. 163.

62. Hinc neque peccatum condonari potest, nisi per *justificationem. Justificatio* autem non potest fieri, nisi per *condemnationem peccati*; quatenus id per *legem* illam *sanctam* habet vim accusandi & damnandi hominem ad servitutem peccati, & sic ad sanctificationis perpetuam negationem, & mortem. Nam ea est facta *peccati lex*, h. e. lex peccato inserviens, *potentia peccati*, *impotens ad condemnandum* & à tribunali Dei abigendum *peccatum*, *per carnem.* Rom. 3: 2. 3. 1 Cor. 15: 56. Igitur, ut *lex*, quamdiu ea nihil invenit nisi *carnem*, non potest esse *potentia peccati* & *lex peccati*, propter naturam ejus, & veritatem Dei; ita *justificatio* fieri non potest, nisi lex, ut *lex peccati*, *mortificetur*, & *ei nos mortificemur*, *per legem*, *in eo*, qui potest fieri *Dominus noster*, ut *ei* & *in ipso Deo vivamus.* Gal. 2: 19. ut ita Deus sit *justus & justificans.* Rom. 3: 26. nempe dum SANCTIFICATUR PER veri nominis JUSTITIAM. Es. 5: 16.

63. Atque hinc etiam NOMINI suo adscripsit Deus, יְקֹוָק צִדְקֵנוּ ἀθωῶν οὐκ ἀθωοῖ, nempe *pravitatem*, *defectionem & peccatum.*

ut

ut est Exod. 34: 7. Quid autem ea verba significent, clarum est ex Exod. 20: 7. *Non dimittet impunitum, qui nomen ejus in vanum tulerit.* Atque etiam hinc patet veritas, quam hîc adstruimus. Nam omnis peccator Dei creatoris & archetypi & domini & finis & boni & judicis sui nomen in vanum fert. Non potest enim non ab illo cognominari, & non tanquam nomen ejus ferens loqui aut agere.

64. Quando igitur *peccatum* accusans *condemnatur* & peccator *justificatur*, judicium est Dei *justi*, אין עול *sine injustitia.* Deut. 32: 4. Injustitia esset non *justificare* eum, cui lex peccati mortua est; aut condonare peccatum sine *justificatione* φερωνύμῳ.

65. Ex quo id facilè constare potest, neque *legem* aliam *justitiæ* esse posse: & eam immutabilem esse: quia Deus *sanctus* & *justus* est.

66. Propter *justitiam* (quæ in eo consistit, ut Deus judicet secundùm veritatem) removetur à Deo προσωπολημψία *acceptio personæ* in judicio: &, propter dependentiam creaturæ à Deo in esse & habere, removetur ab ipso προσωπολημψία in distributione donorum gratiæ. Gal. 2: 6. Neque enim ei, qui amplius accepit, amplius obligatur dare, quàm alteri, qui nihil accepit & nihil habet. *Justitia.*

67. *Justitia Dei* non impedit *longanimitatem.* Qua potest decenter tolerare peccatorem & ei insuper benefacere. Quæ πλήρωσις *perfectio* dicitur Matth. 5: 45. 48. *Longanimitas.*

68. Neque enim, cujus δικαίωμα *jus* aut *justitia demonstratio* est vindicare gloriam suam & punire peccatum, illi necesse est punire, quantum potest, & statim atque potest, & in ipso peccatore. Satis est, ut se *sanctificet* coram creatura intelligenti. Quod variis modis fieri potest, &, si ad *condemnationem peccati semel* fiat, & semper per verbum gratiæ notificetur, satis est.

69. Est & *perfectio* Dei, quòd decenter *largiri* potest, ubi nullum est meritum. A cujus perfectionis exercitio חנן *gratiosus* appellatur. q.d. per gratiam & benevolentiam largiens. *Gratia.*

70. Id verò ipsi liberum est. Exod. 33: 19. Rom. 9: 15. 16. quemadmodum *vocare illa, quæ non sunt.*

71. Quia habet *filium*, quem potest *mittere in similitudine carnis peccati, & pro peccato, & sic in carne condemnare peccatum*, potest etiam *misereri* peccatoris, *& condonare pravitatem.* A cujus perfectionis exercitio vocatur רחום *misericors.* *Misericordia.*

72. Quæ sufficientia & decentia ipsi naturalis est. unde שדי ὁ ἱκανὸς & πλούσιος *sufficiens, dives*, (Exod. c. 6: 3. Rom. c. 9: 22.)

appellatur : ſed exercitium eſt liberum, ſimiliter ut gratioſa largitio.

73. *Miſericordia* habet conjunctam χάριν, quæ dicitur חֶסֶד. quod in ſua proprietate ſignificat *ſtudium boni*, &, in perſonam, ad bonum ejus. Ideoque, quum de Deo dicitur, ſtudium glorificandi ſignificat. Quapropter ab Apoſtolo illa junguntur, οὓς προέγνω, *quos antè aſpexit*, per miſericordiam, τούτους καὶ προώρισε συμμόρφους τῆ εἰκόνι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐδόξασε. Rom. 8: 29. 30. Et Deus *nomini* ſuo aſcribit, נֹצֵר חֶסֶד q. d. *retinens ſtudii*. Exod. cap. 34. verſ. 7.

74. Apoſtolus autem ab ea *gratia* excludit pœnitudinem, h. e. ablationem gratiæ, Rom. 11: 29. ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. Si enim *dona gratiæ* per pœnitentiam Dei auferri poſſent, *gratia* non eſſet *gratia*, h. e. *ſtudium*, δώδεκα, προθεσις. Si *vocatio* Dei, qua *vocat ſemen* ſive filios Abrahami & hæreditatem Chriſti, eoſque jubet exſtare (ut omnes *generationes ab initio vocavit*, Eſ. 41: 4.) poſſet mutari, ut vocati non veniant, *vocatio* erit non—vocatio.

Potentia. 75. *Potentia* de Deo dupliciter dicitur. 1. Quatenus in ſe naturâ ſufficiens eſt ad jubendum & vocandum omne, quod gloriam ejus illuſtrare & teſtari poteſt. Neque enim agnoſcimus *potentiam abſolutam*, quæ ſeparet à rerum poſſibilium eſſentia eorum reſpectum ad finem. Propter hanc potentiam omnia poſſibilia ſunt, quæ Deum & gloriam ejus narrare poſſunt. 2. Quatenus id fit, quod vult : quæ eſt voluntatis efficacia. Quæ ἰσχὺς νικᾷ & κράτος ἐστὶ ἰσχύος q.d. *imperium virium*, dominans vis, & Hebraicè יִתְרוֹן *robur*, ἀνυπόστατον ἐν τῷ ἐνεργεῖν καὶ ἀνίκητον ἢ ἀήττητον, *potentia invicta* & *omnia vincens*, item גְּבוּרָה κράτος, νίκη, appellari ſolet. Propter hanc potentiam omnia ſunt, quæ ſunt; & ſine illa nihil eſt. Apoc. 4: 11. Atque hinc nihil independenter à Deo vel eſt vel agit: eſtque apertiſſima contradictio, Chriſtum (ut ψιλὸν ἄνθρωπον *merum hominem*) independenter agere, & nihilominus nihil agere, niſi quod Deus vult; & nihil venire, niſi quod Deus vocat; eumque nihil velle, niſi quod novit Patrem velle. Nam, ſi hoc tantùm vult, quod Pater vult, & ne poteſt quidem aliud velle; utique dependet ejus voluntas à voluntate Patris: &, ſi propter voluntatem Patris ſunt & fiunt, quæ Chriſtus facit, utique non independenter agit, neque ipſe ſiſtit & exhibet opera, quæ facit; ſed Pater. Quæ enim voluntas eſt cauſa alicujus

cujus operis, præter eam nulla alia voluntas poteſt eſſe cauſa independens ejuſdem operis.

76. Specialiter etiam τὸ δυνατὸν αὐτῷ, nempe Dei, dicitur, quòd poteſt tolerare peccatorem & condonare peccatum. Num. 14: 17. Rom. 9: 22. 23.

LOCUS QUARTUS
DE
Myſterio Patris, Filii & Spirit. S.

Cap. XI.
De Deo Patre & Filio & Spiritu S.

Cognitio myſterii & Patris & Chriſti videtur pertinuiſſe ad rectitudinem imaginis Dei in primo homine.

Quia homo ad imaginem Dei conditus eſt, multoque magis, quia peccator ad imaginem Dei renovandus eſt, neceſſe eſt, ei non eſſe incognitum, quis ille ſit, qui glorificandus, quærendus & adorandus eſt, & cui gratiæ agendæ ſunt; ſive ut *creatori* recti, ſive ut *Sanctificatori* corrupti.

2. Neque igitur dubitandum eſt, quin homini de Deo id revelatum ſit, quod ad integritatem rectitudinis ipſius pertinebat; tum ne vel falſam de Deo haberet opinionem, atque ita veritatem Dei mutaret in mendacio, vel divinas virtutes ipſius abnegaret; tum ut eum rectè agnitum ex toto corde amaret. quemadmodum non eſt ambigendum, quicquid poſt mortem in mundum introductam revelatum eſt, id eo fine revelatum eſſe, ut homo peccator cognoſcat, Deum eſſe *ſanctificatorem ſuum*, h. e. redemtorem ſuum, juſtitiam ſuam, & vitam ſuam, ac eum, qui ipſi conſummatam lætitiam & gloriationem in ſe per ſe ipſum donet.

3. De angelis electis, qui vocantur *filii Dei*, (quibus ſine dubio opponuntur hoſtes Dei defectores) legimus Job. 38: 7. quòd pariter jubilaverint, quum Deus fundavit terram. Quam Eſ. 45: 17. negat Deus ſe fruſtra exaptaſſe & fixiſſe, ſed ad habitandum creaſſe: nempe, ut homini, etiam peccanti, habitaculum eſſet. Unde liquet, Angelos electos glorificaſſe Deum creatorem, quòd præter ipſos, ſpiritus à materia ſejunctos, creare inſtitueret homi-

nem ad imaginem ſuam, quem in mutabilitate ſua tentaret & exploraret, & ex quo gloriam, ſi peccaſſet, per judicium & miſericordiam conficeret. Apoſtolus dicit, nos eſſe electos in Chriſto ante fundationem mundi, Epheſ. 1: 4. Sapientia dicit Prov. 8: 23. *A ſeculo uncta ſum.* quaſi innueret, ſe non tantùm ab æterno divino conſilio deſignatam eſſe, quæ luderet in humano genere; ſed *regem* inter primas creaturas intelligentes declaratam, ſibique à filiis Dei jubilatum fuiſſe.

4. Etiam Moſes de creatione omnium & ipſius hominis formatione ad imaginem Dei ita loquitur, ut, ſi ſtatuamus, ea, quæ recitat Moſes, etiam Patribus notificata fuiſſe, non poſſit dubitari, quin Adamo hoc myſterium non fuerit penitùs ignotum.

Ratio ordinis.

5. De quo myſterio hîc agere compellimur, quia ſine ejus firmitate neque firma aut recta erit fides miſericordiæ Dei, neque de conſilio Dei poterimus agere commodè, neque angelorum & hominis rectitudinem plenè cognoſcere.

In primis juſtum eſt, nihil divinum alienare.

6. Ante omnia igitur, qui Deum glorificare velit, neceſſe eſt credere, non magis unam indiviſam eſſe eſſentiam ſive naturam divinam, quàm voluntatem unam, cujus efficacia omnia, quæ ſunt, ſiſtuntur: eamque voluntatem ſuo nutu & imperio quicquam, ſive magnum ſive parvum, ſiſtentem in nulla eſſe creatura. Ac proinde, cujus ea voluntas eſt, ejus eſſe & eſſentiam æternam ac independentem: eumque eſſe dominum & exemplar ſive ἀρχέτυπον (jungamus enim illa vocabula cum Plinio 1. Epiſt. 20) hominis, ejuſque finem ac bonum.

7. Hanc unitatem inculcat Scriptura paſſim. ut Deuter. 4: 35. 6: 4. Marc. 12: 29. 32. Deut. 32: 39. Pſalm. 18: 32. Eſ. 44: 6. 8. 45: 5. 6. 14: 18. 21. 22.

8. Hæc unitas eſt immobile fundamentum illius juſtitiæ, quam præcipit Decalogi primum præceptum: *Non erunt tibi dii alii*, vel, *non erit tibi Deus alius in conſpectu meo.* Exod. 20: 3. Deut. 5: 7. Pſ. 81: 10.

9. Cui contraria injuſtitia eſt, dicere: *Non-Iehovah fecit omne hoc*, vel *quicquam iſtorum.* Deut. 32: 27. Uti enim ejuſdem capitis verſu 21. *Non-Deus*, & *Non-populus* (quomodo & Eſa. 10: 15. *non-lignum.*) ita v. 27. dicitur: *Non-Iehovah:* excludendo omnem præter Jehovam à ſocietate operis ſui, & à conſortio vocationis & productionis ullius rei. Unde & hoc dicere indigitat נכר *alienare*, h.e. gloriam Dei dare alii. ut patet ex Eſ. 42: 8. 48: 11. Quid autem

tem significet נֵכַר, intelligi potest ex Jer. 19: 4. וַיְנַכְּרוּ *& alienarunt locum hunc, & adoleverunt in eo diis aliis.*

10. Et hujus gloriæ (qua omnia, quæ vocantur, à nullo vocari & sisti cognoscuntur, præterquam ab eo, qui Primus est) vindicatio prædicitur futura ultimis diebus in regno Dei. Zach. 14: 9. *In illo die erit Iehovah unus, & nomen ejus unum.* Quando aliquod opus Jehovæ, & quod ad vim nominis illius pertinet, attribuitur non-Jehovæ, Jehovah multiplicatur: quando alia regula introducitur & alia atque alia fides de Jehovah, & alius detrahit de eo, quod de Jehovah credendum est, alius ei superaddit; imò alius hunc, alius illum doctorem sequitur; Christus scinditur, 1 Cor. 1: 13. & nomen Jehovæ non permittitur esse unum. Confer Johan. 17: 11. 21.

11. Ex his igitur liquidò liquet, Nulli creaturæ posse attribui ea, quæ sunt Jehovæ: qualia sunt, voluntas sistens momento suo & efficacia sua ullam rem & ullum bonum, gratia, dominium, adoratio, fides, invocatio, glorificatio & gratiarum actio: donatio Spiritus Sancti, regeneratio, vivificatio, justificatio. Sed si quid illorum attribuatur creaturæ, deos alios & אֱלֹהִים constitui. Quippe quæ omnia fundentur in efficacitate voluntatis: quæ non potest competere voluntati dependenti.

12. Nam voluntas dependens non vocat quicquam, ut sit, sed & ipsa vocatur ab ea voluntate, à qua dependet; & ab ejus potentia petit atque impetrat ea, quibus effectis & exstantibus lætatur.

13. Quapropter, cui Scriptura attribuit eam voluntatis potentiam & gratiam, cum eo, quem diximus, honore; ei veram & æternam divinitatem Jehovæ, quæ una est, attribuere censenda est. *Iustum est item, cui attribuuntur divina in Dei testimonio, ei etiam attribuere unam illam θεότητα.*

14. Atque ex hoc fluit, quòd omne opus gratiæ in Scripturis hac formula significatur: *Fiam, qui sum: Fiam tibi in Deum.* Quæ maxima virtus nominis *Iehovah* est. quemadmodum cap. 9. exposuimus. Quatenus אֶהְיֶה non tam εἶναι quàm γίγνεσθαι significat, h. e. non tam habere sufficientiam, quàm eam ipsam facto ostendere & præstare, & experimento talem comperiri.

15. Ita significat Scriptura, eum, qui nobis fit Deus, & quidem Deus justificator & salvator & sanctificator, esse revera Deum. quippe qui hoc *fit*, quod *est*. Quod nomen dum alienari negat, docet & inculcat, eum, qui hoc habet, esse unum cum Deo. veluti Es. 42: 6. quum dicit, *Ego Iehovah vocavi Te cum justitia* &c. & mox, *Ego Iehovah, hoc est nomen meum:* clarè innuit, suum esse, nominari

justitiam Israëlis (Es. 45:25. Jer. 23:6.) & se justitiam Israëlis fieri in servo suo, quem anima ejus gratum habet: eumque adeò à se diversum non esse, neque, dum ipse adducit justitiam, *alium* fieri justitiam Israëlis præter se.

16. Unde prorsus absurdus est Ostorodus, & alii ejusdem sectæ, qui τὸ γίνεσθαι, quando cum nominibus magnitudinem & sufficientiam significantibus conjungitur, volunt esse argumentum minoritatis & insufficientiæ, quum sit demonstratio potentiæ & veritatis.

17. Id quod vidit etiam Crellius lib. 1. de vera religione. c. 11. ubi agit de virtute nominis *Iehovah*, & יְהוָה אֲשֶׁר אֶהְיֶה explicat per *Reipsa ibero, quem me futurum dixi*, seu, *reipsa me eum præstabo, quem præstiturum promisi*. Atque is homo, etiamsi subleste agat, quum dicit *verbum* Jehovah *originis & nativæ significationis ratione commune esse*, sed *tum ob ἐξοχὴν significationis Dei evasisse proprium*; *tum ob id, quòd de aliis personis vel rebus in se spectatis, nominis instar usurpatum nunquam fuerit*; *quin etiam in nativa sua significatione usurpari desierit*: etiamsi, inquam, in hoc subleste agat (quum & τὸ *esse* nonnisi imperfectè dicatur de omnibus extra Deum, & *fieri* sive *se præstare* talem, qualis quis est, non sit entis dependentis & inefficacem voluntatem habentis, & ad quod non sunt omnia) tamen non omnino malè de significatione nominis illius loquitur, dum Jehovam definit eum, qui fit, sive *reipsa est qui est*, sive se *talem præstat, qualis est*. Dumque ei attribuit *potentiam*, qua maximas res possit efficere, *& nulla vi impediri*: quæ sit *summi omnium Domini*: dumque fatetur, *hoc nomen unum Deum ita significare, ut diversa ejus attributa, naturæ vinculo inter se colligata, animis nostris insinuet*.

18. Quæ proximè absunt ab eo, ut, quod dicendum erat, fateatur, *Iehovam* significare eum, qui est perfectissimus, æternus, immutabilis, simplex; & qui se non abnegat, imò creaturam omnem vocat, & cujus verbum ac vocatio est efficax (huc est referenda ea virtus, quod promissa sistit) & qui, ut sufficit & dives est, ut sit homini peccatori in Deum, ita etiam esse vult, ad gloriam nominis sui, h. e. ut illam sufficientiam & *bonitatem Dei* (Exod. 33:19. 34:6.7.) in experimento cognoscens homo imaginem Dei habeat in sapientia & amore, nunc quidem ad quærendum impellente, olim autem per fruitionem satiato.

19. Et hinc est, quòd in Scripturis omnis gratia & misericordia Dei

Dei ad gloriam nominis illius refertur, & ejus præstatio ac præstitæ annunciatio indigitetur nominis Dei notificatio, Joh. 17: 26. imò Dei enarratio. Joh. 1: 18.

20. A quo sensu non abit Moses Gerundensis ad Exod. 3. & 6. qui ad vim nominis hujus refert non tantùm חיוב המציאות *necessitatem* ♂ *esse*, ut notet מהמצא אשר הוא נמצא *Ens, quod est*; & immutabilitatem, q.d. שהייתי ועתה אני הוא ואני הוא לעתיד לבוא h. e. ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος; אשר לא עבר ולא יעבור *qui non præteriit, neque præteribit*, vel שהזמן העבר והעתיד גלוי בבורא בהווה quòd *præteritum & futurum in Creatore est præsens*; sed etiam omnis ejus, quod est, ἀπαράσειστον & ἀσάλευτον (unde cognosci in nomine יהוה interpretatur, cognosci ut בורא חדשות *creatorem rerum novarum*) & fidelitatem ac constantiam, quòd *futurus sit cum Israëlitis in omni angustia*: & קיום הבטחה ἀπαράσειστον τῆς ἐπαγγελίας *exhibitionem promissi*; & מדת הדין אשר נמדת הרחמים *virtutem judicii, quod est in misericordia.*

21. Ex quo, ut jam ante insinuavimus, clarè patet, dum *Iehovah unus* credendus proponitur, significari, indivisa esse ὕπαξιν æternam, potentiæ sufficientiam, dignitatem, imperium, voluntatem, opus & effectum, dominium, adorationem, gloriam, invocationem; & in diversos non spargi.

22. Ac propterea eum, qui est *veritas* tum promissionum Dei, ut eæ in ipso sint *Næ* (ut eas fateamur esse veras) & *Amen* (ut stipulationi honoris ac gloriæ tanquam justæ astipulemur) 2 Cor. 1. vers. 20. nominatim illius promissionis, qua promisit se Abrahamo & semini ejus fore in Deum, Gen. 17: 9. tum sponsionis suæ in sui oblatione ad sanctificandum Deum, tum auctoritatis ad testandum de nomine & voluntate Dei, tum potentiæ ad faciendum, quæ dicit: necesse est non esse alium aut diversum à Jehovah.

Christus proinde non est alius à Deo, in quo omnes promissiones Dei sunt Næ & Amen.

23. Tantum abest, ut Angelus, cujus est præcipere, cui debetur obedientia, in quem committitur inobedientia, cujus est condonare & punire, vivificare & interficere, non sit *Iehovah*: quum *nomen Dei sit in medio ipsius.* Exod. 23: 20. h. e. quum, quicquid Deus nominatur & esse dicitur, sit in ipso; & is Deum cognoscat, & eum amet, ut amari dignus est, ac gloriam ejus quærat.

Idem probatur ab Angeli (de quo Vetus Test. loquitur) magnitudine.

24. De quo Angelo etiam dictus Judæus Moses Nachmanides sive Gerundensis ita sentit; Per Angelum illum non intelligi ullum angelum מְשֻׁלָּחִין *de missis ipsius*, qualis ille, de quo loquitur Deus Exod. 33: 2. *mittam coram te angelum, quia non ascendam in medio tui:*

sed

sed הַמַּלְאָךְ הַגֹּאֵל *Angelum assertorem & vindicem* (Gen. 48: 16.) הָעֹנֶה אוֹתוֹ בְּעֵת צָרָתוֹ *qui ei* (Jacobo) *respondebat in tempore angustiæ suæ*, qui dixit Jacobo, אֲנִי הָאֵל בֵּית־אֵל *Ego sum Deus ille Bethelis* vel Bethele visus. Genes. 31: 11. 13. collato v. 3. qui Abrahamo dixerat, *Nunc cognovi, quòd tu timeas Deum; quia non comparsisti filium tuum unigenitum tuum à me.* Genes. 22: 11. 12. qui dixit ad Mosen, *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob.* Exod. 3: 2—6. qui dixit ad Josuam, *Ego sum Princeps exercitus Iehovæ: nunc veni.* Jos. 5. vers. 14. De quo dicitur Es. 63: 9. מַלְאַךְ פָּנָיו *angelus faciei ipsius salvavit ipsos.* quod tantundem sit, ac si dixisset, מַלְאָךְ שֶׁהוּא פָּנָיו *angelus, qui est facies ipsius, juxta id quod scriptum est,* פָּנַי יֵלֵכוּ *facies mea ibit.* Exod. 33: 14. de quo dicitur Mal. 3: 1. *& derepente veniet ad templum suum dominus ille, quem vos quæritis*, & מַלְאַךְ הַבְּרִית *angelus ille fœderis, quo vos delectamini; ecce venit.* Hæc dictus Rabbi ad citata loca Pentateuchi, alicubi pleniùs (præsertim Gen. 48: & Exod. 23.) alibi etiam breviùs. Is hunc Angelum vocat מִדָּה. Quod Judæis aliquando significat *attributum.* Sed & rationem personalem significare ipsi potest. Et sanè Scriptura Angelum nominans designat personam. Quippe quum & loquatur in nomine personæ, Gen. 22: 15.

Christi sive Angeli assertoris Deitatem abnegare, est unitatem Dei abnegare.

25. Quamobrem, quum *Iehovah unus* sit, & *Angelus* habeat nomen Dei, deque eo dicantur divina prædicata (quorum ullum, ut idem Gerundensis dicit Gen. 18. אֵינוֹ בִּינוֹנִי לְמַלְאָךְ *non est prædicatum angeli*, qui *creatori* opponitur) unitas Dei nos cogit fateri, Angelum quendam esse Jehovam, sive Jehovam & Angelum illum Jehovæ unum esse.

26. Neque nauci est, quod post Judæos abnegatores Deitatis Christi Sociniani dicunt: יְרַבֵּר הַשְּׁלִיחַ בִּלְשׁוֹן רַבּוֹ *missus loquitur sermone domini sui*: quod Crellius sic enunciat: *Angeli nonnunquam, Deo ita volente, ipsius personam assumunt; & tunc quodvis ipsius nomen & ipsi sibi tribuunt & ab aliis sibi tribui patiuntur.* Sed hoc meritò rejicit Gerundensis hoc verbo: אֵינוֹ נָכוֹן *Hoc non est verum aut rectum*, Exod. 3: 6. *In dramatibus id fieri videmus*, ajunt. Sed ipsi ὑποκριταὶ profitentur, se drama ludere. Ubi dicit Deus, Angelos suos histrioniam agere & esse mimos suos?

27. Et quæ est sapientia illius dramatis? *Angeli*, inquit, *Deum hominibus repræsentarunt inconspicuum, nunquam visum, nunquam mortalibus videndum.* Filius est is, in quo videtur Pater, imago Dei invisibilis; quippe in cujus voluntate, gratia, verbis, factis cernitur volun-

voluntas, gratia, bonitas, ſanctitas, miſericordia Dei. Quia unum ſunt. At, qui non eſt unum cum Deo, non poteſt Deum repræſentare, niſi vel ut effectus imaginem rectitudinis & umbram entitatis & veſtigium potentiæ habens, vel ut miſſus Dei verba in nomine Dei proponens, non verò nomen & attributa & opera & honorem Dei ſibi aſſerens. Nam ſolus Deus eſt Jehovah, & hoc eſt nomen ipſius, & proinde gloriam ſuam alteri ſive angelo ſive homini non-Deo minimè concedit. Eſ. 42: 8.

28. Atqui non is Angelus, qui contradiſtinguitur angelis aliis (ut ſupra dictum) & qui eſt *princeps exercitus Dei*, Joſ. 5: 14. atque adeò ipſorum angelorum, ἀρχάγγελος, *perſonam* Dei *ſuſtinet*, ſed *in medio ejus eſt nomen Iehova.* nam ſi id nihil aliud ſignificaret, quàm ſuſtinere perſonam Dei; de quovis angelo & de Moſe idem dici poſſet. Imò is dicit, *Ego ſum Deus Bethel, Ego ſum Deus Patris tui, Non comparſiſti filium tuum, quin dares eum mihi, Ego ſum Iehovah, qui eduxi te ex Ægypto.* Nam hoc ipſum dixiſſe Angelum eundem, qui Moſi apparuit in rubo, teſtatur Stephanus Actor. 7: 38. & fatetur Crellius.

29. Qui tamen verum non dicit, Angelos, qui dicuntur Actor. 7: 53. & Hebr. 2: 2. & Galat. 3: 19. vel eſſe, qui verba illa protulerint, vel eum, qui ea fecit audiri, eſſe de eorum numero. *Myriades ſanctitatis* & præſto fuerunt illi, qui locutus eſt, & acceperunt mandatum cuſtodiendi pædagogiam populi.

30. At is, in cujus dextra fuit ignis legis, & *à cujus eloquiis Moſes accepit Legem, & hæreditatem Eccleſia Iacobi*, eſt *Iehovah*, *in cujus manu ſunt omnes ſancti ejus, qui ſinu* quaſi *geſſit populos, qui pede ſuo perambulavit illos, qui in illis Rex extitit.* Deuter. 33: 2. 3. 4. 5. qui vocatur *Dilectus Iehovæ habitans* vel *recumbens ſuper Benjamine.* ibid. verſ. 12. (collato Jer. 11: 15.) & *habitans rubum.* v. 16. collato Exod. 3: 2.

31. Cui ſubſcribit Pſalmus 68. docens, eum, qui *in altum aſcendit, & ſpolia egit, & dona accepit in hominibus*, (quem & אֲדֹנָי *Dominum*, verſ. 12. & אֱלֹהִים *Deum* v. 8. appellat) *ante populum ſuum exiviſſe, ingreſſum fuiſſe per deſertum, quando terra tremuit & cœlum roravit.* verſ. 8. 9. 19. Qua auctoritate fretus Apoſtolus idem teſtatur de Chriſto Hebr. 12: 25. 26.

32. Neque ſic tollimus prærogativam Euangelii ſupra legem. Quæ illa fingitur à Crellio, quòd non-Dominus legem pronunciaverit, angelus aliquis; Euangelium autem Chriſtus factus an-

gelis superior. Euangelium enim & lex, utrumque est à Jehovah. Sed legem accepit Moses, ut stans inter Deum & homines, tanquam מְקֹשֵׁר (sic Veteres, quos citat Gerundensis ad Exod. 3: 19.) μεσίτης *mediator*, sed qui *non erat unius*, (sed qui pangebat μεσότοιχον φραγμοῦ, & sic constituebat τὰ δύο, Ephes. 2: 14. 15.) quum tamen *Deus unus sit*. Gal. 3: 19. 20. Sed μεσίτης, *mediator* Euangelii & Novi Testamenti (quo οἱ δύο fiunt unus, quemadmodum Deus unus est, Ephes. 2: 14. 15. Gal. 3: 28. Rom. 3: 30. Joh. 17: 23.) est *ipse Dominus*, qui non minùs de facie ad faciem voluit alloqui populum, quàm in deserto fecerat (Ezech. 20: 35. 36.) non autem voluit *habitabilem futuram subjicere angelis*, sed sibi, Hebr. 2: 3. 5. ut *domino*, (Psalm. 114: 7.) *& Deo totius terræ*, Es. 54: 5. ut ita per eum, qui dederat Mosi legem, *Ecclesia Iacobi acciperet hæreditatem gentium*; & ita is, per *quem lex data est*, qui fuit διάκονος κατακρίσεως 2 Cor. 3: 9. ab eo, *per quem gratia & veritas facta est*, (qui, ut Angelus Testamenti, Mosen dedit prophetam ad *benedictionem* proponendam, & , ut judicium agens, per eundem *maledictionis* aliquem effectum Israëli imposuit) infinito discriminatur intervallo.

33. Quocirca unitas Jehovæ & nominis ipsius tot sanctionibus confirmata nos cogit fateri, Angelum fœderis, ἀπλάτου Abrahami & seminis ipsius (h.e. eum, qui accepit hæreditatem in mundo ea conditione, ut eos ex reatu & maledictione assereret : *qui eorundem factus est particeps cum pueris, quos ut sibi donatos apprehendit*, Hebr. 2: 13. 14. 15. 16.) per quem fit gratia & veritas, qui est conditor terræ novæ & cœli novi, in quo reperitur virtus nominis Jehovah, qui fit Israëli in Deum, qui est coram facie Dei & ab eo venit, & in quo facies Dei cernitur; illum, inquam, Angelum & Jehovam revera *unum esse* (siquidem illius prædicata sunt verè ἀϊδίοις αὐχήμασιν, & præsupponunt voluntatem ἀρχηγὸν sive εὐδοκίαν & χάριν, eamque efficacem ac sistentem omnia : & includunt omnia, quæ talem voluntatem sequuntur) & omnia divina prædicata (exceptis personalibus Patris & Spiritus S.) ejusdem esse. Joh. 16: 15.

34. Nam si huic Angelo talis voluntas & ea omnia divina nomina non competunt, necessariò sequitur, eum nec adorandum esse, nec invocari posse. Impossibile est enim, ut unquam Israëli rectum justumque sit, alium quem habere Deum præter eum, qui cœlum terramque fecit, eumque eduxit ex Ægypto. In quo mira phrenesis Adversariorum spectatur, augentium Decalogi præceptum

ptum primum (in quo de non habendo alio Deo agitur) honore & adoratione Christi; quasi Deus possit haberi alius, præter eum, qui τὸν ἀρχὴν ἐλάλησεν, Joh. 8: 25. sive *loquutus est ab initio*, Es. 48: 16. 45: 19. 21. & tamen adorationem verè divinam, h. e. τὸ pro Deo habere, eidem derogantium: nihilque nisi vocabulum impropriè sumtum ei relinquentium.

35. Hac inventa clave, liquidum est, quicquid in tota Scriptura de Deo dicitur ratione justitiæ & vivificationis nostræ, id ei attribuendum esse propriè propter Angelum, qui est Jehovah: non verò propter alium tanquam vicarium. Qualia sunt, *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen ejus.* Id enim notat sanctificationem: quæ non minùs est effectum gratiæ Filii, qui *conterit caput serpentis, & opera Diaboli solvit*, quam Patris. Item: *Fiam tibi in Deum, & fies mihi in populum.* Item: *Ambulabo in medio tui. Habitabo in medio tui. Ego sum sanctificator vester. Sanctus Israëlis. נגיד Assertor Israëlis. Iehovah justitia nostra. Deus justitiæ meus. Deus Israëlis. Salvator. Rupes salutis. Clypeus. Heros Israëlis. Fœdus habens cum Patribus. Gratiosus & misericors, longanimis & multus gratia ac veritate. Custodiens gratiam in millia. condonans pravitatem & defectionem & peccatum. non gratiosus & studiosus ad bonum. Gratiosus ero, cui gratiosus ero, & miserabor, quem miserabor. Circumcidet Iehovah cor vestrum. Visitare populum. Visitare hominem. Descendere de cœlo, & ascendere in altum. Regnum occupare. Extollere majestatem suam supra cœlos. Stare & judicare in cœtu deorum.* Dicere: *Respicite ad me, & salvamini, omnes fines terræ. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vocari regem totius terræ. Adorari ab omnibus diis.* Qualia infinita sunt in sacris literis. Quæ quum sint prædicata Christi, in sensu proprio, jam constat, ei & nomen divinum, verè ac propriè, & cætera omnia Dei prædicata competere. Jehovah enim solus est, cui illa competunt: & Jehovah unus est, qui dicit Es. 45: 21. 22. *Quis fecit illa audiri ab antè? olim id indicavit? Nonne ego Iehovah, præter quem non est Deus? Deus justus & salvator? præter quem non est? Respicite ad me & salvamini, omnes fines terræ. Nam ego sum Deus potens, & non est amplius.* Conf. Deut. 32: 12. 38.

Omnia, quæ de Deo dicuntur ratione justitiæ & salutis nostræ, sunt de eo intelligenda, quatenus habet Angelum, h. e. Filium, in quo ea facit.

36. Neque porrò mirum cuipiam videbitur, in Novo Testamento *unum Deum* vocari *Patrem*, & Christum dici *Filium Dei* sive *unctum Iehova* & *germen ejus*, imò *solum Patrem* dici *verum Deum*. Quantumvis enim Joh. 17: 3. sub prædicato *solius veri Dei* etiam *Jesum Christum* comprehendi orationis Græcæ syntaxis permittat:

Qua ratione Pater dicatur Deus unus & solus?

non ſumus tamen difficiles, ut adverſariis, id à nobis contendentibus, concedamus, rectè poſſe & debere Patrem appellari ſolum verum Deum; non in oppoſitione Filii aut Spiritus Sancti; quemadmodum & *ſolus Filius Dominus* dicitur, & *Patrem cognoſcere*, non in oppoſitione Patris. Vide 1 Cor. 8: 6. Matth. 11: 27.

37. Et ratio eſt, quare Pater ſolus verus Deus appelletur, quia ipſe, qui perfectiſſimè eſt, & omnia condidit, & ſolus potuit Abrahamo promittere, ſe ei fore in Deum, ita ſolus etiam id præſtitit verè & p' nè dando Filium ad ſalutem, & Spiritum Sanctum ad obſignationem. Quòd ſi Pater nec Filium haberet, nec Spiritum, quem mittere & donare poſſet: utique nec Deus peccatoris, cum laude gloriæ gratiæ illius, quæ in S. Scripturis nobis revelata eſt, fieri poſſet. Unus igitur *Deus Pater*, cujus eſt & Filius, & promiſſio Filii & donatio ejus & fœdus in ipſo: & qui dedit Filio poteſtatem in omnia ad electorum bonum. Ut enim Filius *vivit propter Patrem, qui vivit*; & Pater *dedit Filio vitam habere in ſe*: ita etiam Filius vult, quæ videt Patrem velle, & facit, quæ videt Patrem facientem. h.e. Voluntas gratiæ eſt Filii voluntas, quia eſt voluntas Patris, ex quo eſt Filius. Similis locus eſt Nehem. 9: 6. 20. *Tu ipſe Iehovah ſolus, tu feciſti cœlum ... tu Iehovah es Deus, qui elegiſti Abramum — & in montem Sinai deſcendiſti — & ſpiritum tuum bonum dediſti ad docendum ipſos.* Nihil detrahitur Spiritui ſancto, quum Pater, aut Filius, qui in montem Sinai deſcendit, quique Spiritum ſuum dicitur dediſſe, & cujus Spiritus is eſt, dicitur *ſolus Iehovah*.

Concluditur 1. argumentum pro Deitate Filii ab eo, quòd ea, quæ ſalutis ſunt, ſoli Deo vindicantur.

38. Jam verò non tantùm omnia, quæ ſalutis ſunt, Filio attribuuntur eadem proprietate & magnificentia verborum, qua Deo ſive Jehovæ attribuuntur, ceu divina gloria; ut juxta Canonem *unitatis* ſub nomine Jehovæ in ſimili prædicatione intelligamus Deum in Filio: ſed etiam divina nomina, & attributa, & operationes & honor ipſi diſertè attribuuntur; ut, quod regula *unitatis* generaliùs dictat, id diſtinctiùs in omnis generis prædicatorum conjunctione ſpectetur, atque ut, quemadmodum Creatorem credimus eſſe Juſtitiam noſtram & vitam, ita vitam ac juſtitiam noſtram credamus eſſe Creatorem.

2. Argumentum à nomine Filii Dei unigeniti; quod ipſi tribuitur non ſecundùm

39. Igitur nomen Filii Dei ipſi ἐν δυνάμει *in potentia* omni & valore, quem poteſt vox *Filii* habere ad ſignificandum, attribuitur (Rom. 1: 4.) & ut διαφορώτερον ὄνομα *præſtantius nomen* Hebr. 1: 4. & non ſecundùm id, quo eſt ex Davide & Patribus,

quod

quod dicitur *caro*, h.e. humana natura, sive ἀνθρωπότης (nam secundùm ἀνθρωπότητα dicimur υἱοὶ ἀνθρώπων) Rom. 1: 3. 9: 5. sed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *spiritum sanctitatis*, h. e. quatenus est ipse πνεῦμα ἅγιον, persona spiritualis & sancta. Rom. 1: 4. Sub hac enim notione τὸ πνεῦμα *spiritus* de Filio prædicatur & Marc. 2: 8. *quum nosceret Iesus spiritu suo, quòd ita ratiocinarentur.* 1 Cor. 15: 45. *ultimus Adam in* πνεῦμα ζωοποιοῦν *spiritum vivificantem*, sub. ἐγένετο. h. e. ita natus est, ut, quum nasceretur, esset spiritus vivificans. 1 Tim. 3: 16. *manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu.* h. e. ut Deus & Filius Dei, sive persona æterna, spiritualis. Hebr. 9: 14. *Spiritu æterno seipsum obtulit.* voluntate divina; sive quatenus habet spiritum, qui ab æterno fuit apud Deum. 1 Petr. 3: 18. 19. *mortificatus carne, vivificatus* (h.e. resuscitatus) *spiritu; in quo & spiritibus, qui sunt in carcere, profectus prædicavit, qui immorigeri extiterunt aliquando, quando semel exspectabat Dei longanimitas in diebus Noë.* Intelligitur in Christo esse spiritus vivificans, & quidem per quem vivificatum est id ejus, quod mortificatum fuerat; & is æternus: quippe in quo prædicavit inobedientibus in diebus Noë, quorum spiritus jam sunt in carcere. qui spiritus est ita ipsius, ut per eum hoc egisse dicatur, quod per spiritum æternum actum est eo tempore. &, ni fallor, Luc. 1: 35. *Spiritus sanctus veniet super te.* h.e. Persona divina faciet te suum habitaculum, ut habeat in te carnem suam, & gloria sua te circumfulgeat. Sed de loco hoc etiam alibi agendum est. Tantùm nunc animadverti cupimus, nos Rom. 1: 4. πνεῦμα ἁγιωσύνης explicare *spiritum sanctitatis*, quia ἁγιωσύνη non est idem, quod ἁγιασμὸς, sed est ad formam δικαιοσύνη, μεγαλωσύνη, ἀγαθωσύνη, ἱερωσύνη. *carnem, sed secundùm spiritum sanctitatis.*

40. Nomen *Filii* est ex Veteri Testamento repetitum. in quo occurrit 2 Sam. 7: 14. Psalm. 2: 7. 12. Prov. 30: 4. Ezech. 21: 16. *Virga filii mei* gladius *spernens omnem arborem.* Cujus quasi definitio est Prov. 8: 22. *Quem habuit Iehovah (genitum) initium viæ suæ, ante molitiones suas* sive decreta sua, qui *unctus est à sæculo, à capite, à principiis terræ: qui, antequam montes figerentur, genitus est: qui erat, quum pararet cœlum*; & iis rebus agendis *interfuit; & fuit apud ipsum Filius in sinu gestatus, & fuit delicia, quotidie ludens coram ipso omni tempore*, faciens, quod ipsi gratum erat *in habitabili: cujus delectatio est cum filiis hominum.* & Mich. 5: 1. *Cujus egressiones sunt anteriores egressu ejus ex Bethlehem, à diebus sæculi.* Joh. 5: 26. *cui Pater dedit vitam habere in*

ſe. 6: 57. *vivo propter Patrem.* 17: 26. *gloriam... dediſti mihi* genituræ. Cui parallela ſunt nomina צֶמַח יְהוָה *germen Iehovæ.* Eſ. 4: 2. צֶמַח יְהוָה *efflorescentia Iehovæ.* Malach. 1: 12. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους *germen ex alto.* צֶמַח germen, quod à ſe germinat ſive magnificatur & glorificatur. Zach. 3: 7. 6: 12.

41. Illius nominis ſublimitas magis adſtruitur adjuncto μονογενὴς *unigeniti.* Joh. 1: 14. 18. 3: 16. &c. item Zach. cap. 12: 10. & πρωτότοκα *primogeniti*, ejuſque in oppoſitione aliorum filiorum tanquam κτίσεων *creaturarum.* Col. 1: 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως *primigenitus omnis creaturæ.* h. e. qui inter omnes filios eſt *primogenitus*, & ab illis differt, ut *genitus*, atque adeò *unigenitus*, à *creaturis.*

42. Notamus hîc, Chriſto nomen *Filii* in ſacris literis tantùm tribui propterea, quia eſt ex Patre vitam habens in ſeipſo propter Patrem, h. e. qui ab æterno à Patre naturaliter proceſſit: non propter ullam aliam cauſam. Licèt enim ſint in ipſo plura argumenta, quibus *eſſe Filius* demonſtratur, tamen una tantùm cauſa eſt, quare *Filius* nominetur.

43. Accedit ad hæc, quòd id, ſecundùm quod Filius Dei eſt & appellatur, à carne ſive ab eo, ſecundùm quod eſt ex Davide & Patribus, diſtinguitur: quemadmodum paulò ante ex Rom. 1. verſ. 3. 4. 9: 5. oſtendimus.

44. Ad Filii ſublimitatem pertinet, quòd dicitur חֵיק Proverb. 8: 30. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, *qui eſt in ſinu Patris.* Joh. 1: 18. Quos locos parallelos res oſtendit. Nam חֵיק & אמן ſibi invicem reſpondent. אמן eſt, qui puerum in ſinu fert: חֵיק filius, qui in ſinu eſt. Lxx. ἀγαπώμενος. Item, quòd ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως *effulgentia gloriæ & character ſubſiſtentiæ ejus*, q. d. imago ſic Patrem exprimens, quemadmodum id, quod in cera eſt, exprimit formam, quæ in ſigillo eſt, Hebr. 1: 3. quo quid, niſi τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως *naturæ æqualitas*, ſignificari poteſt? Et illud ἴσον τῷ θεῷ *æqualem eſſe Deo* Joh. 5: 18. Phil. 2: 6. Imò ἓν *unum.* Joh. 10: 30. 38. 1 Joh. 5: 7. Joh. 17: 22. Propter quod Filius eſt εἰκὼν τοῦ θεοῦ *imago Dei.* Col. 1: 15. ut in ipſo videatur Pater. Joh. 14: 9. h. e. in ipſius voluntate & gratia voluntas & gratia Patris cernatur, propter unitatem.

3. *Arg. à nomine* Λόγος: *& ab eo, quòd* Verba Dei loquitur.

45. Quæ etiam non poſtrema cauſa eſt, cur ὁ Λόγος τοῦ θεοῦ *Sermo Dei* nuncupetur: nempe, quia potuit ἐξηγήσασθαι τὸν πατέρα, Patrem coram totum quodammodo inſpiciendum exhibere & explicare. Joh. 1: 18. quanquam & inde, quia ipſius dicta ſunt, quæ

à Deo

à Deo dicta sunt secundùm propositum servandi Ecclesiam; sine quo ne mundum quidem creavisset. unde מְדַבֵּר *loquens* Es. 52: 6. collato 45: 19. *Non in occulto loquutus sum in loco terræ tenebrarum: non dixi semini Iacobi, In vanum quærite me. Ego sum Iehovah loquens justitiam, indicans recta.* & 48: 16. *Non ab initio in occulto locutus sum; à tempore, quo id extitit, ibi eram, & nunc Dominus Iehovah me misit & spiritum suum.* & 8: 25. *Principiò quod & loquor vobis*, sum. quod promisi ab ævo mè futurum, hoc facto sum. Tum, quia de ipso dictum est, quicquid ad gloriam Dei & spem nostram scriptum est. Psalm. 40: 8. *In volumine libri scriptum est de me.* Quæ omnia tanta sunt, ut meritò illis, *ad quos verbum Dei factum est*, opponatur. Joh. 10: 35. quippe qui *verba Dei* (h. e. verba Deo competentia, quæ Deus se locuturum promiserat, qualia sunt Es. 45: 22. 23.) *loquatur*, non verò ut illi, *qui ex terra sunt, ex terra*, h. e. tanquam purus putus minister, *loquatur*: quippe quum loquatur ea, quæ vidit, quando gratiam & nomen Dei loquitur, quem nemo videre potest. Joh. 3. v. 31. 32. 34. collato Deut. 18: 18. Promittitur Propheta loquens verba Dei. Moses jam tum, quid ille locuturus esset, dixit; aut saltem innuit. Quippe is est *servus Dei fidelis in tota domo ejus, in testimonium eorum, quæ in posterum ut dicerentur, futurum erat.* Num. 12. Hebr. 3: 5. Quòd si *verba Dei loqui* nihil est aliud, quàm ut servum Dei renunciare ea, quæ Deus dictavit; quomodo per hoc Propheta ille magnus à Mose distinguitur? Deinde, qui *loquitur verba Dei* ex promissione, is nulla non verba Dei loquitur; & loquitur τὰ λαλητόμενα ea, quæ Deo reliqua erant dicenda ad consummandam lætitiam populi sui & nomen suum notificandum.

4. *Arg. à Nominibus divinis.*

46. Non mirum igitur, eum vocari אֵל גִּבּוֹר *Deum victorem* Es. 9: 5. 10: 21. & אֱלֹהִים *Deum*, Psalm. 45: 7. 68: 8. 9. 10. 19. 20. 82: 1. Zach. 12: 8. בֵּאלֹהִים (confer ὡς Joh. 1: 14.) Deum Israëlis. Es. 40: 9. (ubi & אֲדֹנָי יְהוִה v. 10.) Es. 52: 7. θεὸν Joh. 1: 1. Rom. 9: 5. 1 Joh. 5: 20. Joh. 20: 28. Actor. 20: 28. 1 Tim. 3: 16. Tit. 2: 13. [τὸ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, non καὶ τὸ σωτῆρος. collato 3. 4. sic 2 Petr. 1: 1. confer v. 11. 2: 20. 3: 2. τὸ κυρίου καὶ σωτῆρος. & sic, ne id Enjedinus objiciat, τὴ μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης, uno articulo conjunguntur, quia est δόξης ejusdem & ἐλπὶς & ἐπιφάνεια] Hebr. 3: 4. 6. & *dominum illum*, Mal. 3: 1. Psalm. 114: 7. (ubi & *Deus Iacobi*) *dominum Davidis*, Psalm. 110: 1. Matth. 22: 43. אֲדֹנָי Ps. 110: 5. Psalm. 68: 12. Es. 6: 1. Τὸν Κύριον Luc. 1: 16. 17. 2: 11.

cui

cui respondet יְהוָה Es. 40: 3. (ubi & אֲדֹנָי) & Mal. 4: 5. τὸν Κύριον ἐξ ὑψους δόξης. 1 Cor. 2: 8. cui respondet מֶלֶךְ הַכָּבוֹד, cujus nomen est יְהוָה. Psalm. 24. vers. 7. 8. 9. 10.

47. Nomen verò יְהוָה Servatori attribui, non tantùm inde patet, quia *Angelo* (de quo supra actum) nec tantùm, quia Apostoli de Christo explicant, quæ de יְהוָה prædicata sunt in Veteri Testamento, ut Hebr. 1: 6. ex Psalm. 97: 7. v. 10. ex Psalm. 102: 17. (ubi vox יְהוָה) 26. Rom. 14: 10. 11. ex Es. 45: 23. quodque ea ad Filium pertinere demonstratur ex identitate prædicatorum de Filio, & ex regula unitatis Dei: sed etiam, quòd Scriptura Veteteris Testamenti expressè hæc nomina divina cum aliis attributis planè divinis personæ missæ, & descriptæ ab iis, quæ de Christo in Euangelio narrantur, assignat. Pro exemplo sit textus Es. 45. ubi, qui dixerat v. 21. *Ego Iehovah & non est præterea deus extra me; Deus justus, & Salvator non est præter me: Respicite ad me & salvamini: Per me juravi*: idem versu 24. hæc ad se dicta testatur: *Tantùm in Iehovah (mihi* vel *de me dixit) justitia & robur; ad eum accedet & pudefient omnes exardescentes contra illum: In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Quibus verbis is, qui loquitur, provocat ad testimonium de se dictum. ut Psalm. 2: 7. Joh. 5: 37. 39. 46. Psal. 40: 8. quomodo & David 2 Sam 23: 3. Similis locus est Esa. 48. vers. 15. 16. ubi ejusdem personæ verba sunt. *Ego, ego locutus sum, etiam vocavi illum, adduxi illum* (qui voluptatem Domini in Babel fecit) *& prosperavit viam suam. Appropinquate ad me, audite hoc: non ab initio in occulto locutus sum: à tempore, quo id factum est, ibi ego* vel *eram; & nunc Dominus Iehovah misit me & spiritum suum.* quod etiam verti potest, *& spiritum ejus.* Quem misit spiritus Jehovæ, homo est, & ut homo loquitur. Et, quem misit Deus cum spiritu suo, ut ejus effusione ungeretur, is Christus est. Joh. 3: 34. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur, quia non ex mensura dat Deus Spiritum.* Dat enim *spiritum filiationis.* Imò, qui mittitur, ut in eo justificentur Israël & gentes, is necessariò homo est. Atqui idem nomine divino afficitur v. 12. Et, ut certiùs cognosceremus, quis esset, qui loquitur, idem seipsum pergit describere cap. 49: 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. Perspicuum autem est, eidem personæ etiam fundationem terræ & expansionem cœli ascribi cap. 48: 12. 13. Prorsus ut cap. 50. ubi post præfationem, *Sic dixit Iehovah*, sermo proponitur ejus, qui testatur *se venisse & vocasse, & neminem respondisse*: tum demonstrat

omni-

omnipotentiam ſuam verſ. 2. 3. & miſſionem ad conſolandum laſſos & ad obediendum & patiendum. verſ. 4. 5. 6.

48. Secundùm hæc Chriſto attribuitur æternitas, Pſalm. 2: 8. *Hodie genui te.* Generatio illius eſt ſine præteritione. Prov. 8: 22. Joh. 1: 1. Hebr. 7: 3. (δύαμις ζωῆς ἀκαταλύτε *potentia vitæ indiſſolubilis* v. 16.) Hebr. 9: 14. Mich. 5: 1. Apoc. 1: 17. 18. Col. 1. verſ. 17. unde אֲבִי עַד Eſ. 9: 5. quod non tantùm valet *pater æternitatis*, ſed etiam *pater æternus*. Dato tamen, quòd hîc rectiùs vertatur *pater æternitatis* h. e. auctor æternæ vitæ, intelligitur, eum, qui eſt vitæ æternæ auctor, non eſſe alium, quàm qui æternus eſt. Æternitatis ſignum eſt fuiſſe ante nativitatem. Joh. 8: 58. 1 Petr. 3: 19. 20. Eſ. 48: 16. 63: 9. Eamque notat τὸ ἐγώ εἰμι. *Ego ſum.* Joh. 8: 24. 28. 13: 19. collato Deut. 32: 39. Eſ. 48: 12. Pſalm. 102: 28. Æternitatem ejus qui non credit, non credit etiam propoſitum ſeculorum in ipſo factum, & electionem noſtri in ipſo, & ſponſionem Teſtamenti melioris. Epheſ. 3: 11. 1: 4. 2 Tim. 1. verſ. 9. Hebr. 7: 22. Propter quam etiam *ſpiritu æterno ſe obtuliſſe* dicitur, Hebr. 9: 14. *4. Arg. ab æternitate.*

49. Immenſitas illius noſcitur, quòd in cœlo fuit, & ex cœlo venit in terram, in qua fuerat, & ita deſcendit, ut cœlum non relinqueret. Joh. 1: 1. 10. 3: 13. quòd eſt ὑψηλότερος οὐρανῶν *altior cœlis*, Hebr. 7: 26. Confer Prov. 30: 4. Eſ. 40: 12. 66: 1. Immenſitatis ſignum Scriptura ponit aſcenſionem in cœlos. Amoſ. 9: 6. *Qui ſtruit in cœlum gradus ſuos, & manipulum ſuum* Eccleſiam *in terra fundavit, qui vocat aquas maris & in faciem terræ fundit eas, Iehovah eſt nomen ejus.* Eph. 4: 9. 10. *Quòd aſcendit, quid eſt, niſi quòd & deſcendit? qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia.* Non de omnibus verum eſt, *qui aſcendit, priùs deſcendit:* ſed de Deo verum eſt, qui cœlum & terram replet. Nam, ſi Deus, qui de cœlo potentiam & gratiam ſuam & ſeveritatem in improbos & providentiam indefatigabilem & oculum omnia inconnivè intuentem demonſtrat, dicatur *aſcendiſſe*, neceſſe eſt, eum priùs *deſcendiſſe*, h. e. in inferioribus partibus manifeſtatum eſſe, ut poſſet cognoſci eam φανέρωσιν à terris tollere, vel etiam id, quod in terris geſtaverat, in cœlum evehere & in eo aſcendere. Atque hinc dicitur *non eſſe ex terra.* Joh. 8: 23. Et Chriſtus replens omnia donis, & ambulans in medio Eccleſiarum, & vivens in fidelibus, & veniens ad eos, qui in nomine ipſius conveniunt, imò ad omnes, *5. Arg. ab immenſitate.*

qui ipsum diligunt, veniens cum Patre & mansionem apud eos faciens, est is ipse, qui non procul abest ab unoquoque nostrum.

6. Arg. à Sapientia.

50. Sapientiam nemo negabit ei, qui est Sapientia, Prov. 8. & 9. Matth. 11: 19. Luc. 11: 49. collato Matth. 23: 34. 1 Cor. 1: 24. *Super quo*, ut capite & fonte, *est spiritus sapientiæ & prudentiæ, consilii & roboris. Qui non, secundùm quod oculus videt, vel auris audit, judicat. Qui odoratur timorem Domini.* Es. 11: 2. 3. Qui *scrutatur corda & renes.* Apoc. 2: 23. Qui *novit omnia.* Joh. 21: 17. Qui *cognoscit Deum* Matth. 11: 27. Qui *vidit, quæ testatur.* Joh. 3: 11. 32. Qui *videt, quæ Pater facit.* Joh. 5: 19. 20. *Coram cujus oculis nihil est occultum.* Hebr. 4: 13. Qui novit etiam illa, quæ humanitas ejus ad tempus ignorat. Marc. 5: 30. Nam non ab ignaro vis exiit, qui factum recognovit, ut quæreret subjectum, in quo erat factum. Unde planam explicationem habet locus Marc. 13: 32. quo testatur Servator, diei illius revelationem non extare, adeò etiam ut Filio, misso in mundum, ea revelata non sit. Pater enim Filio, ut homini, revelaverat omnia mysteria, quæ revelare Ecclesiæ debebat, sed diem illam non revelaverat.

7. Arg. à Potentia.

51. Potentia autem illius planè divina est. quippe qui facit omnia similiter ac Pater, quæ videt Patrem facientem; & vivificat, quos vult. Joh. 5: 19. 20. 21. Quæ verba nisi indicant eandem sapientiam, voluntatem, consilium, gratiam, efficaciam, operationem, & unum Patris ac Filii opus; quid, quæso, significant?

8. Arg. à χάρις.

52. Videmus, hîc Christo asseri voluntatem vivificandi, quæ est χάρις *voluntas* exercendi liberalitatem & donandi, Rom. 5: 15. 2 Cor. 13: 13. Rom. 1: 7. אַהֲבָה חֶסֶד dilectio & συμπάθεια Angeli faciei, Es. 63: 9. sponsio, Hebr. 7: 22. electio, Eph. 1: 4. Joh. 13: 18. 15: 16. vocatio seminis, postulatioque ejus, sacerdotalis interceſſio, benedictio, Gen. 32: 26. Hac voluntate sanctificamur. Hebr. 10: 10.

9. Arg. à Potestate, & rursus Potentia.

53. Huc referenda est ἐξουσία *potestas*, quam Christus habet in cœlo & in terra, ut cui omnia sint data in manum, ut nempe faciat omnia secundùm voluntatem suam, qua petiit à Deo hæreditatem. Quæ potestas fundatur in æterna εὐδοκία *beneplacito æterno* & βουλὴ θεοῦ θελήματος *& proposito voluntatis, & consilio pacis*, quod est inter Jehovam & Germen, Zach. 6: 13.

54. Profitentur Socini discipuli Christi *imperium* & *potestatem*: sed id, quoad possessionem dicunt esse donatum, at, quoad exercitium,

citium, independens. Sed poteſtatem independentem nemo poteſt habere, niſi Deus. Dei ſunt omnia. Nihil poteſt Deus velle eſſe non ſuum, quod ſuum eſt. Nam vellet id etiam non referri ad ſe. Atque etiamſi homini opera ſua ſubdiderit, non tamen ea ſubdidit, niſi ad uſum. Uſus autem eorum eſt, laudare Deum per ea. Hominem, quem ad imaginem ſuam condidit, poteſt ſubjicere alii, ad dirigendum, ad conſervandum, ad operam illius exigendam, vel etiam ut carnifici & caſtiganti; ſed non ita, ut propter eum ſit, & ad illum, ut finem, totus referatur. Itaque & tale imperium in hominem non-Deo dare non poteſt. Sibi ſoli eum vult ſervire. atque hoc etiam tantùm velle poteſt, ut ſibi ſoli ſerviat. Crellius de Vera Rel. lib. 1. cap. 23. p. 169. *Hæc divini dominii plenitudo, cum ejus amplitudine conjuncta facit, ut Deus ſubjicere omnia, cui velit, poſſit, & res earumque uſum alieno arbitrio ita permittere, ut nihilominùs eis per illum perfruatur. Hoc jure uſus eſt, quum Chriſto præter ſeipſum omnia ſubjecit.* Illa diligenter expendenda ſunt. Deus ſine dubio eſt ſummus dominus. non ad utendum rebus aut eis fruendum: (nullo enim indiget, neque quicquam utilitatis ex creatura percipere poteſt) ſed ut omnia cogantur ipſi obedire & ad gloriam ipſius eſſe. Hoc dominium nemini impertire poteſt. Igitur etiam Chriſto volunt tale dominium dediſſe in homines, maximè fideles, *ut* ipſe *nihilominus eis perfruatur per illum.* Dicunt, Chriſtum *Dei vicarium* conſtitutum eſſe, & quidem in regno libertatis. cujus natura eſt, nemini niſi Deo ſubeſſe. Deinde ſic abnegant verum Chriſti regnum & dominium, quod habet in Eccleſiam ut λαὸν περιούσιον, עַם סְגֻלָּה *populum privæ poſſeſſionis*; Tit. 2: 14. & in gentes ac fines terræ, ut hæreditatem & poſſeſſionem, Pſalm. 2: 8. Hebr. 1: 2. h.e. in ipſam hæreditatem Dei. Jerem. 10: 16. Relinquunt verò Chriſto non κυριότητα veram, ſed οἰκονομίαν & adminiſtrationem, ut villici, tutoris, curatoris. quales fuerunt *angeli* & *homines*, qui *dii* appellati fuerunt. Et tamen in eo regno volunt Chriſtum agere independenter. Quum tamen Chriſtus neget, ſe poſſe quicquam facere vel dicere vel judicare à ſemetipſo, ſed ſibi certum attributum eſſe à Deo opus & certos datos ſalvandos & certa verba dicenda. Quæ ſi non ſignificant *unitatem*, certè ſignificant dependentiam.

55. Poteſtas verò Chriſti etiam potentiam arguit. Habet enim poteſtatem ad aliquid faciendum. Sed quod faciendi poteſtatem

habet, id postulat omnipotentiam, δυνάμιν, κράτος, ἰσχὺν, Apoc. 5: 12. גְּבוּרָה q. d. δυνάμιν νικῶσαν, Es. 11: 2. Unde ei non minùs, quàm Patri, competit elogium παντοκράτορος *omnipotentis*, Apoc. 1: 8. quippe qui est δυνάμις θεοῦ *potentia Dei* 1 Cor. 2: 24. Quis igitur è manu ipsius eripiet oves ipsius? Quum ipse & Pater unum sint? Joh. 10: 28. Quis verebitur, ne manus ipsius abbreviata sit, ne possit redimere? Es. 50: 2. aut ut ipse facturus sit, quod petimus in nomine ipsius? Joh. 14: 13. 14. aut ut in ipso conservemur, Judæ 1. quum verbo potentiæ suæ tulerit hucusque omnia? Hebr. cap. 1. vers. 3.

10. *Arg. à Conditione eorum, quæ sunt.*

56. Quod cùm credimus, credimus, per ipsum cœlos & omnem exercitum eorum factum esse, Psalm. 33: 6. Prov. 8: 27. 28. 29. 30. 31. Psalm. 102: 26. Hebr. 1: 2. 10. Col. 1: 16. 17. Es. 40: 9. 10. 11. 12. Psalm. 95: 1—6. Per ipsum omnia facta esse, & nihil sine ipso factum esse sive extitisse aut esse incepisse, quod extitit. Joh. 1: 3. mundum ipsum, in quem venit. v. 10. & eum populum, ad quem venit, quem tanquam partem suam ex mundo seposuerat de populis, v. 11. Quæ intelligenda esse de iis, quæ fuerunt, antequam Sermo fieret caro & inter homines habitaret, tum ex simplicitate literæ clarum est, tum ex eo, quòd Euangelista distinguit Esse antequam quicquam fieret, Esse apud Deum, & fieri carnem sive venire in mundum: denique quòd omne tempus antecedens nativitatem accuratè recenset.

57. Hinc ad ipsius κτίσιν referuntur θρόνοι & ἀρχαὶ, *principes*, qui fuerunt ante ipsius adventum; illi etiam, qui per adventum illius inutiles esse cœperunt. Col. 1: 16. Eph. 3: 9. 10. Psalm. 82: 6. Prov. 8: 15. 16. quippe qui, ut dominus Davidis, ita & *radix Iessæ* & *Davidis* est, Es. 11. 10. Apoc. 22: 16. ut uno modo ipse ex Davide, alio modo David ex ipso sit.

11. *Arg. ab eo, quòd est hæres, & sponsus populi Dei.*

58. Certè non possumus esse peculium, hæreditas, sponsa, nisi ejus, qui creavit nos, Psalm. 95: 6. 7. 100: 3. Es. 54: 5. Hos. 2: 21. 22. neque nostra hæreditas, nisi formator noster. Jer. 10: 16. *Non, ut hi, pars Iacobi; sed is formator omnium est; & Israël virga hæreditatis ejus: Iehovah* Deus *exercituum nomen ejus.*

12. *Arg. ab eo, quòd est Goël.*

59. Unde & soli Deo competit גְּאֻלָּה ἀπολύτρωσις, assertio & vindicatio Israëlis, tanquam rei suæ, ad redimendum. Es. 54: 5. Nemo asserit, & ex nexu redimendum vindicat, quod suum non est, & ut suum non sit. Joh. 17: 9. 10. *Quos dedisti mihi, quia tui erant. Et mea*

omnia

omnia tua sunt, & tua mea; & glorificatus sum in ipsis. Erant Patris, ut κτίσεις. Illo jure erant & Filii. Non enim potuissent fieri res Filii. Dati sunt Filio, novo jure, οἰς ἀπηλλοτριωμένοι, acquirendi in peculium sibi & Patri. idque eo fine, ut peccata illorum remitteret. Quod non est nisi Dei jus. Hujus enim est remittere, cujus & judicare. Hujus judicare, cujus est lex, & cujus jus peccato violatum est. Atqui Filius remittit peccata: & quidem contra se commissa remittit propter se ipsum.

60. Omitto jam opera, quæ dedit ei Pater, ut faceret ea. Joh. 5: 36. quorum Christus non fuit tantùm ἔνδειξις & index, & nominans Nomen patrantis illa, velut Moses, & Prophetæ & Apostoli, sed πλάστης, ποιητὴς, δημιουργὸς, αὐθέντης. Cui Actor. 3: 16. tribuitur *Nomen, quod firmat claudos,* & δύναμις ἰδία. v. 12. quippe & voluntas ea faciendi, & imperium sive verbum ea opera exhibens. Matth. 8: 2. 3. Marc. 1: 40. 41. Luc. 5: 12. 13. Matth. 8: 8. 9. & ita, ut δύναμις ex ipso exiverit. Marc. 5: 30. Quid dicemus de eo, qui mutat rupem in stagnum aquarum, & petram in rivum aquarum? Psalm. 114: 8. Atqui hoc facit, qui lapidea gentium corda mutat in carnea. Quid? quod is vivificat, quos vult? Joh. 5: 21. Quod templum Deo ædificat? Zach. 6. Matth. 16. Quod templum corporis sui exsuscitat? Joh. 2. Marc. 14: 58. quippe quod primitus assumsit. Joh. 1: 14. Phil. 2: 7. & animam suam recipit secundùm potestatem? Joh. 10: 18. 1 Petr. 3: 18. ut spiritus vivificans? 1 Cor. 15: 45. qui spiritum sanctum effundit? Joh. 1: 33. 20: 22. Actor. 2: 33. Rom. 8: 2. (ubi *spiritus vitæ in Christo* dicitur, ut significetur, spiritum facere, ut vivamus in Christo, sive Christus in nobis, Gal. 2: 20.) 9. ubi πνεῦμα Χριστοῦ *spiritus Christi* appellatur. 13. *Arg. ab operibus, quæ Pater ei dedit, ut ea faceret.*

61. Sed & de honore ac cultu dicamus pauca. Quem *Pater diligit,* Joh. 3: 35. 5: 20. h. e. *cujus gloriam quærit,* Joh. 8: 50. ita ut propter ipsius gloriam *omnia tradat in manum ejus, & omnia ipsi ostendat, quæ facit; & judicium ei tradat:* Joh. 3: 35. 5: 20. 22. 23. quem is *sanctificat,* Joh. 10: 36. h. e. declarat esse τὸ ἅγιον *Sanctum illum, Sanctum Israëlis,* Es. 6: 3. 41: 14. 1 Joh. 2: 20. Luc. 1: 35. Marc. 1. vers. 24. Luc. 4: 34. Mal. 2: 11. Actor. 4: 27. 30. Apoc. 3: 7. Est autem קדוש *Sanctus* inter nomina Dei, Job. 6: 10. significans separationem ab omni tum impuritate, tum vilitate. Quem *glorificat,* Joh. 12: 28. 17: 1. cuique *dedit nomen supra omne nomen,* h. e. nomen 14. *Arg. ab honore.*

majus omni nomine & auctoritate ac celebritate seu sublimitate, quæ est & nominari ab hominibus & angelis potest; *ut in nomine ipsius se flectat omne genu & omnis lingua ei confiteatur*, Phil. 2: 9. 10. (quod Jehovah juramento sibi reservavit Es. 45: 23.) quemque adeo *glorificavit gloria, quam is habuit apud Patrem, antequam hic mundus esset*, Joh. 17: 5. (quæ est gloria Filii unigeniti, qui est apud Patrem, per quem omnia condita sunt, qui videt, quæ facit Pater, ut ea similiter faciat; item Sponsoris Testamenti; & Angeli Testamenti, qui semper bajulavit populum, &, quæ his similia de Filio glorioſè dicuntur) cui dat *gloriam suam*, Matth. c. 16: 27. collato Matth. 25: 31. quem *Paracletus glorificat sumendo ex iis, quæ ipsius sunt, quæ doceat* discipulos. Joh. 16: 14. Quem *angeli adorant*, & cui principes populi, qui *dii dicti* erant, qui nemini subjiciuntur, nisi Jehovæ, subjiciuntur, Hebr. 1: 6. 1 Petr. 3: 22. Joh. 10: 35. 36. Psalm. 97: 7. Psalm. 82: 6. 7. 8. Psalm. 2: 11. 12. Qui diis λεγομένοις contradistinguitur, 1 Cor. 8: 5. 6. Qui *Deus* & *rex* vocatur *in regno Dei* (quod excludit omnes vicarios & deos λεγομένους) Psal. 2: 6. Matth. 11: 11. 12. Es. 54: 5. Psalm. 22: 29. Qui est antonomasticè βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος τῶν κυρίων *rex regum & dominus dominorum*, Apoc. 19: 16. collato 1 Tim. 6: 15. Deut. 10: 17. & (ut frustra Enjedinus articulum desideret) ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, Apoc. 1: 5. imò simpliciter מֶלֶךְ *rex*, βασιλεὺς sine pari, ut sit & hoc in ipso διαφορώτερον ὄνομα *præstantius nomen*, Psalm. 45: 2. Psalm. 72: 1. הָאָדוֹן *ille dominus* Mal. 3: 1. ὁ Κύριος, passim: is est ὁ ἀληθινὸς θεὸς *Deus ille verus*. Quem adeò Ecclesia in cœlo & in terra adorat & glorificat, & in quem credit, cui obedit, quem invocat & cui gratias agit. Vide Joh. 14: 13. 14. Apoc. 5: 12. 13. 14. 1 Petr. 1: 21. cui sacrificium offert timoris Domini, Es. 11: 3.

62. In quibus aliquid non ἴσον θεῷ *æquale Deo* fingere, insanientium est. Joh. 5: 18. 23. Phil. 2: 6. Zach. 12: 10. Certè non est prudentium, adorationem aliquam vel inferiorem divina vel mediam (qua divinitas ad humanam mediocritatem deducatur, aut humanitas supra seipsam extollatur) in Christo admittere, præter illam divinam. quod non potest fieri sine divisione personæ (cujus est adorari sive accipere nomen & gloriam & benedictionem) aut mediatorii officii (quod est ab ἀξία *dignitate* personæ tantæ) depressione; quasi id, ut minus divina dignitate, in non-Deo residere potuerit. Ex quibus omnibus meritò concludimus, in ipso

omnem

omnem plenitudinem deitatis corporaliter habitare, Col. 2: 9. atque adeò eum *κυρίως propriè* Deum esse.

63. De *Spiritu Sancto* revelatum est, 1. Eum esse. Et quidem jam in ipso creationis primordio ipsius nomen & efficacia memoratur. Neque obstat, quòd Joh. 7: 39. dicitur, *nondum erat*. confer Actor. 19: 2. Id enim de effusione Spiritus Sancti, quæ promissa erat à Joële & aliis Prophetis, intelligendum est. Et sic tunc loquebantur: *Sub templo secundo non fuisse spiritum sanctum.* *Quid de Spiritu Sancto revelatum?* *1. Spiritum sanctum esse.*

64. 2. Eum esse aliquid divinum. Nam id, quod Spiritus efficit in hominibus, *spiritus* dicitur metonymicè, ita ut causa & effectus uno significetur vocabulo. *2. Spiritum sanctum esse divinum.*

65. 3. Eum esse unum. 1 Cor. 12: 4. 13. Neque officit, quòd alicubi Scriptura, propter varietatem demonstrationis ipsius, plurativè de eo loquitur. ut 1 Cor. 14: 32. Apoc. 1: 4. *3. Eum esse unum.*

66. 4. Eum esse personam. Sic enim loquitur de eo Scriptura, ut de Patre & Filio; eumque ab utroque distinguit. ut Joh. 15: 26. ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος, &c. *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ille* &c. Joh. 14: 16. ἄλλον Παράκλητον *alium paracletum.* Zach. 9: 12. מְשִׁיבֵךְ *indicem alterum restituo tibi.* comparato vers. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Rex Sionis Christus quum venisset, & in cœlum rediisset, missus est alter index ex cœlo Spiritus Sanctus. Es. cap. 48. vers. 16. *Dominus* יְהוִה *misit me & spiritus ejus*, sive *malis*, *& spiritum suum.* Rom. 8: 27. τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος *sensus & studium Spiritûs*, ὅτι κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει *secundùm Deum intercedit.* 1 Cor. 12: 11. *Omnia hæc operatur unus & idem Spiritus distribuens unicuique, prout vult.* ubi nota voluntatem & actionem, ut personæ. Matth. 3: 16. *Spiritum descendentem velut columbam.* Matth. 28: 19. *in nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* confer Matth. 12: 31. 32. 1 Cor. 12: 4. 5. 6. Eph. c. 4. vers. 4. 5. 6. 2 Cor. 13: 13. Apoc. 1: 4. 5. *4. Eum esse personam.*

67. Proinde etiam sub nomine יְהוִה ὁ κύριος intelligitur τὸ πνεῦμα. 2 Cor. 3: 17. & θεὸς appellatur Actor. 5: 3. ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *fallere Spiritum Sanctum eique imponere, mendaciisque deludere.* Cui respondet v. 4. οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ. Sic sæpe auctores. & Euripides Iphig. in Taur. ἡμᾶς δ' ὁ Φοῖβος, μαύτις ὤν, ἐψεύσατο. Joseph. antiq. 3: 10. ψευσαμένη τὸ ἀνδρὶ ὅτι τοῖς γάμοις καὶ τὸν θεὸν ὅτι τοῖς ὅρκοις μετ' αἰσχύνης κατεστρέφετο τὸν βίον. Chrys. in 1 Cor. p. 363. lin. 11. ψεύσασθαι τὸν θεὸν pro conari fallere Deum, *Et quidem Deum.*

Deum, mentiri Deo. Ita ibid. v. 9. προσθεσθαι τὸ πνεῦμα. In eum committitur peccatum & blasphemia. Matth. 12: 31. 32. Hebr. 10: 29. Es. 63: 10. Is primum mundum post longam patientiam judicavit. Gen. 6: 3. *Non deliberabit Spiritus meus super homine in seculum. Quippe quum & caro illi sint.* h. e. spiritus mei expertes. Igitur & immensitas (Psalm. 139: 7.) & æternitas (Hebr. 9: 14.) & sanctitas h. e. separatio ab omni impuritate & vilitate, & cognitio Dei Joh. 3: 11. 1 Cor. 2: 10. (ubi τὸ ἐρευνᾶν significat perfectam cognitionem: ut Job. 28: 27.) & opus creationis, tum omnium rerum, tum hominis, & manifestationis voluntatis Dei & missionis Prophetarum, regenerationis ac sanctificationis & vivificationis ei ascribitur. Quare nec dubium potest esse, quin sit adorandus, glorificandus & invocandus. Ut sancti fecerunt. Quippe quum & templum habeat, in quo colatur, corpus & animam nostram. 1 Cor. 3: 16. 6: 19. 20. Atque adeò non tantùm *noster est Spiritus Sanctus*, sed & *nos ipsius*. Quod improbè negat Bidellus refutatus à R. D. Cloppenburgio p. m. collega olim nostro. Qui autem per *Spiritum sanctum* intelligi volunt attributum potentiæ divinæ, illi tum per dicta satis refutantur, tum eo, quòd spiritui attribuitur potentia & ἐνέργεια *efficientia*. ut Mich. 3: 8. Luc. 1: 17. Actor. 1: 8. 10: 38. Rom. 15: 13. 19. 1 Cor. 2: 4. Eph. 3: 16. 1 Thess. 1: 5. 2 Tim. 1: 7.

5. *Quòd sit spiritus Filii.*

68. 5. Quòd sit spiritus Filii. Gal. 4: 6. 1 Petr. 1: 11. Rom. 8: 9. per quem is locutus ad patres. 1 Petr. 3: 18. Quanquam enim in eo loco Petrus per *spiritum* intelligat naturam Christi divinam, secundùm quam ei attribuit prædicationem diluvii factam in diebus Noë: tamen hoc ea ratione fit, quia Moses mentionem facit *Spiritus Dei*, de quo dicit Deus, *Non amplius deliberabit Spiritus meus*. Hunc autem Spiritum Christi esse, intelligendum est. Quia nulla est deliberatio, nullum consilium prorogandæ longanimitatis, nisi in Filio Sponsore Testamenti. Quare ei quoque præconium diluvii assignatur, ut proprium & muneri ipsius conveniens. Spiritum mittit Filius à Patre, & dicitur tum procedere à Patre, quando tempus est, ut mittatur à Filio. ibid. Joh. 15: 26. &, quemadmodum spiratur à Filio sive ineffabili modo est propterea, quia Pater & Filius est; ita quoque & à Patre procedit, ut habitet in nobis, & à Filio donatur. Joh. 20: 22. Ergo &, de quo Spiritu dicitur Gen. 1: 2. רוח אלהים מרחפת *& spiritus Dei incubabat*, eum esse Spiritum Christi, Veteres Kabbalistæ secretis suæ Gematriæ innexuerunt.

runt. Nam illis verbis Mosis illa exæquant וחיא רוחו של מלך המשיח h.e. *Et hic Spiritus Regis Christi.* Vide Baal Turim ad Gen. 1: 2.

69. Hæc autem omnia habent eam utilitatem, 1. ut agnoscamus *Spiritum gratiæ* effectorem & donatorem fidei, amoris & timoris Dei. 2. ut certi simus, eum cum illis donis nobis donari, tanquam arrhabonem, & sigillum, & paracletum; cujus nimirum voluntas & sensus nostris etiam suspiriis non loquentibus nobis explicata sit tanquam intercessio certò exaudienda. 3. Ut βελὼ *consilium* & ἔλεγχον *redargutionem* Spiritus nos *arguentis* de peccato & justitia & judicio metuamus despicere & negligere, quum voluntaria peccati servitus post agnitionem veritatis nullam spem relinquat vel θυσίας *oblationis* vel illuminationis. Quandoquidem enim non datur ulla communio cum Christo nisi per spiritum convincentem de illis; qui convictus per Spiritum, quòd justitia non sit nisi in Christo, tamen justitiam Dei rejicit, & sibi volens persuadere conatur, spiritum veritatis esse spiritum mendacii, nihil habet, quod speret amplius. Et hoc est peccatum in Spiritum sanctum. quo Spiritus Dei se patefaciens homini ut *spiritum gratiæ* ὑβρίζει) & blasphematur, tanquam si esset spiritus mendacii. Cujus peccati verendum ne plures in hoc mundi senio, post tantam vim ἐλέγχου & in tanta crebritate ἐπιφανειῶν & amore mendacii tam obstinato, sint rei, quàm unquam. Quales homines stilo Spiritus dicuntur *quærere mortem*, h.e. affectare ignorantiam veritatis & quietem duri cordis in peccatis. Apoc. 9: 6.

Vtilitas doctrina de Spiritu Sancto.

Peccatum in Spiritum sanctum.

70. His ita demonstratis, quis dubitabit, Annon vox אֱלֹהִים *Elohim* cum verbis & adjunctis pluralibus, aliaque similia, ut אֹרֵנִי, & קדשים (vide Hos. 12: 1. Prov. 9: 10. 30: 3.) & sermones Dei ad se ipsum vel de se ipso in plurali, ut Genes. 1: 26. 3: 22. 11: 7. Hos. 12: 4. 5. Ezech. 21: 15. (עשיו nempe *Ego & Filius meus*) & de Deo sive Domino; & testimonia Veteris Testamenti, in quibus Jehovæ, Angeli vel Verbi & Spiritus fit mentio, itemque apparitiones (qualis Gen. 18. & 19. de qua vide Augustinum tom. 3. de Trinit. 2: 11. 12. & tom. 6. contra Maximin. Arr. Episc. l. 3. c. 26. ubi inter cætera: *Quid si & in illis duobus Angelis unus Dominus invenitur, qui secundùm verbum suum in ipsis angelis descendit in Sodoma? Nonne manifestum erit, in tribus illis viris unum dominum visum esse? ubi quid aliud, quàm ipsa trinitas figurata est?*) & visiones (quæ mysterii hujus ἀναλογίαν uniformiter explicant) sint totidem apodixes

Confirmatio doctrina S. Triados.

orthodoxæ confessionis de Patre, Filio & Spiritu Sancto. Matth. 28: 19. tribus (1 Joh. 5: 7. 8.) qui unum SUNT. Joh. 10: 30.

71. In qua fide non est licentia effrenatæ speculationi Deum ad creaturas metienti, neque necessitas cognoscendi & intelligendi id mysterium, quemadmodum Pater Filium & Filius Patrem cognoscit & Spiritus Sanctus scrutatur profunditates Dei: sed sufficit, nos credere, quòd Deus sic sit ens unum, ut sit tres: & quòd sic tres, ut tres sint unum.

72. Quam veritatem non potuit Satanas ita obliterare, ut non in ore remaneat ipsorum hæreticorum; sive tres in unam personam conflantium (quod fecit Sabellius, dicens ἰροπάτωρ, &, Patrem passum esse) sive personas, saltem Patris & Filii, dividentium & de Filii existentia producta, vel æterna, vel ἐξ οὐκ ὄντων ante principium, (Hæ enim duæ sectæ Arianorum) vel demum in nativitate, (Quæ Photini & Ebionis & Pauli Samosatensis & Socini opinio est) deque ejus potentiâ & adoratione & divinitate, (neque enim hic concordes, qui veram divinitatem Christi abnegant, Faustus Socinus & Franciscus Davidis) ut & de Spiritus Sancti persona (sunt enim & πνευματομάχοι & Tritheïtæ) vel divinitate inter se altercantium. Quorum sensibus nullatenus Scripturarum concinnitas & sapientiæ divinæ veritas obsequitur.

CAPUT XII.

De Processione Spiritus Sancti ex Patre & Filio.

Revelatio mysterii pietatis in mundo per Euangelium sic facta est, ut Deus *verteret ad populos labium clarum, quò omnes nominarent nomen Iehovah & colerent eum humero uno.* Zoph. 3: 9. atque ita in una fide unius Domini concorporarentur & in cœlum, velut communem civitatem, intrarent. Sed versutia Satanæ effectum est, quum homines animales non reciperent amorem veritatis ut salvarentur, neque possent adeò retinere τὸ αὐτὸ φρονεῖν *idem sentire*, ut nec retinerent τὸ αὐτὸ λέγειν *idem dicere.* 1 Cor. 1: 10. Deo etiam partim ipsos judicante & confundente linguas ipsorum, Psalm. 55: 10. partim σὺν δοκίμως *probos & rectos* tentante. 1 Cor. 11: 19. Ita evenit, quod est Hos. 5: 2. אֲנִי מוּסָר לְכֻלָּם *Ego redargutio omnibus* sum. q. d. meum nomen est ipsis ansa mutuæ reprehensionis & damnationis.

2. In-

2. Insigne imprimis est schisma Ecclesiæ Græcæ & Romanæ. Inter dissidii causas est & quæstio satis celebris de *processione Spiritus sancti ex Patre Filioque*. Quæ nunc etiam Orientales quosdam à sensu Ecclesiæ reformatæ distinere videtur. De ea igitur post multos pauca hoc capite dicemus. *Inter quas ista hæc quæstiones quæratur?*

3. Ante omnia fatendum est, non legi in Scriptura totidem verbis, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio procedat. Sed id non est satis causæ ad dictum hoc rejiciendum: Quippe quum Ecclesia nunquam sibi interdictum putaverit vocabulis sensum Scripturæ explicantibus. Quare & illi, qui processionem Spiritus sancti ex Patre & Filio impugnant, putant sibi licitum esse, Patrem αἴτιον atque ἀρχὴν Filii & Spiritus sancti dicere. quanquam utrumque vocabulum possit ut κακέμφατον repudiari, si ad vivum resecetur. Si voces humanæ sensum dictorum Spiritus sancti exprimere apta natæ sint, earum usurpatio æquè sancta est, atque cogitatio animi, qua is sensus apprehenditur. Si voces humanæ ambiguæ sint & captiosæ & periculosæ, atque etiam abusu contaminatæ, meliùs ab iis abstinetur, ne vel in λογομαχίας incidamus, vel sub phrasibus suspectis mentem nostram suspectam faciamus. *Conceditur, non totidem verbis in Scriptura dici, quod Spiritus à Filio procedat.*

4. Quum igitur de persona & deitate Spiritus Sancti pleraque eadem videantur profiteri, videndum fuerit, an is sermo, *Spiritus Sanctus procedit ex Patre Filioque*, utilis sit ad declarandam communem orthodoxam fidem, necne. Quod si utilis est, & periculum illius phraseos demonstrari non potest, nullo jure Græci postulant, ut, quum quoad rem ipsam orthodoxè sentiamus & nullum in phrasi absurdum falsumque sensum agnoscamus, ab illa abstineamus; & immeritò ea utentes damnant.

5. Quanquam ne illi quidem, qui abstinent, dum imaginantur κακέμφατον, quod non est, propterea fuerint vilipendendi. quum uterque, qui utitur & non utitur, si ὀρθοδοξίαν communem, ad quam pervenerunt, ut unum canonem, & confiteantur & observent, laudet Deum. vide Rom. 14: 3. 6. Qua æquanimitate si in talibus non velimus uti, sed ad ἀφελεῖς ἀφιλογμῶν, neglecta tum veritatis enucleatione tum charitate, alii alios apprehendamus, & invicem absurdis oneremus, fiet, ut mutuò inter fratres Christus, quem quisque confitetur, & fides cujusque & objiciatur & irrideatur.

6. Non debent autem Græci Reformatam Ecclesiam, propter usum *Quid maximè*

doluerit Graecis circa hanc quaestionem?

usum hujus phraseos, damnare hoc tempore; quum illa, quæ litem inter Græcos & Latinos exacerbarunt, in Reformata Ecclesia non sint. Nempe doluit Græcis, quòd, quum in Symbolo Constantinopolitano, quod A. C. 381. editum est, hoc tantùm audiretur, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, *Et in spiritum sanctum dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem: cum Patre & Filio coadorandum & glorificandum,* (quod Lombardus 1. d. 11. B. Niceni esse dicit, sed est Constantinopolitani. Nam Nicena ἔκθεσις nihil habet, nisi καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) apud Latinos in ejus symboli recitatione audiretur, *Ex Patre Filioque.* De quo sic Photius epist. encycl. §. 8. τὸ ἱερὸν καὶ ἅγιον σύμβολον, ὃ πᾶσι τοῖς σταθηκοῖς καὶ οἰκουμενικοῖς ψηφίσμασιν ἄμαχον ἔχει τὴν ἰσχύν, νόθοις λογισμοῖς καὶ παρεγγεγράπτοις λόγοις καὶ θεσίζειν ὑπερβολῇ κιβδηλεύειν ἐπεχείρησαν. Et verò, licèt verum esset, quod addebatur, addi tamen communi omnium symbolo non licebat. Nam, qui addit, vel falsus testis fit formulæ Catholicæ, vel se νομοθέτην facit. Atqui id faciebant Latini. Id enim, quod ab ipsis fiebat, pro determinatione Ecclesiæ haberi volebant, quam pertendebant omnibus esse sequendam. Ita Clichtovæus Johannem Damascenum excusat, quòd ante determinationem Ecclesiæ, in Concilio Florentino scilicet, aliter senserit. Atque sanè eò minùs faciendum erat Latinis, ut communi formulæ tale quid adderent; quia verba Scripturæ erant, quæ in ea audiebantur (vide Joh. 15: 26.) ne viderentur Scripturam velle emendare. Atqui ea sanè potior causa schismatis fuit, cum aliis, quæ Græcos Patriarchas dominationis Romanæ æmulos urebant. quæ si abfuissent, minùs, credò, in hoc capite doctrinæ negocii fuisset.

Inter Graecos non desunt, qui thesi Latinorum astipulentur.

7. Nam nec in Ecclesia Græca desunt, qui antiquitus similiter locuti sunt. Omitto Gennadium Scholarium episc. Const. qui in Dial. cum Turca: ἕτως ὁ θεὸς καὶ πατὴρ γλυκὺ τὸν ἰὸν καὶ λόγον αὐτοῦ, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἡμῶν ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Omitto etiam symbolum Athanasii; de cujus editione disputatur. Minùs suspectus Cyrillus Alex. in epistola, quam nomine Synodi Alexandrinæ scripsit ad Nestorium: πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὀνόματι· καὶ ἔστι χρεὶς ἡ ἀλήθεια. καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ θεοῦ καὶ πατρὸς. in act. Conc. Eph. p. 81: 36. ed. Commel. & in libello ad Theodos. p. 26: 35. ἀπολύων ἁμαρτιῶν τὸ αὐτῷ προσκείμενον τῷ ἰδίῳ λοιπὸν καθαρεῖ πνεύματι, ὅπερ ἐνίησι μὲν αὐτὸς ὡς ἐκ θεοῦ πατρὸς λόγῳ· καὶ ἐξ ἰδίας ἡμῖν ἀναπηγάζει φύσεως. & l. 40. ἀλλ' αὐτὸς ἐνίησιν

ἐξ

ἐξ αὐτῦ καθάπερ ἀμέλει καὶ ὁ πατὴρ. & Thesauri λόγ. λγ. p. 334. ad Rom. 8, 9. ὅτι τ̃ Σωτῆρ Θ ὑπάρχον ὐσίας. & p. 336. εἰκὼν δ̃ ἁγ̃ τὸ πνεῦμα. & pag. 338. ἀνάγκη ἐν τ̃ ὐσίας ὑπάρχειν ὁμολογεῖν αὐτὸ τ̃ δ̃ ἁγ̃ καὶ θεῦ. & λόγῳ λδ. p. 339. κύριον ἦ πνεῦμα καλεῖ· ὐδεμίαν ἄρα φύσεως οἴδε διαφορὰν δ̃ ἁγ̃ καὶ πνεύματ Θ, ἀλ' ὡς ἐξ αὐτ καὶ ἐν αὐτῷ φυσικῶς ὑπάρχον τῷ τ κυριότητ Θ ὀνόματι καλεῖ. sic p. 343. & 354. & p. 344. ἐν τ ὐσίας αὐτ (δ̃ χρῆσιν) φυσικῶς θεῖον. & p. 347. δι δ̃ (ὁ Λόγ Θ) φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ὥστερ πνα τ οἰκείας φύσεως ἀκτῖνα θεοπρεπεστέραν τ δ̃ πνεύματ Θ ἐλάμψαν. Item Epiphanius hæres. 62. Sabell. ἀεὶ γὰρ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ δ̃ ἁγ̃ λαμβάνον· οὐκ ἀλλότριον πατρὸς καὶ ἁγ̃, ἀλλὰ ἐκ τ αὐτῆς ὐσίας, ἐκ τ αὐτῆς θεότητ Θ, ἐκ πατρὸς καὶ ἁγ̃, σὺν παρὰ καὶ ἁγ̃. Quæ his similia tum apud Bellarminum tum apud alios extant, non apponimus.

8. Nos autem, quanquam malimus, cum Leone III. Papa, qui Symbolum Const. in tabula argentea cum sola commemoratione processionis ex Patre publicè proposuit (de quo Lomb. d. l.) illi Symboło nihil additum, ne falsi testes fiamus, quasi Constantinopoli congregati hoc dixerint, quod non dixerunt; tamen non possumus non reprehendere illos, qui negant processionem Spiritus sancti à Patre & Filio; quia, quum utilis sit phrasis ad declarationem mysterii, & periculum ei non subsit, qui pertinaciter eam negant, videbuntur vel ignorare mentem eorum, quæ de Spiritu Sancto in Scripturis dicuntur, vel aliquid monstri alere, quasi dicere vellent, Spiritum sanctum esse ἀλλότριον τ φύσεως δ̃ ἁγ̃; vel vitilitigare: certè quidem, quia per imprudentiam pugnant contra argumentum Ecclesiæ pro illis, qui divinitatem Christi & Spiritus sancti abnegant.

Sermo utilis ad docendum non debet damnari à Græcis.

9. Theodoretum nemo sequetur, credo, qui, quum zelo quopiam contra Cyrillum commotus esset, dixit in ἀνατροπῇ ἀναθεματισ. θ. εἰ δ' ὡς ἐξ ἁγ̃ ἢ δι ἁγ̃ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ὡς βλάζφημον τοῦτο καὶ ὡς δυσεβὲς ἐκρίπτομεν. Nam illud ἁγ̃ δ̃ ἁγ̃ expressè & Basilius posuit lib. 5. contr. Eunom. c. 12. ἁγ̃ τί μὴ ἐκ τὸ πνεῦμα υἱὸς δ̃ ἁγ̃; ὅπι δ' ἁγ̃ τὸ μὴ εἶναι ἐκ θεῦ δι ἁγ̃, &c. & Damascenus 1. orth. fid. c. 15. ἐκ ἁγ̃ ἦ τὸ πνεῦμα, ἀλλ ὡς δι αὐτ ἐκ δ̃ πατρὸς ἐκπορευόμενον. μόν Θ γὰρ αἴτι Θ ὁ πατὴρ.

Theodoretus adversus Cyrillum nimius.

10. Porrò, quum fateantur Græci, Spiritum sanctum esse spiritum non tantùm Patris, sed & Filii sive Christi, & eandem habere essentiam, divinitatem, majestatem, imperium, cum Patre & Filio,

Rem fatentur Græci, de phrasi litigant.

& accipere à Filio, & porrò sic non loqui à semetipso, &, quòd eum mittat Filius à Patre; imo per ἐμφύσησιν significaverit, se eum donaturum, Joh. 20: 22. unde Joh. Damascenus 1. de orth. fid. c. 11. colligit, δι' ὑῦ πφανερῶδζ καὶ μεζδιδόδζ ἡμῖν: quid causæ potest esse, quare non dicatur ἐκπορεύεσθαι ἐκ ὑοῦ? Nam, quemadmodum ipsum nomen filius consignificat τὸ γνησίως ἐκπορεύεσθζ ἐκ ὑοῦ πατρὸς, ita nomen πνεῦμα seipso ἐκπόρευσιν ἴνα significat ex eo, cujus πνεῦμα dicitur φυσικῶς. Neque puto malè nos judicare, Apostolos docentes, Spiritum esse Spiritum Christi, hoc suæ doctrinæ sufficiens habere fundamentum in Veteri Testamento, quia est Spiritus Dei, & quidem sanctificantis & regenerantis, & eos, qui sibi dati sunt, in membra unientis. Quare igitur, iis omnibus in veritate agnitis, hoc vocabulum metuemus, quod cùm omnia illa complecti, tum nihil aliud præterea significare aptum natum est?

Quo sint stare debeat inquisitio de processione Spiritus sancti? & ratio determinandi hanc quæstionem pro Latinis.

11. Neque enim, dum sic loquimur, ea nostra intentio est, ut essentiam atque modum ὑπάρξεως Spiritus sancti speremus nos ad comprehensionem humani intellectus explicaturos, aut ut ad metaphysicas speculationes invitemus quempiam (quod non sine sanna dicit Episcopius. cujus occasionem à quibusdam Scholasticis datam non negamus) sed ut Deum in Christo glorificemus, & ei gratias agamus. Deus enim, ut rectè ait Paschasius de SS. lib. 1: 8. *hoc pervenire debere judicavit ad conscientiam nostram, quod pertinet ad salutem nostram.* Quare & in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti baptizamur.

12. Et profectò tum ad gloriam Dei, quæ ex salvatione hominis miseri provenit, tum ad solidam consolationem nostram plurimum facit id, quod nobis Deus de Spiritu suo & Filii revelavit.

13. Nempe, necesse erat nos scire, Deum habere, quem nobis donare posset, sacerdotem nos decentem, in quo peccatum condemnaret, qui ipsi sacrificium boni odoris offerret, cui nos donaret, in quo filios adoptaret, quem nobis ut dominum proponeret, in quem crederemus, ut per fidem unum cum ipso effecti justitiæ & vitæ hæredes fieremus, ad gloriam ipsius, & ut ipsi tanquam Assertori nostro gratias ageremus: nec nostram justitiam erigendo coram Deo in Dei justitiam blasphemè incurreremus. Iccirco revelata est nobis naturalis processio Filii à Patre, quodque is vivat, ut Filius, æterna vita, propter viventem Patrem & cum vivente Patre, & quòd per generationem æternam dederit ei Pa-

ter

ter vitam habere in se, quemadmodum Pater habet vitam in se; quodque cum Patre habuerit æternum consilium pacis: quodque æterno Testamento, Pater amans Filium, & gloriam ipsius quærens, omnia in ipsius manum tradiderit, eum hæredem omnium constituerit, ei omne judicium (quia homo erat futurus ad redemtionem & justificationem populi sui) tradiderit, quodque is semper apud Patrem sit, ut pro populo suo semper intercedat, ut λυτρωτης, h.e. cum voluntate illa & gratia redemtoris; quæ voluntas, quia Pater & Filius unum sunt, non potest non esse & Patris. Unde Filii apud Patrem mansio, maximè post carnem assumtam, est significatio illius voluntatis. quasi audiremus Filium dicentem Patri: *Redime illum, hominem peccatorem, cui indicavi rectitudinem suam, ne descendat in foveam corruptionis; inveni enim redemtionis pretium.* Job. 34: 24. ut ita in omnibus divinæ clementiæ donis gratias ageremus Deo in Christo.

14. Ut verò Deum glorificaremus, & in πληροφορίᾳ τῆς ἐλπίδος ei, ut sanctificanti nos, ad participationem justitiæ Filii ipsius, & adeptionem hæreditatis, gratias ageremus, opus fuit nobis notificari, Deum habere Spiritum sanctum, qui sit Spiritus Filii, & ab eo mitti donarique possit. quemque ut nobis decenter donaret, merito suo consecutus sit Filius: nempe ut purificet corda nostra per fidem, ut nos Christo inserat, ut faciat nos templum Dei, ut per eum Christus vivat in nobis, ut sit nobis arrhabo æterni conjugii cum Christo, arrhabo nostræ redemtionis, obsignatio nostra, donum perpetuò manens, doctor noster & paracletus succurrens infirmitatibus nostris, pro nobis intercedens suspiriis etiam nostris, sine eloquio; quæ dum ipse ex cordibus nostris exprimit, nobis fiunt testimonia & signa τοῦ φρονήματος αὐτοῦ. quod φρόνημα Deus novit, quia secundùm voluntatem ipsius intercedit pro sanctis. Eadem enim est voluntas, quæ Spiritûs (qui in nobis est & noster est; quia datus nobis est) & Patris & Filii, quum sit in Patre & Filio, & Spiritus Patris & Filii, & ab utroque donatus, & missus à Patre per Filium, & Filius eum miserit à Patre, & Pater eum miserit in nomine Filii, &, quod idem est, à Patre & Filio procedat, h.e. quemadmodum Filius est & vivit propterea, quia Pater est & vivit, ita Spiritus est & vivit, quia Pater & Filius sunt & vivunt; adeò ut nec Pater sine Filio, nec Pater & Filius sine Spiritu utriusque esse, vivere, agnosci, honorari & glorificari possint.

15. Sci-

15. Scilicet ad Dei gloriam & ad veram gratiarum actionem pertinet, ut nihil in nobis esse boni putemus, quod Deus non fuerit in nobis operatus; tum ut nihil putemus esse adeò bonum, quod nos facimus, ut sit nostra justitia coram Deo, & ut Deo placeat extra Christum, qui est nobis factus justitia; tum ut sciamus, nos Christi non esse, nisi Christus vivat in nobis; tum ut norimus, si Christum amemus, & in eo, ut unico servatore acquiescamus, & quæramus de ejus communione certiores fieri ad gloriam Dei, tum demum, quod facimus bonum, pro obedientia (quanquam non secundùm legem perfecta) haberi posse, ac porrò nos ita cum ipso unum esse, ut ab ipso non possimus separari, & quidem non magis, atque caput sine membris in gloria esse potest.

16. Hæc igitur credimus, & efficaciùs credimus, quando novimus, sanctificationem nostram & glorificationem non simpliciter esse opus Dei (est enim opus Dei & Patris & Filii & Spiritus sancti, non autem nostra pollentia) sed etiam esse fructum obedientiæ & passionum Filii; & eam non posse non sequi meritum ipsius, quum necesse sit, eos ipsi dari, quos sibi emit; & Spiritus, qui cum Patre & Filio sanctificat, sit Spiritus Filii, qui amorem nostri patiendo demonstravit; & fidem nostram atque sanctificationem esse signum inhabitantis in nobis Dei & Christi, quia est effectus Spiritus Dei & Christi: & eo signo nos obsignari, quia Spiritus ille nobis est donatus à Christo, qui à Patre impetravit, ut nobis donare eum posset; atque adeò eum perpetuò mansurum apud nos, quia noster est; & preces nostras & suspiria à Deo exaudiri, quia à Deo & Christo fidejussore & capite nostro habemus spiritum, qui operatur in nobis, & ut precemur & ut ingemiscamus; & nobis donatus est & noster est: denique, quia habemus Spiritum Filii, qui semel secundùm carnem legi subjectus eidem satisfecit, nos liberos esse ab omni non tantùm condemnatione, sed & accusatione legis, & proinde servitute; & ad Deum, ut Patrem, cum fiducia filiorum posse accedere.

17. Quemadmodum autem missio & donatio Filii non potest intelligi, nisi constet, Filium esse distinctam à Patre personam, & à Patre procedere; ita, quòd mittat ac donet Spiritum Pater & Filius, & Pater in nomine Filii, & Filius à Patre, ut noster sit, & pro nobis intercedat tanquam arrhabo; id, inquam, intelligi non potest, nisi constet, Spiritum esse distinctam personam à Patre & Filio,

lio, & esse Spiritum Patris & Filii, &, quod idem est, à Patre & Filio procedere.

18. Nec est, quod Græci, qui hunc sermonem spernunt, putent, se esse divini verbi retinentiores, quod extat Joh. 15: 26. *Quum autem venerit Paracletus* (h. e. Advocatus) *ille, quem ego vobis mittam à Patre; spiritus ille veritatis, qui à Patre* ἐκπορεύεται *exit; ille testabitur de me.* Nam, si rem dicere velimus, Christus ibi non loquitur primariò de ἐκπορεύσει φυσικῇ, sed de οἰκονομικῇ, h. e. non loquitur Christus de ὑποστατικῇ ἰδιότητι Spiritus sancti, sed de Spiritus sancti datione, ejusque egressione ad homines. Quum Christus ἐξελθὼν παρὰ πατρὸς venisset in mundum, hoc illud tempus erat, ut etiam Spiritus sanctus à Patre egrederetur. Et Christus spondet, se eum esse missurum. Non aliter Deus dicitur *egredi è loco suo.* Es. 26: 21. & unus atque alter angelus, Zach. 2:7. Idem est, quod Baptista dicit de Christo, demonstrans ejus excellentiam Joh. 3: 34. *Quem Deus misit, verba Dei* (quæ Deus sibi reservaverat, quæ ipse loqueretur apud populum suum, & quæ nemo nisi Deus loqui potest) *loquitur. Non enim ex mensura dat Deus spiritum.* q. d. non dat eum parcè, sed effundit in omnem carnem, eumque non spiritum servitutis amplius ad timorem, sed spiritum adoptionis filiorum & libertatis. Quemadmodum etiam Es. 48: 16. missio Spiritûs cum missione Filii conjungitur. *Et nunc misit me Dominus Iehovah, & spiritum suum.* Pro mensura igitur Spiritûs promissionis, est & modus sermonis & ipsius loquentis auctoritas. Si non Deus ad nos loqueretur, Spiritus in ista ubertate non daretur. Est in Scripturis & verbis Christi apud Johannem tam frequens hujus doni inculcatio, ut nemo possit dubitare, hæc verba in eum sensum accipi posse. Neque refragantur apposita verba, sed amicè cum eo conspirant. Quid enim est *Spiritus veritatis?* numquid tantùm ἀψευδὲς πνεῦμα, *spiritus, qui mentiri non potest?* (Neque sub Veteri Testamento mentitus est) sed conveniens *veritati* & exhibitioni promissionum Dei in Christo, & faciens, ut veri cultores Deum in *veritate* adorent, &, Deum *verum esse*, h. e. veraciter impleviisse promissiones suas, & verè factum esse Israëli in Deum, attestentur. De hoc autem commodum erat, ut & promissum diceret, revocando discipulos ad promissionem, &, jamjam à Patre exiturum se donante, assereret. Hunc sensum qui à verbis Christi excludit, id excludit, quod illa ἐμφαλωπίτως significare possunt. Qui autem admittit,

Græci non jurat dictum Christi Joh. 15: 26.

quam habet πρόφασιν, hoc loco abutendi, quasi in eo determinaretur ἰδιότης Spiritus sancti, nempe τὸ ἐκπορεύεσθαι παρὰ πατρὸς καὶ μὴ παρὰ τοῦ υἱοῦ? præsertim si ipse cum Johanne Damasceno confiteatur, δι' υἱοῦ προαιρῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν.

Cap. XIII.

De divinis nominibus, attributis & operibus secundùm sanctas Personas distinctis.

Ratio οἰκονομίας, quia necesse est omnia esse per Deum & propter Deum.

Qui vel rerum naturam vel Scripturam inspicit, non credit, nisi unum esse Deum. Certè unus est, qui creavit omnia, quæ novimus. Nam omnia in unum conspirant, seque una sancta, sapienti & potenti voluntate citata & adducta esse fatentur: neque alius, præter unum, unquam se manifestavit Deus: &, qui se manifestavit, is alium Deum præter se esse negavit, & haberi vetuit.

2. *Per eum & propter eum sunt omnia.* Hebr. 2:10. *Propter eum*, h. e. tum *ab ipso*, ut nulla sit omnium causa ipso prior, sed *ex ipso* (Rom. 11:36.) sive ab ipsius sufficientia, potestate, consilio omnia procedant; tum *ad ipsum*, ut ipse in omnibus glorificetur, & præter eum nullus alius in operibus ipsius glorificetur.

3. Unde consequitur, ut & *per eum* sint *omnia*, h. e. ut, quicquid est, proximè ab ipso sit, ita ut Deus à creatura vel à quoquam non mutuetur ullam vim aut ullum influxum in opus suum. Quare neque propriè quicquam ad Deum relatum instrumenti rationem habet. Sine instrumento nos ad quædam agenda inepti sumus. Sine calamo non scribimus, sine navi non navigamus, sine lingua non loquimur. Deus & causam secundam facit & effectum causæ secundæ &, ut ita loquar, causationem ejus independenter edit ex se & per se.

4. Quare nulla res ita esse potest, ut gloria, quæ ab illa re provenire potest, ad ullum redeat præterquam ad Deum.

5. Certè homo non potest ulla in re aut in ullo gloriari, qui non sit Deus. 1 Cor. 1:31. Nam, si homo posset gloriari in semet, vel in ulla alia re, vel in alio, qui non est Deus, non essent *ad Deum* omnia: & Deus ad gloriæ suæ explicationem & assertionem & ostensionem indigeret alio.

6. Atque inde evidens est, causam secundam ita esse non posse ad ullum opus vel ullum effectum, ut gloriam in se transferat, aut

partem

partem gloriæ avertat, aut ut homo in ea possit gloriari. De qua re etiam agimus ad Psalm. 150: 2.

7. Quòd si autem gloria divina est, posse esse, & esse ac nominari hominis non tantùm recti creatorem, aut conservatorem alicujus creaturæ intelligentis in rectitudine, sed etiam posse esse & esse ac nominari hominis perditi, miseri, injusti, impuri Salvatorem, sanctificatorem, justificatorem, imò justitiam; sequitur, ejus effectûs causam secundam dari non posse, quæ gloriam auferat & avertat, ad gloriandum in ea; sed Deum id operari *per se*, sive hominem salvari, sanctificari, justificari, justum esse *per Deum*, & non *per non-Deum*. *Nominatim, ut per seipsum fiat homini justitia.*

8. Et, ut expressiùs id dicam, non posse nobis fieri *sapientiam à Deo*, imò *sanctificationem*, imò *justitiam*, imò *redemtionem*, qui non sit Deus.

9. Cæterùm, quando id homini à Deo contingit, & quidem *sine discrimine* gentis aut familiæ aut conditionis *omnibus* à Deo contingit, tum *omnes consummantur in unum*. Joh. 17: 21. 23. *Consummantur*, quia, quod summum ac perfectissimum est donorum, quæ in hac vita donantur & ad quæ in ea aspirare possunt peccatores, habent. *In unum*, quia id bonum habent omnes, & quidem in uno Deo, qui, ut unus est, ipsis uno modo fit in Deum, ut in eo gloriari possint eodem modo. *Cognitio οἰκονομίας pertinet ad τελείωσιν omnium in unum.*

10. *Consummatio* enim Ecclesiæ est is status fidelium, in quo cum lætitia Deum amant, in spe ad eum, tanquam sacerdotes, accedunt, sublata, ut reatu, ita accusatione reatûs, & effectibus reatûs, qui in sanctos cadere possunt ad ipsorum humiliationem, & sublato interstitio gentes dispescente, in omnibus hæreditatem cernunt, velut reges, & cum cœlestibus communem habent libertatem & justitiam.

11. Ad eam autem *consummationem* fidelium necessaria est cognitio Dei & sufficientiæ ipsius ad hoc, ut sapienter & decenter fieri possit nobis & justificans, & justitia, & argumentum spei ac lætitiæ; atque ita Pater, Dominus ac Mediator, & Paracletus atque Arrhabo.

12. Atque ea de causa nobis mysterium Patris & Filii & Spiritus sancti revelatum est in sacris Scripturis, ut lætitia nostra esset consummata, & spes plena, & gloriatio in Deo fundata & glorificatio Dei recta.

13. Neque enim rectum esset, Deum vocare justificatorem, nisi ipse sit & justitia nostra: non rectum esset, eum dicere justitiam nostram, nisi in ipso essemus; aut spem nostram, nisi ipse nobis fiat paracletus & arrhabo.

14. Ut autem Deus unus est, ita & voluntatem divinam unam esse oportet, propter quam sint omnia.

15. Sed, si Deus *Justificator* est, necesse est, in ipso esse voluntatem salutis & justificationis nostræ & sanctificationis & glorificationis.

16. Si autem non tantùm *Justificator* est, sed & *Justitia nostra*, necesse est, in Deo esse voluntatem id faciendi, quod ad justificationem nostri requiritur, ut causa justitiæ nostræ sive juris ad hæreditatem vitæ nobis donandi sit in ipso.

17. Quam voluntatem qui habet & exsequitur, Mediator, Sponsor, Sacerdos appellari solet.

18. Quæ voluntas non cadit, nisi in eum, qui dari mittique & quidem in carne mitti potest.

19. Nam in Sponsione continetur voluntas obediendi & legem implendi. Quippe sine obedientia legis non datur justitia, nedum peccatoris justitia. Obedientia autem legis non cadit in eum, qui mitti & quidem in carne mitti & servus fieri non potest.

20. Ergo, quum voluntatem Dei unam esse necesse sit, & eam tamen esse voluntatem serviendi & obediendi & legi satisfaciendi ad justitiam, & voluntatem ita serviendi necesse sit esse divinam, ne justitia nostra non sit *per* Deum, aut *Dominus* noster sit *non-Jehovah*, aut gloria Dei tribuatur non-Deo, aut gloriemur non in Deo: perspicitur, eam voluntatem, ut est voluntas serviendi, & id opus, quo ea voluntas expletur, esse propriè ejus, qui & mitti & hæres dominusque fieri potest, hoc est Filii.

21. Ac proinde Filium nominari *Mediatorem*, *Sponsorem*, *Sacerdotem*, ac *Justitiam nostram* propriè.

22. Filius enim, quia est à Patre, & propter Patrem viventem vivit, & accepit à Patre habere vitam in se, etiam mitti à Patre potuit, & porrò sponsor esse, & obedire & semetipsum offerre Patri.

Creatio, nominatim corporis Christi, distinctè attribuitur Patri & Filio.

23. Quanquam igitur omnis creatio sit commune & individuum opus Patris, Filii & Spiritus Sancti, atque etiam formatio corporis Christi: tamen & Patri distincto modo ea formatio attribuitur & Filio.

24. Pa-

24. Patri, quòd *aptaverit Filio corpus*, Hebr. 10: 5. eumque *miserit in mundum*, Joh. 5: 23. h.e. quòd propter voluntatem divinam Patris, qua voluit Filium fieri carnem, is carnem gesserit, & in hominibus habitaverit, & inter eos gloriam suam manifestaverit, eamque conspiciendam præbuerit.

25. Filio, quòd is *descenderit de cœlo, venerit in mundum, assumserit formam servi*, corpus suum, tanquam habitaculum & templum, sibi fecerit. Templi enim veri structor est.

26. Quippe, ut Filius est distinctus à Patre & non est Pater, licèt unum sit cum Patre, ita & Filius nominari, & ut Filius manifestari, cognosci, honorari, glorificari, itemque contra blasphemari, & in eum peccari potuit.

27. Hinc est, quòd id, quod natum est in virgine sanctum, Filius Dei appellatur, Luc. 1: 35. & non Pater aut Spiritus Sanctus; & corpus, quod pependit in cruce & à mortuis resuscitatum est, dicitur corpus Filii, & non Patris aut Spiritus Sancti: licèt Pater sit in Filio, & sic in Filio, ut Dei invisibilis imagine, manifestatus & visus sit; & Spiritus Dei sit super ipso, qui ut homo apparuit. Es. cap. 61. vers. 1.

28. Hinc, quòd dicitur de Jehovah, eum esse *Assertorem Israëlis, & justitiam ejus, & salvatorem per se, & rupem salutis*, eum *descendere de cœlo, ejus gloriam manifestari & conspici ab omni carne*, eum *coram de facie ad faciem cum Israële disceptare in deserto populorum*, Deum *stare in cœtu Dei & in medio Deorum judicium exercere*, de eo *dici ad oppida Iuda*, Ecce Deus vester; eum *pede suo perambulare Israëlem, rupem salutis Israëlis injuriis affici ab Israële & flagitiosè tractari* vel *profanè haberi aut profanari*, imò *judicem Israëlis virga cædi in maxilla, in tergo, conspui*, id de Filio intelligimus. Eadem analogia, qua & *Angelus Iehovæ, angelus Testamenti* vel *Fœderis, Angelus vindex* sive *Assertor, Angelus faciei, Iehovah, Deus Israëlis, Sanctus Israëlis* appellatur. Vide Es. 41: 14. Jerem. 23: 6. 33: 16. Es. 45: 21. 24. 25. Deut. 32: 15. Psalm. 95: 1. Es. 64: 1. Esa. 40: 5. Ezech. 20: 35. 36. Psalm. 82: 1. Es. 40: 9. Deut. 33: 3. collato Levit. 26: 12. Deut. 32: 15. Malach. 2: 11. Mich. 4: 14. Es. 50: 1.—6. Exod. 3: 2. 4. Genes. 48: 16. Es. 63: 9. Es. 41: 14.

Qua de Iehovah dicuntur ratione œconomiæ, sunt Filii.

29. Quanquam autem & Filio ac Spiritui competat creatio cœli & terræ (vide Joh. 1: 3. Col. 1: 15. 16. 17. Hebr. 1: 10. Ps. 95: 1.—5. Es. 50: 1.—6. Gen. 1: 2. Job. 26: 13. 33: 4. Psal. 33: 6.) nihilominus

Quare Patri attribuatur Creatio?

hilominus non tantùm ea Patri attribuitur in Symbolo Apoſtolico, in quo dicimus, *Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ:* ſed etiam Filius inde *Patrem* nominat *dominum cœli & terræ*, Matth. 11: 25. idque ob duplicem rationem. 1. quia Pater revera fecit cœlum & terram, & habet jus ac poteſtatem de illis diſponendi per judicium aut gratiam. 2. quia, ut eſſe prius eſt naturâ Patris, ita & velle, & operari. Et hinc dicitur *Pater monſtrare Filio, quæcunque facit, ut ea ſimiliter faciat*, h.e. eadem potentia. Joh. 5: 19. Et ſic patet, quòd, quando opera divinitatis Patri attribuuntur, id non fiat cum excluſione Filii & Spiritus Sancti.

Quare Pater Deus appelletur?

30. Similiter Pater *Deus* appellatur, Filius autem *Filius Dei* & Spiritus *Spiritus Dei* dicitur: 1 Cor. 8: 6. 12: 4. 5. 6. Epheſ. 4: 6. Joh. 1: 18. imò Pater dicitur μόνος ἀληθινὸς θεὸς, Joh. 17: 3. & μόνος δυνάστης καὶ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, 1 Tim. 6: 15. 16. quia ſolus Pater ut fons & ὑπόστασις habet deitatem, & ſolus habet Filium, quem poſſit dare ad procurandam ſalutem, & cum Filio Spiritum Sanctum, quem poſſit dare paracletum, ut poſſit nobis fieri in Deum. Filius autem habet θεότητα ut χαρακτὴρ & εἰκὼν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ *character & imago ſubſiſtentiæ ejus.* Hebr. 1: 3. Col. 1: 15.

Patri attribuitur conſilium.

31. Pater dicitur *propoſitum ſeculorum feciſſe in Filio*, Epheſ. 3: 11. quia non ſine Filio, & ὃν ἐν τῷ υἱῷ *quum eſſet in Filio*, fecit propoſitum ſeculorum, & *Filio monſtravit, quid faceret.* Nempe, quia voluntas ea, qua propoſitum factum & decretum eſt, primò eſt Patris, ordine naturæ, deinde Filii. quia omnia, quæ ſunt Patris, ſunt Filii; quia Pater eſt.

Pater mandatum dedit Filio.

32. Pater dicitur Filio *mandatum dediſſe*, quia Filius ſe ſpopondit ſervum futurum. Joh. 10: 18. Similiter dicitur Pater Filium *docuiſſe, quid loqueretur.* Joh. 8: 28. h.e. Filio demonſtraſſe: quia Filius, qui eſt ſapientia Patris, in Patre & à Patre habet ſapientiam & ſapiens decretum ac conſilium, quod eſt inter ipſum & Patrem.

Pater Deus Filii.

33. Pater etiam *Deus Filii* appellatur, Eſ. 49: 4. Joh. 20: 17. 1. quatenus Filius à Patre dependet cum omnibus creaturis. Dum enim Filium Dei conſideramus ut Filium hominis, dependentiam ejus à Patre, ut Deo ſuo, agnoſcimus. 2. forte etiam, quatenus Filius cum Patre fœdus & pactum habet de hæreditate & regno. Solet enim vox אלהים *Deus* in relatione ad eum dici, qui Dei fœderatus eſt, ita ut adjuratio & juramentum inter Deum & ipſum intercedat.

34. Nem-

34. Nempe voluntas Dei, qua decrevit homines Filio dare hæreditatem, & eos in Filio ac per obedientiam ipsius justificare, nostri quidem, quibus hoc bonum decretum est, respectu *Testamentum* dicitur (atque ita etiam Testamentum Filii est; & inde ipse *Testator* appellatur Hebr. 9:16. Luc. 22:29.) atque etiam respectu Filii, cui hæreditas decreta est. ut ex eodem loco Lucæ patet. Hinc dicuntur *dati* Filio, qui sunt hæredes vitæ in Filio constituti. Johan. cap. 6. versu 37.

35. Quatenus verò eadem continet conditionem præstandam à Filio in carne, sive obedientiam Filii & oblationem ejus tanquam causam justitiæ, voluntas hæc dicitur *mandatum*, quod Pater Filio dedit; atque ea voluntate dicuntur Filio imposita & in eum impacta peccata omnium. Es. 53:6.

36. Quatenus in eo consilio ponitur ratio dandi hæreditatem, nempe obedientia & justitia Filii, ea voluntas, qua Filio assignatur hæreditas, dicitur voluntas *justificandi* Filium & *mercedem* ejus dandi. Es. cap. 49. v. 4.

37. Quatenus ea voluntas est causa, cur veniat Filius in mundum & se omnium injuriis exponat, dicitur Pater Filium *tradidisse*. Joh. 3:16. Actor. 2:23. *Hunc definito consilio & prænotione Dei ἐκδοτον traditum quum accepisseti.* *Pater tradidit Filium.*

38. De Patre dicitur, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans ipsis lapsus eorum*, 2 Cor. 5:19. Dum scil. *fecit eum peccatum* (sive victimam *pro peccato* Rom. 8:9.) *pro nobis*, *ut nos fieremus justitia Dei in ipso*. ibid. v. 21.

39. Pater *reconciliavit* sibi, non, quòd non esset, quod peccatum erat in Patrem, etiam peccatum in Filium & in Spiritum sanctum communiter; sed, quòd in οἰκονομίᾳ salutis, quia Patri, ut fonti deitatis (liceat sic loqui) adscribitur voluntas *damnandi peccatum* & ejus accusationem per justam sententiam tollendi, Rom. 8:3. (quum citra eam impossibile esset, nos cum Deo habere communionem · obstante lege Dei justissima & sanctissima, atque etiam natura Dei) etiam attribuitur, quòd Filius ipsi se obtulerit, atque ita רצון *gratiam*, acceptationem nostri & pacem impetraverit. quia id fecit, quo facto, Deus decenter potest nobis & spiritum sanctificationis dare ad communionem cum ipso & peccata non punire aut accusare. *Pater in Christo reconciliat mundum sibi, & peccatum condemnat.*

40. Amor, quo Deus diligit peccatorem, postquam is in Filio est, *Pater justificat.*

est, ut justum, *justificatio* appellatur. Ea voluntas & is amor est utique etiam Filii & Spiritus sancti, sed propter οἰκονομίαν h. e. eam χάριν, quam in hoc negocio habet Filius & Spiritus sanctus, magis appellatur *intercessio*. quia est voluntas eorum, qui nobis donati sunt, & nostra causa volunt.

Filius postulat hæreditatem.

41. Filio attribuitur *postulatio hæreditatis*, Psalm. 2: 8. hoc est voluntas habendi hæreditatem & eam occupandi jure meriti.

Pater Filium excitavit ex mortuis & Filio dedit potestatem.

42. Pater dicitur Filium *excitasse ex mortuis*, Filio *dedisse potestatem omnem in cœlo & in terra*, Matth. 28: 18. quia propter voluntatem Patris & ejus sententiam, tanquam judicis, resumsit animam ex potestate, quemadmodum eam posuerat ex potestate, Joh. 10: 18. & rectè ac decenter summoque jure potest omnia in cœlo & terra facere, quæ ad regnum & gloriam ipsius, & ad salutem Ecclesiæ ac pœnam hostium faciunt.

Filio datum judicium.

43. Atque sic etiam *judicium* dicitur *ipsi datum*, Joh. 5: 22. 27. Psalm. 72: 1. Ezech. 21: 32.

Hæreditas.

44. *Hæreditas* ipsi dicitur *dari*, Psalm. 2: 8. & singuli, qui ad eam pertinent, Joh. 17: 6. quando ii, propter voluntatem Patris, ab ipso sanctificantur, & unum cum ipso fiunt, ut illos habeat.

Filius nihil potest facere, nisi quod Patrem viderit facientem.

45. Filius dicit de se, quòd *nihil possit loqui aut facere ex se, nisi quod Patrem viderit facientem*, h. e. quòd nihil possit facere, nisi quod Patrem viderit facientem: atque adeò nihil à se ipso possit facere (Nam βεαχυλογία & ὑπερβατὸν est in verbis Græcis) Joh. 5: 19. Confer ibid. 30. 12: 49. Id significat, Patrem & Filium unum esse; & unam voluntatem habere: ita ut aliud, quàm Pater, velle non possit. Quòd si diversam voluntatem haberet, etiam *à se* aliud velle & facere, & sic peccare posset, ut angeli & homines aliud ex se voluerunt.

Phrasis convenientes œconomiæ, qua Spiritus Sanctus est paracletus & arrhabo.

46. Similiter de Spiritu sancto loquitur Scriptura. Omnia autem, quæ Scriptura loquitur de Filio & Spiritu sancto, ad hoc comparata sunt, ut credamus in Deum, ut Deum nostrum, & verum Jehovam, & eum amemus, & in eo amore sit χαρὰ πεπληρωμένη. Quæ & χαρὰ ἐν πνεύματι ἁγίῳ *latitia Spiritûs* vel ἐν πνεύματι ἁγίῳ *in Spiritu sancto* appellatur, Rom. 14: 17. quia in nobis est perfectior, quatenus intelligitur esse à Spiritu Sancto. Quod ut clarius fiat, quædam, quæ Scriptura de Spiritu sancto dicit, explicanda sunt.

Spiritus non loquitur à semetipso, sed à

47. Imprimis teneatur illud, Quemadmodum Spiritus sanctus est, ita etiam vult & operatur. Est autem à Patre & Filio, & est

Spiri-

Spiritus Patris & Filii; ideoque vult & operatur à Patre & Filio. Ut enim Filius nihil potest velle, nisi quod Pater vult; ita Spiritus sanctus nihil potest velle aut agere, nisi quod videt Patrem & Filium agere. Et hinc Joh. 16: 13. dicitur *nihil loqui à semetipso; sed, ut audiverit: & ex eo, quod est Filii, accipere & renunciare.* v. 14. addito: *Quacunque habet Pater, mea sunt; ideò dixi, quòd ex meo sit capturus.* Nam ראשית דרך יהוה *principium viæ Iehovæ*, qua egreditur, est *Sapientia*; h.e. Filius, nempe per generationem, qua *dedit Filio habere vitam in se.* Ita videmur posse loqui ex Prov. 8: 22. Unde sequitur, Spiritum sanctum omnia habere & sumere ex iis, quæ sunt Filii. *Patre & Filio.*

48. In ipso initio mentio fit *Spiritus Dei, qui incubaverit aquis*, h.e. toti massæ aquæ & terræ. Gen. 1: 2. nempe ad eas fovendum & eas fœcundas faciendum, & ad producendum ex illis, quæ deinde ex iis producta sunt. *Spiritus incubavit aquis.*

49. Quod non tantùm eo fine dicitur, ut statim initio moneremur, Deum habere Spiritum consortem naturæ, voluntatis, potentiæ, operationis; sed multò magis eo fine, ut intelligeremus, eum, qui datur electis munere Christi, esse eum, qui condidit cœlum & terram, & nominatim continuerit, foverit, fœcundum fecerit id, quod creatum est, ut hominibus commoda sedes esset. Atque adeò creationem habitabilis & conditionem hominis esse effectum ejus φρονήμαλ& *studii*, quod pii sentiunt in suis precibus & suspiriis. Rom. 8: 26. 27. Indidemque animadvertimus, eum spiritum, qui nobis datur in paracletum, esse quoque hominis & omnium rerum conditorem. Quod dicit & Psalmus 33: 6. *In verbo Domini cœli facti sunt, & in spiritu oris ejus omnis eorum exercitus.* Et Jobus c. 26: 13. *In spiritu ejus cœlum pulchritudo* est. & Elihu 33: 4. *Spiritus Dei fecit me, halitus Omnipotentis vivificat me.* Et, quum creasset unum hominem cum una conjuge, atque ita *unum*, nempe duo, qui essent una caro, dicit, *superfuisse ipsi spiritum* ad condendum plures. Malach. 2: 15. Unde & illi attribuitur, omnibus adesse. Psal. 139: 7. *Quo ibo à spiritu tuo?* Atque etiam in homine operari omnes dotes, omne ingenium, solertiam, scientiam, sapientiam. Exod. 28: 3. 31: 3. 35: 31. Deut. 34: 9.

50. Gen. 6: 3. Spiritui Dei attribuitur deliberatio de continuanda patientia & μακροθυμία erga homines. *Non disceptabit spiritus meus de homine in perpetuum.* Et simili ratione dicitur contristari aut etiam exacerbari. De quo & mox. *Spiritus deliberat de continuanda patientia.*

51. Imprimis autem considerandum est, eum, qui est à Patre & Filio, posse etiam in οἰκονομίᾳ dici *mitti* à Patre & Filio, & *donari*. *Mitti*, non ut mutet locum (quod jam facile intelligi potuit ex Psal. 139: 7.) sed ut in homine & apud hominem aliquid operari incipiat propter voluntatem (sanè suam) sed nominatim Patris & Filii. *Donari*, ut ejus sit, in quo propter voluntatem Patris & Filii operari incipit. De *missione* Spiritus sancti est notabilis locus Es. 48: 16. *Et nunc Dominus Iehovah misit me & spiritum suum.* Fateor, eum locum sic quoque legi posse, *Dominus misit me & spiritus ejus.* Et verum est, non tantùm prophetas, sed & Christum, qua hominem, à Spiritu Dei missum & actum. Tamen, quia hîc est vaticinium de missione Christi, cum qua conjuncta est effusio Spiritus sancti, melius est id in quarto casu accipere, *& spiritum suum.* Sic Baptista Joh. 3: 34. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ex mensura dat Deus spiritum*, sed eum dat ut spiritum filiationis, atque ita eum effundit & quidem in omnem carnem. Sic Christus Joh. 3: 11. *Quod novimus, loquimur*, nempe ego & *Spiritus*: ut ex præcedentibus intelligi potest. Joh. 14: 16. 17. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in seculum, Spiritum veritatis.* Joh. 16: 26. *Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritus veritatis, qui à Patre exit*, qui quasi in procinctu stat, ut à Patre mittatur.

52. Dicitur autem κατ' ἐξοχὴν *Spiritus Dei mitti* tunc, quando mittitur ut *Spiritus adoptionis filiorum.* Gal. 4: 5. 6. sive quando ita datur, quemadmodum à Patre ad postulationem Filii, consummati sacerdotis & principis salutis, & à Filio, ut domino, à quo sumit omnia, dari potest. Nempe, quando eam lætitiam & gratiarum actionem & gloriationem operari in fidelibus potest & operatur, quæ convenit saluti procuratæ & justitiæ donatæ. Hoc autem tum facit, & facere potest, quando potest operari & operatur fidem non promissionis tantùm, quæ reatum adhuc relinquit, sed Euangelii, in quo annunciatur Redemtio, Justitia, Libertas, Regnum. Ita dicimur *per fidem* in Christum *accipere promissionem spiritus* h. e. spiritum promissum, Gal. 3: 14. quia, dum accipimus fidem Euangelii, accipimus spiritum, h. e. incipit in nobis operari Deus, & nominatim Spiritus Christi, id, quod eum convenit operari in iis, quos Filio dedit: & ita incipit operari in nobis, ut noster: & id operatur, quod convenit *Filiis*. A qua operatione *Spiritus gratiæ & supplicationis*

nis sive implorationis gratiæ vocatur. Zachar. cap. 12. vers. 10.

53. In Veteri Testamento fuit & Spiritus, sed *spiritus servitutis*, datus *ad metum*. Rom. 8: 15. h. e. Deus per spiritum suum tum operatus est & metum & servitutem in sanctificatis. Hebr. 2: 15. At in Novo Testamento est Spiritus filiationis, per quem γινόμεθα τέκνα θεῦ *apud Deum nos gerimus pro filiis*, Joh. 1: 12. Rom. 8: 15. Et is quidem datur non tantùm certis è populo, sed populo, imò & gentibus. Omnes enim facit, ut credant, in Christo Deum esse Deum suum & Patrem suum, & clament, Abba, Pater. Ideò dicitur *effundi*, & quidem *in omnem carnem*. Es. 44: 3. Joel. 3: 1. vel 2: 28. Quod antequam fieret, dicitur, *necdum fuisse Spiritum sanctum*, Joh. 7: 39. quia necdum id operabatur Spiritus sanctus, ut Spiritus Christi, à Christo impetratus & missus, quod in filiis πνευματοφόροις operaturus erat. Quod ipsi proprium est operari. Quod quum operatur, propriè adesse dicitur. Ob quam causam etiam promittitur per prophetas, ut in futurum dandus. Ezech. 36: 27. *Et spiritum meum ponam in medio vestri.* Sic 37: 14. 39: 29. Cum qua promissione concinit ea, quæ est Deut. 30: 6. *Et circumcidet Iehovah Deus tuus cor tuum.* nempe auferendo non tantùm servitutem peccati (hoc enim etiam sub Veteri Testamento factum est) sed etiam conscientiam peccati, ut nondum expiati, & paviditatem & molestiam & tristitiam consequentem. Confer Hebr. c. 9: 14. & cap. 10. vers. 2. 22.

Spiritus servitutis & filiationis.

Spiritus necdum erat.

54. Quanquam igitur missio & datio Spiritus sancti, ut Spiritûs Filii & filiationis, propriè sit Novi Testamenti; quia sub eo operatur fidem Euangelii de salute & justitia & libertate & regno cum lætitia atque amore, qui sine timore amorem minuente est: tamen etiam sub Veteri Testamento dabatur, verùm *ex mensura*, secundùm captum servorum. Et apud Hagg. 2: 5. dicit Deus: *Et Spiritus meus stat in medio vestri.* nempe loquens in prophetis & paratus se effundere in omnem carnem, & vos circumcidere à conscientia peccati.

55. Nam spiritus idem, qui effundendus erat, loquebatur in Prophetis. Et is sermo Spiritui huic gratiæ attribuitur, quia per eos loquutus est de Christi passionibus & secuturis gloriis, atque adeò ut *Spiritus Christi*. 1 Petr. 1: 11. Quod loquebantur prophetæ, loquebantur ut missi & jussi non tantùm à Creatore, sed etiam à Salvatore & Paracleto.

Spiritus Christi fuit in Prophetis.

56. Illustre est exemplum in Davide 2 Sam. 23: 2. *Spiritus Iehovæ loquutus est de me.* Et de omnibus prophetis Zach. 7: 12.

Spiritus testatur, quòd spiritus sit veritas.

57. Hinc facile est intelligere dictum Johannis 1 Epist. 5: 6. *Et Spiritus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.* Spiritus gratiæ, qui locutus est in prophetis, testatur, quòd Spiritus, qui persuadet, ut credamus Euangelio, sit veritas. Quanquam & reciprocè hoc valet: Spiritus datus ad credendum Euangelio ostendit, Spiritum, qui locutus est in prophetis, esse verum, h.e. veracem & fœderis sui ac promissionis memorem. Ita ἀληθὴς *verus*, id est, promissionis impletor. Joh. 3: 33.

Spiritus sanctificat.

58. Quare non mirum est, si sanctificatio Spiritui adscribatur. Est enim talis divina operatio, quæ fit secundùm voluntatem Patris Testamentum facientis, & Filii suo jure postulantis; qualis operatio propriè convenit Spiritui sancto, qui est à Patre & Filio.

Paracletus.

59. Cui & munus *paracleti* h.e. advocati convenit: quia noster sit: ut non possit ipsius Φρόνημα studium & quasi factio non esse pro nobis. Unde & dicitur *intercedere*, h.e. ut noster velle salutem nostram. Cujus voluntatis signa & quasi voces paracleti sunt nostræ non tantùm orationes, quando in ipso clamamus, Abba, Pater; sed etiam nostri gemitus sermonis expertes. Rom. 8: 26.

Intercedit.

Arrhabo, Sigillum.

60. Item munus & partes *Arrhabonis* sive pignoris, & *sigilli. Arrhabonis*, ut nobis fiat obses divinæ gratiæ, electionis, redemtionis & vitæ nobis repositæ, ad spem. *Sigilli*, ut Deus eum inveniens in nobis nos agnoscat pro suis, notatis scilicet εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, Eph. 4: 30. & ut per id, quod operatur non tantùm in mentibus nostris, sed & in membris nostris, discernamur à mundo. Vide 2 Cor. 1: 22. Eph. 1: 13. 14.

Per Spiritum sumus in Christo.

61. Per eum Spiritum, qui operatur fidem, nominatim Euangelii sub Novo Testamento, sumus in Christo. 1 Cor. 12: 13. *Per unum Spiritum baptizamur in unum corpus.* Quod corpus ille quoque exornat variis dotibus, πρὸς τὸ συμφέρον *ad utilitatem.* 1 Cor. 12: 7. ut vult v. 11. Vult autem, ut Filius petit.

Per Spiritus effusionem ungitur Christus.

62. Per effusionem Spiritus sancti Christus unctus est, h. e. demonstratus est *Dominus & Christus.* Actor. 2: 33. 36. Evidenter quidem, quando in Apostolis, cum visibili signo præsentiæ suæ, operatus est, ut variis linguis loquerentur: magis tamen, quòd ipsis dedit eloqui magnalia Dei: multò magis, quòd dat ἀποκάλυψιν πᾶσι ἔθνεσιν *revelationem gentibus*, & facit, ut ament Deum & eum glori-

glorificent: maximè, quòd facit, ut coram Christo se inclinent descendentes in pulverem, & animas suas non vivificantes. Psalm. 22. vers. 30.

63. De quali unctione loquitur Christus apud Esaiam c. 61: 1. *Spiritus Iehovæ est super me: quia unxit me.* Petrus Actor. 10: 38. *Iesum Nazarenum unxit spiritu & potentia.* h. e. ἀπέδειξεν αὐτὸν (Actor. 2: 22.) *demonstravit virum à Deo, Christum, Dominum, Filium æternum,* tum operando per ipsum mirabilia opera, tum Spiritum sanctum per ipsum & in nomine ipsius dando. Quæ res est argumentum, quòd *Spiritus Iehovæ sit super ipso.* Quod hic non communiter, ut dicitur de aliis prophetis, accipiendum est, sed ut διαφορώτερον ὄνομα *nomen præcellentius.* Ipsi enim appropriatur hoc elogium & hæc veritas. Significat igitur tantundem, atque si dixisset, τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικεῖ ἐν ἐμοὶ σωματικῶς *plenitudo deitatis in me habitat corporaliter.* Col. 2: 9. Spiritus Dei est meus Spiritus, quem ego mitto à Patre. Joh. 16: 26. Quem mittendum accepi à Patre. Actor. 2: 33. τὴν τε ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, quum eum impetrasset, sive omnia facienda feciisset, quæ ad hoc requirebantur, ut Deus promissum spiritus filiationis donum dare posset; & Deus per ipsum id jam dare constituisset.

64. Quatenus tamen *Servus* cognoscitur, qui missus est, etiam Spiritus Domini super ipso est, 1. per unionem. 2. per dona, Es. 42: 1. 11: 2.

65. Spiritus, *quo obsignantur* electi, etiam aliquando ab eis *contristatur.* Eph. 4: 30. quando id agunt, ut necesse sit Spiritum sanctum non operari in ipsis lætitiam sed tristitiam, & quidem non perfunctoriam, ut eos consolari possit. *Spiritus contristatur ab electis.*

66. Quum enim consolatur & exhilarat, est *spiritus Iehovæ bonus.* Psalm. 143: 10. Nehem. 9: 20. *Spiritus Domini bonus.*

67. In Saüle fuit *spiritus Dei malus*, & *spiritus malus à Deo.* 1 Sam. 16: 14. 15. Cum quo comparari potest Judic. 9: 23. Talis, ni fallor, est *spiritus soporis* Es. 29: 10. *Malus.*

68. Infideles *resistunt Spiritui sancto*, loquenti à Christo, illi non parentes, & opus ipsius, quantum in ipsis est, in aliis impedientes. Actor. 7: 21. eum dolore afficiunt, Es. 63: 10. quatenus id efficiunt sua inobedientia, ut in ipsis faciat, quod solet facere homo ὀχλαγωγὸς in hostibus suis. Vide & Psalm. 106: 33. *Spiritui sancto resistere.*

69. Singulariter in Spiritum sanctum peccatur, quando, qui est *Peccatum in*

Spiritum sanctum. Spiritus gratiæ, post agnitionem veritatis, ἐκουσίως blasphematur & spiritus impurus vocatur. Quod faciunt Apostatæ. Hebr. 10:29.

Spiritum sanctum glorificamus. 70. Nos ad glorificandum Spiritum vocati sumus. Nam sumus baptizati in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, Matth. 28:19. Glorificamus eum, quando eum nominamus auctorem nostræ sanctificationis, qui nos implantat Christo, qui nos obsignat Deo, qui in nobis est arrhabo ad spei nostræ perfectam certitudinem, & paracletus noster apud Patrem. In qua glorificatione lætitia nostra consummatur. Propter quam Mysterium Patris & Filii (ac consequenter Spiritûs sancti) nobis revelatum est; sine cujus cognitione nec Deum glorificare, nec in eo gloriari aut in eo lætari possemus.

LOCUS QUINTUS
DE
Consilio Dei in genere: prout est Origo rerum omnium, & omnibus rebus per id præstitutus est finis.

Caput XIV.

Ordo. Postquam de Dei ὑπάρξει, ipsius θέσει, deque mysterio Patris, Filii & Spiritus sancti actum est; antequam progrediamur ad Dei *opera*, necesse est agere de Dei *consilio*. non quidem ita, ut omnia, quæ ad illud pertinent, explicemus. quædam enim commodiùs explicantur inter tractationem de opere Dei. siquidem quædam de consilio Dei cognoscere possumus ex intuitu omnium operum Dei: quædam autem cognoscimus ex creaturæ ἀποδείξει; quædam etiam à Deo revelata sunt ex occasione lapsûs, ad hominis erectionem. Quem ordinem quia Scriptura tenet; etiam nos videmur jure merito servare.

Opus Dei præsupponit 1. potentiam. 2. Antequam possimus cogitare aliquid à Deo factum, necesse fuit, Deo attribui ἀΐδιον δυνάμιν *æternam potentiam*. Quam & ex operibus ipsis deprehendimus. Rom. 1: 20. quia sine ea nihil existere

stere & oriri potest, quod æternum atque necessarium non est.

3. De ea egimus inter attributa Dei. Atque ibi ostendimus, illi respondere omne id, quod *possibile* est. Indicavimus autem etiam, id demum *possibile* esse, quod potest esse ad gloriam ejus, quod necessariò est, & à quo necesse est procedere omnia, quæ esse necessarium non est. *Quæ præsupponit possibilitatem, sive bonitatem operis.*

4. Id autem est ad gloriam Dei, quod testatur perfectionem Dei, & nullam perfectionem ac virtutem Dei obscurat.

5. Facile autem intellectu est, aliquid contra perfectionem & virtutem Dei posse testari in aliquo ordine, quod in seipso aut alio ordine eam non obscuraret. quale esset creaturæ innocenti coordinare æternos cruciatus; aut peccatori simpliciter coordinare æternam gloriam. Licèt enim ordinare inobedienti æternos cruciatus, & æternam beatitudinem peccatori reconciliato, possit gloriam Dei illustrare; tamen ea non decent Deum, neque sapientiam ejus & virtutem testantur, si non ordinentur, quo convenit, ordine.

6. Ita Christus in ἀγωνίᾳ sua in horto innuit, esse aliquid possibile in se, quod non sit possibile ex certa ratione & causa. Ita enim ad Deum dixit: *Omnia tibi possibilia sunt.* Marc. 14: 36. Luc. 22: 42. *Pater, si vis transferre hoc poculum à me.* Matth. 26: 39. *Pater, si possibile est, transeat.* Omnia, quæ mente concipi possunt, Deo sunt possibilia. Sed non est possibile, neque ut voluntas Dei non fiat; neque ut voluntas Dei sit non sapiens & justa.

7. Possumus hîc uti vocabulo Scholasticis usitato, ut aliquid *absolutè possibile*, idemque secundùm ordinem & propter causam impossibile dicamus. Cavendum est tamen, ne nomine *Potentiæ absolutæ & ordinatæ* abutamur: ut dicamus, omnia Deum facere posse *potentia absoluta*, quæ ab hominibus cogitari possunt: quasi *ordinatio potentiæ*, ut loquuntur, sit à solo decreto, & non pendeat à decentia & sapientia. *Potentia absoluta & ordinata.*

8. Ceterum, ut à possibilitate fiat transitus ad rem exstantem, necesse est etiam intercedere voluntatem Dei. *2. Voluntatem.*

9. Quemadmodum dicit Apoc. 4: 11. Διὰ τὸ θέλημά σου εἰσὶ, καὶ ἐκτίσθησαν: *propter voluntatem tuam sunt, & condita sunt.* Ex quo etiam intelligitur, id, quod propter voluntatem Dei est, esse Deo θελητόν. Deus autem non potest velle, ut gloria sua opprimatur, aut extinguatur.

10. Tribuit Scriptura Deo *Consilium voluntatis*, *secundùm quod facit omnia.* Eph. 1: 11. *Consilium.*

11. Et

11. Et quidem βεβλιὼ ἀφεσμένω *consilium determinatum*, Actor. 2: 23. idque ἀμεταθετον *immutabile* & *nulli transpositioni subjectum*, Hebr. 6: 17. quomodo & David dicit Psalm. 33: 11. *Consilium Iehovæ in seculum stabit, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.* per & propter quod *nota* & scita sive judicata *sunt ipsi à seculo omnia opera ipsius.* Actor. 15: 18.

12. Continetur id etiam in מעל *molitione & machinatione*, quæ ipsi attribuitur in comparatione ad מעשה κατασκευασμα *effectum* sive ἔργον πλοῦτον ac πλήρωσιν *impletionem.* Es. 5: 12. 41: 4. Nam מעל etiam dispositionem operis in animo significat. Mich. 2: 1. Et hinc מפעלים de operum præparatione per decretum intelligimus Prov. 8: 22. Indigitatur etiam יצירה Es. 43: 7. 46: 10. 11. *Dicens, Consilium meum stabit, & omne meum beneplacitum faciam. vocans ab Oriente volucrem, à terra longinqua virum consilii mei. Simul loquutus sum, simul adducam illud; formavi* (יצרתי) *simul faciam illud.* Dicitur-que Dei *manus & consilium determinare*, quid *fieri* habeat, Actor. 4: 28. & Deus ποιῆσαι προθεσιν *feciſſe propoſitum.* Eph. 3: 11.

Consilium cur dicatur?

13. *Consilium* dicitur, quia in eis, quæ manus Dei ordinavit, ratio, sapientia & pulchritudo cognoscitur. Quam pulchritudinem commendat Ecclesiastes cap. 3: 11. *Omnia fecit pulchrè in tempore suo.* In quo sermone vocabulum effecti metonymicè accommodat decreto faciendi. Illa pulchritudo consistit tum in *decentia* singularum ἐνεργῶν *operationum* & ἔργων *factorum*, quatenus illis divina virtus manifestatur; tum in omnium apta & concinna serie, in qua decorum Dei evidenter elucet.

14. Unum consilium est. Neque enim in Deum cadunt cogitationes priores & posteriores, δεύτεραι φροντίδες *secunda cura*, μεταμέλειαι *pœnitudines*, discursus, deliberationes & λογισμοὶ *ratiocinationes*, & similia, quæ sunt imperfectionis creaturarum. Non *videt, ut homo.* Job. 10: 14. neque adeò consulit, ut homo.

Decretum unum.

15. Ab æterno in seipso novit, quid facere atque edere, atque etiam fieri sinere sub sua dispensatione posset, & ipsum deceret, omnemque *sapientiam vidit, & recensuit, & disposuit, & perscrutatus est.* Job. 28: 27. *Videre* in possibilitate, est sapientiæ: *recensere & disponere*, consilii sive προθέσεως; *perscrutari*, τῆ γνώσεως *scientia* sive *cognitionis.* De qua Psalm. 139. vers. 6. *Mirabilis* (ἀνέφικτος) *est cognitio præ me, sublimis est, non sum ejus compos.* & S. Paulus Rom. cap. 11. vers. 33. *O profunditas divitiarum* (quatenus omnia ex se po-

poteſt) *& ſapientiæ* (qua novit, quid decenter poſſit facere, & ordinat opera ſua) *& cognitionis ipſius*, qua novit à ſeculo omnia ſua opera!

Quomodo Deo attribuantur multa conſilia.

16. Ut multa ſunt, quæ Deus decrevit, rerumque variarum variæ συνθέσεις, ita Deo quaſi plura *conſilia*, Eſ. 25: 1. *cogitationes*, Eſ. 55: 8. & מַעֲרְכֹת *præparationes operum* Prov. 8: 22. attribuuntur. Quæ phraſeologia metaphorica eſt & κατ' ἀνθρωποπάθειαν venit, ſemper caſtiganda cogitatione decreti de omnibus ſimpliciſſimi.

A Dei conſilio removendus ordo cogitationis humanæ.

17. Iccircò & regulæ humanæ prudentiæ non ſine grano ſalis divino decreto ſunt applicandæ. Qualis illa eſt. *Quod ultimum eſt in executione, id primum eſt in intentione.* Apud homines rei ultimæ, in qua ut plurimum fructus, cogitatio præcedit in deliberatione cogitationem de rebus prioribus, tanquam mediis, earumque προαίρεσιν *electionem*: at apud Deum eſt quidem volitio & coordinatio prioris & poſterioris rei; ſed non prior ac poſterior volitio ac cogitatio. Apud homines volitio unius eſt cauſa volitionis rei alterius; ut, quum concupiſcentia una in alteram trudit: at in rebus, quas Deus vult, ordo finium & mediorum, cauſarum & effectorum, occaſionum antecedentium & conſequentium καταρθωμάτων cernitur; non autem vel res ulla eſt cauſa volitionis divinæ (Nam ἐδενὸς προσδεῖται *nulla re indiget*) vel una βούλησις *volitio* alterius βουλήσεως *volitionis* cauſa eſt.

A decreto unius operis datus argumentatio ad decretum alterius operis.

18. Interim ex illo rerum ordine, illaque connexione & ἀληθείᾳ ſapientia Dei exſplendeſcit. Unde & Scriptura docet argumentari à divina πρόθεσι & volitione unius ad πρόθεσιν & volitionem alterius decenter & ſapienter cum ea connexæ. ſic, poſito, quòd Deus hominem voluerit creare, rationabile etiam eſt, ut voluerit ſimul cœlum & terram creare, & de eventu ipſius hominis ad gloriam ſuam decernere. Item, poſito, quòd Filium ſuum dare voluerit, rationabile eſt, ut voluerit cum ipſo dare omnia. Rom. 8: 32. Item, poſito, quòd terram fundare voluerit, conſequitur, quod eam velit inhabitari, etiam poſt peccatum, per longanimitatem & bonitatem, ad regnandum in peccatoribus. Eſ. cap. 45. verſ. 18.

In operibus enim decretis eſt ordo.

19. Eam enim habent pulchritudinem opera Dei, ut ſingula in ſe Deum deceant, virtutemque Dei oſtendant, cumprimis *in tempore ſuo* & in ordine ſuo, prout vel cauſa effectum, vel medium deſtinatum finem, vel occaſio καταρθώματα anteceſſerit; denique in

tota serie, quod ultimum est, in respectu ad omnia antecedentia maximè Dei gloriam illustret, atque ita maximè & (si posset esse in Deo prioritas & posteritas volitionis) priùs (adverbialiter) in intentione esse videatur, quod Deus ordinavit, ut in executione esset posterius (nominaliter) imò quasi postremum.

20. Atque in hunc sensum ἀνθρωποπαθῶς patimur accommodari regulam illam humanæ prudentiæ: Ultimum facti est primum intenti. quod Logici faciunt ex illo Aristotelis: τὸ τέλος καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχὴ καὶ αὕτη οὐ τῆς πράξεως ἀλλὰ τῆς λογισμοῦ. *Finis & id, cujus gratia res est, principium quoque est, non actionis, sed cogitationis.* 2 Phys. cap. 9.

21. Neque tamen ex eo consequeretur, omnia consequentia sic se habere ad priora, ut hæc propter illa, illa præ hisce appetibilia videantur. Nam antecedentia possunt esse non tantùm verè *media*, quæ sunt bona ordinata ad bonum perfectius, sed etiam ἀφορμὴ *occasiones*, quibus succedit divinum κατόρθωμα.

22. Novit enim Deus etiam *de malis benefacere*, ut loquitur August. 22. de civit. Dei, cap. 1. Malum tamen neque finis neque medium boni esse potest; sed tantùm ἀφορμὴ *occasio* bonum & laudabile Dei opus præcedens.

Consilium efficax.

23. Quæ Deus consuluit & decrevit, ea fiunt. Ita est Es. 14:24. *Iuravit Iehovah* Deus *exercituum, dicendo: Si non, quemadmodum cogitavi,* vel *delineavi, ita exstitit, & quemadmodum consului, illud ipsum stabit* vel *stat.* Psalm. 115: 3. *Omnia, quæ voluit, fecit.* Es. 46: 10. *Qui dicit, Consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam.* Atque hinc Ecclesiastes dicit, *Omnia fecit pulchrè.* quod non tantùm de extantibus, sed & de futuris omnibus intelligendum.

Nihil fit præter consilium Dei.

24. Nihil autem præter consilium Dei sit. quia nihil sine Deo, ut prima causa, & independenter ab ipso esse potest.

Gloria Dei requirit, ut sit creatura intelligens inter cateras creaturas.

25. Sed, ut ullum Dei opus aut res à Deo adducta possit esse ad gloriam Dei, necesse est, inter creaturas sive res factas esse intelligentiam sive mentem. Nam res mutæ & brutæ Dei gloriam & superexcellentiam non cognoscunt & celebrant. atque ideò Deus in illis & apud illas non glorificatur. Nam opus non fuit Deo, ut ipse videret opus aliquod potentiæ suæ & eo se oblectaret, nulla creatura conscia. At hæc Dei bonitas est, si aliquid faciat, quod non tantùm sit, sed etiam se esse sciat, & se esse gaudeat, atque adeò vivat, & in vita sua beatum sit. Id quod soli menti sive intelligenti

telligenti creaturæ competit. Supponimus autem, glorificationem Dei fieri in creatura & esse bonum creaturæ, ut glorificatione Dei tum bona sit, tum bene ei sit, atque etiam beata sit.

26. Quare concludimus, decuisse Sapientiam Dei, si quid condere & producere præter se vellet, non sola corpora producere, in quibus nulla potest esse cognitio, sed etiam, mentem facere.

27. Et quidem non tantùm mentem, quæ contemplaretur cetera opera, sed etiam aliquo modo iis uteretur, sive utilitatem aliquam ex conditis perciperet. Melius est enim omninò opus fieri non tantùm ad θεωρίαν, sed etiam ad usum. Atque ideò dicit Es. cap. 45: 4. *Deus terram formavit. Non* תהו & ἄκοσμον (sive pro תֹהוּ *in cassum*) *eam creavit: ad habitandum eam formavit.* Significans, si homo habitans in terra non esset, κόσμον futurum fuisse ἄκοσμον, & terram in cassum fundatam & formatam.

28. Ea enim mens, quæ uti posset rebus corporeis & ex iis utilitatem percipere, est homo. *Et quidem homo.*

29. Convenit præterea, ut Deus simul intelligentis creaturæ, sive merè spiritualis, sive etiam animalis & corporalis, gubernationem omnem sibi gloriosam decerneret. *Decuit Deum decernere gubernationem creaturæ intelligentis.*

30. Ita ut Deo sanè liberum fuerit aliquid condere vel non, & omnia, quæ sunt, nullo modo necesse habeant esse, si in cumulo accipiantur: in ipsa tamen dispositione & ordinatione gubernationis ex hypothesi detur necessitas: quemadmodum & operis pulchritudo creaturæ aliquam speciem, intellectu præditam videlicet, exigebat. *Vnde necessitas in decreto libero.*

31. Objectum igitur hujus consilii si definiendum sit, dicendum erit, si per objectum intelligatur id, quod præter Deum præexsistens operi decreto cogitare necesse est, ut consilium sapiens haberi possit, tum objectum esse purum putum Nihil. Nihil enim est præter Deum, quod in consilio Dei præsupponatur existens, ut post illud, secundùm consilium Dei, omnia adducantur. Si autem per objectum intelligatur id, de quo adducendo factum est consilium, objectum dicendum erit omne id, quod Deus fecit & imposterum faciet, consideratum in sua possibilitate. *Objectum consilii divini.*

32. Quæret hîc aliquis, annon etiam objectum consilii Dei sit dicendum aliquid, quod non fit? quippe quum Deus determinaverit decreto, quid ex omni occasione & hypothesi facturus sit; etiamsi ea occasio & conditio non sit exstitura. Id enim videtur ex

eo probari, quia Deus & comminatur iis, quos non punit, & promittit eis, qui promissione excidunt: quia nempe & comminatio & promissio conditionata est. sive ejus conditionis existentia pendeat ab arbitio creaturæ solo, sive pendeat à divina vel gratia vel permissione, atque ita à divino decreto.

33. Ad hanc quæstionem ita respondemus: Nosse Deum, quid se deceat facere omni tempore & occasione; quædam etiam tum beneficia tum judicia decrevisse. Ea autem, quæ Deus rectè & decenter tali tempore & occasione vel conditione potest facere, potest Deus comminari vel promittere sub ea conditione. præsertim potest promittere obedientibus ea beneficia, quæ decrevit dare; & inobedientibus interminari ea judicia, quæ decrevit exercere. Neque esse igitur necesse, ut ulteriùs progrediamur. De qua re etiam monuimus supra cap. x. §. 34.

Non datur decretum ex conditione, quæ merè à creatura dependet.

34. Conditionatum verò decretum, quo determinatus sit effectus consequuturus ad conditionem, quæ merè dependeat à libero arbitrio & determinatione creaturæ, citra operationem Dei, Deo tribuere indignum est. 54 147

35. Nam 1. qui id docent, eos necesse est facere creaturam independentem in aliquo actu à Deo. Quod Sociniani apertè profitentur. Smalcius enim inter errores Smiglecii numerat, *Deum non posse facere rem à se aliquo modo independentem.* in Refut. duorum M.S. librorum. Atqui creatura in nullo actu à Deo non dependere potest. Apostolus, tanquam naturaliter notum, asserit, nos *in Deo vivere, & moveri, & esse.* Actor. 17: 28. non dicit, *vitam* agendique, quæ volumus, potentiam, & κίνησιν movendique potentiam habemus, sed *vivimus, movemur.* quod de omnibus vitæ actibus & motibus valet.

36. Quæ nostræ voluntati vel etiam appetitui subdita sunt, non sine Deo ei subdita sunt. quemadmodum videmus & vagitum infantibus datum esse & suctum lactis. Nam quis eos hoc docuit? Numquid ipsi sibi guttur faciunt & instrumenta soni, aut sonum? numquid labra & sugendi nisum? Non igitur independenter à Deo membra nostra parent voluntati & appetitui nostro.

37. At voluntatem nostram Deus non vult esse subditam sibi? Vel, nunc quidem vult esse in sua potestate, aliâs non? Nunc vult dependere à se, aliâs secius? Et, quando voluntatem non vult dependere à se, vult ab ea dependere suos effectus, nempe motum membro-

membrorum, quæ non ſine Deo hominis appetitui ſubjiciuntur? atque ita ipſe vult dependere ab homine? Sed de hoc etiam amplius, ubi de providentia Dei circa malum.

38. 2. Iidem tollunt præſcientiam. Non enim relinquunt in voluntate creaturæ & omnibus, quæ determinationem voluntatis creaturæ ſequuntur, ullam rationem ſcibilitatis, ut ita loquar. Voluntatis enim independentis determinatio quum ſit planè libera &, ut loquuntur, indifferens, quomodo ſciri poſſit, atque adeò præſciri, non patet. Imò videtur ea præſcientia includere contradictionem. Nam præſcientia eſt ejus, quod fiet, certa præcognitio. Itaque ejus, quòd certò fiet & eventurum eſt. Atqui id, quod, independens à Deo, dependet ab incerta & indeterminata creaturæ voluntate, incertum eſt, & fortaſſe non fiet. Nam ad evenire & nonevenire perinde ſe habet.

39. Proinde 3. etiam tollunt prophetiam de rebus, quas Deus facturus eſt occaſione eorum, quæ homines facturi erant. qualia ſunt ferè omnia, quæ in Scriptura prænunciantur.

40. 4. Iidem faciunt Deum ex tempore conſilium capere & de novo aliquid decernere. quod fieri non poteſt. Nam, ſi qua voluntas nova in Deo exiſtit, in tempore exiſtit. Voluntas igitur Dei ſubjecta tempori erit. Itaque Deus ipſe erit temporarius, non æternus. Quod quidam dicere non audentes novis & inſolentibus vocabulis ſenſum in ſe abominabilem tegunt, dicentes; dari in tempore novum tranſitum voluntatis in novum objectum aut deſitionem tranſitus in objectum vetus. Vide Franciſcum à S. Clara in *Deus, natura, gratia*, probl. 4.

41. Quamvis igitur Deus decreverit creaturas intelligentes regere conditionato pacto, itemque verbo conditionato connexionem ſive officii & beneficii ſive peccati & damni notificante vocare vel terrere: propterea tamen Deus non habet decreta conditionata, ſuſpenſa, non peremtoria. Eſt enim in decreto Dei ſapiens rerum coordinatio & connexio, quæ per verbum conditionatum exponi poteſt; & revera Deus vult talis verbi conditionati veritatem: at decretum à conditione poteſtativa, ut loquuntur, ſuſpenſum & voluntati creaturæ obnoxium Deo non eſt attribuendum. Præcepta quidem Dei indicant εὐδοκίαν Dei de creaturæ gubernatione, ut effecta; itemque, quid Deo ſit εὐάρεστον: non tamen ſignificant, quid Deus *propoſuerit* facere. Iccirco, quod præcipit Deus, impropriè *velle* dicitur.

Distinctio consilii in Generale & Speciale examinatur.

42. Sunt, qui *consilium* Dei aliud faciunt *generale*, aliud *speciale*. Qui si *speciale* decretum intelligerent, quod de uno vel paucis factum est; *generale* autem, quod de omnibus unius generis factum est; ferri possent: quanquam nihil admodum dicerent ad illustrationem hujus doctrinæ de Consiliis Dei. Quis enim ignorat, in operibus Dei esse & illa, quæ sunt omnium unius generis, & illa, quæ sunt paucorum vel etiam unius? At illi docent, Deum decretum *generale* feciſſe, quod non concernat personas sub genere comprehensas, sed qualitates personarum; neque eas, ut in personis extantes aut visas, sed ut possibiles. Ita enim Crellius *generale* explicat per exemplum: *In Christum credentes vita æterna donavit.* Quod dicit esse decretum absolutè, etiamsi speciale decretum de vivificando hoc aut illo, Petro, Paulo, sit conditionatum. *De vera Rel. c. 32. p. 338.*

43. Esset hoc decretum conjungens connexa conditionibus, nihil autem statuens neque de uno, neque de multis, neque de omnibus unius generis. Quod quomodo *generale* nominari possit, non video. nisi quòd solet particula universalis adjungi,, quum ea conditio concretè enunciatur. ut, *Omnis credens.* cujus instar sit Joh. 6: 40. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis videns Filium & credens in eum habeat vitam æternam: & ego eum resuscitabo ultimo die.*

44. Ubi quidem agnoscenda est universalitas; sed non comprehendens etiam *non credentes:* verùm solos credentes. ita ut hîc non sit tantùm connexio fidei & vitæ, cui subordinetur decretum conditionatum, quod possit carere effectu: sed certa promissio habitura effectum.

45. Neque videmus ullam necessitatem statuendi decretum generale non includens speciale. Huc referri possunt, quæ diximus §. 32. & 33.

46. Id verò planè abominandum est, quòd dicunt, *Specialia decreta absolutè fieri in tempore.* Ex quo id consequitur, quod ipsi non infitiantur, *Deum pœnitere eorum, quæ de certis hominibus decreverit.* Crell. p. 339. & 340. Repeti hîc velim, quæ dixi §. 39. item, quæ de *pœnitentia Dei* diximus cap. 10. §. 44. 45. 46.

Locus Luc. 7. v. 30.

47. Neque est, ut adducant locum, qui est Luc. 7: 30. ubi dicuntur *Pharisæi consilium Dei irritum feciſſe ad se.* Nam quis nescit, βάλλω dici etiam *consilium* datum. idque ἀθετεῖν, quando rejicitur, atque ita efficitur, ut datum sit εἰς κενὸν & sine fructu? Joh. 12: 48.

12:48. dicit Christus, ὁ ἀθετῶν ἐμὲ καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου. Syrus utrobique usurpat verbum מלם, quod significat ἀδικεῖν, ἀποστερεῖν, & non semel pro ἀθετεῖν ponitur. ut Luc. 10:16. ubi certè ἀθετεῖν non potest significare *irritum facere.* Quid igitur aliud dicit Christus Luc. 7:30. quàm, quod Salomon dicit Prov. cap. 1:25. וַתִּפְרְעוּ כָּל־עֲצָתִי q. d. *& exuistis omne consilium meum*, h. e. rejecistis, *& redargutioni meæ non estis assensi?* Verum est, Syrus βουλὴ vertit ܨܒܝܢܐ, quod est θέλημα. Sed quis nescit, θέλημα vocari τὸ εὐαγγελίου & id, quod Deo gratum est?

48. Ita locus Luc. 13:34. ἠθέλησα ἐπισυνάξαι τὰ τέκνα σου, καὶ οὐκ ἠθελήσατε. cui similis is, qui est Matth. 23:37. non probat, Dei consilium impediri. Nam, quod Christus voluit & proposuit facere, & ad quod faciendum venit, id Pharisæi, licet conati sint impedire, tamen impedire non potuerunt. Collegit enim filios Hierosolymæ, ad quos colligendos venit. Si verò velis hoc ulteriùs extendere, tum τὸ θέλειν erit idem, quod ζητεῖν, *quærere, operam dare.* Ita impeditum esse, quod Christus agebat, & ipsis Pharisæis, quibus debebat esse saluti, fuisse infructuosum, palam est. *Locus Matth. 23:37. & Luc. 13:34.*

49. Quædam consilia revelat Deus. Ita Num. 23:27. *Statim dicitur Israëli & Iacobo, quid agat* vel paraverit *Deus.* Nempe, quæ ad populi officium, consolationem, spem pertinent. Atque ita est *secretum Dei pro timentibus ipsum, & fœdus ejus, ad eos gnaros faciendum.* Psalm. 25:10. Quædam manent mysteria vel ad tempus, quo revelantur, vel ad tempus, quo implentur, ut in eventis cernantur & spectentur. *Consilia Dei occulta & revelata.*

50. Quæ autem revelantur, ea pertinent tum ad cognoscèndam veram divinitatem ejus, qui loquitur; & ut cognoscatur auctor eorum, quæ singulis temporibus fiunt; & ut fideles in suis tentationibus & ærumnis spem habeant; & ut non dubitemus, omnia divina gubernari providentia.

51. Quædam alio tempore non revelata seriùs revelantur ad eorum, qui posterioris temporis sunt, usum & fructum, nempe abundantiorem lætitiam & sollicitiorem observantiam viarum Dei.

52. Quò, ni fallor, pertinet locus Deut. 29:29. *Quæ erant occulta Domino Deo nostro, & quæ manifestata sunt nobis & filiis nostris in seculum, ad faciendum omnia verba legis hujus.* Videntur enim ea verba posse continuari cum sermone, quem Moses attribuit gentibus judicantibus de Israëlitarum justo judicio, tanquam ex libro legis in *Locus Deuter. 29:29.*

manu

manu ipsarum posito, v. 27. ut eædem gentes dicant, eas res antea quidem fuisse occultatas à Jehovah Deo suo, aut fuisse occultas & soli Jehovæ Deo suo notas, aut Deum eas res habuisse occultas; nunc autem sibi esse revelatas, ut faciant cum filiis suis verba legis istius. Nam הַנִּסְתָּרוֹת potest commodè exponi per אֲשֶׁר נִסְתָּרוּ, & הַנִּגְלוֹת per אֲשֶׁר נִגְלוּ.

53. Ita sensus verborum erit, gentes agnituras veritatem fœderis Dei ac legis ipsius, iisque clariùs patefactum iri, sine velo, sine ambagibus, sine ænigmatibus, quæ Israëlitæ non viderint nec cognoverint, quæque, ex parte aliqua, ipsis per prophetiam antea indicata non erant. Confer 1 Cor. 2: 8. 9. 10.

54. Ita dicuntur etiam angeli desiderare παρακύψαι in ea, quæ per Euangelium annunciata sunt. 1 Petr. 1: 12. & *omnes illuminari, quæ sit communio mysterii absconditi à seculis in Deo, ut principatibus ac potestatibus in supercœlestibus nunc per Ecclesiam notificetur multifaria Dei sapientia.* nempe quatenus in Ecclesia cernitur sapientia Dei. Eph. 3: 9. 10. Quo non significatur, de eo mysterio nulla verba facta esse ad homines antea; sed Deum antea id mysterium in reipsa non exhibuisse, neque sine velo & sine ambagibus exposuisse, neque per omnes partes id renudasse, quemadmodum per Euangelium renudatum est & omnibus & omnibus partibus.

55. Deus *visus est Angelis* 1 Tim. 3: 16. quum in Christi passione & resurrectione ejus consilium & nomen & gloria conspecta est.

Differentia consilii & essentiæ Dei.

56. Quid differant consilia Dei ab ejus essentia, supervacuum est quærere. Contenti simus eo, quod dicit Johannes 1 Epist. 4: 8. *Deus amor est.* Nihil enim de Deo priùs & magis distinctè cognoscimus, quàm voluntatem illam sanctam & bonam, qua vult in creatura intelligenti glorificari. Quæ voluntas etiam post peccatum in tolerantia, longanimitate & clementia ipsius, sed maximè in misericordia, per quam divitias suas effundit, cernitur. De quo consilio infra suo loco, Deo volente, dicemus. Voluntatem autem Dei tanquam vitam Dei consideramus. Quod quum facimus, Deo tamen non attribuimus vitam talem, qualem in nobis experimur, variam, mutabilem, incertam, sed constantem; quippe qui semper est idem, & apud quem ne umbra quidem mutationis est. Psalm. 102: 28. Jac. 1: 17.

LOCUS

LOCUS SEXTUS
DE
CREATIONE.

Cap. XV.

De Creatione in Genere.

Prima divini decreti exsecutio est Creatio.

2. Sine qua nihil extra Deum esse potest. Nam, quod increatum est, æternum est, necessarium est, à Deo non dependet, Deo non subjicitur, Deus est. *Creatio causa omnium, quæ sunt, præter Deum.*

3. Creatio decreta est ab æterno, sed liberè. Nam, quod non necessariò est, neque necessariò decernitur, ut sit. *Ejus decretum æternum & liberum.*

4. Creatio est productio rei novæ per imperium: sive ea sit nova secundùm totum, quod est; sive secundùm genus; sive secundùm individuum. Num. 16: 30. בָּרָא בְרִיאָה *creare creationem* significat rem novam & inauditam facere; quale est, facere, ut dehiscat terra hominibus inobedientibus, eosque vivos deglutiat. Psalm. 51: 12. *Cor purum* בָּרְאָ *crea mihi, Deus; & spiritum promtum* חָדָשׁ *nova* novum produc *in medio mei.* Quilibet homo habet Deum בּוֹרְאָ *creatorem.* Eccl. 12: 1. Novitas regenerationis & status Novi Testamenti *creatio* quædam est. Es. 43: 7. 65: 18. *Creatio quid?*

5. Neque enim, ut & à doctis Hebræorum animadversum est, creatio præcisè significat, הוֹצָאַת יֵשׁ מֵאַיִן *productionem ejus, quod est, ex nihilo.* Nam Aben Esra meritò opponit Gen. 1: 21. *Et creavit Deus cetos magnos.* Ideoque non est necesse distinguere inter creationem mediatam & immediatam; quasi in omni creatione sit indigitatio nihili: quum nihil significet nisi adductionem à non esse ad esse per vocationem sive *momentum voluntatis*, aut *imperii*, ut Ambrosius loquitur, vel νεῦμα, ut Cyrillus.

6. Quantumvis nihil creatum reperiatur, quod non ex nihilo sit, saltem remotè.

7. Omnia enim creata habent initium. Quæ si æterna essent, adhærerent Deo *ut umbra corpori & fulgor lumini, naturali magis societa-* *Creatura non est, neque esse potest æterna.*

te, quàm voluntate arbitra. ut dicit Ambrosius. Unde in Scripturis commemoratur רֵאשִׁית, אֶרֶץ, & ראש *caput*, קַדְמֵי אָרֶץ *primordia terræ.* Imò innuitur, aliquando *abyssos* non fuisse. Gen. 1: 1. Joh. 1: 1. Es. 41: 4. Prov. 8: 23. 24.

8. Quare rectè sic pronunciamus prima verba historiæ Geneseos: *In principio creavit Deus cœlum & terram. Et terra extitit inornata & inexstructa, & tenebræ erant super facie abyssi.* Quæ simplex constructio est. Sunt, qui velint sic verti: *Priusquàm crearet Deus cœlum & terram, tunc terra erat &c.* nempe vocem רֵאשִׁית volunt construi cum sequenti præterito בָּרָא, idque poni, per ellipsin relativi, pro infinito בְּרוֹא: tum deinde *Vau* in initio versus 2. esse consecutivum, & vertendum per *tunc.* Deinde, *creavit* poni pro *formavit.* Sed, etiamsi ita jungamus verba, tamen non is sensus prodiret, *Priusquam formaret*, ut Grotius explicat, sed, *In initio*, quo *creavit Deus cœlum & terram, terra erat* vel *extitit inornata, &c.* Quare falsum est, quod Schlichtingius Socinianus ad Hebr. 11: 3. dicit: *De hujus verò materia creatione nulla in sacris literis mentio.*

9. Neque materia, neque ulla res ex materia facta, potest initio carere. Nam, quod initio caret, æternum est. Quod verò æternum est & initio caret, id in æternum manet idem & nulla ratione mutatur. Aristot. lib. 1. de Cœlo c. γ. de ἀϊδίῳ docet, id esse ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀναυξὲς καὶ ἀναλλοίωτον. Aliis fluit, quod est; quod imminet, nondum est. Æternus non abit, ut veniat; neque venit, ut abeat; nihilque sui habet prius aut posterius. Diog. Laërtius ex Platone. νοητὸν ἢ ἐξ ὃ μηδὲν ἀπογίνεται ἢ προσγίνεται. τὸ δ' ἐστὶν ἡ τοῦ ἀϊδίων φύσις. ᾧ ὁμοίαν τε καὶ τὸν αὐτῷ συμβεβηκεν εἶναι. Epicharmus. τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, ἀλλ' ἢ τῶν αὐτῶν ἀεί. A primo momento oportet numerari millesimum, &, quod sine fine adjiciet is, in cujus potestate sunt omnia momenta: à secundo tertiove retrò non millesimum sed primum numeratur. Nisi velimus dicere, numerum crescentem non augeri, aut qui augetur, minorem non fuisse.

10. Nam æternum, si mutatur, ab æterno mutatur, atque ita simul est in potentia ad mutationem & actu mutatur. quæ est contradictio.

11. Deinde, quod motui & mutationi qualicunque obnoxium est, id ipsum esse incepisse & certum modum suæ durationis habere necesse est. quippe, quod momenta numerabilia habet, non po-

test

teſt eſſe abſque initio: quemadmodum omnis numerus ab unitate inchoatur, ſive, ut Ariſtoteles dicit 3. Phyſic. c. 3. ἐν τῷ ἀριθμῷ ἔστιν ἀεὶ τὸ ἐλάχιστον πέρας: ut neceſſe ſit inter ea, quæ cum ordine numerantur, ut ſecundum, ita eſſe & primum; & momenta diverſa ejuſdem rei ſimul eſſe non poſſint.

12. Unde & ſapienter Scriptura hunc mundum vocat αἰῶνας ſecula. Hebr. 1: 2. 11: 3. quia ſeculorum ſuorum modulo continetur ejus ὕπαρξις.

13. Quumque omnia creata in tempore ſint, quod in partibus ſuis infinitum non eſt, impoſſibile eſt, id in toto infinitum eſſe. Nam, à quo finitum demſeris, ejus reliquum finitum eſſe neceſſe eſt. Quod & Ariſtoteles vidit, qui dicit 1. de Cœlo cap. 4. ὅτι τὸ πεπερασμένον χρόνον ἐὰν ἀφέλῃς πεπερασμένον, ἀνάγκη καὶ τὸ λοιπὸν εἶναι πεπερασμένον, καὶ ἐχέτω ὧδε. ubi nugatoriè additur πεπερασμένον. Quid enim opus erat ratiocinatione conficere, reliquum temporis eſſe finitum, ſi præſupponitur, totum eſſe finitum?

14. Rectè idem dicit, τὸ ἄπειρον ἀδύνατον κινηθῆναι. Unde ſequitur, quod movetur, id non eſſe infinitum & æternum.

15. Porrò nihil mutabilius materia eſt. Materia igitur æterna eſſe non poteſt.

16. Imò nec ſpiritus creatus æternus eſſe poteſt: quia non eſt immunis à mutatione quoad cognitionem, quoad voluntatis arbitrium, quoad ſtatum; ſaltem à poſſibilitate perfectionis majoris. Quod ſemper perfectionem majorem accipere poteſt, immutabile non eſt; quod immutabile non eſt, æternum eſſe non poteſt. Atqui ſpiritus creatus ſemper majorem perfectionem accipere poteſt: quia perfectiſſimum nihil eſſe poteſt, quod non ſit Deus. Quòd ſi autem dicas, id ſemper in imperfecto ſtatu manere poſſe, dices, idem perfectius fieri non poſſe, quod perfectius fieri poteſt. Imò nec Deum creatorem deceret, ponere quid in neceſſario deſiderio ſuæ perfectionis & id ipſum ea immutabiliter privare. Si verò nec deſideret ulterius bonum, nec bonum erit. quippe quod non cuperet creatore ſuo amplius frui. Sic enim nec Deum finem ſuum & bonum habebit. Quare ſtulta eſt Arianorum quorundam ſententia, Filium Dei eſſe creaturam æternam.

17. Ut verò omnia creata initium habent, quo exſtiterunt, & inceperunt ſuum αἰῶνα, hoc eſt, tempus, quod Deus illis admenſus eſt, ita & mundus: nempe quo extitit prima creatura. Unde di-

cuntur πάντα γενέσθαι, *omnia extitisse* sive esse incepisse. Joh. 1: 3. A qua γένεσι, non tantùm Philoni γένεσις notat *creaturam* (περὶ ὀνείρων. in opusc. ab Hæsch. edit. p. 207.) sed & S. Jacobus ὁ πλοχὸν τῆς γενέσεως pro *orbe rerum creatarum* sive toto universo dicit Jacob. 3:6.

18. Ante primæ creaturæ γένεσιν sive *exortum* nullum tempus ne cogitari quidem potest sine contradictione. Nam, si tempus est ante primam creaturam, prima creatura non erit prima. Quippe duratio creaturæ, quæ mutabilis est, tempus dicitur. Et, si velimus cogitare tempus ante primam creaturam, id cogitabimus æternum, sine initio. Quæ etiam contradictio est. Nam non potest tempus sine initio esse. De quo etiam diximus c. 8. § 87. Quare non malè Augustinus de Civitate Dei lib. 11. c. 6. *Quum Deum, in cujus æternitate nulla est mutatio, creator sit temporum & ordinator, quomodo dicatur mundum post temporum spatia creasse, non video.*

19. Unde etiam Apostolus Hebr. cap. 11: 3. tribuit credentibus νόησιν & animadversionem, τοὺς αἰῶνας κατηρτίσθαι ῥήματι θεοῦ, *secula*, hoc est, res, quæ sunt in seculis, *concinnata esse verbo Dei, ad hoc, ut non ex apparentibus, quæ videntur, exstiterint.* Innuens, prudenter consideranti manifestum esse, quòd *secula* absque initio esse non possint.

In initio fuisse notat æternitatem.

20. Quare & phrasis Scripturæ *In principio* vel à *seculis fuisse* significat, æternum esse & initio carere. Psalm. 90. Prov. 8. Joh. 1:1.

21. Multò magis, *ante terram, ante abyssos*, hoc est, *ante initium & tempora seculorum* fuisse. Prov. 8. Æternitas enim est ante tempus, quia tempus æternum non est. Ideoque, quod in tempore est, ante initium non fuit cum Deo æterno.

22. Quæ quidem phrasis imitatur modum loquendi de tempore, sed minimè significat aliquid terminatum. Nam, si *ante tempus* notet partem aliquam æternæ vitæ, fiet, ut æterna vita habeat partes, & porrò initium; atque ita æterna non sit.

Creatio naturalis cognoscitur lumine.

23. Igitur *creatio* pertinet etiam ad τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, hoc est, id, quod de Deo citra ἐπικάλυψιν (si spectes rei ipsius & demonstrationis evidentiam) *cognosci potest.* Quod Apostolus innuit, dum dicit Rom. 1:20. *facturis mente consideratis conspici invisibilia Dei, æternam* videlicet *illius potentiam.*

Nec tamen utiliter & rectè absque fide.

24. Quamvis illa νόησις *consideratio* non sit in homine sine fide verbi Dei, nempe ut æternam Dei potentiam & divinitatem ejus cupiat cognoscere, idque quò eum glorificet tanquam Deum, & ei gratias

gratias agat. Quippe quum homo animalis, mortuus in peccatis, dicat in corde ſuo, Non eſt Deus, Pſalm. 14. & dicat Deo, Recede à me. Nam cognitione viarum tuarum non delector. Job. 21. Unde meritò appellantur בּוּעָרִים *bruti*, & בְּהֵמָה *pecudes*.

25. Facile eſt enim animadvertere credenti & Deum quærenti, ea, quæ initium habent, omnino non poſſe eſſe niſi creata, ſi omnia in cumulo accipias; hoc eſt, non niſi imperio producta eſſe poſſe. Quod imperium non eſt niſi æterni Entis, & *æternam potentiam* arguit.

26. Imò ipſa illa, quæ generantur, imperio eodem vocata eſſe ab initio. Eſ. 41: 4. Quippe neceſſariò dari primum generans, non genitum, ſed creatum: & omnia genita prorſus dependere, ſecundùm omnia, à creante, non autem prorſus & ſecundùm omnia dependere à generante: imò ipſum generans nec γόνιμον eſſe, nec gignere ſine potentia creatoris.

27. Quòd autem creatio ſit productio *per imperium*, dicit Scriptura multis modis. Moſes imprimis deſcribens creationem lucis ſic ait: *Et dixit Deus, ſit lux; & exſtitit lux.* Gen. 1: 3. De quibus verbis Dionyſius Longinus ita judicat in libro περὶ ὕψους cap. 7. Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν ᾗ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. *Ita & Iudæorum legiſlator, vir non vulgaris, quandoquidem Numinis potentiam, prout dignum eſt, cognoverat, etiam explicavit, in ipſo aditu legum ſcribens: Dixit Deus, inquit, Quid? Exiſtat lux, & exſtitit.* Creatio *eſt productio per imperium.*

28. Ita Pſalmus 33: 9. *Ipſe dixit; & exſtitit: ipſe præcepit, & ſtetit.* Ita Apoc. 4: 11. *Tu condidiſti omnia, & propter voluntatem tuam ſunt & condita ſunt.*

29. Hinc creatio dicitur *vocatio.* Rom. 4: 17. *Qui vocat, quæ non ſunt, tanquam ſi eſſent.* Imperator milites nomine citat, & ſiſtunt ſe; Deus, quæ non ſunt. Eſ. 41: 4. *Qui vocat generationes à capite.*

30. Voluntas quidem, propter quam ſunt omnia, æterna eſt: ſed non propterea creatio æterna eſt. Tum enim dicitur Deus *creare*, quum quid propter voluntatem Dei exiſtit ſive eſſe incipit. *Creatio & decretum creandi ut differant?*

31. Creatio eſt actio propria Deo incommunicabilis creaturæ. Quia nulla creatura poteſt habere voluntatem, quæ in ſe ſola cauſa ſit, quare aliud ſit. Nullius creaturæ eſt habere imperium ad vocandum id, quod non eſt. *Creatura non creat.*

32. Homo movet membra, quum vult, ipse nescíens, quomodo ea moveantur. Deus enim subjecit voluntati ejus membra. In Deo movetur. Angeli sunt pollentes viribus, quibus subjecit Deus materiam latè patentem, ad eam movendam. Sed non movent eam sine Deo. Si Deus communicaret creandi facultatem creaturæ, vellet, ut propter voluntatem creaturæ aliquid inciperet esse. Ita jam Deus vocaret & crearet ad nutum creaturæ, & Deus dependeret à creatura; ipsa tamen creatio esset Dei. Vel Deus etiam vellet in creatura existere talem voluntatem, & Deus esset & rector creaturæ & creator ejus, quod non sine ipso vellet creatura. Vel Deus nihil ageret aut etiam nollet hoc esse, quod creatura vellet esse. Quod utrumque contradictorium est. Nam Deum subjicere rem, quæ non est, vocationi creaturæ, ut sit; & tamen vel nihil velle, vel contrarium velle, pugnantia sunt.

Cui tribuitur creatio, est unum cum Deo.

33. Quare, cui tribuitur creatio, ei tribuitur voluntas dominans & æterna potentia, sive potentia indissolubilis vitæ. ut loquitur Apostolus Hebr. 7:16.

34. Quum autem creatio tribuatur Patri & Filio & Spiritui sancto, consequitur, unam voluntatem & potentiam esse trium. Neque enim potest esse nisi una voluntas, res, quæ non sunt, velut extantes vocans. ut ex § 32. patet.

35. Itaque, quod dicitur in principio Geneseos, אֱלֹהִים *Deus creavit cœlum & terram*, id etiam de Filio exaudiendum est: in quo peccatori Jehovah fit Deus. Adeò ut optimè dicatur Johan. 1:1. *In principio erat Sermo, & Deus erat Sermo.* Potest enim id etiam sic explicari, Quum dicitur, Deum creasse, *Deus* significat Sermonem. Ex quo conficitur, Sermonem esse Deum sive habere divinam naturam, vitam, voluntatem.

Annihilatio.

36. Creationi ex nihilo opponitur *Annihilatio.* Quæ si esset, non esset actio tendens ad destructionem rei, sed virtus & efficacia imperii divini definientis rei annihilandæ suum tempus & terminum. Quo impleto, quia res non juberetur esse illo tempore, nec esset.

37. Et ita secundùm voluntatem Dei res incipiunt esse aut generantur, rursusque corrumpuntur & deficiunt.

Creatio & conservatio quid differant?

38. Eadem est voluntas, propter quam res manet, & propter quam esse incipit. Sed, ut hoc respectu efficacia illius nominatur *creatio*, ita illo respectu vocatur *conservatio.*

39. Fi-

39. Finis creationis est gloria Dei: hoc est, manifestatio eminentiæ, potentiæ & virtutum Dei in creatura, & ad creaturam. Ideò dicitur *propter se omnia fecisse*, Hebr. 2: 10. & *ad se* Rom. 11: 36. non ut ipse fiat melior aut perfectior aut beatior; sed ut ipsius potentia & divinitas habeat testes & innotescat creaturæ. Nam gloria Dei, quæ est finis operum Dei, est bonum alicujus creaturæ. *Creationis finis.*

40. Bonitas igitur Dei est causa προηγουμένη creationis. *Causa progumena creationis.*

41. Necesse igitur est, esse creaturam, quæ per creationem possit intelligere excellentiam & virtutes Dei, Deum amare, & quærere, Deo frui, ut bono suo. Sine ea enim non essent creata ad gloriam Dei, neque illam cœli narrarent ulli. Ps. 19: 1. Sed ita est omnis creatura ad eum finem, si testetur creaturæ intelligenti, ejus bonum verum & unicum esse Deum. De quo & c. 14. §. 25. *Inter creaturas oportet esse intelligentem.*

42. Quæcunque possunt gloriam Dei hoc modo narrare, ea etiam potuerunt à Deo vocari & creari. In omnibus igitur creatis saltem vestigium aliquod perfectionis & bonitatis Dei esse oportuit. Et hæc est *bonitas*, quæ creatis attribuitur à Mose Gen. 1: 31. *Et vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valde bona.* Nam 1. usum habebant. 2. perfectionem habebant. 3. imago Dei in medio creaturarum erat. 4. testabantur creaturæ ad imaginem Dei conditæ omnia, quòd Deus esset finis & bonum illius. *Bonitas creaturæ.*

43. Potuit Deus facere, ut omnia simul existerent sive orirentur, quemadmodum septimo die omnia simul fuerunt: sed maluit Deus distinctis diebus opus suum absolvere, ut non simul omnia exsisterent, sed unum opus præcederet aliud, Gen. 2: 5. 6. 7. idque se ita absolvisse, tum indubitabili verbo, tum evidenti miraculo, Mannæ scilicet missione variata per quadraginta annos in deserto, testari atque in ipsis tabulis fœderis inculcare. *Creationis processus.*

44. Habet enim talis dispensatio operis & digestio singulare documentum. Imprimis ostendit dies Sabbati, post ordinatam illam productionem rerum & hominis postremi, quòd homo sit factus propter Deum solum, & ejus gloria sit, &, quòd omnia sint facta propter hominem; ipsi adeò angeli. Si, inquam, non fuisset creatio diebus distincta, nec Sabbati quies fuisset, nec ea fuisset benedictio & sanctificatio Sabbati.

45. Docet etiam is ordo, Deum velle priùs potentiam suam & bonitatem in infirmitate & imperfectione creaturæ demonstrare, deinde in consummatione. Id monet productio rerum sine luce, ut lux ex tenebris prodiret. 2 Cor. 4: 6.

46. Re-

46. Respondent etiam alia opera Dei circa Ecclesiam & Christum operibus illorum dierum. Veluti, quòd Christus die Sabbati in sepulchro jacens desiit aliquid agere aut pati inter homines; atque quòd ea re declaratum est, opus redemtionis esse pridie consummatum. Qui responsus testatur, Deum ante jacta mundi fundamenta etiam de opere redemtionis consilium cepisse. Possent fortasse alia istius modi animadverti, quæ nunc omittimus.

Primum opus creatum.

47. Primum opus fuit *cœlum & Terra.*

Cœlum.

48. Per *Cœlum* Gen. 1: 1. meritò intelligimus aliquid distinctum à Cœli ea parte, quæ secundo die creata est, & רָקִיעַ *Expansum* dicitur. Constat enim, esse *Cœlum* ab eo, quod dividit inter aquas superiores ac inferiores, & in quo stellæ sunt, distinctum. Quod vocatur *Cœlum cœlorum*, 1 Reg. 8: 27. Psalm. 148: 4. & *Tertium Cœlum*, & τρίτος. 2 Cor. 12: 2. 4. Unde dicuntur *Angeli cœlorum.* Matth. 24: 36. & στρατιὰ οὐρανίου, Luc. 2: 13. Indubitabiliter verò constat, id esse, quia in id ascendit Dominus noster Jesus Christus, videntibus discipulis; & ea adscensio, quemadmodum prophetatum erat, prædicata & credita est in mundo cum omni manifestatione cùm Spiritus sancti, tum potentiæ & judiciorum Dei: atque etiam, quia ad hanc spem per Euangelium vocamur, nos in id assumtum iri, ut simus cum Domino. Ea regio mundi vocatur τὸ ἐπουράνιον Eph. 2: 6. Constat etiam, Angelos fuisse, quum Deus *fundaret terram:* die secundo, quo & facta est distinctio aquarum. Job. cap. 38: 4.—7.

Terra.

49. *Terra* autem eadem intelligitur, quæ nunc est, non sine aquis, (ut patet ex v. 2.) sed in alio statu.

50. *Exstitit* enim, quum crearetur, תֹהוּ וָבֹהוּ, hoc est, ἄτακτον, inordinata & inordinata; & ἀθεμελίωτον, *non fundata.* Nam תֹהוּ significat id, quod ordini & ornatui, ad quem *linea* adhibetur, contrarium est: בֹּהוּ id, quod fundationi, constitutioni, exstructioni, quæ adhibito *perpendiculo* fit, contrarium est. Vide Es. 34: 11. Unde Hebræi Veteres solent תֹהוּ explicare per קַו הַיְרִידוּת ἀδικίαν κάθημα, & בֹּהוּ per אֲבָנִים הַמְּלֻטּוֹת q. d. *perpendiculum non rectum.* Ideò eadem

Abyssus.

massa, quæ *terra*, etiam *aqua* & *abyssus* nuncupatur. Fuit enim aqua terreis crassamentis permixta.

Κόσμος.

51. Quandoquidem τὸ ἄκοσμον *terra* tribuitur, intelligitur, *Cœlum*, quod creatum est unâ, non fuisse absque suo exercitu, &, quæ deinceps facta sunt, ad exornandam terram pertinere. Quod

opus

opus propriè sex diebus absolutum est. ut ita non esset cœlum habitatum sine terra ornata: sed essent Cœlum & Terra unus κόσμος. In Novo Testamento sæpe κόσμος significat *terram.* vide Johan. 1: 9. & passim.

52. *Tenebræ* erant *super faciem abyssi.* Necdum enim erat lux. Videbat Deus, quod fecerat, sine luce: ipse lux sibi & habitans lucem inaccessam, & lux mundi, imprimis Angelorum electorum, qui *filii lucis* appellantur. Job. 38: 7. *Tenebræ.*

53. *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* & se super ipsis vibrabat, ut ales se librat pennis super pullis suis. Confer Deut. 32: 11. Debuit etiam *Spiritus Dei* in creatione mentio fieri, ut intelligeremus, & mundum & hominem esse opus ejus, qui regenerat nos, & est noster paracletus, quem speramus vivificaturum corpora nostra. Job. 33: 4. Psalm. 33: 6. Malach. 2: 15. Rom. 8: 11. Atque etiam in ea mentione Spiritus est præparatio ad intelligentiam versus 26. ubi Deus introducitur pluraliter loquens. *Spiritus Dei.*

54. Incubatio Spiritus significat conservationem materiæ per gratiam, eam, inquam, gratiam, qua decreta est sanctificatio hominis; & materiæ sive potius terræ & aquæ dispositionem ad ulteriora opera ex iis, ad ornatum mundi perficiendum, producenda. Gratia igitur Dei creatoris, qui erat etiam sanctificator hominis futurus, continuit illam abyssum, & sustentavit, & paravit ex ea producere per imperium & potentiam divinam omnia, quæ homini, etiam peccaturo, etiam peccatori, erant servitura. Ut innuatur, opus, quod in se dignum Deo non erat (nam terra non habitata, non ornata, non fundata non poterat glorificare Deum) propter gratiam, quam Deus exsecuturus erat per Spiritum sanctificationis, à Deo, ut productum, ita ad ulteriorem exornationem conservatum esse. *Incubans aquis.*

55. Deinde dixit Deus, *Sit lux, & fuit lux.* Psalm. 104: 4. *Operuit se luce velut toga.* Obscura res est lux, quæ omnia illuminat. Sed non docuit nos Moses, quid sit lux, sed quomodo extiterit, sive esse inceperit; nempe Deo præcipiente: &, quomodo fuerit ab initio. Non fuit cum Sole & stellis. Tamen non alia res per *lucem* intelligitur, quàm quæ diem facit, & decedens locum facit nocti. *Lux.*

56. Deus enim illa *distinxit,* hoc est, in una parte abyssi creavit lucem, eamque jussit circuire ad aliam partem, ut ita primò *fieret vespera,* abeunte luce, & rursus *fieret mane,* accedente rursus luce;

atque ita *primus dies* finiretur in manè secundi. Quemadmodum dicit Moses: *factus est vesper*, h.e. lux desiit esse in eo loco, in quo primitus exstitit, *& factum est manè*, h.e. rediit ad eum locum. Is *dies unus fuit*, nempe exornationis mundi, in ea parte, quæ exornatione indigebat. Igitur in lege etiam vespera annumeratur diei, qui manè incepit. Vide Exod. 12: 18. *Primo* mense, *die decimo quarto mensis vesperi comedetis azyma usque ad diem vigesimum primum mensis vesperi.* Sic Levit. 23: 27. *Decimo mensis septimi* erit *dies Expiationum.* & v. 32. *Debilitabitis animam vestram nono mensis vesperi. A vespera ad vesperam cessabitis cessationes vestras.* Rituale à naturali distinguendum est. Naturâ præcedit dies, sequitur nox, & vespera diei accensetur, ut & nox; donec novus dies fiat, orto mane. At in lege nox diem præcedit propter mysterium sive δήλωσιν πνεύματος.

Secunda dies. Rakia. Expansum. Fundatio terræ.

57. Secundi diei opus est expansio corporis subtilis, quod רָקִיעַ appellatur, à Græcis στερέωμα, quo fit distinctio aquarum superiorum ab inferioribus. nempe, quemadmodum aquæ inferiores nunc sunt discretæ ab arida. Ideoque ejusdem diei opus est *fundatio terræ supra maria & fluvios*, Psalm. 24: 2. Ea sic facta est. *Mare ex utero prodiit*, Job. 38: 8. hoc est; Cùm crassamenta terrena compingerentur, liquidus humor in cavernas suas collectus est (quemadmodum aqua ex spongia compressa exire solet) isque incluſus est suis cavis, & litoribus circumseptus est, ne operiret terram. Ibi *montes ascenderunt, valles descenderunt; aqua autem, quæ supra montes*, hoc est, locum montium, *steterat, propter increpationem Dei, fugit ad locum suum, quem ei præparavit.* Psalm. 104: 5.—9. Unde liquet, in prima terræ creatione non fuisse eam faciem terræ, quæ fuit in diluvio: ut vir quidam doctissimus autumavit. Nam, si dicas, à Psalmo nos doceri, quòd *aquæ ascenderint in montes*, idque *fugiendo ab increpatione Dei*; dicendum erit, aquas increvisse, propter increpationem Dei (Nam aqua ascendens crescit) & sic fugisse. quod absurdum est. Egregiè sensum Psalmi enunciavit Buchananus:

—*Terra obruta quondam*
Fluctibus, ut fuso super ardua culmina velo:
Sed simul increpuit tua vox, tonitruque tremendo
Insonuêre aura, paulatim ascendere montes
Cernere erat, sensimque cavas subsidere valles,
Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.

58. Quòd autem hoc sit secundi diei opus, apparet ex Genes. cap. 2: 6.

cap. 2: 6. ubi ſeparatio aquarum ſuperiorum ab inferioribus explicatur per eductionem vaporis ex terra; & ei conjungitur irrigatio faciei terræ. Quam ſecuta eſt germinatio terræ: opus diei tertiæ. Ergo eo die facta eſt fundatio terræ, quo & ſeparatio aquarum per expanſum. Hæc eſt ſententia Aben-Eſræ, quam ſequitur & Mercerus. Atque ideò ante expoſitionem operis tertii diei per ἐπεξήγησιν narratur pleniùs terræ fundatio, cum clauſula, *& vidit, quod eſſet bonum.* v. 9. 10. Hinc וַיֹּאמֶר exponendum, *Dixerat autem.* verſ. 9.

59. Aquæ autem ſuperiores ſunt eæ, quæ dicuntur eſſe in nubibus, Job. 26: 8. quarum ſeparationem ab inferioribus graphicè depingit Elihu Job. 36: 27. & ſeq.

60. Eſt autem *fundatio terræ ſupra mare*, Pſalm. 24: 2. ſive ut extet ſupra mare & fluvios, utque homo, ambulans in ea, mare infra pedes videat, inſigne argumentum Sapientiæ & Propoſiti Conditoris. Nam, eſſe terram extantem extra aquas, non natura eſt, ſed πέχνημα.

61. Poſtquam autem peccatum intravit in mundum, & homo conſervatur in terra, certum id teſtimonium eſt, Deum, quum fundavit terram, jam tum cónſilium habuiſſe ſanctificandi hominem & vivificandi per gratiam. Abſque ea enim eſſet, fruſtra formaſſet terram. Atqui non fruſtra formavit: ſed ut eſſet habitaculum, & quidem eorum, per quos narraretur gloria ipſius. Eſ. 45: 18. Ideò dicitur Deus ἀπὸ καταβολῆς κόσμου *a fundatione terræ præparaſſe hæreditatem* electis. Matth. 25: 34. Et *ante fundationem mundi* nos *elegiſſe in Chriſto.* Eph. 1: 4.

62. *Diei, noctis, cœli, terræ, marium* nomenclatura Deo attribuitur. Quo notatur, Deum ita illas res juſſiſſe eſſe in poſterum ſtabili lege, ut inter homines nomen ſuum, qualia ſunt iſta Hebraica, obtinerent.

63. Tertii diei opus eſt germinatio. Quæ diſtincta fuit. Nam paradiſus in Eden formatus fuit integer cum fructibus ſuis. Gen. 2: 8. 9. *Tertia dies.*

64. Quarti ſunt *luminaria*, nempe *duo luminaria magna* ſive corpora magnam lucem facientia (quorum aliud *majus*, aliud *minus*) & *ſtellæ*. Majori luminari datum imperium diei. De nocte enim non lucet: ſed dies breviores aut longiores facit. Ita hoc luminare annorum efficiendorum inſtrumentum eſt. Alterum luminare præfectum eſt imperio noctis. Nam id facit, tenebras eſſe cum *Quarta dies.*

luce vel sine luce. Job. 26: 10. Et hoc luminare facit *dies* sive dierum distributionem ac periodum. Utrumque *statis temporibus* figendis inservit: ut omnia ordine agi inter homines possint. Sunt & in *signa*, non rerum futurarum, Jer. 10: 2. 3. Es. 47: 15. sed mutationum aëris, & locorum; sol imprimis & stellæ. Nam Deus producit illas ad catalogos, & singulas quasi nomine citat, ut nulla earum non suo loco & tempore appareat. Es. 40: 26. Quæ cœli leges ostendunt indefatigabilem Dei providentiam & efficax imperium omnibus momentis, cum maxima admiratione omnium, & maximè eorum, qui diligentissimè eas considerant. Ibid. & Jer. 33: 20. Job. 36: 24. 25.

Quinta dies. 65. Quinti est productio aquatilium & volucrium.

Sexta dies. 66. Sexti est productio terrestrium animantium & hominis. Ad hanc Deus se accingens ἐγκελεύεται introducitur. quæ significat, Consilio & voluntate una trium, qui in cœlo testantur, & unum sunt, hominem suo tempore, ut colophonem omnium, creatum esse. Confer Gen. 3: 22. 11: 7. Es. 6: 8. 54: 5. 66: 5. Ezech. 21: 15. vel 10. Hos. 12: 5. Obad. 1. Zach. 6: 13. Daniel. 4: 14.

67. Patres vocant hanc orationem, quam Moses Deo attribuit, σκέψιν, & πρόβλημα. ut Cyrillus. Ambrosius de dignit. hominis cap. 1. *Tanta dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio S. Trinitatis & opere majestatis divinæ creatus sit homo.* Hebræi quidam dicunt, וְיִתְיָעַץ עִם לִבּוֹ *consuluit cum corde suo.* Sed non est formula deliberationis. Quæ interrogando potiùs conciperetur: *Faciemus ne?* Et non conveniebat illi loco deliberatio. Nam, quum reliqua facta essent, an caput operis homo fieri deberet, inquiri non erat tempestivum. Rectè Ovidius: *Sanctius his animal, mentisque capacius altæ Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.* Nisi enim homo factus esset, non fuissent cætera appellanda *bona*. Cui enim essent *bona?* quæ soli homini poterant esse utilia, ut illi Deum & gloriam ejus & divitias ejus & abundantiam bonitatis ejus ad appetitum ejus rectum, legi æternæ & sapientiæ veræ consentientem, explendum testarentur.

68. Est igitur sermo καταπειθοντος, ut Basilius dicit, & παρακαλοῦντος, sive ἐγκελεύοντος *inhortantis, instigantis, excitantis:* non institutus ad Angelos (nam illi non *fecerunt hominem*, & quidem *ad imaginem suam*) nedum ad elementa, sed ad eam personam imprimis,

mis, *cui Pater ostendit omnia, quæ facit, ut iis similiter ea faciat*, Joh. 5. vers. 19. & ad Spiritum utriusque. Ut intelligamus & credamus, quòd voluntas creandi hominem contineatur in προθέσει τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίησεν ἐν τῷ Χριστῷ, *proposito seculorum, quod fecit in Christo*. Eph. 3: 11. & *Iustitiam nostram* esse & *Dominum nostrum*, qui creavit nos; & τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος, *sensum, factionem, studium Spiritûs*, qui nobis datur ἀῤῥαβὼν καὶ παράκλητος *pignus & advocatus*, esse κατὰ θεὸν *secundùm Deum*, quia κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι *Dominus Spiritus est*. 2 Cor. cap. 3. vers. 17.

69. *Formavit Deus* hominis *corpus ex pulvere terræ, & inspiravit in nasum ejus* נִשְׁמַת חַיִּים *halitum vitæ*, hoc est, fecit eum respirare. Unde dicitur *halitus esse in naribus ejus*. Es. 2: 22. Et hoc est πνεῦμα, hic *spiritus*, quem innuit Jacobus cap. 2: 26. *Inspiratio* dicitur divina ἐνέργεια, qua fecit hominem respirare. Ab effectu nomen sortitur ἐνέργεια *operatio*. Spiritûs effectio *inspiratio* appellatur. Sic factus est ψυχὴ ζῶσα, hoc est, *animal vivens*. Chaldæus, רוּחַ מְמַלְלָא πνεῦμα λογικὸν. Verè quidem, sed non ut μεταφορικῶς. *Anima vivens* dicitur & de brutis. Sed homo vivit etiam ut *imago Dei*. Est tamen ψυχὴ ζῶσα, *anima vivens*, animal.

70. Hinc dicitur χοϊκὸς *pulvereus* & ψυχικὸς *animalis*, & habens σῶμα ψυχικὸν *corpus animale*, necdum πνευματικὸν *spirituale*. 1 Cor. 15: 44. 45. 46. *Corpus animale*, hoc est, animam vivendi causam habens, non quidem est φθαρτὸν *corruptibile* sive *corruptioni obnoxium*, tamen nec ἄφθαρτον *incorruptibile*. Ideoque nec immortale *immortalitate majori*, ut loquitur Augustinus, quemadmodum σῶμα πνευματικὸν *corpus spirituale*. Sed de *imagine Dei* & de immortalitate hominis primi distincto capite agendum.

71. Ita absoluto opere creationis, successit Sabbatum, argumentum evidens, *Hominem esse gloriam Dei*. Quæ testificatio illius diei, præ prioribus, benedictio &, ut initii ævi succedentis, sanctificatio fuit. Verùm & de hoc suo loco.

Cap. XVI.

De Angelis bonis & malis.

Creaturarum Dei præstantissimæ sunt Intelligentes, Angeli & Homines: circa quas & peculiaris προνοια est.

2. *Angeli* nomen ex Scriptura didicimus. Nam Græca versio & *Angelorum*

nomen. stilus Novi Testamenti ἄγγελον appellat, quod Hebræus sermo מַלְאָךְ. Id verò notat in genere eum, qui nomine alterius quicquam dicit aut facit. Ita & Filius missus à Patre, Exod. 23: 20. 21. Mal. 3: 1. Es. 63: 9. Gen. 19: 1. 24. & Spiritus missus à Patre & Filio ἄγγελοι appellantur: imò & homo à Deo missus sive ordinario sive extraordinario modo, *Angelus Dei* vocatur. Hag. 1: 13. Mal. 2: 7. Imò & res omnes, per quas voluntas Dei efficitur, angeli nomine ornantur. In hoc tamen est magna differentia. Nam, ut omnia alia nomina communia in Christo sunt ἀλληγορούμενα ὀνόμασι & ἐν δυνάμει intelligenda sunt, ita & מַלְאַךְ יְהוָה *Angelus Iehovæ* sæpe numero sic capitur, ut non conveniat aliis ministris à Deo missis: sed designet eum, qui est εἰκὼν θεοῦ ἀοράτου *imago Dei invisibilis, in quo est nomen Dei*, in quo & in cujus voluntate Deus & voluntas cernitur, quique adeò θεὸν ἐξηγεῖται *Deum enarrat* & videndum exhibet. Joh. 1: 18. Ceteroquin in contradistinctione hominum ἀσωμάτως ἄγγελοι θεοῦ *angeli Dei* dicuntur πνεύματα λειτουργικὰ *spiritus ministratorii* mente & voluntate ac potentia se movendi & operandi eximiâ præditi. Οἱ ὑπερθεν Græci δαίμονας solebant appellare. Hoc vocabulum in Scriptura impuris spiritibus cedit, illud bonis maximè attribuitur. Sunt enim in duplici differentia; sancti & impuri, οἱ ἅγιοι ἄγγελοι, καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα.

An sint angeli? 3. *Sadducæi dicunt, neque angelum, neque Spiritum esse.* Actor. 23: 8. Et ne nunc quidem inter Judæos desunt, qui, quæ angelis in Scriptura attribuuntur, causis naturalibus ordinariè vel extraordinariè à Deo motis ascribunt. Et Justinus Martyr testatur, quosdam ἀτιμήτους καὶ ἀχωρίστους θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ θεὸς, ὅταν βούλῃ, παιδᾶν ποιεῖ καὶ πάλιν ἀναλύει εἰς ἑαυτόν, Angelos putare.

4. Esse Spiritus separatos præter Deum, ex Scripturis tum Veteris tum Novi Testamenti satis clarè probatur, partim ex testimoniis, quæ de ipsis quippiam, quod subsistentium naturarum est, prædicant, partim ex visionibus Prophetarum, ut Es. 6. partim ex historiis, quæ narrant eorum apparitiones & sermones bonorum, ac malorum item operationes.

5. Scholastici negant, esse Angelos, demonstrari posse. neque enim à priori; quia illorum esse non est necessarium: neque à posteriori; quia effectus angelorum possunt aliis causis adscribi, velut ipsi primæ causæ aut animabus demortuorum hominum.

6. Maximus Tyrius ex ordine essentiarum sic argumentatur, inter

inter ἀθάνατον καὶ ἀπαθὲς & θνητὸν ἐμπαθὲς dari medium ἀθάνατον ἐμπαθὲς. At is ipse δαίμονας vult esse ψυχὰς ἀνθρώπων.

7. Bonorum angelorum operationes Deo possent adscribi, exceptis sermonibus, quibus se minores Deo testantur: at malorum operationes evidentes sunt tum in Scripturis, qualis est potissimùm seductio protoplastorum; tum extra eas in arreptitiis, per quos linguis incognitis loquuntur blasphema & turpia, & in gentium μανίαις, & spectris, & μαγείαις ac γοητείαις, sive magi aliquo abducantur, & aliquid videant atque audiant extra se, sive tantùm illusiones patiantur, sive etiam veneficium aut insolita opera (qualia Jannis & Mambris) per eos fiant; itemque in ἐξοχισμοῖς. Si igitur sunt mali dæmones, sunt & boni angeli, quia & ipsi mali initio fuerunt boni, neque omnes putandi sunt à bonitate desciviſse. Animabus verò hominum mortuorum eas operationes adscribere, absurdum est: quum nullum testimonium divinum extet de talibus operationibus animarum, neque alio ullo indicio constet, earum potentiam post habitationem in corpore sic amplificari.

8. Nam ex cœlorum motu, facile concedimus, angelos non probari; quum Scriptura Deo gubernationem orbium, productionem lucis & siderum, cursumque luminarium ascribat. Job. 37: 12. 38: 20. 32. Psal. 19: 5. 6. Es. 40: 26. Amos. 4: 13. 5: 8.

9. Angeli creaturæ sunt. Psalm. 104: 4. *Qui fecit angelos suos spiritus, ministros suos ignem flammantem*, Hebr. 1: 7. Eodem loco ventos ac meteora ignea & angelos ac ministros Dei ponit, atque utrosque facturam Dei asserit. Adde Col. 1: 16. *Angeli creaturæ.*

10. Ab æterno non fuerunt, quia facti fuerunt. Quod enim factum est, ex nihilo factum est, & duratione præditum est partes habente. Si æterni essent, nec annihilari possent, nec alterari in tempore aut locum mutare vel perfici lætitia, sapientiæ divinæ cognitione, beatitudine ac gloria. *Angeli non possunt esse æterni.*

11. Neque quicquam, quod ἐγένετο, hoc est, *esse incepit*, potest dici ὃ οὐκ ἦν ἐν τῇ ἀρχῇ, *fuerit in initio*. Quare nec Filius, *qui fuit in initio*, ad ordinem creatorum spirituum pertinet, nec Angeli ante mundum, ἃ ἐν ἀρχῇ γεγονότα, Gen. 1: 1. conditi sunt.

12. Quum *fundaretur terra supra mare & fluvios, descendentibus vallibus, ascendentibus montibus, & mare ex utero prodiret, aquis, quæ montes texerant, defluentibus in locum suum*, fuerunt Angeli & jubilaverunt. Job. 38: 4. 5. 6. 7. 8. confer Psalm. 24: 2. 104: 5. 6. 7. 8. 9. *Quando Angeli conditi?*

Quod

Quod factum eo die, quo expansum separavit aquas superiores ab inferioribus. ut capite præcedenti ostensum § 58. Jubilarunt autem filii Dei, hoc est, angeli consistentes in principio suo. Gavisi quippe opere, quod Deus parabat, quum fundabat terram; quod opus est creatio & salvatio hominis. cui operi Deus illos voluit ministrare. Quod ministerium gratanter acceperunt, ut Deum per id glorificarent. Ita nec sine angelis testibus fundata est terra hominis salvandi domicilium, nec lex lata, nec Christus natus, nec evectus in cœlum, nec ex cœlo redibit.

13. Principio, quum cœlum & terram creavit, *terra autem erat* תֹהוּ וָבֹהוּ *res inornata & inexstructa*, cœlum verò non item esset domicilium vastum & inexornatum, *exercitus cælorum angeli* in cœlo domicilio suo creati putandi sunt. Quid enim vetat, à Mose, terræ formationem executuro pluribus, per *cælos* consignificari omnia ἀόρατα, quæ in cœlis sunt: nim. τὰ πνεύματα *spiritus?* Quos in cœlo esse, alio modo & loco docet.

Angeli spiritus. 14. Angeli sunt δυνάμις ἀόρατοι, & ἀσώματοι, hoc est, ipsorum substantia non est corpus trinæ dimensionis particeps, palpabile, visibile, ut caro, cutis, ossa, nervi; neque habitat naturali conditione in corpore, aut tanquam incompletum ens ad corpus organicum animandum & vegetandum ordinatur. Iccirco πνεύματα dicuntur: voce ea, quæ & *ventis* convenit. in quo quid simile incorporeæ substantiæ est, quod nec videtur, nec palpatur vel prehenditur, & celerrimos motus habet. quemadmodum & anima hominis rationalis πνεῦμα appellatur. Sed quum πνεύματα vocantur, intelliguntur à materiæ & corporis conditione separati. Luc. 24: 39. ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει. *Tangite me & videte me: quia spiritus carnem & ossa non habet.* Nomen πνεύματος *spiritûs* Deo & creaturis hisce commune est ad exclusionem materiæ & quantitatis, sed non ad exæquationem essentiæ. Quis enim dixerit, quantum sit discrimen inter Deum, in quo vivunt omnia, & angelos, qui non nisi in illo & sunt & vivunt? Materiales angelos quidam inter Scholasticos putavêre, Bonaventura, Richardus, Aureolus: corporibus præditos Platonici, item quidam veterum Ecclesiæ doctorum; Tertullianus, Lactantius, Cassianus.

Angelorum proprietates. 15. Angelis attribuenda est cognitio & voluntas & potentia.

Cognitio angelica. 16. Cognitio & Voluntas in Angelo spectatur ut Angeli sive Spiritûs simpliciter, vel ut Spiritûs in certo statu.

17. An-

17. Angelus ſeipſum cognoſcit per ſubſtantiam ſuam, quatenus ſuas operationes & ſuam vitam ipſe intimè ſentit; ut quodammodo & anima hominis. Neque enim ſui ſpeciem format; qui αὐτόμαλός eſt: niſi per imaginem & aſſimilationem rei alterius. ut, quum homo mentem ſuam cum luce comparat.

18. Deum cognoſcit in veſtigio τὸ εἶναι καὶ κινεῖσθαι καὶ ζῆν, quod eſt in creaturis, maximè in imagine; quam invenit in ſe: & lege naturaliter ipſi impreſſa. Deus enim in ſua eſſentia neque in hoc neque in futuro ſeculo cognoſcitur. Unde dicit: פָּנַי לֹא יִרְאוּ; &, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον. Et hinc Angeli dicuntur alis tegere faciem ſuam. Cognitio Dei de facie ad faciem, 1 Cor. 13:12. τὸ εἶδος, 2 Cor. 5:7. *ſatietas* הַתְּמִטֵּנִי Pſalm. 17:15. eſt *cognoſcere, quemadmodum & cogniti ſumus:* ut explicat Paulus. hoc eſt, expletio noſtri, ut Deus in nobis ſit omnia & conſummata ſapientia, ſanctitate & lætitia, in quantum captus eſt creaturæ, ſecundùm æternum amorem, impleat. Igitur & cognitionem matutinam, qua Angeli dicuntur in Verbo cognoſcere ſe & creaturas, habemus inter intuta dicta. *Deum nemo vidit unquam,* Joh. 1:18. *Nemo novit Filium, niſi Pater; & nemo novit Patrem, niſi Filius.* Matth. 11:27. *Quis hominum novit ea, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo? Ita & ea, quæ Dei ſunt, nemo novit, niſi ſpiritus Dei?* 1 Cor. 2:11. *Solius Filii & Spiritus Sancti* eſt à Deo loqui, *quæ viderunt.* Joh. 3:11. 32. & *Filio monſtrat Deus, quæ facit,* Joh. 5:20. Hæc, quæ in Scripturis Filii πνευματικῶς ponuntur, non ſunt communicanda cum angelis aliiſque creaturis, ne labefactetur fides unitatis Patris & Filii. Quæ in Filio ſuo paravit Deus, εἰς πᾶς καὶ οἱ ἄγγελοι ἐπιθυμοῦσι παρακύψαι, 1 Petr. 1:11. quomodo igitur in Verbo videant omnia Dei opera? *Dei* quidem *eſſentia propior eſt & interior tum eſſentiæ tum intellectioni ipſius intelligentiæ, quam ulla ſpecies;* ex eo tamen non ſequitur, Deum per eſſentiam ab angelis cognoſci, non magis, quàm ab animabus noſtris per eſſentiam cognoſci immediatè. Utcunque autem Deus ſe cognoſcendum præbeat ſpiritibus; dum *eum cognoſcunt, cognoſcunt, ſe non poſſe cognoſcere & comprehendere incomprehenſibilem.* Scal. ex. 359:8.

19. Univerſalia cognoſcunt per comparationem ſingularium.

20. Singularia ab illis cognoſci, tam certum eſt, quàm hominis animam à ſenſibus porrecto phantaſmate ea cognoſcere; quippe qui & creationi applauſerunt, & gaudent ſuper peccatore pœnitente, & norunt, ad quid mittantur, quidque efficiant, imò moli-

tiones Satanæ non ignorant; coram quibus S. Paulus adjurat Timotheum; quorum reverentia jubet fœminam esse operto capite. Neque magis laborandum nobis, quomodo id fiat, quàm, quomodo anima nostra corpus nostrum moveat & per illud sensilium theatrum introspiciat. Deum, ut causam primam, universali providentia hanc cognitionem impertiri, ut vult, certum est: sed id fieri per suæ essentiæ, ut speculi, ostensionem, dicendum non est, ne angelis inspectionem divinorum decretorum, & quidem malis, attribuamus. Atqui illa minimè patere angelis ut in speculo, constat, quia ultima dies angelis, saltem Christo inter homines versante, non fuit patefacta.

21. Illud quoque certum est, Deum, quæ vult, eis revelare. Id autem ita fieri, ut Deus faciat in ipsis existere species aut imagines rerum, quemadmodum in anima humana, non est dubitandum. An autem fiat excellentiori modo, dubitari & quæri potest; si & inveniri potest. Et quædam, quæ fiunt, celari posse angelos, non videtur dubitandum. unde Ignatius dicitur tribuisse Satanæ ignorantiam virginitatis Mariæ, & conceptionis & mortis Christi.

22. Cogitationes hominis ab Angelis non cognoscuntur, neque ab ulla creatura, nisi in quantum signis & effectis vel revelatione patescunt. Nam scrutari corda & renes & odorari timorem Domini divina proprietas est.

23. Angeli sibi mutuò *irradiare* dicuntur, ut sibi cogitatus suos invicem notificent. Id vocabulum metaphoricum est, adumbrans potiùs rem & crassa per sonos colloquia amovens, quàm explicans. Nimirum, si lux externa ad animam nostram pervenire potest, ut anima cognoscat corpora; quidni dicamus esse, quo angelus angelo suos sensus notificet? Hæ linguæ angelorum sunt.

24. Futura non cognoscunt angeli, nisi quæ Deus revelaverit, aut quæ è naturalibus moralibusque causis conjectaverint.

25. Quas veritates homines discurrendo connectunt, easdem earumque connexionem simul cognoscere, maximam partem, verisimile est. Interim, qui cupiunt παρακύπτειν in mysteria Dei, quare non & ænigmata divini sermonis meditando & ratiocinando scrutentur? Quæ tamen ratiocinatio sine dubio celerrima est. Præsentibus frui causis cum ipsis effectibus, verum non est. quia non omnia effecta sunt simul cum suis causis. Neque tantùm est cognitio per causas & per effecta extantia, sed utraque possunt, antequam extent, cognosci. 26. Vo-

26. Voluntas angeli in discrimine bonitatis & malitiæ maximè cernitur. De quo mox. *Voluntas angelica.*

27. Potentia angeli magna est. unde גִּבֹּרֵי כֹחַ nuncupantur Ps. 103: 20. Quod effecta testantur. Et verò quantum est animæ nostræ opus, quod *membra corporis* vel consilio vel sine consilio solo appetitu movet, sive id ad incessum, sive ad bonum corporis, sive ad artes discendas & exercendas, sive ad cogitationes animi indicandas & significandas ac repræsentandas requiratur? Nihil tamen potest sine Deo; neque potest quicquam creare vel annihilare, vel quoad substantiam mutare (sine naturalibus causis) ut Christus aquam in vinum vertit; vel miracula facere, quæ excedunt ordinem modumque naturæ & causarum naturalium. Nempe Deus, ut animæ corpus assignavit atque attribuit, quod ipsa sibi non fabricavit; cui ipsa mensuram, vitam, incrementum, sanitatem, robur, non dedit; quamque sibi non subjecit; voluitque eam in eo habitare, ejusque membra ad appetitum ejus & consilium ad utilitatem corporis moveri: ita spiritibus, quantam voluit, materiam subjecit, ut eorum voluntate (ad nutum atque arbitrium ipsius) moveretur; sæpe etiam mirabili modo. In quo voluntas angelica non δεσποτικῶς se habet, & nec ipsa nec motus materiæ independenter à Deo. Talis enim motus per voluntatis imperium solius Dei est. *Potentia angelica.*

28. Non habent potestatem in hominis voluntatem. Possunt tamen suggerere phantasmata, occasionem cogitationum bonarum & malarum, & per eas consequenter ad bonum adducere vel à malo abducere, & in malum impellere: sed, ut dixi, sub arbitrio Dei.

29. Assumunt Angeli corpora, Deo fabricante; dæmones illudunt spectris. *Apparitiones angelicæ.*

30. Angeli vel dæmones nec generantur ex homine (ut nugantur Judæi) neque generant per hominem aut ex homine, etiamsi corpus assumant; quocunque id modo fieri dicatur. *Angeli non generant nec generantur.*

31. Angeli non sunt ubique, ut voluit Durandus: sed in certo ubi; & in loco, non ut ἀφικτόν, per coextensionem & commensurationem, parte extra partem collocata, atque ita nec in loco, ut loco; sed *definitivè*, hoc est, Hîc & non alibi.

32. Splendida contradictio est, corpus non esse nisi definitivè in loco; &, idem, quum à loco circumscribatur, esse in loco per

modum angeli sine circumscriptione, & quidem locis pluribus simul: quasi non repugnet definitivè & designativè esse in locis pluribus. Quæ contradictiones sunt tegulæ Papisini.

33. Angeli *ubi* definiendum est non secundùm essentiæ simplicitatem, sed magis secundùm sphæram activitatis & potentiæ.

Angeli motus. 34. Motus Angeli de loco in locum, quamvis celerrimus sit, est tamen tempori subjectus. *Spiritus ales est, momento ubique est.* Tert. ap. 22. Job. 1: 7. 2: 2.

Angeli tempus. 35. *Ævum*, quæ sit *duratio creata indivisibilis*, non datur.

Angelorum communis status primordialis. 36. Status Angelorum primus sive ἀρχὴ (Judæ v. 6.) est, quòd conditi sunt omnes *in veritate.* Joh. 8: 44. ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν, *in veritate non stetit* Diabolus. Ea est cognitio debiti Deo honoris & officii tum per se tum per rerum aliarum ad Deum ordinationem per ministerium suum reddendi; & voluntatis ad id amandum & prosequendum inclinatio. Boni igitur & recti conditi sunt: ut & homo. Eccles. 7: 29. Et commune οἰκητήριον *domicilium* habuerunt. Judæ v. 6. Neque sanè potuerunt creaturæ tam nobiles intellectu ac voluntate præditæ, imò mentes, bene & decenter à Deo creari absque dote sapientiæ & rectitudinis. Sine eo enim non fuissent ad gloriam Dei. Hinc neque condi potuerunt, ut annihilarentur aliquando; sed finis illorum est vel æterna beatitudo, vel æternus pudor ac dolor.

Angelorum electorum constantia. 37. In ea gratia perstiterunt *angeli electi*, 1 Tim. 5: 21. lubentissima quidem voluntate, sed & certissimo & efficacissimo creatoris auxilio: qui *servis suis non credit, & in angelis suis* vel *ponit lucem*, quæ in illis est; vel *poneret stultitiam*, hoc est, reputaret, vel adscriberet, si illis credere & sibi permittere, tanquam rectè officium absque se facturis, vellet. Job. 4: 18. Iccirco *Sancti ejus*, quippe ab ipso sanctificati, appellantur, Job. 15: 15. & dicuntur esse in manu ejus. Deut. 33: 3. *cujus omnes sancti in manu tua* sunt. Item, *Deus ponit pacem in sublimibus suis.* Job. 25: 2. *Et facit angelos suos ac ministros suos.* Psalm. 104: 4. Libera igitur ipsorum voluntas fuit & mansit. nunquam tamen indifferens, nunquam auxilio & gratia Dei destituta: eoque magis libera, quò ab ambiguitate & deliberatione ac variis cogitationibus fuit alienior.

38. Qui perstiterunt, nec imposterum casuri sunt; virtute Dei conservandi.

39. Hi *Angeli Dei*, *sancti angeli*, *stella lucis*, *angeli lucis*, *Filii Dei*, *servi*

servi Dei, sancti Dei, exercitus cœlorum nuncupantur. Iisque attribuitur *sapientia*, 2 Sam. 14: 17.

40. *Cherubim* in Scripturis nomenclatura est formarum symbolicarum quatuor animalium positarum in templo, cumprimis supra operculum arcæ. vide Ezech. 1. & 10. Per eas & angelos hieroglyphicè notari, constat ex Psalmo 18: 11. *Et vectus est super Cherub & volavit.* Deus in Angelis vehi dicitur, quia potentissimè & celerrimè & præstantissimè in illis & per illos operatur. Eadem tamen Animalia & Ecclesiam redemtorum designant. Apoc. 5: 8. 9. *Cherub.*

41. Es. 6. Angeli sanctificantes Deum *Seraphim* nominantur. Esaias, quid viderit, quidque audiverit, indicat. Quid visio significaverit, lectori æstimandum relinquit. Vidit ignita corpora hieroglyphicè Angelos significantia. Ita Elisæus vidit currus equosque igneos. 2 Reg. 2: 11. 2 Reg. 10: 17. *Seraphim.*

42. Temere creduntur, quæ de Hierarchiis cœlestibus, ter tribus ordinibus angelorum, traduntur.

43. *Archangelus* (nam *archangeli* non leguntur) non malè creditur non tantùm *princeps angelus*, sed & *princeps & adjutor unicus angelorum* omnium, idemque princeps populi Dei, non tantùm sub veteri, sed & sub Novo Testamento. qui non est nisi Filius Dei. qui & מַלְאַךְ יְהוָה *Angelus Iehovæ κατ' ἐξοχὴν* & q. *κυρίως* appellatur: ut monuimus § 2. Vide Psalm. 34: 8. Dan. cap. 10: 13. 21. 12: 1. 1 Thess. 4: 16. Judæ v. 9. Apoc. 12: 7. collatis Zach. 3: 1. 2. 4. Hebr. 2: 5. Apoc. 1: 1. 22: 16. Matth. 24: 31. Ineptum est, *archangelos* octavum & *angelos* nonum ordinem *angelorum* facere, post Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus. quæ nomina omnibus angelis conveniunt. quædam etiam hominibus. imo & malis Spiritibus. Nam & hi שָׂרִים *ἄρχοντες*. *Archangelus.*

44. Multos esse angelos bonos, liquet ex Deut. 33: 2. Luc. 2: 13. Matth. 26: 53. Hebr. 12: 22. 2 Reg. 10: 17. Dan. 7: 10. quanquam ibi non tantùm de Angelis sermo esse videtur. *Exercitus angelorum.*

45. Hi mittuntur ad ministerium propter eos, qui hæreditaturi sunt salutem. Hebr. 1: 14. sive ut indicent voluntatem Dei, sive ut suggerant bonas cogitationes, sive ut resistant Diabolo & angelis ejus, sive ut custodiant & auxilientur, noxas avertant, mala leniant, roborent ac confirment perterritos, dissipatos colligant, à communione malorum & scandalis liberent, denique animas illorum in sinum Abrahæ perferant. *Officium angelorum.*

Concordia angelorum bonorum.

46. Inter bonos Angelos neque sunt factiones, neque fuerunt & per Christum compositæ sunt. ut vult Grotius. Job. 25: 2. Ps. 103: 20. 21. sed boni angeli bellum gerunt cum nequam spiritibus, populorum principibus, sub ducatu Filii. Dan. 10: 13. 20. Apoc. 12: 7. Joh. 12: 31. 14: 30.

Angeli electorum.

47. Boni angeli igitur sunt *electorum angeli*, quia ipsorum causa mittuntur: & ipsorum nomine vident faciem Dei, exspectantes jussa ipsius. Matth. 18: 10. *οἱ ἄγγελοι αὐτῶν.* Act. 12: 15. *Angelus ipsius.* sic loquuntur, fortè, quia meminerant narrari, sanctis identidem angelos missos eodem nomine, ut Gabrielem Danieli.

Angelus non minister. &, quomodo Lex lata per Angelos?

48. Non fuit angelus minister, neque qui in rubo apparuit Mosi, neque, qui in Sinai loquutus est Exod. 3: 2. 4. 6. Actor. 7: 30. 31. 38. *Per angelos* est lata lex, ut testes & approbatores ac futuros vindices. Actor. 7: 53. Gal. 3: 19. Hebr. 2: 2. Deut. 33: 2. confer Ἀφ' 2 Tim. 2: 2. *ὧν ἤκουσας παρ' ἐμοῦ* Ἀφ' *πολλῶν μαρτύρων. quæ audivisti ex me multis testibus præsentibus*, & approbantibus.

Angeli vocantur Elohim, Dii.

49. Propter hoc officium vocantur אֱלֹהִים *dii*, Psalm. 8: 6. 97: 7. quibus Filius factus est minor, ad tempus, dum factus est sub legem. Hebr. 2: 7. sed qui ipsum adoraverunt, quum exaltaretur, & ipsi subjecti sunt, Hebr. 1. 6. 1 Petr. 3: 22. deponentes illam potestatem, quam ante habebant, ad subjiciendum populum Israëliticum legi & principibus suis, qui item *dii* dicebantur. Nam *ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα habitabilis futura*, hoc est, posterior, angelis non est subjecta. Hebr. 2: 5. quia non est sub lege, sed in regno Dei & Christi ipsius sub gratia.

Conservi fidelium.

50. Igitur nihil nisi conservi sunt fidelium, qui ad eorum societatem admissi sunt per admirabilem illam *ἀνακεφαλαίωσιν* in Christo. Apoc. 19: 10. 22: 9. Hebr. 12: 22. Eph. 1: 10. 22. 3: 9. 10.

Angelis non debetur cultus.

51. Unde nec λατρεία, nec δουλεία, nec θρησκεία, nec προσκύνησις ipsis debetur; sed reverentia tanquam testibus sanctis, ut exhilarentur per nos, ambulantes in omni verecundia & timore; nec fugentur à nobis per infrenatas cupiditates, lascivos sermones, ebrietatem, luxuriem, superbiam, procacitatem. 1 Cor. 11: 10. 1 Tim. 5: 21. Luc. 15: 7.

Justitia angelorum.

52. In angelis bonis est exemplum justitiæ operum.

Christus non est mediator angelorum.

53. Atque adeò Christus ipsorum mediator non dicitur, ut ipsius justitiæ hæredes fiant; sed tamen caput, princeps, dominus, ut familiæ. in quo & nos, ut Filio, cum ipsis reconciliati & unum facti.

54. Mul-

54. Multi Spiritus, qui boni à Deo creati erant, τὴν ἰδίαν ἀρχὴν principium ſuum non tenuerunt, in veritate non perſtiterunt, & domicilium ſuum reliquerunt. Joh. 8: 44. Judæ v. 6. Multos eſſe, liquet ex Marc. 5: 9. Luc. 8: 30. *Angeli defectores.*

55. Quodnam illorum peccatum primum fuerit, curioſum & ἀπερίεργον eſt quærere, quum id Scriptura nobis non aperiat. quæ nos docet ea, per quæ novimus defeciſſe, non quo genere peccati ſe primo inquinaverint. Veriſimile tamen eſt, eos eo genere peccati, in quod hominem Satan impulit; in quo ἀπάτη & τύφος apparet maximè; tum circa veritatem illam, quam maximè perſequuntur etiamnum, quæ conſiſtit in myſterio Patris & Filii, primitus cæſpitaſſe. Ex quo exemplo liquet, in ſpiritibus & ratiocinationum & fidei & opinionum falſarum & affectuum pravorum eſſe locum. Potuerunt & ſancti angeli labi, niſi à ſpiritu infinito ſuſtentati fuiſſent. Ne igitur ſerviamus creaturæ, quæ divino indiget auxilio, multò minùs hoſti creatoris, ſed ſoli creatori.

56. Inter multos defectores & impuros Spiritus eſt conſpiratio ad conſtituendum regnum. Matth. 12: 26. *Conſpiratio.*

57. Inde ſæpenumero in Scripturis eſt mentio *Diaboli* tanquam unius, quando intelligitur ipſe & angeli ejus. Apoc. 12: 7. *Diabolus.*

58. Nomina ſunt *poteſtati tenebrarum* iſtiuſmodi: *Satanas* h. e. adverſarius, ἀντίδικος. Job. 1: 6. Zach. 3: 2. 1 Petr. 5: 8. &, quod id interpretatur, ὁ διάβολος *calumniator, obtrectator* Dei juſtificantis impium in Chriſto (ὡς τὸν θεὸν ἀπὸ τῆς ἀνθρώπων συκοφαντῶν) & peccatoris juſtificati, ὁ κατήγορος *accuſator*. Apoc. 12: 10. & quidem κράτος ὃς θανάτου ἔχων, *imperium mortis habens*, Hebr. 2: 14. quippe quum accuſatio Diaboli fundetur in lege. 1 Cor. 15: 56. ὁ πονηρὸς, *nequam*, בְּלִיַּעַל & ſimilia. *Angelum mortis* appellant veteres Rabbini מַלְאַךְ סָר. credo q. סָר מֵאַל *recedens à Deo*. Eum ajunt per ſerpentem locutum ad Evam. A quo actu ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος Apoc. 12. & 20. & apud Eſaiam תַּנִּין cap. 65: 25. Item fortè לִוְיָתָן נָחָשׁ בָּרִיחַ & נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן & תַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם Eſ. 27: 1. ubi tamen notandum, iſtis vocabulis connotari aliquod, & diverſum quidem, corpus hominum, qui ſunt γνήματα ἐχιδνῶν & viperæ naturæ, ſimileſque vel balænæ vel draconi, à malo ſpiritu poſſeſſum, agitatum & velut animatum. Ita & *Draco* cum ſeptem capitibus & decem cornibus Apoc. 12: 3. הֵילֵל בֶּן שָׁחַר; quod verti ſolet *Lucifer*, eſt imitator Satanæ homo. Eſ. 14. 12. *Nomina.*

59. Quòd

59 Quòd Evam mendacio suo seduxit & interfecit hominem, hinc mendax & homicida ab initio dicitur. Joh. 8: 44. *Initium* ibi primum mundi tempus, non ipsum creationis primordium, notat. Neque enim homo cum creatione fuit sub imperio mortis.

60. Ex quo hominem devicit, sub potestate ipsius & peccati & mortis est. *Itaque corporibus & valetudines infligit, & acerbos casus.* Luc. 13: 11. Job. 2: 7. *animæ vero repentinos & extraordinarios per vim excessus.* animum amentia implet, à veritatis luce avertit, conturbat respublicas. Vide Hebr. 2: 14. Col. 1: 13. Eph. 2: 2. 6: 12. Tert. ap. 22. Quæ potestas, quatenus ab ipso exercetur, vis est; quatenus homini imponitur, jus. Hinc *captivitas violenti* & *captivitas justi* conjunguntur Es. 49: 24. 25. Hinc *princeps mundi* Satanas, Joh. 14: 30. & dæmones sive angeli ejus principes populorum servientium diabolo & à Deo derelictorum. Ita *princeps Persidis, Græciæ.* Dan. 10. *Angeli quatuor ligati ad Euphratem*, Apoc. 9. vers. 14. Quòd autem *Deus hujus mundi* dicitur, inde est, quòd omnes gentes faciunt voluntatem ejus, & eum colunt. 2 Cor. 4: 4.

61. *Inimicus* nominatur Psalm. 8: 3. quia & hostis Dei est & imminet saluti hominum: *vindex sui*, quia propriam gloriam quærit, omnibusque damnis regni Dei studet exæquare ruinam suam. Ingenium hoc Diaboli apparet in iis, quos possidet; quibus nihil magis in votis est, quàm pudorem suum aut multorum seductione aut multorum sanguine compensare. Seductio hominis & læsio fidelium est ἀνάπαυσις ipsi. Matth. 12: 43.

Artes Satanæ. 62. Inter artes ipsius maximè noxiæ sunt illæ, quibus blanditur, vel affectibus obsecundando, & ratiocinationes suggerendo speciem peccati minuentes; vel, dum se convertit in angelum lucis & sub specie boni & veri malum & mendacium propinat, & ad id cum zelo urgendum instigat. Huc pertinent *spiritualia nequitiæ in supercœlestibus.* Eph. 6: 12, hoc est, artes subtilissimæ intentatæ statui fidelium in Christo, cum quo in supercœlestibus collocati sunt, si forte possint ex eo excuti. De seductione gentilium ad sui cultum per divinationem, pulchrè Tertullianus; vel furatum esse ex oraculis Prophetarum, vel velocitate occupasse indicium rerum longinquarum, vel ex causis naturalibus præsignificasse, quæ fierent, vel ambiguitate vaticinia ingeniosè temperasse (unde λοξίας) addo, sibi permissa revelasse. Adi & Deuter. cap. 13. vers. 1. 2. 3. Animas adducendi & mortuos excitandi potestatem non habet.

bet. Minùs nocet piis, cùm terret, & se apertum hostem profitetur.

63. Locus ei in cœlo nullus, ut οἰκητήριον. In cœlo tamen dicitur apparere, quatenus Deo cogitur ministrare instar carnificis, & cogitur respondere de actibus suis, & suis accusationibus sanctos impetit. Quando à divino tribunali deturbatur, cadere de cœlo dicitur. Id autem fieri dicitur, quum accusatio legis cessat, & Ecclesia justificatur, & gentes illuminantur. *Quomodo in cœlo?*

64. Judicatus est diabolus & condemnatus, ut importunus accusator, quando peccatum condemnatum est in carne Christi; Joh. 16: 11. Rom. 8: 3. & vincunt eum sancti propter sanguinem agni & sermonem testificationis suæ, non diligentes animam suam usque ad mortem. Apoc. 12: 11. *Regni Diaboli καταίρησις.*

65. Quæ vis Spiritus postquam in Ecclesia comprobata est, coactus est cedere solio suo, quod habebat in mundo; ne seduceret amplius gentes ad apertam idololatriam, Apoc. 20: 3. ita tamen, ut interim id traderet *bestiæ*, ad pœnam non amantium veritatem & probationem τῶν δοκίμων.

66. Cujus tentationis tempore peracto, cogitur pulverem comedere, hoc est, potentia ejus restringitur ad abolitionem carnis, & consumtionem hostium Christi. Es. 65: 25. & conjicitur cum bestia & pseudo-propheta in stagnum ignis ardens sulfure. Ap. 20: 10.

67. Interim nullas vires habet in eos, qui ei resistunt fortiter in fide. Jac. 4: 7. 1 Petr. 5: 9.

68. Catenis autem tenebrarum servantur diabolus & angeli ipsius ad judicium magnæ diei. 2 Petr. 2: 4. Judæ v. 6. hoc est, ita abdicati sunt à sanctificatione Dei, sancta ipsius sententia, ut non nisi malitiæ suæ servire (ab initio enim peccat diabolus. 1 Joh. 3. v. 8.) & nunquam restitui in gratiam ipsius & lucis ipsius participes fieri possint: amarissimos verò cruciatus spirituales habeant exspectandos absque omni recreatione ex damnis piorum. Hic *ignis* appellatur Matth. 15: 41. & quidem *æternus*. ne credamus, vel substantias abolendas, vel certa annorum revolutione ad suum principium esse redituros. *Diabolus ad judicium servatur.*

69. In malis angelis est exemplum ἀδυνάτου creaturæ sibi relictæ, (nihil enim extra Deum per se & natura immutabile est vel esse potest) potestatis & severitatis Dei, & captivitatis ac servitutis peccati necessariæ simul & voluntariæ. *Diaboli lapsus testis debilitatis creaturæ, & ejus judicium documentum severitatis Dei.*

70. Doctrina hæc facit ad sanctum metum & humilitatem &

 vigi-

vigilantiam in sobrietate & mortificatione concupiscentiarum carnis propriorumque consiliorum ac virium abnegatione; ad preces; ad fidei alacritatem; ad gloriam Dei per infirmitatem triumphantis de hostibus suis, 2 Cor. 12: 7. 9. ad spem decoris fidelium ex victoria Diaboli, Apoc. 12: 11. prosternendi sub pedibus eorum, Rom. 16: 20. & judicandi ab ipsis, 1 Cor. 6: 3.

LOCUS SEPTIMUS
DE
De imagine Dei in homine primo, & connexis.

CAP. XVII.

De Homine ad imaginem Dei condito.

Non immeritò gentibus etiam visum est sapiens dictum & Deo dignum ad hominem προσαγόρευμα, γνῶθι σεαυτὸν, *Noste te ipsum.* Vide Plutarchum περὶ τοῦ Ει τοῦ ἐν Δελφοῖς. Quippe homo in sui cognitione invenit cognitionem Dei. Est enim ad imaginem ipsius factus. Quò respicit illud Arati citatum Apostolo Actor. 17: 28. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Quo Apostolus commodè utitur ad docendum Athenienses, quantopere à vero Dei cultu aberrarent.

2. Primum hoc est, quod Moses de homine docet, & ferè unicum. Quin & tota Scriptura Veteris ac Novi Testamenti nihil aliud se agere profitetur, quàm ut homo revera sit imago Dei. Quare non obiter considerandum est, quid hoc sit, quod Deus dicitur hominem decrevisse facere *in imagine sua juxta similitudinem suam*, & *in imagine sua fecisse.*

Homo non est imago Dei propter formam externam.

3. Imprimis nefas est cogitare, Deum esse ἀνθρωπόμορφον. Idque, quia homo est imago Dei. Nam bruta bestia non est imago Dei. Unde de homine, cum desierit esse similis Deo, dicitur, quòd factus sit similis bestiæ, Psalm. 49: 21. & pecus, Psalm. 73: 22. Atqui, quod membra attinet, bestiæ similis est homo. Vivit enim, ut bestia. Habet αἰσθητήρια, ut bestia. Imò à multis bestiis vincitur sensus

sensus vigore. Certè *Simia quàm similis turpissima bestia nobis.* Apostolus ulterius ex eo, quòd Homo, & non pecus, *genus Dei* & sic imago Dei est, concludit, *Non debere nos putare, Numen esse simile auro vel argento vel lapidi, formæ artis & cogitationis humanæ.* Innuens, planè non esse Deum figurabilem, quia solus homo habet id, in quo est imago Dei. Jam verò figuram & materiam figurabilem habent & cætera animalia. Imò ne cogitabilis quidem est Deus, quia homo est imago Dei. Quemadmodum enim id, in quo est similitudo Dei in homine, non est cogitabile: ita nec Deus. Et hoc est fundamentum secundi verbi in Decalogo. Quo vetamur Dei gloriam mutare attributione vilitatis, quæ est in rebus, quas videmus aut cogitare possumus.

4. Dicebant Anthropomorphitæ, Deo tribui caput, oculos, aures, os, nasum, cor, manus, brachium, pedes. Sed rectè Isidorus Peluſiota l. 3. ep. 95. respondet: τοῖς συγκαταβαλικοῖς εἰρημένοις ἐπιλέκτου καὶ ὑδὲν ὑπόπτον ἐννοεῖν ἀνέχου. Deus est spiritus, incorporeus, vivus, vivificans; non vivificatur aut movetur, ut corpus. Non est in loco: quem cœlum cœlorum non capit, qui cœlum & terram replet. Basil. παντοχοῦ ἐστι, καὶ οὐδενὶ τῶν ὄντων ἐφαπτόμενος. quia in ipso sunt omnia, quæ fecit, & potest se præbere infinitis præterea rebus sustentaculum. ut ita reddamus, quod Spiritus S. appellat πνεῦμα. Nazianzenus sic argumentatur. Si Deus esset corporeus, vel corpora tolleret, vel tolleretur à corporibus; quia corpora se invicem penetrare non possunt. Si ex talibus metaphoris & emblematis esset Deus depingendus apud animum nostrum, jam etiam ignis & leo foret, & haberet septem oculos & alas. ait Theodoretus. Rursus Basilius. ἀποπτύσατον τὰς ἀκαρδίους φαντασίας ἀπὸ σεαυτοῦ. *Expelle ex corde tuo cogitationes indecoras.* Ne scilicet, si externam idololatriam vitemus, non faciendo imaginem Deo, eam committamus mente atque cogitatione.

5. Potiùs cogitemus, Deo id adesse sine organis, ad quod nobis dedit organa; & id in Deo esse simplex & perfectum, quod in creatura est multiplex & imperfectum: cognitionem, sapientiam, voluntatem, potentiam, præsentiam.

6. Basilius, Ambrosius, Damascenus per εἰκόνα intelligunt Christum. qui *imago Dei.* 2 Cor. cap. 4. vers. 4. Col. cap. 1. v. 15. Sed bene Lombardus lib. 2. dist. 16. ex August. de Trinitate. *Hæc namque imago, id est homo, cùm dicitur fieri ad imaginem, non* *Non dicitur imago Dei, propter Christi incarnationem.*

quasi ad filium dicitur fieri: alioqui non diceret, ad imaginem nostram.

Imago & similitudo quid differant?

7. Quæri etiam solet, quid differant εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις, *imago & similitudo?* Lombardus recitat diversas explicationes. *Imago* memoria, intelligentia, dilectio. *Similitudo* innocentia & justitia. Vel *imago* in cognitione veritatis, *similitudo* in essentia, quia immortalis & indivisibilis est. *Imago* pertinet ad formam, *similitudo* ad figuram. Isidorus Pelusiota 3: 95. ὅτι τῷ λογικῷ αὐτὸς ἐνεχείρισεν ὁ θεὸς, ἵνα ὥσπερ δείξῃ τῷ λογικῷ καὶ σώσῃ τῷ ὁμοιότητα. ἐδείξω, φησὶ, τῷ πηλῷ, δεῖξον τῷ λογικῷ. ἵνα τὸ μὲν τῇ δημιουργίᾳ, τὸ δὲ τῇ προαιρέσει δημιουργηθέν & ἀνακτήσῃ. καθ' ὁμοίωσιν. ἵνα ἐκ προαιρέσεως γένηται καθ' ὁμοίωσιν. Vult per *Imaginem* significari dignitatem, quam homo in creatione accepit. Porrò illam datam esse ad similitudinem, hoc est, ut libera electione similis fieret Deo. Sed clarum satis est ex textu, similitudinem Dei habuisse hominem in conditu.

8. *Imago* est plus, quàm vestigium. Lombard. lib. 1. dist. 3. ex August. 6. de Trinitate cap. 10. *In creaturis prælucet vestigium Trinitatis. In illa enim summa origo est rerum omnium, & perfectissima pulchritudo & beatissima delectatio. nempe quia in eis, quæ arte divina facta sunt, est unitas & species & ordo, quasi ponderum aut delectationes animarum.* Sed non, si Scriptura nobiscum balbutit, de Personis Trinitatis agens, ideò debemus vestigium incomprehensibilis vitæ in creaturis requirere. Veteres etiam, dum quærunt vestigium Trinitatis, eò prolabuntur, ut dicant, Filium produci per intellectum, Spiritum per amorem. Et hinc August. *originem* assignat Patri; *pulchritudinem* Filio, ut veritati Patris; *delectationem* Spiritui. Ex rebus, quæ sunt, deprehenditur summa origo; ex specie pulchritudo spiritualis; ex propensione & ordine ac amore sinceriſſima & tranquillissima Dei beatitudo: quæ simul & ex æquo sunt Patris, Filii & Spiritus sancti.

9. Quia creaturæ *sunt* temporaliter & *moventur* & *vivunt*, novimus, *esse* aliquid æternum, & *movere* & *vivere* perfectissimè. Vide Job. 12: 10. 11. 12. 13. Psalm. 94: 9. 10. Hoc *vestigium* dicamus. Et ad hoc referendum est, quicquid est in homine, quod ad eos tres gradus referri potest; excepto eo, quod in vita hominis excellentius est ipsa vita.

10. *Imago* & *similitudo* ratione ejusdem dicuntur. August. de Genes. ad literam op. imp. cap. 15. *Omnis imago similis est ei, cujus imago est: nec tamen omne, quod simile est alicui, etiam imago est ejus: sic-*

ut

ut in speculo vel pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt: tamen, si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, quum de alio exprimitur. Imago igitur est quodammodo forma rei in aliud subjectum traducta. In *imagine* similitudo continetur. Quum additur *similitudo imagini*, intelligitur imago probè conveniens, & ἀρχέτυπον suum repræsentans.

11. Non est igitur *imago Dei ad similitudinem* ponenda in parte hominis terrena. Isid. Pelus. 3 95. *κρεῖττον ποιοῦσιν οἱ τῷ κρείττονι ἕ ἀνθρώπῳ τὸ κρεῖττον θεραπεύοντες. Melius faciunt, qui ei, quod optimum est in homine, quod optimum est, comparant.* Augustin. *Ex eo, quod in homine principatum tenet* (quod רְבִיָּה appellat Scriptura) *quod eum disjungit à belluis, totus est homo æstimandus. Cætera in eo, quanquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvi pendenda.* Et Gen. ad Liter. lib. 3: 20. *Statim subjunxit, Habeat potestatem piscium maris, &c. Ut videlicet intelligamus, in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit.* Vide & Ambr. l. 6. Hexaëm. c. 8. Basil. hom. 10. in Hexaëm. dicit, notari τὸ ἔσω ἄνθρωπον, *interiorem hominem.* Rom. 7: 22. 2 Cor. 4: 16. qui & ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, *occultus homo cordis.* 1 Petr. 3: 4. Addens: τὰ ἔξω οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ἐμά, *externa non ego, sed mea.* Et Apostolus renovationem ad imaginem Dei ponit ἐν νοΐ, *in mente.* Eph. 4: 23. *In quo consistat Imago Dei? Non in toto illo, quod est aut habet homo, etiam eo, quod commune est & bestiis.*

12. Anima non est imago Dei per substantiam suam. Ambrosius in anima ponit imaginem Dei propter diffusionem & libertatem cogitandi; maximè tamen propter cogitationem Dei. *Non est, inquit, ad imaginem Dei, in qua Deus semper est?* Epiphanius hoc sentientium, quod anima per se sit imago Dei, ἀπολογίαν *defensionem* dicit, quia sit αὐτεξούσιος, ἐνεργητικὴ, κινητικὴ, διανοητικὴ, λογιστικὴ, *invisibilis, operosa, motiva, ratiocinativa.* Primum horum ad substantiam pertinet, reliqua ad facultates. Isidorus. οὐκ οὐσίας ἐστὶν εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος, *non essentia imago est homo.* Ratio ejus est, quia non est ὁμοούσιος, *ejusdem essentiæ*, ἀπέχει ὅσον εἰκὼς κτίσμα ἕ κτίστου, *distat, quantum creatura à creatore.* Imago substantiæ Dei non potest esse nisi id, quod habet divinam essentiam. Dices, Anima hominis est spiritus, quemadmodum Deus est spiritus. Sed animæ spiritualitas nihil magis habet imaginis Dei, quàm quæ τῷ εἶναι cum Deo conveniunt: ut corpora. Nec enim spiritualitas animæ & Dei magis conveniunt, quàm essentia animæ & corporis. Spiritus, qui non habet vitam in semetipso & est impotens, infinitum quantum distat *Non in anima substantia.*

ab eo ſpiritu, qui habet vitam in ſemetipſo & poteſt omnia. Et *immortalitas* animæ non magis eſt imago Dei, quàm duratio cœli & terræ ſine fine: nec inviſibilitas aut ſpiritualitas dæmonum facit imaginem Dei, ut rectè Theodoretus obſervat. Judæi animam dicunt imaginem: quia 1. implet corpus, ut Deus mundum. 2. non edit. 3. ſuſtentat corpus. 4. unica eſt in corpore, ut Deus in mundo. 5. munda eſt in corpore. 6. videt & non videtur. 7. non dormit. 8. nemo novit locum ejus. Vide in Pugione 3. part. diſt. 2. cap. 2. §. 1. Talia & in operibus Ambroſii reperiuntur, & recitantur ab Abulenſi, qui oſtendit, pleraque & in beſtiis eſſe. Si *munditiem* moralem dicunt, aliquid ad rem dicunt. Perſius animam vocans *divina particulam aura* impius eſt.

Non in animæ facultatibus.

13. Imago Dei non ſunt facultates animæ. Auguſt. de Geneſi ad Lit. lib. 1. cap. 5. *Creatura, quanquam ſpiritualis & intellectualis, quæ videtur eſſe illi verbo propinquior, poteſt habere informem vitam: quia, ſicut non hoc eſt ei eſſe, quod vivere, ita nec hoc vivere, quod ſapienter & beatè vivere. Averſa enim à ſapientia incommutabili ſtultè ac miſerè vivit, quæ informitas ejus eſt. Formatur autem converſa ad incommutabile lumen ſapientiæ verbi Dei. A quo enim exiſtit, ut ſit, utque vivat, ad illum convertitur, ut ſapienter & beatè vivat.* Idem tamen propter facultates animam eſſe imaginem Dei vult. de Trinit. 14: 8. *Eo quippe imago ejus eſt, quo ejus capax eſt, ejuſque particeps eſſe poteſt.* Tum deinde imaginem in eo ponit, quòd mens *meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe.* Sed 1. fruſtra quæruntur tria, ad Trinitatem repræſentandam, quum tantùm ſint duo. nempe intelligere & velle. Nam *meminiſſe* nihil eſt, niſi intellectum retinere. 2. Cognoſcere ſe & diligere ſe non faciunt ad imaginem Dei, ſi illa intellectio ſui deſidat infra ſapientiam, & dilectio ſui non ſit cum juſtitia. Tunc enim homo tantùm abeſt ut ſit imago Dei, ut ſit imago Diaboli. 3. Intelligere ipſum, quod eſt in non ſapientibus, comparatur cum notitia brutorum, & diligere ſine juſtitia eſt φθορὰ. Judæ v. 10. Homo ſtultus dicitur ſimilis pecudibus. Pſalm. 49: 21. 4. Mens, quatenus capax eſt participationis Dei, non aliter ſe habet, quàm ut tabula ad picturam. Picta tabula demum eſt imago. 5. Homo poſt lapſum non manet capax Dei, niſi per novam creationem. ne recipiamus, quod dicit Auguſtinus, amiſſa participatione Dei, remanere imaginem Dei, eamque ſitam eſſe in capacitate Dei. 6. Mens ſine participatione Dei eſt *deformis*; teſte Auguſt. & Epiphanius, qui

contra

contra Origenem vehementer urget, Adamum per peccatum non ὀπολέσαι τὸ καθ' εἰκόνα *perdidisse hoc ipsum esse ad imaginem*: tamen dicit, ἐχυδαίωσε τὸ καθ' εἰκόνα μολυσμὸς ἑαυτὸν ἐν ἀλλοφύλοις πράγμασι, καὶ ἀνέκδυσις (f. ἀνήκεστος) ἁμαρτίας. *nihil habuit pensi esse ad imaginem, seipsum contaminans rebus non melioribus & peccatis remedium respuentibus.*

14. Sed his venia dari potest, qui sic mentem dicunt imaginem, quemadmodum tabulam, quæ picturam habet aut habuit, imaginem dicimus: At Socino ignoscere non possumus, qui, nihil de participatione Dei cogitans, imaginem Dei ponit summum in *mente & ratione*, hoc est, in eo, quod bonum & malum, pulchrum & deforme, sine Dei similitudine & cum ea, imò cum similitudine hostis Dei, esse potest.

15. *Imago Dei* non consistit in imperio, quod homo habuit in animantes. Nam accepit imaginem, ut imperium in eas habere posset. In imperio hoc imago Dei demonstratur: si scilicet res omnes infra se habeat, & eis non serviat, sed eas subjiciat sibi, ut imaginem Dei habenti, hoc est, usum earum & cogitationem ipsam ad amorem Dei referat. Præceptum abstinendi ab arbore aliqua docet, hominem habere imaginem Dei, etiamsi nec fructus arborum, nec carnes pecudum comedat. In vita beata erimus Deo similes, & non utemur bestiis. Non benè igitur Pelusiota: Ἀρχῆς καὶ βασιλείας ἐστὶν εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος, οὐκ οὐσίας. Εἰ δὲ πρέπει, καὶ ἀρετῆς, *Principatûs & regni imago est homo, non essentiæ. Si verò bene agat, etiam virtutis.* &, δείκνυ) λαμπρῶς, τὸ καθ' εἰκόνα ἐν τῷ ἀρχικῷ χαρακτηριζόμενον. *Clarè ostenditur, imaginem in principatu consistere.* Bene & ἀρετῆς *virtutis* meminit, sed malè tanquam finis. Imaginem accepit homo, non ad eam parandam tantùm factus est. Dominium in animantes perdidit cum imagine: eâ restitutâ, id recuperat. 1 Tim. 4: 3. Igitur & lex, ut ostenderet hominem impurum, ademit ei quorundam animalium esum. Tit. 1: 15. Matth. 15: 11. *Non in imperio, saltem solo.*

16. Neque possumus cogitare dominium cum sola capacitate virtutis: quæ sit vacuitas ejus in præsens. Creatura capax Dei, sed eum nec cognoscens nec amans nec habens, profectò nec imago Dei esset, nec idonea, ut ei committeretur imperium in omnia, imò ut quicquam rerum conditarum spectaret. Non posset enim non omnibus abuti.

17. Theodoretus ponit inter similitudines τὸ κριτικὸν, τὸ δημιουργικὸν, *Non in judi-*

candi fabricandivè, aut liberè cogitandi facultate.

γικὸν, τὸ ἀπροσδιόριστον τῶν ἐννοιῶν. quod & Ambrosio placuit. Sed & aves nidulantur, & tenue quid est vaga cogitatio; quæ & in dæmonibus reperitur. Τὸ κριτικὸν *judicandi vis* potiùs præsupponit imaginem, quàm est imago.

Sed in rectitudine.

18. *Imago Dei* consistit in *rectitudine.* Nam Scriptura dicit, quòd Deus creaverit hominem *rectum.* Eccles. cap. 7: 29. & rectitudinem vocat imaginem Dei, Eph. 4: 23. 24. Col. 3: 10. ubi insinuat, τὸ κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος *esse ad imaginem conditoris* esse à *renovatione hominis.*

Arguitur Epiphanius: & confirmatur definitio imaginis Dei.

19. Aliter Epiphanius in epist. ad Joh. Hieros. & in Hæres. 70. Audianor. *Alii suspicantur, corpus, quod filius Dei habiturus esset ex Maria, ipsam esse imaginem, alii sensum, alii virtutem, isti baptisma (& charisma, quod in baptismate accipitur.* ad Hæres. 70.) *hi, quòd homo ad imaginem Dei dominetur in omnibus; ebriorum more hæc vel illa ructantes: quos oportebat tantum effugere discrimen, nec negare, quæ loquitur Deus, & credentes simpliciter salvos fieri, Deoque concedere donationis suæ certam & veram scientiam, in qua potissimùm parte homines condiderit ad imaginem & similitudinem suam.* Et ad Hæres. 70. Ἐν παντὶ δὲ μᾶλλον, καὶ οὐχ ἁπλῶς, *In omnibus potiùs, & non simpliciter* in hoc vel illo. Non sunt hæc tolerabilia. 1. Quod Scriptura appellat imaginem, & ad quod nos renovari docet, id necessariò in eo intelligitur, quòd homo dicitur ad imaginem Dei factus. 2. Imago indicat ἀρχέτυπον sive exemplar. Non potest igitur esse aliquid ignotum & soli Deo cognitum. Amisimus certè, quod nescimus, quale sit. Sed quare Epiphanius non permittit, πλὴν ἀρετὴν *virtutem* esse imaginem? Quia non par in omnibus, non est sine nævis. At Apostolus, novum hominem, qui adhuc luctatur cum veteri, dicit esse κατ' εἰκόνα, *ad imaginem.* In primo homine non fuit deliquium aut vitium. Nam non erat in illo vetus homo deponendus.

20. Basilius benè imaginem interpretatur λογισμὸν παθῶν δεσπόζειν, *rationem affectuum dominam.* Dominum bestiarum oportet esse meliorem bestiis, & meliora nosse atque amare, quàm bestias, aut, quæ norunt & amant bestiæ; nempe finem & bonum suum. Augustinus sæpè inculcat, hominem primum fuisse *rectum, sanum, integrum, salvum, sine vitio.* Licet etiam huc referre τὸ ἀρχικὸν Isidori, si intelligas aptitudinem ad rectè regendum animalia & utendum omnibus creaturis.

21. Ipse Socinus, qui *justitiam originalem impugnat*, ponit in homine

mine *justi & injusti discrimen, quod in ipso naturaliter insit, aut certè in omnibus hoc situm esse, ut cognoscant & fateantur, justum injusto anteponi debere, honestum turpi. idque esse Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, Deo obedit.* Præl. cap. 2. Sed nec justum ab injusto potest distingui absque cognitione Dei, & non sufficit conscientia ad imaginem Dei. Quid enim, si quis faciat contra conscientiam, & illius lucem aversetur & occultet, habebit ne imaginem Dei? *Conscientia non sufficit ad imaginem Dei.*

22. *Rectitudo*, à qua homo *imago Dei* vocatur, est conformitas cum Deo moralis (ut loquuntur) in omnibus hominis partibus: in anima quidem, ut τῷ ἡγεμονικῷ; in corpore & membris, ut σκεύει. Hinc præceptum, eam rectitudinem indigitans, dicit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis.* Partes hominis, quibus sanctificandus est, dicit Scriptura πνεῦμα καὶ σῶμα *spiritum & corpus.* Alibi docet precari ὁλοκληρίαν ἓ πνεύματος, τε ψυχῆς καὶ ἓ σώματος, *integritatem spiritus, animæ & corporis.* 1 Thess. 5: 23. Quæ ὁλοκληρία ἄμεμπτος ἓ ἁγιασμῷ *integritas irreprehensibilis sanctificationis* est ipsa illa rectitudo. sine qua nec rectitudo est. Animam Apostolus vocat νοῦν *mentem* Rom. 7: 23. 25. In mente est intellectus & voluntas. *Rectitudo.*

23. *Rectitudo Intellectûs* est *Sapientia*; *Voluntatis sanctitas.* Augustinus sæpe solo *sapientiæ* vocabulo rectitudinem hominis indicat. Nam sapiens non vocatur, qui *novit meliora probatque Deteriora sequitur.* sed ii sapientes dicendi, qui *regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt: quibus inest, quanta inesse homini potest* (imo quantam inesse necesse est) *ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio atque huic cognitioni vita moresque congruentes.* August. lib. 1. de lib. arb. 9. de util. cred. 12.

24. Apostolus dixit Ephes. 4: 24. ὁσιότητι τε ἀληθείας. cui statim opponit τὸ ψεῦδος *mendacium* vers. 26. Hinc ποιεῖν ἀλήθειαν *facere veritatem* est ποιεῖν τὰ ὅσια, *facere sancta.* Joh. 3: 21. &, ποιεῖν τὸ ψεῦδος *facere mendacium* Apoc. 21: 27. est mala facere. Unde apparet, quòd ὁσιότης τε ἀληθείας non tantùm opponatur τῇ ὑπουκρίσει *simulationi*, aut τῇ τυπικῇ καθαρότητι *umbratili puritati.* ut volunt Chrys. & Theophyl.

25. Τὸ ὅσιον iidem explicant τὸ ὀφειλόμενον *debitum.* In sacris aliud est ὅσιος, aliud ἄκακος *sine vitio* Hebr. 7: 26. Plus est, quàm carere vitio. Dicitur pro חָסִיד, quod significat studiosum in bono & ad bonum, de Deo per liberalitatem, de homine ex debito. Plato

τὸ ὅσιον explicat per τὸ θεοφιλὲς, *quod Deo gratum acceptumque est.* Unde patet, ὅσιον esse hominem, qui studium habet placendi Deo

26. Est igitur ὁσιότης τ᾽ ἀληθείας *sanctum studium veritatis*, sive *sanctitas secundùm veritatem*, eam scil. cujus cognitio necessaria est, ut quis Deo & proximo tribuat, quod oportet, & non excidat fine suo per peccatum, quod est aberratio à suo exemplari & fine.

27. Cognovit homo omnia, quæ ad fœdus operum requiruntur, sive totam legem & judicium retributionis & iræ. Epiph. in Panario pag. 9. existimat, eum sciviſſe τ᾽ τελάδα. οὐκ εἰδωλολάτης ἦ ὁ τὸν πατέρα θεὸν καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. προφήτης γὰρ ἦν. καὶ ᾔδει, ὅτι ὁ πατὴρ εἶπε τῷ υἱῷ, ποιήσωμεν ἄνθρωπον. *Non erat idololatra: & sciebat Patrem Deum & Filium & sanctum Spiritum. Propheta enim erat, & noverat, quòd Pater dixisset Filio, Faciamus hominem.* Neque convenit dubitare, quin Deus ipsi ordinem creationis revelaverit, &, quòd *spiritus Dei incubaverit aquis.* Nam, quod Moses de creatione narrat, id videtur patribus non fuisse ignarum. qui septenarium dierum circulum aliquando compe-iuntur obſervasse; ut probabile est, non alia ratione, quàm, quia & Deus eum servaverat in conditione rerum. Omitto, quæ in sermonibus Patrum ante Mosen extant signa, unde facile est perspicere, eos mysterium Patris & Filii & Spiritus sancti non nesciviſſe. quod sine dubio à Patribus & Adamo acceperunt. quanquam & ipsa prima promiſſio id innuit, & id ei fundus est.

28. Quod legem cognoverit, inde constat, quia Deus post lapsum peccatum, quod in nobis est, & cujus pœnas ferimus, per legem in Sinai latam accusavit. Rom. 4: 15. 5: 13. 20. 7: 7.—13. Gal. 3: 19. & reatum κατάραν ἔ νόμε vocavit. Gal. 3: 13. Non enim alia ex lege reus est, quàm ex ea, quam si feciſſet, in ea vitæ candidatus & justus petitor fuiſſet. Neque ex alia lege peccator & reus nominatur, quàm cujus & κατάραν tulit. Nam, tametsi etiam lex fidei non est sine κατάρᾳ, tamen illa κατάρα non est nova, sed ea, ex qua per fidem datur justificatio: atque etiamsi Israëlitis imposita sit *lex præcepti carnalis* etiam sub κατάρας interminatione, id rursus non alia ratione factum est, quàm, quia Deus ipsos promiſſioni credentes voluit confiteri reatum extantem & expectationem Mediatoris; quique se illi oneri subducerent, eos pro fidelibus non habuit, & sub κατάρᾳ reliquit.

29. *Sanctitas veritatis* est bona voluntas, sive Amor veritatis, &

amor

amor ejus, quod veritas docet amandum esse: & actio ei amori congrua. Aug. 14. Civ. D. 11. *Fecit Deus hominem rectum ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset bonam non habens voluntatem. Bona igitur voluntas opus est Dei. cum ea quippe ab illo factus est homo.* &, *Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cùm vitiis peccatisque non servit. Tale datum est à Deo. quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.* &, *Vivebat homo in paradiso & corporali & spiritali.* & c. 10. *Amor erat imperturbatus in Deum,* &c. *Erat devitatio tranquilla peccati.* De Gen. ad Lit. 6: 27. *Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ.* intelligit gratiam sanctificationis.

30. Fuit hæc ὁσιότης in homine, quia fuit ἄκακος *sine vitio.* Homo, nisi rectus, hoc est, rectè volens & agens, non potest esse sine vitio. Cujus enim natura est cogitare & velle, illius vitium est non nosse veritatem se dignam, cogitare falsum, non velle, quod justum est, & malè velle. quod est φθορὰ, boni *corruptela.*

31. Vulgo Theologi hanc *rectitudinem* vocant *justitiam originalem.* Concil. Trid. sess. 5. *sanctitatem & justitiam* conjungit. Alluserunt ad Ephes. 4: 24. Sed ibi δικαιοσύνη *justitia* est donum fœderis gratiæ proprium, quod in Christo obtinemus, per quod sumus *filii,* ἅγιοι, ἄμωμοι, ἀμεμπτοι *sancti, sine labe, irreprehensibiles* in conspectu ipsius. ut & Chrys. declarat. Non habuit hoc Adam, ut esset *gratus* propter obedientiam perfectam in Filio & sic jam hæres vitæ æternæ. Id enim significat Apostolus per *justitiam.* Quare neque *gratiam gratum facientem* propriè accepit.

32. Veritati contradicit Socinus. Is in Præl. cap. 3. negat *justitiam originalem.* quia ea nec est *non posse peccare,* nec *non peccare,* nec *nullum aliud peccatum committere ante usum vetiti fructus.* Imò est verum nosse, cogitare & amare. Certè amare eum, qui ipsi *vitam* & *bonum* promiserat. *Socinus fraudulenter negat justitiam sive rectitudinem, in qua homo conditus.*

33. Atqui, inquit, *non habuit aliud mandatum,* nisi de fructu arboris. Imò habuit & conscientiam & revelationem. Deus enim ipsi locutus est.

34. *Unde probatur,* inquit, *quòd nihil contra conscientiam fecerit?* Quia rectus fuit, quum crearetur, non priùs contra id, quod conscientia dictabat, aut, quod cognoscere facile erat, egit, quàm, quum sibi invenit ratiocinationes multas.

35. *Ex eo,* inquit, *quòd peccavit, liquet, appetitum ac sensus rationi*

dominatos esse, nec bene inter hanc & illos antea convenisse. Non nisi consilio accepit Eva pomum. Movit eam suasus & boni ostentati magnitudo. Ratiocinata est pro verisimilitudine suasionis à bonitate fructûs. Ita ratiocinando peccavit. Non, quòd concupiscentiam antea haberet, aut cum ea facta esset, sed, quòd non satis, audita suasione plausibili, timuit; & cupivit ad magnum bonum pervenire tam expedito medio per proprium consilium.

36. Secundùm Socinum homo, qui nascitur, in quo Scriptura hominem vetustum, eumque abolendum, ponit, non est deterior Adamo, etiamsi, ut is putat, sit ignarus Dei, & concupiscat contra id, quod rectum est. Sic sentiendi causa est, ne Christus nihil novi videatur attulisse dans promissionem vitæ æternæ: neu gratia sanctificationis, secundùm electionem, videretur necessaria. quam putat esse contrariam libero arbitrio.

37. Ipse se damnat, quum fatetur, esse in homine naturaliter conscientiam, quæ dictet, Rectum esse pravo antehabendum. Atqui, qui tenetur præferre, tenetur & probare. Potest ergo probare, & habet *κανόνα regulam* ad dijudicationem boni & mali. Nemo novit, Rectum præferendum esse pravo, si nesciat, esse aliquam recti & pravi differentiam, &, unde ea sit. Tu vide Rom. 1: 23. usque ad 32. & cap. 2: 1. 14. 15.

38. Dicit, imaginem Dei non esse deletam per peccatum. Arg. Gen. 9: 6. Jac. 3: 9. Ideo non consistere in rectitudine. Resp. Deus non est ut peccator. Psalm. 50: 21. nec peccator ut Deus. 1 Joh. 1: 7. 4: 17. Matth. 5: 48. Peccator est ut bestia. Psalm. 49: 21. Jud. 10. Hinc multitudo hominum *ψυχικῶν animalium θηρίον Bestia* in Apocalypsi dicitur. Gen. 9: 6. Jac. 3: 9. commemoratur creationis finis, nempe ut omnes nascerentur ad imaginem Dei. Mal. 2: 15. *Quærebat semen Dei.* Ex creatione hominis & posterorum ejus in eo ad imaginem Dei sequitur, nemini esse potestatem in hominem, nisi Deo, ut domino. Ideò nec manûs nec cordis homicidium licet homini.

39. Imago, inquit, consistit in dominio. Gen. 1: 26. Sic in altera vita dominabimur inimicis & morti. Dominium tamen prærequirit *aliam imaginem, mentem & rationem, ejusque usum: sine quo non imperator sed servus erit.* Resp. 1. Dominium homini datum testatur aliquam *ἔνδειαν penuriam.* 2. Cum imagine datum est. 3. In Deo maximum non est imperium, sed *θεότητος ἀτελευτήτου divinitas nullo*

indi-

indigens. 4. Et homo imperium habuit, ut villicus. 5. Ad dominium requiritur mens & usus ejus (adde) rectus. Nam sine recto usu servus est. Hîc tenetur Socinus.

40. *Rectus*, inquit, Eccl. 7. est *non pravus*. Resp. *Rectus* est vocabulum positivum, *pravus* privativum. *Rectus* est conveniens εὐχερῶς, voluntati bonæ congruus, &, qui finem habet, fini aptus. Aliud est נָקִי *innocens, culpa vacans*; aliud יָשָׁר *rectus*. Et, si נָקִי *innocens*, jam *rectus* fuit; quia, qui habet occasionem volendi malè, si non malè velit, vult bene. *Nullam*, inquit, *occasionem habuit injustè agendi; quod sciamus.* Quamdiu fuit sub Dei manu & dominus animantium, & compar conjugis, & pater suæ posteritatis & incola paradisi & spectator arboris vitæ & abstentus ab arbore scientiæ, habuit occasionem peccandi.

41. Homo sine *rectitudine* condi non potuit. nempe ut naturaliter sit in eo appetitus repugnans legi æternæ, & vera sapientia ac sanctitas veritatis in eo non sit. quem *statum puræ naturæ* vocant Jesuitæ. quos refutat Jansenius peculiari libro in suo Augustino. Deus se abnegaret, si creaturam rationalem ita faceret, ut non quærat Deum; non habeat eum pro fine; aut creaturam pro fine habeat. In ea non esset testimonium bonitatis ejus. Talis enim homo esset insipiens, cæcus, fatuus, aut φίλαυτος *sui amans*, aut δοῦλος *servus*; malus denique. Ergo pudendus. Miser esset. frustra appetens vitam æternam: cupidus veritatis & ignorans: libidinis mancipium, παθήμασιν *affectibus* carnalibus obnoxius & dolori & morti. *Rectitudo imaginis Dei homini est naturalis.*

42. Imago Dei homini naturalis fuit; quia rectitudo. Non, quod ex ipsa substantia & facultatibus fluat; sed, quòd indecorum fuerit Deo, hominem non rectum facere. Concupiscentia & scandalisatio membrorum sive lex membrorum est à peccato & cum rectitudine pugnat. Damnamus hîc Concil. Trid. sess. 5. can. 5. ubi *anathema* dicit ei, qui *concupiscentiam* sive *fomitem*, qui *agonem* facit & *ad peccatum inclinat*, & *à peccato est*, *senserit veram & propriam peccati rationem habere in renatis.*

43. Homo per peccatum non potuit non amittere, ut imaginem & similitudinem Dei, (Deus enim peccatori non est similis) ita dominium. Nam 1. dominium est jus bene utendi. Malus abutitur. 2. Creatura invita subjicitur vanitati. Rom. 8: 20. Omnis creatura est exercitus Dei in peccatorem. 4. Impuris omnia sunt impura. Tit. 1: 15. 5. Peccator non est hæres Dei. 6. Per Christum *Imago Dei & dominium per peccatum amittitur.*

restituitur dominium, & ipsi cibi nobis sanctificantur per verbum Dei & ἔνλοξιν, nempe Christi. Psalm. 8: 7. 8. 9. 1 Tim. 4: 5. Ideò etiam in Veteri Testamento panis sine sacrificio impurus habebatur. Hos. 9: 3. 4.

Consequens imaginis Dei fœdus operum.

44. In imagine fundatur fœdus operum (de quo postea) item, quòd solus Deus hominis dominus & judex. Quæ causa est, cur nemini homini conveniat alteri homini vel maledicere, Jacob. 3: 9. nedum alium mutilare, aut vita privare, pro lubitu. Genes. 9: 7. Quo animadverso, patet, etiamsi post peccatum homini non tribuatur, imaginem Dei esse, tamen propter id, quod omnes in Adamo originaliter acceperant, nulli homines, nisi Deo & ejus judicio, subjici. Gloria enim Dei erat & esse debebat. Quare illi loci non probant, imaginem Dei aliud, quàm rectitudinem, significare.

Cognoscitur Deus ex imagine, quæ est in homine.

45. Quia homo est imago Dei, Deus in homine cognoscitur. Sed de hoc superiùs cap. 8. nominatim § 115. agimus, ubi τῦ ἓ γνῶσιν ἓ θεῦ.

Cap. XVIII.

De hominis primi immortalitate.

Homo habet mentem.

Hominem habere aliquid melius corpore, evidens est ex imagine Dei, quæ in ipso, si integer sit, apparet: cujus etiam reliquiæ extant in corrupto. Ipse enim imprimis in se reperit cognitionem sui, & conditoris sui & finis sui, & potentiæ æternæ ac *divinitatum* Dei; & cognitionem τῦ καθήκοντος *officii*, ejus, quod ipsum decet, ipsique convenit: videtque ac sentit, se habere voluntatem, cujus naturalis rectitudo sit amare veritatem, quam de Deo & de seipso cognovit, & odisse mendacium.

2. Præterea non tantùm in se, sed & in alio quisque invenit, quod in brutis non invenit: nempe sermonem, & eum quidem decentem, si veritatem exponat, sapientiam stillet, virtutem doceat, de rebus utilibus moneat, Deum glorificet; & facultatem membra sic regendi, ut in eorum motu honestas appareat, vel etiam partim per ea efficiendi opus utile, bonum, artificiosum, quod precium habeat. idque disci ab homine posse & per solertiam atque ingenium rectè fieri. neque id unicum esse, sed varium.

3. Quandoquidem igitur hæc eadem in pecudibus non reperit, si quid in illis est, quod uniformiter faciunt omnia earum genera, quod

quod rationem & utilitatem habeat, id divino instinctu & motu ac προνοίᾳ sive *providentia* tantummodò fieri, deputat: sibi autem etiam spiritum meliorem cogitandi, sentiendi sive cum judicio percipiendi, ratiocinandi, deliberandi, & liberè volendi, membrisque utendi facultate præditum à Creatore attributum esse, cogitur agnoscere. Nam &, se non omnia solo instinctu Dei agere, animadvertit, quia etiam, se peccare & aliud velle, quàm quod Deus vult, posse, deprehendit.

Eamque immaterialem.

4. Mentem igitur quum habeat, eam à materia & corpore secretam esse, nullo negocio percipit. Nam in materie, in pulvere, in corpore nihil nisi figurari & ab alio moveri posse invenit. Hæc ejus gloria est. Sed ea ad cogitandum ac volendum non est satis. In corpore reperitur divisibilitas & extensio (sive πῶ habere partes extra partes aut etiam esse partes) quæ extensio in mente non reperitur. Ideò, etiamsi particula corporis præcidatur, mens tamen manet integra; licèt desinat illa parte uti. Porrò, corpus quidem in utero concipi & formari, constat, materie à parentibus suppeditata: in hoc autem, quod parentes suppeditant, mentem esse, nullo signo apparet. Unde &, mentem non generari, manifestum est. Denique ne perceptibile quidem est aut cogitabile, quomodo res corporea intelligat etiam illa, quæ non sunt corporea; veluti Deum, & omnem veritatem divinam, & rerum genera, bonitatem aut malitatem, decentiamque & turpitudinem, sapientiam & stultitiam. item; quomodo in materia esse possit amor & fuga eorum, quæ non constant ex materia.

5. Scriptura quidem plerumque meliorem hominis partem appellat nominibus, quæ propriè rebus corporeis conveniunt. Qualia sunt רוּחַ *spiritus*, πνεῦμα. Hoc propriè notat id, quod efflatur. נֶפֶשׁ *anima*, ψυχή. Hoc notat potissimum instrumentum vitæ animalis, cujus vehiculum est sanguis. Gen. 9: 5. Lev. 17: 11. נְשָׁמָה, πνεῦμα, quæ est propriè respiratio. Ita לֵב *cor*, כְּלָיוֹת *renes*, קִרְבַּיִם *interanea*, בֶּטֶן *venter* recipiunt aliquando attributionem cogitationum, ratiocinationum, judicii, intimæ notitiæ & occultissimi affectûs. Nempe, in quibus partibus hominis motus aliquis cernitur sequens hominis cogitationem & affectum, ei attribuitur ea cogitatio & is affectus, qui in ea parte motum sanguinis & spirituum efficit. Veluti *cordi* attribuitur ratiocinatio, judicium, affectus lætitiæ, tristitiæ, amor, odium, spes, timor. *Animæ* attribuitur desiderium

derium & voluptas. Attamen, istarum corporis partium non esse cogitationes, satis indicat Scriptura eadem: dum distinguit inter *spiritum* & *carnem*, *spiritum* & *corpus*, vel etiam *spiritum*, *animam* & *corpus*, itemque *membra* ac *carnem* & τὴν *mentem*. quam Apostolus in homine ponit Rom. 7: 25. Est igitur in homine substantia non carnalis & corporea, figuram, membra, divisionem non habens, viva & actuosa, cogitans & volens, cui membra quædam corporis vel ad appetitum parent naturaliter, vel etiam ex consilio, imprimis ad artificiosa opera exercitatione assuefacta. Hæc est, quam Scriptura etiam appellat *gloriam hominis* Ps. 16: 9. Hæc, quæ extra sunt, per sensus admittit, eorumque species conservat, &, quæ videri ac sensibus attingi non possunt, intelligit, similia comparat ac differentia dijudicat, consequentia & connexa animadvertit, divina luce conscientiæ irradiata. Hæc toti corpori, cujus membra per ἀντιχορηγίαν mutuam connectuntur, tota adest sine extensione, quatenus abesse non potest ab eis membris, quæ movet & per quæ afficitur.

Mens non potest occidi.

6. Quandoquidem igitur ea ex materia non constat, ideò Servator ponit, ceu natura notum, *Animam ab hominibus non posse interfici.* Matth. 10: 28. quippe quum nullus ensis, nullus ignis, nulla aqua, nulla denique vis manus aut teli animam lædere, scindere, mutare valeat: quemadmodum corporis membris fieri potest. quæ manus telorumque & rerum materialium violentiæ obnoxia sunt. Quem locum Socinus in epist. ad Volkelium 5. sic explicat: *Corpus quidem occidi posse, sed vitam occidi non posse.* nempe quia *is vivere dici posit, qui aliquando à Deo est in vitam revocandus.* quasi non Christus *animam & corpus* apertè distinguat, &, hujus vitam tolli posse, affirmet, illius autem posse, neget, & in eo sequatur Scripturam, quæ dicit *corpus redire in pulverem, spiritum verò reverti ad Deum*, Eccl. 12: 7. Si Christus hoc voluit, apertiùs id erat dicturus: quemadmodum solet de resurrectione apertiùs loqui. Deinde potuisset dicere, *Qui non possunt vos occidere.* Sic enim intellectum fuisset, eum vel de animæ superstitatione vel de revocatione in vitam saltem locutum esse; si nempe constet, animam à morte non superesse. Esset porrò hîc mira in phrasi amphibolia. Partim enim τὸ *occidere* significaret vita præsenti privare, partim *vitam futuram impedire.* Nusquam ita locutus est Christus. Denique, quum discipuli ex Pharisæis essent, qui credunt, animam in morte non extingui, & Christus ad id, quod discipuli de vita animæ credebant, respexerit, idq; præsuppo-

suerit

fuerit (Nam à ratione concessa suadet timorem Dei & dissuadet timorem hominum) non potest videri solam exstinctionem spei resurrectionis significasse, quum dicit, *animam verò interficere non possunt*. Verba Christi planissimè distinctionem faciunt inter *animam & corpus*, & homini plus tribuunt, quàm vitam corporis. Socini interpretatio nihil homini relinquit in præsens, nisi corpus & vitam corporis; quam Christus dicat adimi per homines posse, ita ut usque ad revocationem ejus in vitam nihil supersit.

Mens non potest extingui, nisi si annihilatur.

7. Quum igitur ἄυλος sit, neque in seipsa habeat intereundi causam, neque quicquam sit in mundo, quod eam interficere & exscindere possit, ex se perspicuum est, animam non posse extingui: nisi à Deo, qui eam creavit, ad nihilum redigatur. Quod si fieret, necesse esset, animam à Deo vocatam esse, ut ad tempus tantùm esset, deinde verò esse desineret. Quod an Deo conveniat & decorum sit, deinde, ubi de *fœdere operum & lege*, sub qua homo fuit, ex quo fuit, erit agendum, considerabimus.

8. Id nunc oportet hoc loco inquirere, an in homine fuerit causa mortis, quum creatus est: & ea mors, quæ homini incumbit, fuerit sequela naturæ. Quæ est resolutio corporis in pulverem. Id inquirere necesse est, tum ut intelligatur causa mortis & judicium Dei, tum ut intelligatur, quæ vita sit, quæ homini obedienti fuerit exspectanda, quæque in promissione gratiæ continetur, quamque veteres exspectarunt.

Homo non erat moriturus, quia factus est animal. Animal non est ex institutione Dei una parte mortale altera immortale.

9. Imprimis illud constituendum est, si hac conditione ortus est homo, ut corpus ejus non posset non resolvi, etiam illud concedendum esse, Deum non dedisse homini animam, quæ in perpetuum esset & viveret: quia eam animam, quam homo accepit, ad hoc factam esse præsupponimus, ut ei corporis membra associarentur, & corpus suum quæque haberet, atque ita homo naturaliter animal esset.

10. Videtur enim ultrò sequi, in qua natura conjuncta necessitas est resolutionis, ejus unam partem non supersse integram & illæsam, altera destructa; sed simul & animal perire, & id, quod animalis fuit, ejus esse cessare. ut anima, si ex elementis sit, in ea redeat; si ex nihilo, in nihilum revertatur, ubi corpus in pulverem concedit. Quæ certè intentio est Socini in libro contra Puccium; quod ipse in Epistola quinta ad Volkelium non dissimulat; quum dicit: *tamen satis apparet, me sentire, non ita vivere post hominis ipsius*

mortem animam ejus, ut per se præmiorum pœnarumve capax existat: quum in ipso primo homine totius immortalitatis rationem uni gratiæ Dei tribuo, nec in ipsa creatione quidquam immortalis vitæ in homine agnosco. & Epist. 6. *Nam, quod aiu, ea ibi tum de Christianorum resurrectione tum de morte impiorum passim contineri, quæ à multis sine magna offensione legi non possint, scio quidem ista ibi contineri, sed, meo judicio, nec passim nec ita apertè, ut quisquam vir pius facilè offendi possit, adeò ut, quod nominatim attinet ad impiorum mortem, in quo dogmate majus est multò offensionis periculum, ea potiùs ex ea colligi possit, quæ ibi disputantur, quam expressè litteris consignata exter, adeò ut lector priùs sentiat doctrinam istam sibi jam persuasam esse, quàm suaderi animadvertat.* Ex quibus liquet, quæ sit præstructio Socinianæ doctrinæ, nempe, Infideles & impios à morte non esse, non sentire quicquam.

11. Sed quum contra se res habeat, nempe ut spiritus immortalis in homine sit imaginis Dei capax, sequitur, in ortu hominis eum sic conditum esse, ut corpus semper habere posset, neque necesse esset id exui; & verò, quamdiu in suo statu, hoc est, in rectitudine permaneret, eo uteretur ad laudem Dei.

Tamen homo fuit pulvereus *& animalis.*

12. Fatendum quidem est, primum hominem fuisse *χοϊκὸν pulvereum*, & *ψυχικὸν animalem*. Nam Scriptura nihil aliud de ipso dicit, quàm, quòd Deus *ipsi inspiraverit halitum vitæ*, atque ita homo *inceperit esse anima vivens*, hoc est, animal vita præditum: nempe cum *imagine Dei*. Vide Gen. 2: 7. 1 Cor. 15: 45. 46. 47. Nihilque adeò est certius, quàm primum hominem non possediss *ἀφθαρσίαν conditionem corruptionis expertem*, nempe ut corrumpi & mori non potuerit. neque habuisse *σῶμα πνευματικὸν corpus spirituale*, hoc est, per virtutem spiritus sancti vivificatum.

Neque habuit corpus spirituale.

13. Nam corpus ipsius alimoniis indiguit, & fuit *σὰρξ καὶ αἷμα caro & sanguis*: sed *corpus spirituale* non indiget tali fultura. Spiritus enim ipsi ad perpetuam vitam sufficit. Similiter homo primus ad generandum fuit factus: at, qui corpus spirituale habent, non generant.

Ideoque in eo statu non potuit possidere immortalitatem: sed mutandus fuit.

14. Ideoque & illud extra dubium ponimus, hominem primum non potuisse in eo statu, in quo fuit conditus, manere & simul *ἀφθαρσίαν* & *ἀθανασίαν incorruptibilis & prorsus immortalis vita*, quæ est in *regno Dei*, *possessionem adire*. 1 Cor. 15: 50. sed *mutandum fuisse* in statum meliorem.

15. Quanquam enim Deus potuisset statim omnia facere optima

ma & hominem condere beatissimum, qualis erit in vita altera, tamen etiam in hoc commendatur sapientia Dei, quòd eum bonum fecit, sed non in summo statim perfectionis & beatitudinis gradu posuit: quemadmodum etiam in ipso mundi systemate condendo ab imperfectis ad perfectiora processit: ut, quum jussit lucem ex tenebris exsplendescere, & eam postea demum regimine solis ornavit.

16. Interim & hoc tenendum est, nullam causam moriendi cum homine ortam esse, Deumque causam mortis non extitisse. Quid enim impediebat, quò minùs usque ad tempus mutationis vivere perseveraret, qui vivere inceperat? Numquid ei alimenta defutura erant? Numquid morbus impetum erat in ipsum facturus? Numquid venenum ipsi erat incommodaturum vel sævæ bestiæ? Numquid gladius & vis belli eum erat consumtura in tranquillissima quiete? Numquid Dei creatoris manus eum sustentare non poterat? &, quæ vox jusserat elementa coïre ad corporis constitutionem, non sufficiebat ad ea in unum convinciendum? Numquid spiritus, qui incubaverat aquis, erat hominem, quem formaverat, derelicturus? *Sed non fuit ea causa moriendi.*

17. Socinus dicit, Hominem moriturum fuisse, absque Dei gratia: quæ in creatione data ei non sit. Non negamus, homini non fuisse gratiam semper vivendi datam: sed vicissim & illud affirmamus, Futurum fuisse, ut homo non moreretur, nisi peccaret: & ad spem vitæ æternæ fuisse vocatum & ortum. Quod deinde amplius etiam ex fœdere Dei patebit. *Socini sententia subjicitur.*

18. Cum Augustino igitur distinguimus inter immortalitatem primi hominis & eam, quam speramus nos accepturos in resurrectione mortuorum. nempe, primo homini datum fuisse *posse non mori*; in extremo dandum esse *non posse mori*. De Civitate Dei lib. 22. c. 30. quam, ni fallor, alicubi *majorem immortalitatem* appellat. Unde clarum est, homini ad hujus adeptionem opus fuisse mutatione. Neque igitur necesse esse, ut vel hominem primum mortalem dicamus, quia cibis usus fuerit in statu rectitudinis, vel, quia non fuerit mortalis, ἄνητος, φθαρτὸς (non dicimus, *quia fuerit immortalis*. hoc enim amplius significat, quàm *posse non mori*) ideò nec cibis usum fuisse, nec gignendis liberis operam daturum fuisse. Qualia Augustinus movet de Genesi ad literam lib. 3. c. 21. Qui rectè dicit, neminem ausurum dicere, quòd indigentia cibi ad corpus reficiendum non nisi mortalibus conveniat. *Immortalitas duplex.*

Cap. XIX.

De Conjugio.

Homo non debuit manere solus.

Quum homo, quem *Adam* appellavit Deus, quia ex *Adamah*, hoc est, terra sumtus erat, conditus esset, dixit Deus, *non esse bonum, ut homo sit solus*; ideoque statuit ei *facere auxilium, quod ipso dignum esset.* Gen. 2: 18. Quæ sunt ἀνθρωποπαθῶς dicta. Significant autem, Deum habuisse decretum multiplicare homines, adeò ut implerent terram. Gen. 1: 28. Quod quia bonum fuit, & ad Dei bonitatem ac potentiam illustrandam aptius, ut glorificaretur in plurimis potiùs, quàm in uno, & quidem variis modis: ideò ad captum nostrum narratur dixisse, *non esse bonum, ut homo sit* vel *maneat* (χωὶς τὸ) *solus.*

2. Intelligimus, si Adamus non procrearet liberos, & ea gratia mulier ipsi non adjungeretur, *solum* mansurum fuisse. Ne quis putet, in Scripturis argumenta deesse, quibus probetur, ab initio ante Adamum & cum Adamo nullos homines creatos esse.

Homines debuerunt multiplicari per generationem.

3. Voluit autem Deus multiplicari homines *ab uno sanguine*, & non diversos in diversis partibus habitare ex aliis atque aliis glebis factos. Act. 14: 26. Potuisset enim statim tot homines facere, quot essent satis ad mundum inhabitandum. Sed voluit esse patrum, filiorumque & fratrum conjugumque officia. Et constituerat per generationem Filium suum ut filium hominis mittere ad abolendum regnum Diaboli & erigendum regnum gratiæ. Ideò generationem voluit introducere.

Fœmina ex Adamo.

4. Propterea fecit & fœminam: non quidem ex pulvere terræ, unde sumserat Adamum; ne aliena esset Adamo: sed ex carne Adami.

5. Quam etiam Adamus agnovit *os ex ossibus suis, & carnem de carne sua.* eamque אִשָּׁה q. d. *Viram* appellavit; quia *de viro sumta erat.* Gen. 2: 23.

Fœmina una caro cum viro.

6. Id verò non tantùm ad Adamum spectare, sed etiam ad alios viros & uxores, Adamus declarat, quum addit, *Ideò relinquet vir patrem suum & matrem suam, & uxori suæ adhæresset.* Gen. 2: 24.

7. Quo notatur, omnem virum & uxorem non minùs unam carnem esse, quàm Adamum & Evam. Nam, cui adhæresit vir, cum eo una caro est. Ideò addit: *& erunt caro una.* Omnes homines

mines *una caro sunt*, Es. 58: 7. *& carnem tuam non negliges.* Neque etiam potest propagari genus humanum, nisi per homines unius carnis unâ conjunctos. Sed peculiari ratione una caro sunt, quos Deus conjunxit. Matth. 19: 6. Conjunxit autem, quos non tantùm aptos fecit generationi, sed, intercedente consilio & voluntate eorum, quorum maximè interest, & in quorum potestate sunt, sibi invicem despondit, & inter quos per desponsationem est *fœdus Dei.* Malach. 2: 14. *Dominus contestatus est inter te & inter uxorem juventutis tuæ — & illa est socia tua & uxor fœderis tui.* Magnumque in ea re momentum est, quòd ex Adami carne sumsit uxorem ejus; eoque facto significavit omnibus conjugibus, propter propagationem generis humani hoc factum esse, propter quam & ipsi in matrimonium convenerunt. Præterquam, quòd manifestum est, conjuges reipsa unam carnem fieri; ut homo, qui caro utriusque sit & utriusque sit, nascatur.

8. Ex quo consequitur clarissimè officium conjugum, ut *vir uxori suæ adhæreat, & uxor viro suo præsto sit*, & neuter alterum deserat aut debitam ἐυοιαν alteri neget. Sic enim magis una caro sunt, quàm parentes & liberi, (quippe quum necesse sit, virum relinquere patrem suum & matrem suam & uxori suo adhæresce re) rectè fieri nullo modo potest, ut conjux conjugem deserat. *Conjugium indissolubile.*

9. Est vero desertio non tantùm ea, quando conjux secedit, sed etiam quando quis hoc agit, ut secedat, sive occasionem secedendi præbet, eique permittit secedere, omninoque in secessionem consentit. Nam omninò, qui expellit, dimittit, occasionemque secessioni præbet, aut volens secedit, in pari culpa sunt: scindunt scil. unam carnem, &, quod Deus fœdere copulavit, separant; &, qui alias ducunt aut aliis nubunt, adulterium committunt; quique id permittunt, lenones fiunt & adulteriorum approbatores. Vide Matth. 5: 32. 19: 9. Luc. 16: 18. Marc. 10: 11. 12. *Qui dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur in illam: & si fœmina virum suum dimittat & alii nupserit, mœchatur.* Pro quo dicunt Matthæus & Lucas: *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* Nempe intelligenda est, quæ sic dimissa est, ut ipsa consenserit, & sic virum suum quasi dimiserit. Interim factitatum id apud Judæos, ut non tantùm vir fœminam, sed & fœmina virum dimitteret. Josephus, Salomen id feciſſe, commemorat. *Desertio injusta.*

10. Quòd si autem conjux adulterium commiserit, justa est *Dimissio justa.*

causa zelotypias parti innocenti in obnoxiam; ut eam dimittat à sese. Lex, si dimissa à priori marito nupserit alteri, dicit, *eam impuram factam.* Deut. 24: 4. nempe, quòd non illibenter usa sit discedendi occasione. Et Deus apud Jeremiam cap. 3: 1. dicit, Si uxorem jam alius factam quis reducat domum, id terræ hypocrisin imponere; quæ tales non exspuat; qui lenones uxorum suarum fuerint facti. Nam subest ea turpitudo. Quare & parabolam hanc accommodat ad adulteram non dimissam; & sua jura alia dicit. nempe ut, tametsi Israëlitæ multis modis scortati sint, tamen eos ad se revocet paratus eos recipere.

11. Subest tamen & alia causa politica; ne scilicet quis proximo videatur per uxorem insidiari.

Moses quomodo concesserit dari libellum repudii.

12. Quòd autem Moses concessit viro libellum repudii dare, non est ita accipiendum, quasi Moses id constituerit extra reprehensionem. Nam, quum fideliter exposuisset, quid Deus ab initio fecisset, debebant ad id attendere, & in bona conscientia nec præter fœdus Dei agere. Moses autem hanc transgressionem non punivit; sive Deus per Mosen non statuit pœnam in transgressorem. Id Servator dicit factum πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν αὐτῶν, hoc est, *convenienter duritiei cordis ipsorum* & ut ei consentaneum erat. Nempe ut duricies cordis eorum merebatur. Nam hoc ipsum pro pœna fuit stuporis, quòd non prohibiti sunt publicare scelus suum & animum ab humanitate & à carnis suæ charitate aversum ostentare, atque ita veluti *togam* sic *injuriam* circumgestare. Mal. 2: 16.

13. Neque tamen Moses dissimulavit, evenire posse justam causam, propter quam fas sit eam, quæ fuerit uxor, dimittere: dum dicit Deut. 24: 1. *quum invenerit in ea* עֶרְוַת דָּבָר *nuditatem verbi* sive ἀσχημοσύνην λόγου παρέχουσαν, turpitudinem, quæ causam & rationem præbeat divortii. Id Salvator explicat: ἐκτὸς λόγου πορνείας, *citra rationem scortationis.*

Πολυγαμία.

14. Est & aliud genus disgregationis, quod cum unitate carnis pugnat: si quis plures uxores deducat domum. πολυγαμίαν id vocamus. Quam satis clarè vetuit Moses, quum dixit Levit. 18: 18. *Et uxorem ad sororem ejus* (ita solet Hebræa lingua enunciare, quod dicimus Latinè, *ad alteram*) *ne ducas ad infestationem, ut denudes nuditatem ejus supra illam in vita ejus.* לִצְרֹר *ad infestandum,* vel controversiam faciendam. In sacris altera conjunx dicitur אֲחוֹת שֹׁרֶר *alterius* inimica & *adversaria.* 1 Sam. 1: 6. Judæi legem interpretantur de

de germana sorore conjugis, quòd eam non liceat ducere, viva conjuge. Unde deinde inferunt, licere eam ducere, quum soror fuerit mortua: ut & hoc modo aliud præceptum violent. Sed perspicuum est, vetari eam conjunctionem, quæ efficit *rixas, adversationem* & *controversiam*. Nam controversia & infestatio repugnat unitati. Atqui, si quis duas conjuges habeat, necessariò oritur controversia inter eas, cujusnam is maritus sit, cujus caro. Vir, inquit Paulus, non habet potestatem corporis sui, sed uxor. 1 Cor. cap. 7. vers. 4.

15. Ideò & Salvator dicit, eum, qui, dimissa uxore, aliam duxerit, mœchum esse. Quod non esset verum, si liceret viro ducere plures uxores. Certè, si tanta est viri & uxoris conjunctio, ut fas sit propter eam parentes relinquere & iis non servire, quomodo justum erit, quod uxoris est, corpus, alii fœminæ tradere? Pater & mater uxori non facient controversiam, quò minùs integrè adhærescat vir uxori suæ; & secunda tertiave fœmina faciet primæ controversiam de viro?

16. Ideò Malachias sat clarè increpat polygamos cap. 2: 13. *Et hoc secundò facitis: quòd operiatis lacrymis altare Iehova, ploratu & suspirio: adeò ut non sit amplius respicere ad munus, & accipere voluntariùm ex manu vestra. Et dicitis: Quare? Propterea quòd Iehovah testatus est inter te & inter uxorem juventutis tuæ, cum qua tu perfidè agis, quum illa sit socia tua & uxor foederata tua.* Quæ sit hæc perfidia, ex sequentibus planum est. *Et annon unum fecit, quum ipsi supereſſet spiritus? Et quid unum illud, sive unus ille? Quærebat semen Dei: & caveretis in spiritu vestro, & erga uxorem juventutis tuæ ne perfidè agat.* Sensus manifestus. Deus poterat Adamo plures conjuges facere, Sed *unum* fecit. Sic Abraham & Sarah *unus*. Es. 51: 2. Non fecit id, in quo esset divisio; ita ut vir unus esset una caro cum una, & rursus cum altera, tertia, aut quota non?

17. Ex qua pericopa etiam illud apertum est, ad *semen Dei quærendum* necessarium fuisse *unum fieri*, hoc est, virum unum & uxorem unam. Ita ut plures habere conjuges cum rectitudine imaginis Dei pugnet. Nam, quod impedit propagationem imaginis Dei, id & rectitudini contrarium est. Si rectum est, virum amare conjugem suam unicè & ab illa unicè amari, & eo ipso effigiari amorem Dei erga nos & eum, quo Ecclesia diligit Christum; non rectum, sed, ut Scriptura ait, *perfidie* est, eum amorem non habere.

Non

Non potest autem haberi, ubi non habetur una conjux. Potest quis multos liberos ut liberos, qui sibi serviant, diligere: sed non potest plures conjuges, ut conjuges, & ut unam carnem, præcipuè honorare, 1 Petr. 3: 7. & illis sui potestatem facere in omnibus, & omnia cum ea habere communia.

Finis Conjugii & fructus.

18. Fructus autem conjugii casti, hoc est, unius cum una, est *semen Dei.* quod *quærere* est finis conjugii. Extra quem scopum etiam conjunctio viri & fœminæ nefaria est.

19. Fuerat autem futurum, ut Adam in rectitudine, & sic in castitate, generans, generaturus esset *semen Dei*, hoc est, filios imaginem Dei habentes, quemadmodum Adam acceperat. Nam id verbum *benedictionis* importat, *Fructificate & multiplicamini.* nempe tales multi futuri erant, qualis erat conditus unus.

20. Profuisset igitur filiis rectitudo Adami ad hæreditatem imaginis Dei acciplendam.

21. Atque ita filii Adami futuri fuerant sanctificati ab utero. Neque tamen scimus, quid effecturus fuerit Spiritus sanctus in parvulis, nisi, quòd nullus pravus motus in anima futurus fuerit usque ad annos, quibus, qui pueri nascuntur, possunt distinguere inter malum & bonum; & tum in eos fuisset effusurus eadem dona, quæ Adam habuit in creatione, & tales fuisset effecturus in iis cogitationes, quales Adamus habuit ante lapsum.

22. Quemadmodum & Christus natus absque peccato & ab omni peccato custoditus fuit, donec posset discernere inter bonum & malum, & tum *crevit*, ut *statura*, ita *sapientia*. Es. 7: 15. Luc. 2: 52.

23. Semper enim adfuisset Dei spiritus ostendens, quid rectum pravumque sit, quod in corpore agi posset: ita tamen, ut & hi, sine dubio, sicut parentes, etiam ipsi mutabiles essent à bono ad malum.

24. Necessaria autem fuit ad propagandum genus humanum conjunctio filiorum & filiarum Adami, atque ita ex carne propria. Neque illa conjunctio est per se incesta; quemadmodum conjunctio patris cum filia & matris cum filio, aut cum iis, qui parentum loco sunt, sive eos, ut eorum caro, repræsentant. Ea enim pugnat cum reverentia parentibus debita. Sed tum demum conjunctio fratrum & sororum incipit esse turpis & incesta, quando locus est illius boni magni & utilitatis eximiæ, ut fratres & sorores omnes proximi, quique illorum loco sunt sive proximos fratres & sorores, ut caro eorum, repræsentant, per totam vitam privatim & seorsim

Incestus.

seorsim ab hominum oculis una agere & conversari atque in contubernio esse possint. Quæ conversatio sine dubio debet esse & haberi honesta, atque ideò sine suspicione & infamia libidinis. Quod non erit, si sub nomine consanguinitatis scortatio tegi posse videatur. quemadmodum apud Ovidium Metam. 9. Byblis ad Caunum fratrem scribit:

Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
Est mihi libertas tecum secreta loquendi:
Et damus amplexus & jungimus oscula coram.

Hoc autem bonum locum non habet & usum, nisi quum familiæ plures factæ fuerint: ex quibus etiam ad eas propiùs adjungendas conjuges peti possint, ita ut cæteræ remotioris cognationis non sine testibus familiariùs una esse debeant, ut honestè una esse possint.

CAP. XX.

De dominio, quod primo homini attributum.

Omnia propter hominem condita.

De homine creando narratur Gen. 1: 26. *Dixisse Deum, Faciamus hominem cum imagine nostra, secundùm similitudinem nostri: & dominentur*, vel *ut dominentur*, sive *qui dominentur in pisces maris & in alites cœli, & in pecudes, & in totam terram, & in omne, quod se movet super terra.*

2. Quo significatur, quia Deus non sine consilio omnia fecerat, ita jam, postquam Deus illa omnia condiderat, tempus esse, ut etiam hominem faceret, quòd in illa omnia dominium exerceret: ne scilicet Deus illa frustra & non in sapientia condidisset.

Et ideò non frustra condita.

3. Omnia enim illa corpora, quæ ad necessitatem hominis & usum ejus pertinebant, frustra condita fuissent, si non fuisset factus homo, cui illa inservirent, quique illa, quæ ipsi subjici poterant, sibi subjiceret, & illis utendo gloriam Dei illustrem faceret, h. e. sapientiam ac bonitatem Dei agnosceret ac celebraret.

A Deo hominis dominium.

4. Postquam igitur homo creatus esset, habens imaginem Dei, dictum est ei v. 27. *Subjicite vobis terram, & dominamini in pisces maris, & in alites cœli, & in omnem bestiam, quæ se movet in terra.*

5. Quo dicto homini potestas datur, utendi omnibus rebus, &, quæ sibi subjicere possit, ea sibi subjiciendi.

6. Nam citra jus, quod Deus homini dat in res suas, nihil ipsi

contrectare fas est. Potest enim Deus ex illis rebus, quas creavit, alias homini subjiciendas tradere, alias non. Quemadmodum arborem cognitionis boni & mali non dedit homini, ut ejus fructum appeteret vel assumeret ac de eo vesceretur, sed tantùm, ut eum contemplaretur. Voluit enim Deus, hominem intelligere, quòd in iis rebus non consistat hominis beatitudo, quodque homo beatus esse posset, etiamsi non uteretur illis rebus omnibus & cibos terrenos pro cibo non assumeret.

Usus rerum corporearum est imperfecti status.

7. Et profectò imperfectio quædam est, talibus essentiæ atque vitæ sustentaculis indigere. Beatitudo vera est potiri bono suo; quod possessum homini non relinquit ullum desiderium aut ullam operam circa illa externa vitæ subsidia. Corpus animale illis indiget: corpus spirituale, quod suavitate & robore Spiritus Dei completum est, nullam sitim & famem, nullamque infirmitatem experitur, & solo Deo, vita sua, contentum est.

Homo non debet servire rebus subjiciendis.

8. Quod autem homini permittitur sibi subjicere, id necesse est, ut homo infra se habeat. Nam iis rebus servire nefas est quas fas est subjicere sibi.

9. Omninò ad sapientiam & rectitudinem hominis pertinet, aliquid habere supra se, nempe Deum, à quo factus est: alia juxta se, nempe & alios homines, & spiritus non in corpore habitantes: cætera autem infra se; propter quæ ipse non factus est, sed quæ propter ipsum facta sunt, sive ut per illa adjuvaretur, sive ut ea videns & scrutans admiraretur divinam potentiam & bonitatem.

Subjectio qualis.

10. Subjectio igitur omnium illorum in eo consistit, ut, quæ homo in potestatem suam redigere potest, illa, si iis opus habeat, & nondum sint facta alterius, licitè redigat in potestatem suam, non ut illis fruatur & in illis acquiescat, aut fiduciam collocet vel ad vitam vel ad ullum effectum (nam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit ex ore Dei. Deuter. cap. 8: 3. per quod vivimus, sive panem edamus, sive non) sed ut ordinem, quem Deus instituit, qui suppeditatione talium rerum vult hominem sustentari & adjuvari, observet, & Deum, qui ea fecit & dedit, omnibus rebus meliorem, & solum vitæ auctorem, solumque suum bonum habeat, & per ea charitatem erga proximum exerceat.

Usum rerum licitum ipsa na-

11. Si nullum verbum Dei extet, quo homini interdicatur usu alicujus rei, quam in potestatem redigere potest, per se planum est,

est, iis, qui Deum amant, & eum quærunt, licere & jus fasque esse, omnibus rebus uti, prout rerum natura fert, ut illis utatur homo. Hoc enim testatur ipsa rerum illarum natura: quia illam utilitatem habent à Creatore suo & hominis; neque frustra illam habent, sed ad usum ejus, qui cum gratiarum actione & laude Dei illis uti potest. *tura, sine verbo, docet.*

12. Quòd si autem quis Deum non amet nec quærat, clarum est, ei impuras esse res omnes, h.e. eas usurpatas eum inquinare & reum constituere. Quod etiam Deus docere voluit in Veteri Testamento, quosdam cibos impuros declarando; ad commemorandum reatum, qui adhuc mundo incumbebat necdum expiatus. *Res Dei non sunt illorum, qui Deum non amant.*

13. Quare non in dominio sive jure subjiciendi sibi terram & animalia consistit imago Dei, sed imago Dei prærequiritur, tum ut homo rectè utatur illis rebus, tum, ut Deo dignum sit omnia homini subjicere primitùs. *Imago Dei non consistit in dominio: sed præcedit dominium.*

14. Neque enim dignum Deo erat, insipientem & non recta voluntate præditum introducere in orbem terrarum ad illius possessionem.

15. Sanè post peccatum subjiciuntur creaturæ vanitatis & corruptionis servitio, sed invitæ, Rom. 8: 20. 21. h.e. ita, ut pateat, eas non esse creatas primitùs ad hanc servitutem, sed ad ministerium hominis recti & imaginem Dei habentis: quòdque jam vanitati & corruptioni serviunt, id à clementia Dei, volentis uti misericordia & in manifestatione gloriæ filiorum suorum eas à servitute hac liberare, intelligatur proficisci. *Creatura quomodo subjiciantur vanitati?*

16. Quando dicitur, *subjicite eam vobis*, duo significantur. I. Deum velle illius propriè rem quamlibet esse, cui dederit aliquid in terra sibi subjicere. Unde sequitur, quod occupaverit quisquam, quum possessorem non habuerit, id non posse fieri alterius sine ipsius voluntate; quamdiu justus illius rei dominus est; si quidem ipse non sit in aliena potestate, aut alioqui suæ voluntatis arbitrium habeat. Ante occupationem communia omnia sunt; imò potiùs nullius sunt res, & dominum non habent: post occupationem sunt ejus, qui apprehenderit. Et hinc proficiscitur præceptum, quo vetatur furtum. Furtum autem tam contra veritatem est, quàm aliud quicquam. Veritas enim est, nihil esse hominis, nisi quod Deus ei dederit; & injustum esse, se facere dominum ejus rei, cujus rei alium dominum esse voluerit. II. Deum velle, ut, *Distributio dominiorum.* *Furtum.* *Koinonia.*

quæ in terris sunt, subjiciantur, occupentur & in proprietatem redigantur, per singulos quidem, sed non per avaritiam, ita ut quisq; conetur omnia, quantum in se est, tanquam sagena, auferre; &, ut, quæ occupantur à singulis, habeantur ad commune bonum. Quum enim dicit, *Faciamus hominem, & dominentur* vel *dominabuntur*, item כִּבְשׁוּ *subjicite*, וּרְדוּ *dominium exercete*, ostendit, se hominum, quos fecit, causa illa fecisse. Præterquam quòd homines una caro sunt: ut non possit homo, si totum mundum possideat, verè censeri dominari & subjectum habere mundum, si alius homo careat necessariis. Si enim is, cui necessaria desunt, caro mea est, dum ille eget, ipse egeo. *Homo sum*, dicit Comicus, *humanum nihil à me alienum puto.* Non potest videri aliena ullius hominis cura, molestia, calamitas, penuria. Atque hinc est, quòd Prov. 3: 27. בַּעַל מוֹבוֹת appellatur, qui opus habet bono nostro; quòd ei id debeatur. Ita tamen, ut iis, qui non volunt hoc agere, ut aliquid acquirant, ut proprium panem comedant, & aliis impertiri possint, rectum sit dicere, *Qui non laborat, ne manducet.* Nam dictum est, Subjicite vobis terram. Agendum est aliquid, industria, studiumque impendendum est, ut nostrum panem edamus. Qui se separant à communi cura & opere, & alienum id à se reputant; quomodo non alienum à se reputabunt commune operæ precium?

Animalia homini in cibum data.

17. Inter ea, quæ Deus homini dedit in cibum, sunt etiam animalia. De qua re sic loquitur Moses Gen. 1: 29. 30. *Ecce do vobis omnem herbam semen facientem, quæ est in tota terra, & omnem arborem, quæ habet fructum arboreum semen facientem (vobis erit ad comedendum) imò etiam omnem bestiam agri, & omnem alitem cœli, & omne, quod se movet in terra, in quo est anima viva, cum omni olere herbaceo in cibum.* Pisces in simili genere animantium intelligi possunt, vel etiam in eo, quod dicitur, *in quo est anima viva.* Ita אֶרֶץ - כָּל - יְהִי erit idem cum eo, quod Gen. 9: 4. בְּשַׂר עַל Neque obscurum est, quàm dura sit ellipsis verbi נָתַתִּי dedi. quod alioqui necessariò repetendum est. Deinde, non patet ratio, quare dicat Deus, se herbam & fructum arboreum dedisse homini, & feris dedisse omne olus herbæ. Potiùs enim dixisset, feras & animantes non dedi vobis. Quid igitur de piscibus? Annon voluit dicere, quid ipsis dederit? aut, an eos homini dederit? Quid? quòd sunt animantes carnivoræ? Non observant quidam interpretes, particulam לְ non semper esse notam dativi, sed sæpe notare inclusionem. ut בְּ, quod ejus loco usurpa-

usurpatur Gen. 9: 3. Præterea numquid amplificatum est dominium hominis post lapsum? Denique quæ potest esse subjectio animalium & piscium homini concessa nisi ad esum, quum multorum usus nullus sit nisi esus?

CAP. XXI.

De Sabbata primo.

Non parvi momenti debet existimari, quòd Moses in clausula τῆς γενέσεως sive productionis rerum dicit Gen. 2: 2. 3. *Et absolverat Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & cessavit die septimo ab omni opere suo, quod faciebat. Et benedixit Deus diei septimo & sanctificavit eum: quia in eo cessavit ab omni opere suo; quod creaverat Deus ut faceret.*

2. In his separanda certa ab incertis. *Cessavit Deus die septimo,* hoc est, destitit eo die novum opus facere. quippe, quum is dies venisset, nihil ad consummationem universi superesset faciendum. Non demum septimo absolvit; quia cum opere sexti diei absoluta sunt omnia. v. 1. Septimo igitur veniente consummaverat opus suum, quod non tum faciebat, sed hactenus fecerat, quodque absolvendum susceperat. Iccirco septimo die destitit novam rem condere. Libenter hîc omittimus Rabbinorum commentationes, quibus nituntur explicare, quomodo Deus absolverit opus suum die septimo, quas qui requirit, inveniet apud Abarbenelem in Commentario, qui censet, Deum septimo die dedisse facultatem agendi secundùm naturam suam, & quidem maximè ad producendum simile. Quæ sunt inania figmenta; quibus illi homines se oblectant, ut aliquid agere sibi videantur, dum ludunt Scripturis. *Cessatio Dei.*

3. *Et benedixit diei septimo, eumque sanctificavit: quia in eo destitit ab omni opere suo,* quod de novo facere instituerat. Sunt etiam inter Hebræos, qui existimant, hoc dici de benedictione diei septimæ in deserto; quando Manna duplici mensura dedit pridie, ut non haberent necesse quærere & parare die septimo: quodque eum diem separavit à ceteris diebus hebdomadæ ad quietem sanctam: quæ esset signum inter Deum & Israëlitas, quòd Deus eos sanctificaret. Hæc est sententia R. Sol. & nuperi Catechistæ in תורת. *Benedictio & sanctificatio diei septimi. An εὐλογία in verbis Moſis?*

4. Moses Nachmanides sic accipit sententiam R. Solomonis Jarchii, quasi *benedictionem* referat ad primum tempus, *sanctificationem*

autem ad tempus, quo Israël fuit in deserto. Sed non erat necesse separare *benedictionem* à *sanctificatione* tanto intervallo. Alii putant, talem prolepsin esse absurdam propter distantiam temporis. qui non animadvertunt, Mosen in eodem secundo capite Geneseos similiter alia sui temporis conjungere cum historia primi temporis; quæ tamen lectori facile est referre ad sua tempora. ut, quum paradisum dicit plantatum fuisse ad orientem, quum non possit dici ad orientem nisi respectu illorum, qui sunt ad occidentem, & quidem ab illis, qui ipsi sunt ad occidentem positi. Rursus, quum nominat Euphratem & Chiddekel & Phison & Gichon, quæ intelliguntur esse nomina illorum fluviorum, quum Moses hæc scriberet: item, quum terras, quas alluebant hi fluvii, appellat nominibus hominum, qui diu post diluvium exstiterunt. Neque enim necesse est, eum, qui de rebus extantibus loquitur, & res distincti temporis, quæ χρόνον & respectum habent inter se, narrando aut aliusmodi sermone conjungit, statim exprimere, cujus temporis quodque sit. quemadmodum aliqui, perseveranter prolepsin hanc rejicientes, decernunt; si modò verba ipsorum rectè capio: in quibus nihil aliud invenio, quod ei opponant. Nam, quòd omittunt, quod de temporis longitudine ab aliis prætexitur, sanè ipsis gratulor. Sed tamen considerandum est, quàm debile fundamentum suæ substernant sententiæ, quæ magnas habet consequentias, quòd prolepsis esse non possit, ubi historicus non utrumque eorum, quæ in narratione conjungit, distinctè & expressè *refert ad sua tempora*. quum tamen in serie historiæ tempora illorum, quæ facta sunt, distinguat, idque lectori attento non possit esse obscurum, quum loquatur de re nota.

5. Sed ego libenter concedo, sic Mosen intelligendum esse, quòd, quum Deus cessavit ab opere suo, tum etiam benedixerit diei septimo & eum sanctificaverit: quia in ipsa re inest & *benedictio* illius diei & *sanctificatio*.

Benedictio & sanctificatio quodnam post sex dies & annos quæ?

6. *Benedictio*, quia majus quiddam in illum diem collatum est, & majus quiddam eo die factum est, quàm diebus sex præcedentibus. nempe quòd eo die, cessante Deo, demonstratum est, opus ipsius absolutum esse. atque ita hominem non esse factum propter nobiliorem creaturam, sed propter Deum solum; omnia autem propter hominem facta esse: ipsos adeò angelos, quos Deus fecit, ut spectatores, approbatores ac glorificatores, & administri essent gubernationis hominum.

7. San-

7. *Sanctificatio*, quia illo die & reliquo tempore nihil aliud supererat faciendum, quàm ut se sanctificaret in homine, hoc est, ut hominem faceret gloriæ suæ illustrandæ medium, idque maximè per sanctificationem ejus sive ductum ejus ad sanctitatem. Nam tempus non potest sanctificari, nisi in tempore hominem & cogitationes, studia actionesque ejus Deo, qui sanctus est, vindicando. Quæ sanctificatio non est septimi diei tantùm, sed etiam reliqui temporis. Et animadvertunt docti non tantùm Hebræi sed & Christiani, ideò non addi diei septimo, *& factus est vesper, & factum est mane, dies septimus.* Censentque, hoc ideò factum, ne id, quod Deus tum egit, putetur inclusum esse illius diei terminis.

8. Constat etiam, illum diem delectum à Deo, ut Christus eo esset in sepulchro, & non appareret ampliùs in terra faciens aut patiens quicquam, quod faciendum ipsi erat aut patiendum salutis nostræ causa ut Sponsori: atque ita ab opere suo requiesceret. quæ est *sanctificatio* quædam diei illius in ordine hebdomadis ad opus singulare *sanctificationis* electorum.

9. Aliqui putant, Deum sanctificasse illum diem septimum & ex intervallo septimum quemvis ordine redeuntem præcepto, quo prohibuerit illo die opus fieri. Idq; ea ratione fulciunt, quia postea, quum Israëlitis dixit, *Memento diei Sabbati, ut illum sanctifices*, adjecit, *Non facies ullum opus.* Ita postulant à nobis (qui non patiuntur historicum res distincti temporis conjungere, nisi si illa temporibus distinguat) ut explicationem hujus vocis sumamus ex illis, quæ longè post bis mille annos facta, certè dicta sunt: neq; demonstrant nobis, quomodo inde consequatur, *septimum diem* hic significare *septimum quemvis diem*, & cum τῷ *sanctificare* intelligendum esse præceptum de cessatione. neque vident, se μέγα αἴτημα petere, nempe ut cum verbis Mosis, *sanctificavit eum*, subintelligamus istiusmodi verba, *quemadmodum postea septimum quemque diem sanctificavit præcepto.*

10. Qui ita sentiunt, illorum quidam hoc præceptum volunt esse tale, quale est præceptum de abstinentia ab arbore cognitionis boni & mali; & inutile factum esse post lapsum: quidam autem volunt esse *morale positivum perpetuum.* Qui, ni fallor, loquerentur tolerabiliùs & magis perspicuè, si dicerent, esse hoc præceptum de re, quam oportet facere ad gloriam Dei, sed habere aliquid additum, quod est liberæ dispositionis Dominicæ. Nam, hominem & sæpe &, quantum fieri potest, vacare cultui Dei, (hoc est, rebus

ad

ad corpus ejusque commoditatem pertinentibus omissis, in eo tantùm esse, quod est animi in Deo deliciantis, & eum glorificantis & ejus laudem celebrantis) justum est per se & ad integritatem imaginis Dei pertinet; ut &, eum id facere in cœtu, ad communem vel lætitiam vel ædificationem. Sed ad hoc dari septimum quemvis diem in periodo, & eo die vetari opus, etiam extra tempus cœtus celebrandi, positivum est, & à voluntate dominica pendet.

11. Nos de eo, quod *positivum* est, & à beneplacito Dei pendet, nihil audemus pronunciare: quia nondum demonstratum nobis est, neque compertum, necessarium esse Deo determinare certum tempus præcepto speciali, quo ocium injungeret, partim ad refocillandum hominem, partim ad eam partem cultus Dei, quæ vacationem requirit, exercendam; aut eam naturam illius cultus esse, ut præcepto divino ad certum tempus alligetur; quo tamen tempore corpus refocillare & recreare peccatum interim non sit. ita ut sanctificare diem septimum necessariò significet ocium cujusvis diei septimæ imperare. nedum ut liqueat, convenire Deo, ut tempora inter nos & se distribuat, & septimam ejus partem sibi reservet.

Explicatio verborum Mosis.

12. Cæterum, quòd Deus dicitur *sanctificasse septimam*, id ita intelligimus, ut per se patet, 1. quòd demonstraverit reipsa, quòd homo propter Deum conditus sit; quòdque propterea Deo soli servire & vivere debeat; atque adeò nulli rei se subjicere, sed potiùs omnibus rebus, quæ in terra sunt, imperare, & iis uti ad gloriam Dei. 2. quòd dederit exemplum ἀυταρκείας & requietis in Deo, quod homo imitaretur, neque nimis & immodicè terrena & corporalia tractaret & circa illa occuparetur; sed in Deo requiesceret: quemadmodum Deus satis habuit illa condidisse, quæ sex diebus condidit; etiamsi amplius condere posset: quievit autem post illa, beatitate sua contentus. Consequens autem horum in peccatore est, 1. ut fœdus Dei apprehendat, & quietem, quam Deus dat, per quam habet conscientiam purgatam & liberatam ab accusatione peccati & reatûs, sanctificet, & à consiliis suis & viis suis, hoc est, eis, quæ Deum auctorem non habent, desistat, ut, si infirmitas carnis ipsum circumdet, & cogatur πειράζεσθαι, saltem septimo quovis die se recolligat & potioribus cogitationibus se dedat, atque tum libenter propter eam partem divini cultus, quæ sine

vaca-

vacatione exerceri non potest, à labore manuum suarum & à fructibus terræ quærendis, parandis, colligendis abstineat. Maximè, si vel Deus tale ocium imperet & occasionem obeundi eam partem cultûs præbeat, vel cœtus fratrum communis utilitatis causa tempus ad eum modum determinet, sibique invicem fratres ad conveniendum condicant.

13. Hoc est, quod & Petrus Martyr in commentariis ad Genesin de sanctificatione diei septimæ dicit. *Sanctificare est divino cultui aliquid deputare, ut hîc sumitur: quia alibi varia significat. Et Deus sabbatum sanctificavit facto ipso, quando is quievit à suo opere. Quam sanctificationem non modò postea replicavit in lege, sed facto observavit, cum ea die non daret populo Man in deserto. Sed num eo die vel ullo alio populus Dei futurus est otiosus? Minimè. sed, quemadmodum Deus non destitit ab omni actione, sed tantùm à rerum naturalium productione: ita nos quoque à nostræ vitiatæ naturæ factis debemus temperare, non etiam deterreri, quin Dei pareamus impulsibus; imò debemus magis diebus sacris uni huic operi insistere. Atque ita exponit Paulus ad Hebræos cap. 4. ut temperemus non à quibusvis operibus, sed à nostris: quod perpetua vita debet Christianus facere. Vnde non sumus in Christianismo accusandi, quòd Sabbatum non custodiamus, cùm omne tempus vitæ nostræ in Sabbatum consecraverimus. Et ideò, si ἀνάπαυσις intelligatur, hac dies septima nec mane nec vesperam habere nominatur, quia verè filiis Dei perpetuæ est hæc requies. Tu hîc ordinem considera, alia creantur propter hominem, ideò post illa conditur homo, homo verò ad Dei cultum, ideò statim post illius creationem Sabbati benedictio & sanctificatio inducitur. Hinc homines admonentur, ut si illis præcipitur ab Ecclesia ut aliquo die in hebdomada cultui divino vacent, hoc non esse prorsus humanum commentum, nec tantùm pertinere ad legem Mosaicam, sed initium quoque habuisse hinc, & facere ad imitationem Dei. Quòd si quæras, cur non hic retentus est dies observationis in nostra Ecclesia? Respondeo, nos maximè illum retinuisse, ita ut omnes dies tales debeamus habere, ut à nostris operibus quiescamus. Sed, quòd is magis, quàm ille eligatur ad Dei externum cultum, liberum fuit Ecclesiæ per Christum, ut id consuleret, quod magis ex re judicaret. Nec illa pessimè judicavit, si memoriam instaurationis perfectæ, i.e. resurrectionis Christi in observatione diei dominici prætulit huic absolutioni mundanæ fabricæ. Sed opera, quæ Sabbato non interdicebantur, sed illis maximè debebant occupari, & nunc quoque nostris diebus festis omnia illa censenda sunt, quæ ad Dei cultum pertinent, ut verbum Dei audire, orare, laudare nomen Domini, ad hæc juvare proximos, quod est vi-*

Petri Martyris explicatio hæc confirmans.

ctima & hostia, ad Hebr. 13. Suam mortificare carnem, ad Rom. 12.

Ejus enucleatio: & collatio cum Calvino.

14. In qua annotatione hæc distinctè observo. 1. Martyr *sanctificare* explicat *divino cultui aliquid deputare.* Quod fieri potest, sive quid separetur ab aliis similibus rebus, sive non. Quod enim Deo sacrum sit, qui sanctus, hoc est, ab impuritate & vilitate remotus, est, id *sanctificatur.* II. Martyr nihil dicit de præcepto, quod Deus expressis verbis dederit homini primo, quo eum jusserit cessare. Sed censet, III. quòd Deus *facto ipso, quando quievit à suo opere*, eum diem *sanctificaverit.* nempe, quia ipso facto ostenderit homini, quòd is se & *omne tempus Deo* debeat *consecrare.* Atque ideò dicit, Eos *Sabbatum observare, qui omne tempus vitæ suæ in Sabbatum consecraverint.* IV. Deum autem id ostendisse *ordine* rerum creatarum. quia *alia propter hominem, homo autem* non propter aliud (nihil enim post ipsum factum est, sed ejus creationi *Sabbatum* succedit) sed *propter cultum Dei* solius. & ideò *statim post ipsius creationem benedictionem & sanctificationem Sabbati induci.* V. Hoc tacitum mandatum extendi etiam ad peccatorem. non ut *ullo tempore otiosus sit*, aut *non pareat Dei impulsibus*, sed 1. ut *à suis*, hoc est, *vitiata naturæ facis temperet.* Et sic Christianos *servare Sabbatum.* 2. ut etiam publicum cultum frequenter celebret. *Liberum* autem de eo die eligendo habere Ecclesiam *consilium, quid magis ex re judicet.* Id Bucerus vocat *arbitrium charitatis.* quæ sanè & hîc exemplum Dei libenter & rectè *imitatur:* ut SALTEM septimo quoque die hoc agat.

15. Hoc Calvinus sic explicat in commentario in Genesin. *Est quidem legitima hæc totius vitæ meditatio, in qua se quotidie exerceant, immensam Dei bonitatem, justitiam, virtutem, sapientiam in hoc magnifico cœli terræque theatro considerare: verùm si fortè minùs sedulò, quàm par esset ad eam intenti essent homines, ad supplendum, quod assiduæ meditationi deerat, septimus quisque dies peculiariter delectus est. Primùm ergo quievit Deus: deinde benedixit hanc quietem, ut seculis omnibus inter homines sancta foret* (hoc de perpetuo Sabbato cum Martyre intelligo) *vel septimum quemque diem quieti dicavit, ut suum exemplum perpetua esset regula.* (hoc de tempore à *pigris* ad divina peccatoribus sumendo intelligo: ut saltem septimo quovis die rebus divinis & publico cultui vacent) *Semper memoria tenendus est finis. Neque enim septimo quoque die simpliciter hominem jussit Deus ferias agere, quasi otio delectetur: verùm ut negotiis aliis omnibus soluti liberiùs mentes suas ad creatorem mundi applicent.*

16. Quæ

16. Quæ verba ex Calvini principiis, quæ & in hoc Commentario apparent, sic interpretor. *Exemplum* quietis Dei nos non simpliciter invitat ad ocium. Nam & Deus non est ocioſus: neque *ocio delectatur.* Benè Martyr: qui insinuat, *Factum Dei* nos non ducere ad ocium, sed ad sanctificationem Dei & nostri. Quæ sanctificatio debet esse perpetua. Bonum autem esse, septimo quovis die peccatorem (pigriorem & tardiorem ad spiritualia) vacare publico cultui, ad memoriam sanctificationis diei septimi, hoc est, ejus facti, quo Deus hominem obligavit die septimo ad ipsum sanctificandum in perpetuum. Cæterum, quod de *Exemplo* dicit Calvinus, & de *imitatione Dei* Martyr, id ex sacris literis sic explicamus. Deus dicitur non tantùm *cessare*, sed etiam *requievisse*, & q. recreatus esse. רוח *& respiravit.* Exod. 31:18. quod metaphoricè per ἀνθρωποπάθειαν de Deo dicitur. Deus non lassatur opere; sed tamen, quum plura condere posset, contentus fuit illa condidisse; satis illa esse putans ad gloriam suam: in qua acquievit. Non secus ac homo defatigatus acquiescit. Quin est, qui hanc λῆξιν Dei referat ad ipsum hominem. Macarius hom. 15. p. 204. edit. Morelii. μεγάλη ἀξιώματός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος. ἴδε πόσος ἐστὶν ὁ ἥλιος καὶ ἡ γῆ, ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, καὶ οὐκ ἐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος, εἰ μὴ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ μόνῳ, ἐπαναπαύεσθαι. τιμιώτερος ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἐστὲ πάντα τὰ δημιουργήματα. τάχα γὰρ πλημμέλειαν λέγω, ὅτι μὴ μόνον τὰ ὁρατῶν δημιουργημάτων, ἀλλὰ καὶ τὰ ἀοράτων, ἤγουν τὰ λειτουργικῶν πνευμάτων. ἐπὶ γὰρ τοῦ Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ τὰ ἀρχαγγέλων εἶπεν, ὅτι ποιήσωμεν καθ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν ἡμετέραν· ἀλλὰ περὶ τῆς νοερᾶς ἐκείνης καὶ ἀθανάτου λέγω ψυχῆς. *Summa dignitatis est homo. Intuere, quantum sit cœlum, quanta sit terra, sol & luna: non tamen placuit Domino in illis requiescere, sed in homine solo. Antecellit igitur homo cunctis creaturis & forsan audebo dicere non tantùm visibilibus, sed etiam invisibilibus, nempe spiritibus ministratoriis. Nequaquam enim dixit Deus de Michaële & Gabriele archangelis* (loquitur hîc ex opinione Dionysii) *Faciamus ad imaginem & similitudinem nostram: sed de substantia intellectiva hominis, de anima, inquam, immortali.* Et sanè Angeli non sunt nisi conservi hominis, & mittuntur, ut excubent pro homine. Exemplum hoc ἀπαυγάσματος θεοῦ nos docet, potius esse, ut homo sanctificet Deum, quàm cœlum & terram esse vel etiam creatarum rerum millecuplo amplius extare: & in eo Deum magis delectari, quàm eo, quòd fecit cœlum & terram & plurimas in terra creaturas, quæ

Quomodo requies Dei tribuatur, & quomodo sit exemplum obligans ad imitationem?

Deum cognoscere & in eo deliciari non possunt: & ut regnum Dei ante omnia quæramus, neque insudemus rebus corporalibus amplius, quàm necesse est; neque insatiabiliter ea quæramus, quibus & Deus ipse modum posuit, quum potuisset ea in immensum multiplicare.

17. VI. Martyr dicit, Deum *in lege replicasse hanc sanctificationem.* Calvinus dicit *novum postea in lege de Sabbato præceptum datum esse, quod* Israëlitis, *& quidem ad tempus, peculiare foret. fuisse enim legalem cerimoniam, quæ spiritualem quietem adumbraverit, cujus in Christo veritas apparuit.* Hoc igitur abrogato, nihilominus, *quod ab initio hominibus mandatum fuit* (ut Martyr dicit, *ipso facto Dei,* ut Calvinus, *exemplo ipsius,* & rursus Martyr, facto *imitationem Dei* commendante) *ut se exerceant in Dei cultu; meritò usque ad finem mundi durare oportere.*

Ἀργία non per se intenditur; potest præcipi, ut sit signum, & ut sit occasio sancti cujusdam operis: aliquando cohæret sancto operi, ad quod obligamur, etiam, quum præcepta non est.

18. Observo etiam in utroque, Calvino & Martyre, quòd distinguant inter *ocium* sive cessationem ab opere, quæ simpliciter intendatur (quod de Deo negant) & eam, quæ præcipitur, ut cerimonia; & rursus eam, quæ cum potiori opere conjuncta est, atque id sequitur, cui scilicet oportet vacare, aliis rebus interim, dum illud agimus, & ut id rectè agamus, omissis, propterea quia simul & illud & aliæ res agi, aut decenter & studiosè agi, non possunt. In lege præcepta est cessatio ab opere sub pœna; & eo præcepto *occasio* data est Israëli exercendi præceptum ἀργίας. Sed & ἁγιασμὸς ἡμ. sive *sanctificatio quadam* temporis postulat vacationem: velut lectio verbi divini ejusque prædicatio & auscultatio in cœtu. Dixi, *quadam sanctificatio*, quia non omnis sanctificatio temporis (ut Martyr bene admonet) vacationem ab opere importat. Nam faciendo id, quod licitum & utile est, etiam quod laboriosum est, velut arando, serendo, metendo fruges, quando id in nomine Dei & cum gratiarum actione agimus, tempus, quod ei rei utili rectè impendimus, sanctificamus. Ita & Adam hortum custodiendo & colendo non erat tempus suum profanaturus & contaminaturus. Quod autem in lege cessatio præcepto subjecta fuit & operis factio pœnæ, id Calvinus rectè *cerimoniale, typicam & temporale* fuisse dicit: id nempe *Sabbatum, quod quietem, quam Christus attulit, figuravit.* Quietem autem eam figuravit ἀργία & cessatio per viginti quatuor horas à vespere ad vesperam, etiam extra tempus habendi cœtûs, dum totum illum diem honestæ ac modestæ refe-

ctioni

ctioni & hilaritati, maximè verò meditationi & commemorationi promissæ sanctificationis, inter alias pias cogitationes & sermocinationes, voluit impendi.

19. Atque hæc de *Sabbato primo* habemus certa, in Scripturis fundata, & à doctissimis viris unanimiter approbata. Quæ verò præter hæc à quibusdam dicuntur, non item similiter certa sunt aut recepta.

20. In qua disputatione illam hypothesin caveri petimus, ne quis censeat, Deum cultum suum ad certum tempus alligasse. Nam Deus amandus, honorandus, quærendus est omni cogitatione. Marc. 12: 30. 33. Quare non datur tempus, quod rectè & justè possit carere divino cultu. Nullo tempore non est Deus finis & dominus & bonum hominis, ut glorificetur, ut ei servitium præstetur, ut quæratur. *Deus non abdicat à suis sanctificationis ullum tempus.*

LOCUS OCTAVUS
DE
Fœdere operum & legali justitia.

CAPUT XXII.

Homo, qui in mundi proscenium prodiit cum imagine Dei, sub lege & fœdere, & quidem fœdere operum, extitit.

2. *Legem* hîc appellamus notitiam recti & pravi obligantem ad operandum, quod rectum est, & vitandum, quod pravum est. *Lex naturæ.*

3. De ea *lege* sic Apostolus Rom. 2: 14. 15. *Hi* (de *gentibus* loquitur) *legem* (pronunciatam promulgatamque voce vel scripto) *non habentes sibi ipsi sunt Lex. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestificante ipsorum conscientia, & inter se ratiocinationibus accusantibus aut etiam defendentibus.*

4. Si in gentibus est lex, inserta cordibus, &, ut Jeremias dicit cap. 17: 1. *exarata in tabulâ cordis*, multò magis in primo homine fuit. Quod enim per peccati consuetudinem, per odium Dei, per

ratiocinationes pravas, per concupiscentias in homine malo diminutum est, aut obscuratum, aut minùs viget; id in homine integro atque recto sine dubio fuit integrum & satis validum.

5. Neque aliud est ea lex, quàm *conscientia* dictatus de rebus agendis & fugiendis, eique acquiescens voluntas.

Conscientia. 6. Est autem *conscientia* ea animi lux, qua homo distinguit inter id, quod rectum pravumque est, & rationes recti ac pravi, faciendi ac fugiendi, cognoscit; itemque verum à falso discernit, & connexionis veritatem deprehendit, atque ita de ratiocinatione bona & mala, de sapientia & stultitia judicat: denique qua fit, ut hominem non lateant ea, quæ fecit, & sibimet ipsi se consulenti, rectè ne an pravè egerit, respondet, sibi promtissimus testis.

7. Quæ συνείδησις θεοῦ *conscientia Dei* appellatur 1 Petr. 2: 19. quia eam habet homo à Deo (quum sit quasi alloquium aliquod Dei ad animum) & communem quodammodo habet cum Deo.

8. Nam *conscientia* dicitur q. communis scientia: sive scientia ejus, quod & Deus & alii homines norunt.

9. Quæ dicitur *bona conscientia*, quando hominem defendit, exhilarat & lætificat: *mala conscientia*, quando eum accusat, terret, damnat; certè non absolvit. Itemque *inquinata*, quando impuritatem homini cogitur exprobrare.

10. Non loquimur nunc de *conscientia infirma*; quæ est *conscientia* præcepti divini & timoris ac honoris Deo debiti, destituta *cognitione* donatæ libertatis.

11. Neque etiam de *conscientia bona*, quam habet peccator fidelis apud Deum: ita ut cor ipsius ipsum non damnet. 1 Joh. 3: 21.

12. Item illa, quæ attestatur Deo de remissione peccatorum propter expiationem illorum factam. Hebr. 9: 14. 10: 2. 22. quæ est *conscientia aspersa, purificata, consummata.*

13. Nunc enim consideramus eam tantùm ut testem eorum, quæ facienda sunt. Ad quam requiritur τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα *illa, quæ meliora sint, explorare* & eligere. Rom. 2: 18. Philip. 1: 10.

14. Propter conscientiam dicitur *Anima hominis lucerna Iehova perveſtigans omnia penetralia cordis.* Proverb. 20: 27.

15. Diligenter autem distinguendum est inter opinionem hominis ac judicium animi & judicium conscientiæ. Non enim omne, quod sentit homo vel opinatur vel judicat, est judicium conscientiæ. Nam in opinione & sententia hominis potest versari igno-

ignorantia & ἀπιστία, & sic error. Vide Rom. 1: 21. Non, quicquid judicat homo, id ex conscientia judicat, sed, quod, omnibus probè consideratis, cum scientia judicat. Non potest esse *conscientia*, ubi non est *scientia*.

16. Quod igitur homini primùm in rectitudine condito dictavit conscientia & cor suum de amore Dei & proximi, deque usu & abusu creaturarum Dei, id fuit ea lex, cum qua homo natus est.

17. *Fœdus* autem appellamus vel minùs plenè legem, cui annexa est promissio excitans ad exspectationem boni, nempe communionis & amicitiæ, sub conditione obedientiæ: vel plenius pactum de amicitia consummatum; aut jus ad communionem & amicitiam ex pacto proveniens. *Fœdus diversimodè accipitur.*

18. Quando porrò, eum, qui habet imaginem Dei in creatione datam, dicimus constitutum esse sub fœdere Dei, non significamus, eum jus ad communionem & amicitiam Dei habere; sed, eum in statu illo esse, in quo jus ad communionem atque amicitiam Dei debeat quærere & sibi firmum facere. Atque ita habere oblationem amicitiæ Dei, si legi ipsius obediat.

19. Fœdus igitur hoc sive oblatio divinæ amicitiæ à conditione legis observandæ pendet. Conscientia autem sine verbo Dei, propositum ejus explicante, non potest aliam conditionem demonstrare, per quam jus amicitiæ & communionis Dei paretur, quàm conditionem operum faciundorum. Quam conditionem explicant illa verba, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Levit. 18: 5. Ezech. 20: 11. Nam voluntas donandi vitam & justitiam, (ex qua *lex fidei* & *fœdus gratiæ* procedit) non nisi per verbum Dei cognosci potest. quia est meræ δόξης ac beneplaciti. *Conditio fœderis prima.*

20. Testatur autem conscientia, eum, qui imaginem Dei servaverit, & secundùm eam recta fecerit, habere fœdus cum Deo: ita ut non tantùm nulla offensa sit inter eum & Deum, sed pax, per quam bona jam possessa sint in tuto: verùm etiam is *justus* sit, h. e. jus habeat ad amicitiam & communionem Dei, & ad petendum atque exspectandum id à Deo, quod justum, rectum & sanctum est à Deo desiderare. *Obediens habet fœdus cum Deo.*

21. Nam conscientia testatur, Deum non posse frustrari eos, qui ipsum quærunt; neque rectum ac sanctum appetitum non exsatiare atque explere. Quòd si enim fingamus, Deum non velle inveniri & se fruendum dare iis, qui ipsum quærunt, neque explere

eorum

eorum ſitim, qui ipſum deſiderant; dicendum etiam eſt, Deum non velle quæri & expeti: atque adeò nec debere quæri atque expeti, ſed id injuſtum eſſe. Quod ſi juſtum & rectum non eſt, Deus etiam non eſt bonum hominis, & hominem in ſe beatum facere non poteſt: ſed bonum hominis, atque adeò finis hominis, erunt res creatæ à Deo. Nam bonum hominis etiam finis hominis eſt. Quippe, in quo homo gloriatur, propter id etiam eſt. Id enim, in quo gloriatur, etiam glorificat. Nominat enim optimum & maximum, & ſuæ beatitudinis ſibi cauſam eſſe profitetur. Atqui in bono ſuo gloriatur, & in eo ſe beatum eſſe dicit, & id proſequendo ſummè honorat. Non poteſt autem quicquam eorum, quæ Deus creavit, eſſe finis hominis: ergo nec bonum. Præterea nihil eorum hominem poteſt explere & beatum facere, ut ſcil. nihil ultra quærat & appetat. Accedit, quòd, ſi in rebus illis debeat ſubſiſtere hominis appetitus, etiam ita judicare debeat, Deum non eſſe meliorem homini rebus, quas fecit, & ei ſuavem eſſe non poſſe.

22. Clarum eſt igitur, eum, qui facit, quod conſcientia dictat, habere ἐξουσίαν & *poteſtatem*, ut Deum appellet *Deum ſuum*, & in ipſo, ut bono ſuo, glorietur.

Legalis juſtitia.

23. Et hæc eſt *legalis juſtitia*; jus nimirum exſpectandi & petendi bonum maximum, quod eſt in *communione Dei*. & quidem κατὰ τὸ ὀφείλημα, *juxta debitum*. Rom. 4:4.

Debitum mercedis quale ex fœdere operum exſurgat?

24. Quod rectè explicandum eſt. Neque enim, quum *debitum* dicimus cum Apoſtolo, intelligimus operis *dignitatem*: ut nempe Deus reddat hoc bonum, quod præmium operis diximus, ſecundùm æſtimationem ejus, quia tanti eſt.

Non ex condigno.

25. Ita Deus hominis *debitor* fieri non poteſt. Nam 1. homo *ſervus* Dei eſt, & omnia ipſe debet; nihilque 2. habet, quod non ab eo acceperit: Deus autem nihil ab eo accipit. Quò pertinent illa Scripturæ teſtimonia, quorum veritas apud conſcientiam manifeſta eſt. Luc. 17:10. *Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus, fecimus.* Job. 22:2. *An Deo prodeſt vir, quum frugi ſe præſtiterit ſuper iis prudens? An voluptas omnipotenti, quum juſtè egeris? & an emolumentum, quum integras habueris vias tuas?* q.d. Numquid per bona tua opera Deus ſit ditior aut beatior? & c.35:7. *Si juſtè egeris, quid das ipſi? aut quid ex manu tua accipit? Viro, qualis tu es, injuſtitia tua* nocet, *& filio hominis* prodeſt *juſtitia tua*. Rom. 8:18. *Reputo, quòd paſſiones hujus temporis non*

ſint

sint dignæ gloria, quæ in nos revelabitur. similiter & opera non sunt digna gloria revelanda.

26. Quate necesse est superbiæ nimiæ ream esse illam sententiam, quæ non tantùm *meritum ex condigno* homini tribuit; sed etiam peccatori.

27. *Debitum* agnoscimus, sed tantùm *ex pacto:* & quidem tantùm ex unico pacto, quo opera, ut conditio justitiæ, exiguntur. *Sed ex pacto.*

28. Quod tamen pactum ita Deo dignum esse dicimus, ut non possit non id inter Deum & hominem intercedere; atque adeò, qui novit, hominem à Deo conditum esse ad imaginem suam, etiam cognoscat, si attendat, hominem ad communionem Dei in vita æterna & glorioſa à Deo per operum patrationem vocari. *Quod tamen Deo dignum est, & aliter se habere non potest.*

29. Meræ sanè potestatis erat hominem facere; sed impossibile erat, hominem non creari in imagine Dei, idque *ut cum ipso beatus in æternum viveret, ad eum laudandum ac celebrandum.* ut Catechesis nostra loquitur.

30. Oportet eos, qui aliter sentiunt, & *meritum ex condigno* statuunt, parum cogitare, quid sit *communio Dei.* Nam quid potest reperiri dignum in omnibus creaturis & in omnibus earum facultatibus atque operibus, quod Deum obliget, ut se communicet creaturæ, & omnes divitias suas in eam effundat? *Communio Dei non cadit sub meritum ex condigno.*

31. Hoc est enim *communio Dei*, ita decantata in Scripturis, quòd 1. is, qui Deum amat, in eo Deus est & in eo vivit, hoc est, suæ vitæ illum participem facit, dum in eo hoc operatur, quod est secundùm Deum & verè vivere, nempe delectari eo, quod optimum est. 2. quòd Deus se ei ἐμφανίζῃ manifestum facit. 1 Johan. 14:21.23. quod solet dici in Scripturis, סוד אֱלֹהִים לִירֵאָיו עַל אֲהָלוֹ *commercium familiare Dei* & consuetudo ipsius *est ipsi*, vel *cum ipso*, vel, *apud tentorium ejus.* Psalm. 25: 14. Prov. 3: 32. Job. 29: 4. atque ita homini nunquam verbum Dei & consilium & indicium favoris ipsius deest. 3. quòd habet spem, & jus petendi atque exspectandi perceptionem suavitatis Dei in gradu plenissimo. atque illa spe in hoc seculo beatus est, & jam sic in Domino, hoc est, in luce ejus & in suavitate ejus deliciari potest. Psal. 37: 4. Job. 27: 10. Quod quum fit & ita homo *satiatur specie Dei* (Psalm. 17: 15. 2 Cor. 5: 7. 1 Joh. 3: 2.) verè & plenè habet κοινωνίαν θεοῦ *communionem Dei.*

32. Hæc communio indicatur 1 Joh. 1: 7. *Si dicamus, nos communionem habere cum ipso & in tenebris ambulemus, mentimur & non facimus*

veritatem. Si autem in luce ambulemus, quemadmodum ipse in luce est, communionem habemus invicem, & sanguis Iesu Christi filii ipsius purificat nos ab omni peccato. Item 2 Petr. 1: 4. *ut per hæc fiatis* θείας κοινωνοὶ φύσεως *divinæ participes naturæ*, hoc est, participes ejus, qui naturâ est Deus.

33. Quæ communio importat, habere Deum, & jus habere ad ea, quæ sunt Dei, sive ad ea, quæ Deo operari convenit in iis, qui ipsum amant & quærunt.

34. Hæc communio, ex fœdere oriens, significatur, quum dicitur *Deus meus*. Id enim innuit, Deum esse ipsorum, & omnia, quæ in ipso sunt suavia, quæque habet, quæque potest, quantum captus creaturæ permittit, esse ipsorum, & ipsis addicta esse.

35. In ejus autem consummatione Apostolus dicit *nos cognituros, quemadmodum & cogniti sumus*, non, quantum meruerimus, & quanti sint opera nostra, sed quid præparatum sit diligentibus Deum ante jacta mundi fundamenta. 1 Cor. 13: 12.

36. Ea vocatur *vita*, & quidem *æterna*.

Error negantium præmium vitæ æternæ spiritualis Adamo promissum.

37. Mirum in modum aberrant quidam, qui negant, obedientiæ Adami præmium aliud futurum fuisse, quàm mansionem in paradiso cum incolumitate. Nam Scriptura, dum homini obedienti *vitam* promittit, quæ *bonum* ipsius esset, & transgredienti *mortem* denunciat, hominem obedientem à metu & periculo mortis liberat, & ipsum אֵל מוֹת *neutiquam mori* (Prov. 12:28.) & eam *vitam*, in qua *bono* suo potiretur, promittit. Alterutrum enim dicendum est, vel, quòd Adam nec intellexerit nec intelligere quiverit, bonum suum, quod summopere quærere & unicè desiderare oporteret, esse frui Deo non tantùm in effectis corporalibus, sed multò magis in non terrestribus atque æternis bonis, & ab ipso compleri; vel, si id intellexit, si vita potior ipsi expectanda non fuit, necesse erat, promissionem vitæ ad vitam & felicitatem terrenam restringi. Quod factum non est: neque fieri potuit. Deus enim non potuit ullo pacto negare, se bonum hominis esse, & hominem ad hoc factum esse, ut in ipso deliciaretur. Non fuisset honesta voluptas, sensibus devinctum acquiescere in iis rebus, quas videre, tangere ac gustare suave & jucundum est. Paradisus ei melioris mansionis symbolum ac pignus fuit. Terrestria enim bona suavitatem Dei testantur. Facile autē fuit homini cognoscere, quòd cibis potibusque indigere sit status vitæ imperfectioris, quodque melius aliquid homini à Deo posset contingere

tingere in vita spirituali. Si mors, quam comminatus est Deus, includit mortem spiritualem, & negationem gloriæ ac vitæ spiritualis; utique vita spiritualis in præmio est, fruitio Dei amati & quæsiti. Si, quod concedunt auctores hi, *vita* notat *statum omni bonorum genere abundantem & sejunctum ab omni malo*; utique vita promissa includit possessionem boni, quod hominem exsatiare potest, & ultra quod nihil desiderare potest, hoc est, possessionem veri boni: & defectus commutationem cum plenitudine; & metûs commutationem cum certa hæreditate. Neque ita est *supernaturale* hoc bonum, ut in naturam hominis non conveniat, aut eam non perficiat, aut ad id expetendum ab ipsa natura non ducatur, aut ejus repræsentatio non consequatur secundùm naturam Dei ex promissione vitæ & justo ac naturali desiderio hominis. De quibus rebus ampliùs agimus in Summa doctrinæ de fœdere, cap. 2. § 22. 23. 24. 25. 29. 30. Certè Scriptura, dum post lapsum commemorat præcepta, quæ faciens in iis vivit, vitam æternam se intelligere testatur Matth. 19: 16. 17. Idem nomen est boni, quod promittitur facienti legem & credenti Euangelio; nempe *Vita*. Rom. 7: 10.

Error Pelagii, Socini, & aliorum, de mortalitate primi hominis.

38. Multò magis aberrat Pelagius & Socinus, qui mortem, quam Deus pœnam dixit, contendunt esse sequelam naturæ. De quo egimus supra cap. 18. Qui revera pœnam inobedientiæ nullam relinquunt. Nam, quum imaginem Dei constituant in indifferentia ad bonum ac malum, & eam etiam post lapsum reliquam velint, mortem verò naturalem faciant, nihil relinquunt, quod possit videri propter peccatum inflictum. At Moses Gen. 3: 19. narrat, homini post peccatum annunciatum, quòd *in pulverem redituru esset*; & quidem, quia *pulvis* jam *esset*. Quod quid valeat, suo loco plenius dicetur.

Refutatio Scholasticorum, qui dicunt, hominem etiam sanctum propter absolutum Dei jus in omnia potuisse subjici æternis malis.

39. Obtundunt hîc nos etiam quidam Scholastici, qui, *absolutum Dei dominium* prætexentes, statuunt, si velit Deus, etiam innocentem ac obedientem hominem & sanctos angelos posse subjici æternis cruciatibus. Quod qui dicunt, supponere etiam debent, Deum id etiam velle posse, neque ullam esse in Deo veritatem aut decentiam, quam Deus abnegare non possit, cum qua id pugnet. Neque enim sufficit, quòd Deus dicitur habere potestatem in omnem creaturam, tanquam rem suam, ut possimus dicere, Deum, quemadmodum angelos & homines potuit facere vel non facere, etiam posse eosdem vel ad nihilum redigere vel cruciatui & quidem

æterno subjicere. Nam, ut creationis ratio est sola δόξα, ita ea non sola ratio est hoc aut illo modo agendi cum creaturis intelligentibus. Quando enim creatura intelligens facta est, veritatis Dei interest, ut dignè & decenter cum ea agat. Igitur, quum se ostenderit bonum talis creaturæ, veritas postulat, ut etiam bonum ejus & proinde bonus ei sit: quum eam ad imaginem suam fecerit, ut non destruat imaginem suam, tanquam si ejus ipsum pœniteat: quum voluerit, ut ei justum rectumque & debitum ejus esset, quærere Deum; ut etiam velit ab ea inveniri: (quod ni credat creatura, etiam ad Deum accedere & eum quærere non potest. Hebr. 11: 6.) denique, ut obedientem ab inobediente secernat, quemque eorum in suo loco ac conditione sua collocet, testisque fiat pro illis, qui fecerint, quod servorum est, contra illos, qui malè se gesserint (quemadmodum Malachias loquitur cap. 3: 5.) eosque, qui ipsum non animo atque opere dominum nominaverint (ut loquar cum Psalmo 16: 2.) etiam abneget & suos non dicat. Psalm. 16. vers. 4. Matth. 7: 23. at illos, qui ipsum & dominum & patrem ac Deum suum dixerint, laudet & vicissim filios, non verbo duntaxat, sed rebus ipsis declaret. Jer. 3: 19. Zach. 13: 9. Rom. 2: 29.

40. Quare etiam Apostolus mortis dominium in omnes facit argumentum, quo probet, *cum Adamo peccasse omnes.* quia inter illos, qui moriuntur, sunt etiam ii, qui non proprio se peccato maculârunt, ut Adam. Rom. 5: 12. 14. 17. innuens, mortem esse sequelam peccati, non naturæ.

Homo non potest annihilari.

41. Perinde nobis etiam statuendum est, non potuisse fieri, ut Deus rationalem creaturam ad tempus esse, & deinde nihil esse vellet: quam *annihilationem* vocant. Id enim si vellet, aut vellet frustra & incassum quæri (quod etiam post peccatum introductum abominatur Scriptura Es. 45: 19.) aut nec vellet amari ac quæri, neque is videri & haberi, qui bonum hominis esse posset: quin nec finis hominis esse vellet; ac proinde aliud quidquam vellet esse hominis finem. Quæ cum veritate Dei pugnant. quemadmodum paulò ante § 22. diximus.

Potuit tamen homo in statu imperfectiori legi subjici.

42. Quanquam hæc ita sint, tamen facile concedimus, non dedecuisse Deum, ut hominem non statim ad vocationis metam & ad consummatam beatitatem adduceret; sed legi subjiceret & per eam in statu imperfectiori probaret & exploraret; & conditioni ab ipso præstandæ beatitudinem pro præmio annecteret, & ab ea suspenderet.

43. In

43. In qua exploratione & tentatione etiam aliquid rerum suarum homini potuit non dare; ut experiretur, an Deo suo foret contentus.

44. Hîc etiam illud animadvertendum est, non simpliciter pugnare cum Dei justitia, hominem justum ad tempus subjicere afflictionibus, doloribus, & ipsi adeò morti. nempe sic, ut ii dolores à justo suscipiantur per amorem, atque etiam horrores ex amore existant, & per illas passiones frater liberari ex reatu & miseria & Deus remittens peccatum sanctificari, aut etiam justificatus à peccato per passiones & infirmitates ad tempus exerceri possit. Quod non habet locum, nisi post peccatum in mundum introductum. Et satis nobis constat ex Scripturis, justum non fuisse eo modo tentandum, si peccatum non extaret; quicquid etiam de potestate Dei alicui videri possit. Quæ revelata non sunt, ut non audemus negare, ita nec dicere, sine aperta ratione. Scriptura mortem justi pro injustis appellavit κατάραν *maledictionem.* Non putamus igitur nobis licere dicere, etiam citra exsecrationem potuisse justum tentari præcepto obediendi usque ad mortem. Non enim omnia brevitate intellectus nostri comprehendere aut definire possumus, quæ sunt vel possibilia vel non possibilia. Hoc autem, quod in verbo Dei revelatum est, satis apertum est, esse decorum Deo, quia nullo modo Dei virtus & veritas ea re lædituri; contra autem Dei divitiæ in dando Servatore Justo, & potentia gratiæ in sanctificandis & servandis infirmis sic patescit. *Quatenus possit innocens affligi?*

45. Sed, quemadmodum conscientia testatur, eum, qui voluntatem Dei fecerit, amicitia Dei non potiri non posse; ita eadem testatur, amicitia Dei excidere, qui non omnia debita fecerit, & in aliquo deliquerit: neque adeò posse esse δικαίωμα (ut cum Apolo loquar, Rom. 5: 16. 18.) aliud, hoc est, meritum & causam juris petendi mercedem aliam, quàm obedientiam perfectam. Homo enim totus Dei est, &, nisi totus sit secundùm Deum in omni cogitatione, consilio, judicio, appetitu, verbis & factis, non integrè ipsum *nominat Dominum,* Psalm. 16: 2. sed fit עָוֹן *defector*, ἀνόμος, ἁμαρτίας tenetur. Atque ideò dicit Lex, *Maledictus, qui non* יָקִים *fecerit stare verba legis hujus, ut ea faciat.* Deut. 27: 26. Quod & Jacobus dicit cap. 2: 10. *Si quis totam legem servet*, hoc est, servare sibi videatur, faciens opera externa mandata à lege & à vetitis operibus externis abstinens, *offendat autem in uno, factus est omnium* Δίκαιώματα *fœderis operum, sive legis.*

reus. *Nam, qui dixit, Non mœchaberis; dixit etiam, Non occides. Si verò non mœcheris, occidas autem; factus es transgressor legis.* Eadem est auctoritas, idem nomen legislatoris, obligans ad omnia. nec in uno vel altero tantùm est imago Dei, sed in omnibus. Sed nec potest auctoritas in uno præcepto observari, in altero sperni & contemni: nec imago Dei in ulla parte haberi, quæ in parte deficiat. Nam veritas Dei non patitur sectionem & exceptionem. Aut tota amatur, aut tota non amatur. Unus dominus est. ei soli parendum: huic soli voluntas hominis subjici debet, & illius imperia non debet exire, ut quid velit tanquam αὐτοκράτωρ & ἀδέσποτος. Unus finis est, ad quem omnia debent tendere. Unum bonum est, quod solum debet quæri. Omnia Dei sunt; ad eum omnia debent ordinari, propter eum sumi vel rejici. Amor Dei complectitur amorem & approbationem & æstimationem ejus, quod Deus facit; & amorem illius voluntatis, qua Deus vult esse omnia ad se, suo quodque in loco, ordine, precio, usu.

46. *Legis operum* non propriè est *fides*. nisi *fides* latè capiatur, ut complectatur omne id, de quo Deus locutus est. quemadmodum & dicimur credere, quòd Deus unus sit. quod tamen non demum revelatione cognoscitur. Si igitur est *fides legalis*, ea erit, credere Deo dicenti (quod & conscientia testatur) *qui fecerit ea, vivet in eis.* Qualis fides justificare non potest. Nam ad vivendum in operibus præceptorum requiritur fecisse præcepta. Hoc cogitur etiam credere, qui per legem damnatur; atque ita subscribere suæ damnationi.

Cap. XXIII.

De Vitæ Sacramento.

Paradisus. Deus inter cætera, quæ creavit, *plantavit* etiam *hortum in Eden ab ortu.* Gen. 2: 8. Qui hortus παράδεισος à Lxx. interpretibus nuncupatur. Id vocabulum sumtum est ex פַּרְדֵּס *pardés.* quod legitur Cant. 4: 13. Eccl. 2: 5. ubi cum גַּנּוֹת conjungitur. Item Nehem. 2: 8. Apud Persas usitatum fuisse id nomen, testatur historia ἀναβάσεως Κύρου. Xenophon enim frequentem mentionem facit παραδείσων. Quare rectè Pollux ὄνομα βαρβαρικὸν & περσικὸν dicit. Latius est, ut apparet, *hortus*, quàm *paradisus.* Pomarium hoc, imò nemus. ut apud Nehemiam. Regionem designat Moses, ubi hic hortus plantatus fuit, nomine, quem ea regio tum gessit, quum

quum Moses scriberet. Nam עדן vel עדן *Eden* est in Mesopotamia. Vide 2 Reg. 19: 12. Es. 37: 12. Ezech. 27: 23. Ita etiam plagam mundi designavit, in qua illa regio hoc nomine fuit, nempe *ab ortu*. quod dicitur respectu illius loci, in quo fuit Moses, quum illa scriberet ederetque. Nam alioqui nullus locus in mundo magis est ad orientem, quàm alius. Commemorat etiam Moses quatuor fluvios aut q. capita unius fluvii se porrigentia in diversas partes. Eos fluvios similiter appellat nominibus sui temporis, & describit à terris, quas alluebant, easque indigitat nominibus gentium eas habitantium, quæ gentes ferebant à patribus suis. Addit etiam terrarum illarum bona.

2. Ex quibus intelligimus, Deum homini in certa parte terræ, eaque adhuc per ipsum nomen ubertatem & fertilitatem suam & divitias ostentante, omnia ad usum præparasse & promta obtulisse, ut sine labore & cura sua ea assumere posset; atque inde ad subjiciendam sibi terram, docendamque desideriis hominis respondere, atque implendam prodiret. Quum verò ea terra cessisset hominibus à cognitione Dei alienis post diluvium, patuit, beatitudinem Adami non constitisse in possessione & fructu illarum arborum, pomorum, & omnis frugis terræ, aurique & gemmarum nobilissimarum.

3. Porrò illa habitatio terrestris habet analogiam cum mansione meliori, nempe cœlesti, in qua se Deus propriùs ostendit beatis. Omnia enim, quæ tunc agebantur, imperfectionem suam fatebantur. Quæ verò bona & suavia erant sensibus, ea pollicebantur bonum, quo animus exsatiaretur. Si homo tentandus & explorandus in tam bona constitutus fuit habitatione, quis futurus erat ipsius locus, quis status, quæ felicitas, si rectitudinem servasset & per obedientiam perpetuæ amicitiæ Dei jus sibi parasset? Ita enim & nunc post peccatum docet nos ratiocinari Scriptura. ut Jer. 3: 19. *Quomodo te ponam in filiis*! quem locum, putas, quem honorem, quod decus, quam lætitiam & gloriam darem tibi in filiis, quos adoptabo, quos ut filios libertate & hæreditate donabo!

4. Id animadversum est etiam ab Ecclesia Israëlitica; cui solenne fuit cœlestem habitationem & locum gloriæ induendæ appellare גן עדן *hortum Edan*, & עדן *Eden*. Unde & nunc de piis mortuis dicunt גן עדן ינוח *qui requiescit in Eden*. Atque ita etiam Christus & Paulus eum locum nominant Luc. 23: 43. 2 Cor. 12: 4.

5. Eze-

5. Ezechiel id, quod splendidum, potens, fertile & copiosum in mundo est, cum paradiso *horto Dei* comparat. Ezech. 36: 35. *Et dicent, Terra hæc devastata facta est ut hortus Eden.* (sic Esa. 51: 3. Joël. 2: 3.) Ezech. 31: 8. 9. de Assyrio, quem comparat cedro. *Cedri non cooperuerunt eum in horto Dei. Omnis arbor in horto Dei non fuit ejus similis pulchritudine sua*, hoc est, nullus dynasta, rex, monarcha in toto mundo ipsum æquiparavit.

6. At cap. 28: 12. ad principem Tyri dicitur. *In Eden horto Dei extitisti.* Lxx. ἐν τῇ τρυφῇ τ παραδείσου τ θεῦ ἐγενήθης. Ænigmaticè aliquis princeps tanquam emporii increpatur; cui exprobratur, quòd admixtus fuerit Ecclesiæ, similitudinem habentis paradisi.

Arbor vitæ. 7. Quòd autem paradisus etiam sacramentum & pignus fuerit illius patriæ, in qua justitia & gloria habitat, intelligere est ex *arbore vitæ posita in medio paradisi.* Si enim arbor in medio paradisi est non tam *alimentum*, quàm *sacramentum* (ut Augustinus dicit) etiam ipse paradisus, *hortus Dei*, sine dubio sacramentum est.

8. Arbor hæc illam nomenclaturam accepit, non quòd esset in ea vis ad conciliandum homini vitam æternam; (hanc enim Deus dat sine cibo & potu corpori πνευματικῷ) nedum propterea, quòd præ cæteris arboribus pomum salubre generaverit: (hoc enim forte commune huic arbori cum multis) sed, quòd homini, quamdiu in rectitudine sua perseveraret, fuerit data pignori, eum vitam præmium obedientiæ in Deo exspectandam habere. Quod fortasse intellexit Severianus, dicens, datum esse homini χαρακτῆρα τ βασιλείας. quod ab Eugubino refert Rivetus.

9. Nomen, quod gessit, *αἰαλόγως* tribuitur *Sapientiæ.* Prov. 3: 18. *Arbor vitæ est apprehendentibus eam.* Filio Dei, Apoc. 2: 7. *Vincenti dabo de ligno vitæ, quod est in medio paradisi* sive *horti Dei.* Quem enim per *lignum* sive *arborem vitæ* intelligemus, nisi eum, *in quo est vita*, & qui est ἡ ζωὴ *vita.* Joh. 1: 4. Joh. 14: 6.

10. Quemadmodum *domus Dei* dicitur tabernaculum sive templum, in quo fiebat aliqua demonstratio gloriæ Dei & vox Dei audiebatur; & corpus Christi, atque etiam Ecclesia (1 Tim. 3: 15.) & templum quidem magis propriè est *domus*, sed Ecclesia magis propriè est *domus Dei*; quia Deus non habitat in domibus manu factis: ita *arbor vitæ* dicitur tum ea arbor, quæ fuit in medio paradisi terrestris, tum filius Dei; & arbor quidem illa magis propriè est arbor, sed filius Dei magis propriè est *arbor vitæ.* quia non arbor è

terra

terra nascens est causa veræ vitæ, sed πηγὴ ἀναπλὴ sive *germen*, quod *ex alto* est, verè est veræ vitæ causa.

11. Quandoquidem igitur *Arbor vitæ* significat arborem, quæ est vitæ causa, clarum est, eam arborem sacramentaliter ita appellatam fuisse; quemadmodum aliqua domus præferens analogiam aliquam inhabitationis Dei in Christo & Ecclesia appellata fuit sacramentaliter *domus Dei*, & *panis* dicitur *corpus Christi*, & sanguis vitulorum *sanguis Testamenti* Exod. 24: 8.

12. Neque absurdum videri debet, Filium Dei Adamo manifestatum fuisse in symbolo & sacramento ut causam vitæ; quia etiam ab initio conveniebat Deo, eum, quem diligit, & propter cujus gloriam omnia fecit ac facit, imò cui monstrat omnia, quæ facit, ut ea ipse similiter faciat, Joh. 5: 19. homini vitæ auctorem per symbolum demonstrare; ut, si non statim, certè aliquando, quando ut Servator & Sanator ipsius manifestandus erat, Adam & filii ipsius eum in ipso initio per symbolum demonstratum recognoscerent. Quemadmodum factum est, ut, qui credunt Mosi ac Prophetis & Euangelio, recognoscant, in initio non fuisse vitam nisi in ipso, propter cujus gloriam, in salutis negocio asserendam, terra quoque fundata est.

13. Satis quidem fuit Adamo, per tale symbolum doceri, esse vitam extra ipsum, quæ possessa excluderet omnem mortem, eumque faceret ἄφθαρτον (1 Cor. 15: 50. 52. 53. 54. collato Gen. 3: 22.) ad quam invitaretur, quamque quæreret; quæque consisteret in communione ejus, qui vitam habet in se: (ut rectè Suidas in Θεόδοτος. ζωῆς δὲ θανάτῳ μὴ ἀφθαρτομένης ἡ γλυκύτης τὴν θείας μεθέξεως τοῖς μεταλαμβάνουσι μεταδίδωσιν) quemadmodum homo alitur & vivificatur & roboratur cibo assumto, qui, quum in ipso est, vitæ ipsi causa est. eumque tanquam cibum quærendum esse, & manducandum, hoc est, assumendum, ut unicum animæ oblectamentum. Ea de causa perceptio beatitudinis in Deo sive Dei ad beatitudinem in ipso cum assumtione cibi comparatur. Nec sanè aliud in pietate prius est, quàm Deum, qui habet vitam in seipso, pro cibo suo habere, & nec ab alio, nec per aliud vitam exspectare, nec in alio vitæ causam reponere.

14. Nobis autem, qui in peccato nati sumus, & non tantùm promissionem Dei sed etiam Euangelium audivimus, clara ea ostensio est, in eodem nobis dari justitiam, in quo vita Adamo, sed

cum conditione operum, fuerat proposita. Ex quo etiam liquet, eum ipsum spretum esse peccato, & ei ipsi debitores nos esse factos, qui peccata nostra portavit, & cui illa laborem imposuerunt.

LOCUS NONUS
DE
PECCATO.

Cap. XXIV.
De Peccati Natura.

Rectum bonum, pravum malum.

Quandoquidem de rectitudine hominis primi, ut operis Dei, vidimus; consequens est etiam, ut de eo, quod rectitudini contrarium est, videamus. Quemadmodum autem rectitudo est *bonum*, ita id, quod ei contrarium est, sine dubio est *malum*. Illud conveniens bonæ voluntati, eique εὐάρεστον, amabile & probabile; hoc autem ab ea discrepans & abhorrens. Bona autem, hoc est, cùm laudabilis, tum beata voluntas est, quæ veritate delectatur: siquidem id, quod verum est, & falsum esse non potest, etiam bonum est, verum esse. Nam, si malum esset, id verum esse, quod falsum esse & cujus contrarium verum esse non potest, jam bonum, hoc est, appetibile, delectabile, honestum & laudabile esset, id falsum esse, quod verum esse necesse est, & verum esse, quod verum esse non potest. Atque ita reperietur bonitas atque esse in eo, quod non est; & malum atque non esse in eo, quod est.

2. Quemadmodum autem id in creatura intelligenti *rectum* est & *bonum*, in quo est similitudo Dei; qui est prima veritas: ita id est malum, in quo ea creatura à similitudine Dei discedit.

Peccatum, ἁμαρτία, חַטָּאָה.

3. *Malum* hoc *peccatum* vulgatissimè dicitur. Quod nomen usurpatur pro Græco ἁμαρτία, & Hebraico חַטָּאָה. Hæc autem duo notant propriè *aberrationem*, ἀστυχίαν, ἀσυχίαν; ut, quum quis à fine suo prosequendo abit, & aliud pro fine habet, & bonum suum non consequitur. Quum autem in collimatione ad finem sit justitia & debitum sive legis obligatio (non potest enim nisi contra debitum

&

& justitiam finis proprius contemni & negligi) sequitur, cum ἁμαρτίᾳ & aberratione sive ἀπυχίᾳ conjunctum esse reatum & debitionem pœnæ, atque ita maximam δυσχέιαν. Ita fit, ut, quod rectum, etiam *bonum* sive utile sit (quemadmodum τὸ ἀγαθὸν capitur Rom. 7: 12. 13.) quippe quum in assecutione finis sit assecutio boni sui: &, quod pravum, non modò inutile sed & noxium sit; quia non tantùm privat suo bono, sed etiam ad finis ac boni gloriam imminutam restituendam obligat.

4. Mali hujus nomina multa sunt præterea in Scripturis, multiplicem ejus *malitatem*, ut cum quodam Juris auctore loquar, aut turpitudinem & noxam exprimentia. qualia sunt [1] עָוֹן, [2] עָוֶל, ἀδικία, [3] פֶּשַׁע, [4] מַעַל, [5] שֶׁשַׁע ἀνομία, [6] מְרִי ἀπειθία, [7] עֲבֵרָה παράβασις, [8] רֶשַׁע ἀσέβεια, [10] אָשָׁם, [11] טָמְאָה, item [12] παράπτωμα, [13] ὀφείλημα, quod חוֹבָה appellat Synagoga. Quæ nomina portendunt, peccatum esse [1] corruptionem rectitudinis, quæ est in imagine Dei, [2] distorsionem, [3] fallaciam sive perfidiam; [4] prævaricationem sive adversationem sub nomine & obtentu amicitiæ; [5] defectionem sive excussionem jugi, abnegationem dominii & legis; [6] inobedientiam; [7] transgressionem canonis; [8] rebellionem; [9] ordinis damnabilem conturbationem; [10] causam reatûs; [11] impuritatem, cujus communio fœdat; [12] prolapsionem; [13] meritum pœnæ, importans debitum vindictæ propter honorem Dei. *Alia nomina peccati.*

5. S. Johannes 1 epist. cap. 3: 4. quando dicit: Πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν ἀνομίαν ποιεῖ· καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, *omnis, qui facit peccatum*, sive aberrationem, *etiam defectionem patrat: & aberratio est defectio*: non hoc agit, ut perfecta definitione peccatum circumscribat, &, quicquid mali est in peccato, una voce determinet: sed, ut ostendat, unam peccati fœditatem non esse sine alia; atque adeò *aberrationem* etiam abnegati dominii & legis reum constituere. Secundùm quam regulam dicendum est, omne peccatum omnem turpitudinem & fœditatem includere, siquidem id ex se & in se æstimes. Rectèque animadversum est à Scholasticis, Omne peccatum tendere ad destructionem Dei, sive ad Dei non esse, aut esse Dei abnegationem (ut Scriptura loquitur) quantum quidem in ipso peccato situm est: nempe quia, qui vult, quod malum est & à veritate abhorret, is vult Deum esse auctorem, doctorem, exemplar, fautorem & patronum mali. quod est velle Deum non esse, qualem illum esse necesse est, atque adeò nec esse. Scriptura Pro- *Omne peccatum omnem turpitudinem includit per se.*

verb. 30: 9. insinuat, furatrina *nomen Dei attrectari*, quòd etiam fur conturbans distributionem dominiorum à Deo factam & rem aliquam occupans non auctore Deo, tanquam Deo non improbante & indignante, nomen Dei sibi nefariè vindicet, vocans eum Dominum suum & Deum suum per mendacium, & Deum alium nominet, atque est. Unde liquet, quæ vis sit tertii præcepti: neque eo tantùm reum fieri, qui falsò jurat, sed etiam eum, qui quum homo sit, creatura Dei, & Dei imago esse videri velit, peccat.

Pravitas עָוֹן *quomodo à* חַטָּאָה peccato & פֶּשַׁע defectione *distinguatur?*

Quod tametsi ita sit, tamen etiam Scriptura inter quædam vocabula, ut עָוֹן, פֶּשַׁע, חַטָּאָה, *pravitatem, defectionem, peccatum*, distinguit. ut Psalm. 32: 5. עֲוֹן חַטָּאתִי *pravitas peccati* est tanta pravitas, quæ & *peccatum* dici mereatur. Sic Hos. 12: 9. עָוֹן אֲשֶׁר חָטְאוּ *pravitas, quæ peccatum sit.* Ita Dan. 9: 35. *ad coërcendum* פֶּשַׁע *defectionem, & ad consummandum* חַטָּאוֹת *peccata, & ad expiandum* עָוֹן *pravitatem.* Scilicet est *pravitas*, quæ non censetur *peccatum* aut *defectio*. Hæc dicuntur secundùm divinam χρηστότητα & *bonitatem*, qua resipiscentibus non imputat *peccatum* aut *defectionem*, quia amare Deum eumque quærere & ei obedire incipiunt, dum veritati per fidem obediunt; quamvis malo & *pravitate* non careant: illis autem, qui Deum non quærunt, חַטָּאת attribuitur, ἁμαρτία; & ii חוֹטְאִים ἁμαρτωλοὶ, Gal. 2: 17. Rom. 3: 7. Matth. 26: 45. peccantes, aberrantes, & nil nisi peccantes (Es. 1: 4.) dicuntur; & rursus iis, qui, nomine Dei nominato, ad alium Deum & aliud verbum, atque fundamentum aliud transeunt, פֶּשַׁע *defectio* attribuitur; unde פּוֹשְׁעִים ὑπερβάται *defectores* nominantur κατ' ἐξοχὴν, quippe abnegantes Deum & legem ejus, cujus fœdus sumunt in os. Qui est insignis modus deficiendi à Deo supra illam communem *defectionem*, quæ in omni delicto inest. Nam, qui malum facit, agit tanquam dominum non habens & ideò facit עָוֶל ἀνομίαν: insigniùs autem ἀνομεῖ, qui legem justitiæ repudiat, postquam Deum suum vocaverit Jehovam. Atque ita poterit facilè cognosci, quomodo omne peccatum faciat reum, & nullum possit dari sua natura *veniale*, sub lege operum, quod non verè faciat dissimilem Deo & non sit contra legem æternam, sive quod non sit *mendacium* & cum veritate Dei & ejus veritatis amore pugnet, quodque non excludat ab amicitia Dei; & tamen non omnia peccata sint æqualia. Nempe, quia non omnis peccans directè & palam de industria aut ὑπερηνεμόως se ingurgitat omni malo: aut traditus est in ἀδόκιμον νοῦν. ruit in Deum & divinam veritatem,

Nullum peccatum in fœdere operum veniale.

Peccata inæqualia.

aut

aut omnem divinam veritatem, neque eligit aut facit actum omnem malum, aut in omnes personas similiter peccat. Unde & inter Diaboli & hominis peccatum maximum discrimen est. Atque ita Apostolus, tametsi, peccatum suum esse maximum, confiteretur, tamen sibi veniam datam dicit, quòd ἀγνοῶν ἐποίησεν ἐν ἀπιστίᾳ *insciens fecisset per incredulitatem.* 1 Tim. 1: 13.

6. Quare abutuntur dicto loco Johannis, qui ex eo conantur probare, nihil aliud esse peccatum, quàm facere aliter atque imperatum est. intelligentes, omnes actiones esse sua natura indifferentes: verbi causa, amare Deum & odisse, imagines colere vel non, alios Deos habere vel non, Dei nomen temere usurpare, parentes honorare vel non; solo δόγματι herilis imperii fieri, ut alia vetentur, alia jubeantur; quum, quæ jubentur, vetari possint; quæ vetantur, juberi. Quemadmodum scilicet meri arbitrii herilis est dicere, De hac arbore comedes, de illa non. Quæ sententia, ut Diogenes Laërtius memorat, & Archelai fuit. τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ. Cui succinit Aristippus, & Theodorus ille ἄθεος appellatus. Qua sententia nihil potest excogitari pestilentius & ad omne fundamentum religionis tollendum, ipsamque rationem *justitiæ Dei* & necessitatem Salvatoris interimendam, & pietatem exscindendam efficacius. *Peccatum non est tantùm transgressio præcepti.*

7. Nam quid illud est, quod facit, ut creatura teneatur ad hoc sum faciendum, quod pro placito imperatur, si nihil sua natura rectum aut pravum est? Sic dico: Si omnia sunt ἀλλοφοεχ, quæ est certa & immutabilis ratio, quare peccatum sit, non obedire Deo? Si autem ulla certa & immutabilis ratio est, quæ obliget ad obediendum creatori; utique est lex, licèt non scripta, tamen nata, eaque immutabilis, juxta quam rectum est obedire, & malum est ἀνηκυρεῖν.

8. Visus est quibusdam ita sensisse Petrus ab Alliaco Cardinalis Cameracensis. Et hoc videntur ipsius verba significare, quæ habentur in Principio ad primum sententiarum lit. E. *Sextum correlarium est. quòd nullum est ex se peccatum: sed præcisè, quia lege prohibitum.* Et ratio addita: *Quia nullus est peccator nisi prævaricator.... Prævaricatio autem est legis transgressio. Quia secundùm Apostolum Rom. 4. Vbi non est lex, ibi nec prævaricatio. igitur, &c.* *Petri ab Alliaco sententia.*

9. Quo quidem loco Cardinalis (quicquid sit de dogmate ipsius) abutitur. Apostolus enim non hoc significat, peccatum præsuppo-

nere aliquam legem (quanquam hoc verum est) nedum ut significet, nihil sua natura peccatum esse, & à solo eoque sua natura variabili placito Dei esse, ut hoc vel illud rectum aut pravum habeatur: sed, quum de lege scripta & promulgata agat, quæ dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis*; &, *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c.* asserit, Eam promulgari non posse, si peccata expiata & sic plenariè remissa sint, atque ita propter remissionem transgressio amplius non sit, hoc est, non imputetur penitus. Igitur concludit, legem sic promulgatam operari iram: & porrò, ex lege non esse hæreditatem. Nam ea non est iræ.

10. Sed revertamur ad Cardinalem. Videtur in dogma, quod rejiciebamus, etiam inclinari ejus ratio, quæ est Conclusione prima. lit. D. *Sicut divina voluntas in genere causæ efficientis est prima efficiens causa: sic ipsa in genere legis obligantis est prima lex seu regula.* Videtur enim hoc dicere, nullam rationem esse voluntate & placito Dei priorem, propter quam quicquam rectum aut pravum sit. Non libenter de hominum sententiis disputamus. Tamen & κακηθεία est, malè interpretari, quæ possis bene. Dico igitur, Si hæc est Cardinalis sententia, sibi non constat. Nam 1. Ipsa illà propositio: *Quod est prima efficiens causa, est & primum obligans:* sive hæc regúla, *Prima causa obligat creaturam*: est quædam lex. Quam Cardinalis ponit ut immutabilem, & cujus contrarium sit impossibile. Atqui veritas hujus regulæ non pendet à voluntate Dei, & arbitraria illius dispositione. Sic enim contingens esset, & contratrarium, si vellet, posset esse verum. 2. Affert testimonium Augustini 22. *contra Faustum. Lex æterna est divina mens seu voluntas ordinem* Naturalem *servari jubens, turbari vetans.* Ergo *ordo naturalis* ut bonus, & ejus *turbatio* ut mala præsupponitur præcepto Dei. Hanc *voluntatem* autem Dei vocat *legem æternam*, atque ita profitetur esse immutabilem. Unde intelligitur, voluntatem Dei ipsi significare sanctitatem, qua necessariò delectatur ordine naturali, & irascitur turbantibus eum.

11. Nec obstat, quod dicit lit. 2. *legem æternam* ab *Augustino appellari non quia æternaliter fuerit lex, sed quia æternaliter erit lex.* Capit enim *voluntatem* Dei pro ipsa obligatione creaturæ jam existentis. Sic enim dicit: *Sicut sibi convenit ex tempore & per relationem ad creaturam esse causam efficientem, sic esse legem obligantem.* Alioqui lex illa est simpliciter æterna, ut, eo ipso quod Deus est, si homo sit, hæc illius bonitas sit.

12. In-

12. Interim 3. Cardinalis ponit legem divinæ ſanctitatis & veritatis. lit. H. *Secundò ſequitur, quod Deus non poteſt rationalem creaturam velle teneri ad quodlibet poßibile, quod eſt in ipſius libera poteſtate. Patet: quia non poteſt velle ipſam teneri ad non obediendum ſibi; vel etiam ad odium ſui: quorum tamen quodlibet eſt poßibile & in ejus libera poteſtate.* Quanquam in altero exemplo hæſitet, ut patet ex ſequentibus. *Evidenter eſt impoßibile, Deum velle materialem creaturam teneri ad non obediendum ſibi: ſed non ſic eſt evidenter impoßibile, Deum velle ipſam teneri ad odium ſui. Quia ad primum evidenter ſequitur contradictio, & non ad ſecundum. Nam ad primum ſequitur: Deus vult rationalem creaturam teneri ſibi non obedire. Ergo ipſa tenetur ad aliquid; & per conſequens obligatur: & ſimiliter ſequitur; ergo ipſa tenetur ſibi obedire, & per conſequens non obligatur. Sed ad ſecundum non ſic evidenter ſequitur contradictio. Nam licet ſit articulus Pariſienſis, quod aliquis poſſet mereri odiendo Deum: error. tamen ex oppoſito non ſequitur evidenter contradictio. Vnde multi illum articulum reſtringunt ad potentiam Dei ordinatam: & multi doctores alterius ſtudii tenent, quod Deus poteſt præcipere odium ſui. Et ſic probabiliter ſuſtinent partem oppoſitam.* Videmus eum vacillare circa odium Dei. Attamen ponit, id, quod immutabili veritate nititur, &, quod involvit contradictionem, præcipi non poſſe. Et, quum non audeat de odio Dei meritorio tenere niſi probabiliter, ac non obedire Deo pro evidenti peccato habeat, quod ſupra definivit, *Nullum eſt ex ſe peccatum*, id non ita capiendum eſt, quaſi amare Deum & ſimilia velit eſſe indifferentia.

13. Atqui nobis certum & evidens eſt, quòd ſit contradictorium, Rationalem creaturam bonam eſſe & non eſſe rectam: Eſſe à Deo & non ad Deum: Eſſe ad Deum & Deum non eſſe bonum illius: Eſſe Deum bonum illius, & non cognoſci: Cognoſci à creatura, & eam non teneri amare ac quærere. Deum eſſe bonum & bene poſſe odio haberi. Deum eſſe bonum hominis & bene non quæri; aut Deum bene velle ſe non quæri. Quærere Deum & odio habere. Odio inveniri, amore alienari. Eſſe imaginem Dei & Deum odiſſe. Ita enim ſe odiſſet Deus. *Odium Dei præcipere Deus non poteſt, nec directè, nec indirectè.*

14. Et, quia in præcepto Amoris Dei omnia legis præcepta recapitulantur, impoſſibile eſt, ut quicquam, quod contrarium eſt illis præceptis, ſit bonum aut benè fiat, idque operari ſit Dei vita in nobis & non mors.

15. Quanquam non imus inficias, Omnem motum creaturæ

per

per se esse indifferentem, & bonum malumve fieri pro conditione objecti, finis, aut sanè modi. Ita *amare* & *odisse* sua natura indifferentia sunt, quæ differentia fiunt objectis & modo.

Peccatum voluntatis, actionis.

16. Omnis igitur voluntas & actio, quæ non in Deo & à Deo, & secundùm imaginem ipsius est, ea nec ad gloriam Dei est, neque est medium inveniendi Deum; sed est peccatum, quo Deus ab homine alienatur. Et ea quidem voluntas, quæ recta est, uno nomine ἀγάπη *charitas* appellatur; at, in qua est ea *corruptio*, ea ἐπιθυμία *concupiscentia* (voce mediæ significationis in deteriorem sensum coarctata) vocatur.

Motus primi.

17. Nec tantùm voluntas deliberata, sed primus motus, præveniens deliberationem. Ita & primus motus dubitationis Petri argumentum increpandæ ὀλιγοπιστίας & *parvæ fidei* fuit Matth. 14:31. Poscit Deus cor, & quidem totum, & כל־לבב יצר *cogitationem fixam* Es. 26: 3. & damnat διαγμὸν καὶ διάκρισιν *dubitationem ac disceptationem*. Quid aliud *sunt cogitationes multæ*, Eccl. 7: 29. quàm deliberatio circa bonum aut malum, ut id videatur esse, quod non est, malum bonum, bonum malum; prohibitum licitum, utile, aut etiam honestum? Si dicas, celeres motus antevenire deliberationem, hoc est, judicium animi, fatendum est, id in nobis fieri: sed & agnoscendum est, eos esse vetusti sive externi hominis, & à lege peccati. Rom. 7: 23.

Pronitas ad malum est peccatum.

18. Ipsa inclinatio sive pronitas ad motus animi contrarios charitati vocatur ab Apostolo *concupiscentia*, & peccatum, & ἁμαρτία καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸς, *peccatum per excellentiam peccatum* aut *peccaminosum*. Quam & Decalogus vetat præcepto decimo. Quid enim dignius Deo, quàm postulare ab homine, ut conservet, quod acceperat? & talis sit, qualis factus est?

Impotentia, remissio charitatis & omissio debiti peccatum.

19. Quare non tantùm cogitatum, cupitum, dictum, factum contra legem charitatis, quam natura & conscientia dictat, quam Deus, exemplar hominis, requirit, qui est charitas, & in ea voluntate, qua voluit omnia esse ad gloriam suam nosque filios suos omni bono implendos destinavit, verissimè & solidissimè apprehenditur; quam vox cælitus audita flagitat, sed etiam ipsa ἀσθένεια serviendi justitiæ, ipsa tarditas, ipsa difficultas, ipsa infra teneritudinem amoris digni Deo subsidens remissio, multò magis omissio ejus, quod faciendum est, est peccatum; quippe est malum legi imaginis Dei & Dei exemplaris sanctitati contrarium. Nam, cui

debetur

debetur omnis cogitatio & omnes vires, ei non potest circa pravitatem subtrahi ulla cogitatio aut ullus gradus amoris, & ullus actus servitutis.

20. Tantum abest, ut admittere possimus illas sententias, potuisse hominem creari, qualis est post lapsum: quod dicunt, *in puris naturalibus*. Nam is status est *impuritas*. Nedum ut homo sic factus sit, ut naturalis ipsi fuerit appetitus non-recti: quod Socinus vocat *Sibi bonum*, & à recto distinguit. Qui si naturalis fuit, utique non meretur vocari *concupiscentia* & *peccatum* nominari: neque debuit frenari. *Non potuit homo creari cum concupiscentia.*

21. Quin eo appetitu corrupta est natura, quum bonum, vel falsum, vel verum falso medio quærendum, ostentante magistro alio præter Deum, statim matri nostræ adlubuit, non interpellante timore Dei & magistrum novum novamque & ancipitem doctrinam repellente. Huc pertinet, quòd Jacobus cap. 1: 13. negat hominem à Deo tentari. Si concupiscentia esset opus Dei, quum tentamur, à Deo tentaremur. Sed *omnis donatio bona & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum.* v. 17. Hic error à Judæis provenit, qui statuunt, fieri non potuisse, ut ex materia crearetur aliquid, quod non concupiscat & non habeat יֵצֶר רַע *appetitum noxium.* Vide Manassen ben Israël de fragilit. human. p. 61. ubi ex R. Isaac Arama profert titulum discursus philosophici: *Refutat opinionem ejus, qui putat, attribui posse potentiæ divinæ, creare hominem, qui prorsus non peccat.*

22. *Quicquid non sit in fide, peccatum est.* Rom. 14:23. Id duo significat. 1. Quicquid homines infideles faciunt, malè faciunt. Ideoque nihil nisi peccant. Faciunt enim ut imponant Deo, vel ut aliquid ipsi imputent: & expertes sunt justitiæ Dei & spiritus sanctificantis. Neque tantùm dicimus, ea, quæ infideles faciunt, non esse opera spiritualiter bona; ut concedamus moraliter esse bona. Quia non sunt secundùm legem moralem, quæ est spiritualis. Ipsi autem carnales sunt. 2. Quicquid fit à Διακρινομένῳ *hæsitante* (nempe si putet, sibi permissum non esse, ob verbum Dei) atque ita non in fide verbi Euangelici de libertate Christiana, peccatum est sive malè fit, licèt permissum sit. Convenit enim, hoc intelligere de illo rerum genere, de quo Apostolus ibi agit. Pœnitentia ab hoc peccato est deponere errorem. Et potest scrupulus importunè motus aliquando rejici, ubi nobis constat de Christiana libertate. *Peccatum est, quod absque fide fit.*

Ita Nathaneël Christum agnovit, antequam scrupulo suo satisfieret. Johan. cap. 1: 47. 50. Alioqui etiam hoc verbum extendi potest ad omnem actum; nempe, quòd necesse sit, eum, qui rectè acturus sit, credere, id, quod facere parat, bonum esse. Sed Scriptura hoc solet dicere, facere *in bona conscientia*. *Fides* autem ad *verbum Dei* & revelationem refertur. Non autem distinctio boni à malo tantùm nititur revelatione, neque penitus ex revelatione tenetur. Nam & natura sine verbo docet, & verbum, quo excitatur animus ad considerandum & distinguendum malum à bono, multa relinquit naturali judicio determinanda. Veluti, quum Decalogus dicit, *non furaberis*, relinquit homini judicium, quare furtum cavendum sit, & quid sit furari. Sed potest *fides* etiam latiùs capi, ut complectatur omne, de quo Deus loquitur. Quemadmodum Hebr. 11: 6. *Oportet credere, esse Deum.* & Jacob. 2: 19. *Tu credis, quòd Deus unus sit. — & dæmonia credunt & horrent.* Vide supra cap. 22. § 47.

23. Ex his facile apparet, 1. quòd motus membrorum mandatus, si is exerceatur, eo non absolvatur actus virtutis; sed, quòd ad eum requiratur bona voluntas, sive charitas, &, post peccatum, quia charitas sine fide in Christum non est, fides in Christum: & proinde perversi sint (qui עִקְּשִׁים appellantur) & duplicis cordis rei, qui pravo consilio & per concupiscentiam eligunt dicere verum & facere bonum. quales se ipsos eò magis damnant, quia bonum dicunt & faciunt, quod non amant. Non amant autem, quòd eligunt, non amore servitutis justitiæ, quæ in Christo est; sed fiducia gloriandi apud Deum, aut apud homines. 2. quòd temeritas & τὸ ἀδόκιμον sive τὸ inexploratè agere reum faciat peccati. Id quod שָׁוְא *temerarium* in Scripturis appellatur. In quo deest *fides* sive exploratio melioris, & bona conscientia. 3. quòd & illa, quæ sunt indifferentia, concessa, licita, non nisi benè aut malè, purè aut impurè, prout animus & intentio hominis comparata fuerint, agi vel assumi possint. Ideò etiam Scriptura cibos vult sanctos esse tantùm cognoscentibus veritatem; & omnia, quæ facimus, in nomine Christi nos facere jubet.

Cap.

Caput XXV.

De creaturæ rationalis libertate & mutabilitate.

Postquam de imagine Dei & lege operum & bono, ad quod ea ducebat, deque transgressionis & peccati natura egimus, etiam, unde peccatum existere (si tamen habet substantiam) hoc est, quomodo peccatum in mundum intrare potuerit, explicandum est.

2. Imprimis hîc commemorandum est, quod de Mente in superioribus constituimus: ex quo perspici potest, peccatum non esse ex Deo. *Peccati auctor non est Deus: qui creavit hominem rectum.*

3. Inter res omnes, quas Deus fecit, præstantissima est Mens intelligendi ac volendi potestate prædita. Quæ si non esset, cætera omnia, quæ facta sunt, frustra essent. Nulla enim vel Dei glorificatio vel beatitudinis communicatio esset. Denique Deus non fecisset quicquam ad se. Non enim ita sunt ad Deum omnia, quasi Deus illis opus habeat, illisque ad consummandam beatitudinem suam utatur; sed, quia illis Deus suas perfectiones conspiciendas glorificandasque exhibet. Quæ glorificatio non esset, si tantùm visio divinæ celsitudinis, non etiam amor esset. Neque verò vel vera Dei celsitudo cognosceretur, vel verè amaretur, si Deus non ut major omnibus factis suis, ita & melior & bonum illius, à quo cognosci potuit, esse noscetur. Quare Mens, si Deum non amet, ut bonum suum, ad Deum, ut finem suum, esse non potest. Unde sequitur, mentem non sine hoc amoris in Deum, ut bonum suum, pondere, nedum ejus boni cognitione, fieri potuisse: quia citra hoc nec ad finem suum facta fuisset: neque adeò bona, hoc est, recta & Deum creatorem decens.

4. Quamvis enim Deus non culpandus, sed laudandus sit, si quid aliud & inferius facit, quàm voluntatem; tamen non potest laudabiliter rationalem appetitum facere, nisi qui se appetat, ut optimum & bonum menti, ejusque verè solidum cibum, quo illa exsatietur, & in quo ita quiescat, ut nihil quærat amplius. Nam quomodo per id laudaretur, per quod non laudaretur? Quomodo autem non laude spoliaretur per id, à quo, quum ei naturale sit amare bonum suum, non amaretur naturaliter ipse, ut bonum ejus?

5. A quo vel minimum declinare ejus pravitas est & φθορὰ *corruptio.*

6. Quare non satis est, mentem sic factam esse, ut naturaliter appetat, quod rectum est, h. e. rectitudine appetitûs delectetur; sed etiam oportet, ut rectum appetitum habeat, sive id appetat, quod rectè, sapienter, decenter, & sine mendacio, ut solidum mentis, operis inter omnia divinissimi, pabulum & quies, appeti & amari potest: & cætera omnia ad id referat. Nam, mentem propterea factam esse, modò diximus, ut Deum in omnibus ejus operibus glorificaret. Quod non faceret, si quod bonum, Deo inferius, tanquam Deum, id est, ultimò & propter idipsum amaret, neque ut γεῦμα *prægustationem* majoris boni, quod ipsi est Deus ipse, bene utendo & gratias agendo acciperet. Qualis amor non charitas (quæ nisi cari & precioſi dilectio esse non potest) sed libido, & *concupiscentia* (ea, quæ dilectioni Dei opponitur in Scripturis) foret, &, ut eadem Scriptura loquitur, φθορὰ *corruptio* 2 Petr. 1: 4. 2: 19. Judæ v. 10. Eph. 4: 22. quod sine dubio ex Psalmo 14: 1. sumtum est. ἀνηψα ἐφθάρησαν, & Genes. 6: 11. 12. ἐφθάρη ἡ γῆ ἐνώπιον Θ κυρίου. *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat. Nam corruperat omnis caro viam suam.* Via creaturæ est, ut ad eum sit, à quo est; & via mentis, ut eum cognoscat & quærat, qui ei per opera sua innotescere voluit, itaque propter ipsam fecit omnia, ut per reliqua ipsa ad Deum addiscenderet, per ipsam in reliquis ipse celebraretur. Quicquid extra hunc ordinem est, deviatio & corruptio est.

7. Quare, si Deus est Deus ordinis, & *æterna lex* est, *ut justum sit, omnia esse ordinatissima* (Aug. de libero arbitr. lib. 1. cap. 6.) necesse est, *menti regnum in libidines æterna lege concessum esse.* Ibidem c. 10. Non ut per mentem libido extans tollatur, sed ut se & sibi subjecta ab omni libidinis titillatione arceat. Quare impossibile est, ut appetitus non sui (Luc. 16: 12.) hoc est non summi ut sui boni, possit esse opus Dei. quod Socinus & Molinistæ sentiunt; & Concilium Tridentinum, negans, concupiscentiam, quam Apostolus καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν *in excessu peccantem* declarat, esse peccatum, quum tamen sit ἀνομία *defectio* & legis rejectio. Rom. 6: 19. Quæ si opus Dei esset aut esse posset, posset Deus tentare ad peccatum, Jacob. 1: 13.

8. Cæterum ut ex rebus hisce sic factis cognoscimus Voluntatem æternam, liberam quidem, quia nulla re indiget, sed & bonam, quæ ea omnia secundùm divitias suas & liberalitatem suam sic esse jussit, & mentis creatæ operatione recta atque ordinata delectatur,

ctatur, (ut ei atteſtetur, & rectæ voluntati ſe communicet) & contraria offenditur, ut & opus & operantem abneget: ita ex voluntatis inferioris ad bona non ſua declinatione cognoſcimus, eam, quæ declinavit, non ita eſſe, ut facta eſt. Ex quo conficimus, Deum non eſſe cauſam & auctorem peccati.

9. Sunt, qui peccati poſſibilitatem referant ad *libertatem* hominis. Quod an verum ſit, ex libertatis definitione patebit. Tum etiam facilè erit intelligere, quomodo tranſgreſſio potuerit hominem corrumpere. *An libertas hominis ſit cauſa poſſibilitatis lapſûs?*

10. Atque id quidem imprimis perſpicuum eſt, ſi qua mens in initio ſuo permanet, eam volendo & amando bonum ſuum verè *liberam* eſſe. Eo enim fruitur cum libertate, quo fruitur cum ſecuritate; Aug. de lib. arbitr. l. 2. cap. 13. addo, quiete. Nam, quod amitti eripive poteſt, in quo eſt fruſtratio, quod non ſatiat, (Eſ. 55: 2.) eo non cum libertate fruitur, ſed potiùs cum ſervitute. Non enim ſibi amat, in quo amando ſibi ſemper placere non poteſt; ſed in eo vel alii Domino, hoc eſt, tyranno, capta & illaqueata obſequitur, vel certè ſe ſubjicit bono alieno, cui debebat dominari. ideoque non jam domina ſed ſerva eſt. *Quid libertas?*

11. Quare & Servator devios *ſervos* vocat: & veritatem unicam cauſam libertatis aſſerit, Joh. 8: 32. 34. Quippe, qui veritatem amat, verè liber eſt ab omni ſervitute.

12. Quam *libertatem* in ſuo apice dicere poſſumus impræpeditam & immutabilem, ſine difficultate & defectu, ſui boni amorem, tum in quæſtione ejus ſtudioſum, tum in ejus fruitione tranquillum: quo & omnia, quæ juxta mentem ſunt & infra illam, quæ illius ordinationi quoquo modo ſubjecta ſunt, velit ſtudeatque in juſto ordine ſub Deo & ad eum eſſe. Annotavimus etiam alibi ſententiam Plutarchi non abludentem ab hiſce in libello περὶ τοῦ ἀκούειν. Μόνοι, ἃ δεῖ βούλεσθαι, μανθάνοντες, ὡς βούλονται, ζῶσιν. Τὴν δ' ἀπαιδευσίαν καὶ ἀδιαλόγοις ὁρμαῖς καὶ πρόξεσιν ἀλόγοις ἕπεσθαι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μεταξὺ τὸ ἑκούσιον. *Soli, qui didicerunt, quid velle oporteat, vivunt, ut volunt. Sed indiſciplinatis & ratione carentibus ſtudiis atque actionibus, ſi quod adeſt voluntarium, id non ingenuum eſt ſed exile, inter multam pœnitudinem.*

13. Ergo ſervitus Dei vera libertas eſt. Tali enim voluntate nihil magis eſt voluntarium.

14. Contra aſpernatio hujus ſervitutis, quæ eſt falſa libertatis affectatio (creaturæ enim bonum non poteſt eſſe niſi creator, neque

que bonitas, nisi ut sit sub ipso & ad ipsum) & sui elatio supra Deum, tanquam se inferiorem & libidini inservientem per opera sua, est sui in servitutem mendacii & φθορᾶς mancipatio.

Naturale voluntati velle bonum.

15. Quemadmodum autem voluntas sine libertate, qua servit Deo, non potest esse opus Dei; ita sine tractu & impetu saltem ad apparentiam velut satiantis boni ne voluntas quidem esse potest. Ita necesse est voluntatem vel in libertate amando, quod novit, beatam esse, vel in servitute errando per ea, quæ non novit, eademque aut similia sæpe regustando, miseram. Frustratio enim, quæ parit pudorem, jam & miserum facit.

Peccati possibilitas non est ab independentia voluntatis à Deo, quia voluntas in bono dependet à Deo. Neque adeò libertas est independentia.

16. Porrò amor, quo mens creata creatorem libera diligit, opus Creatoris est. Nam, quum propter hunc amorem mens, quæ amat Deum, melior sit ea, quæ non amat; & omninò in creatura hoc sit optimum; & creatura voluntatem, cum qua condita est, rectam à Deo acceperit: quis negabit, id, quod tale est, opus Dei esse?

17. Et sanè, quid est amare Deum, nisi in veritate stare? In veritate autem stare, quid, nisi in initio suo perseverare? Joh. 8. vers. 44. Judæ v. 6. Unde igitur est initii retentio, nisi à quo ipsum est initium?

18. Si *in Deo vivimus*, nonne in Deo Deum amamus? Nam profectò Deum non amare mors est.

19. Si *in Deo movemur*, si *in Deo sumus*, non in Deo feremur ad ipsum; non in Deo *erit* hic amor?

20. Non malè August. de lib. arbitr. 2: 20. ***Tu tantùm pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo.***

21. Quis potest voluntatem creaturæ, quæ ex nihilo est, ad Deum attollere, eique affigere, nisi Deus? Quis Deum ei patefacere, quis insinuare sensum bonitatis ejus, nisi Deus? Nam quid est amare Deum, nisi eum bonum sentire?

22. Quapropter de Angelis bonis legimus, Deum eos facere servos suos. Psalm. 104: 4. quibus ille non credit: in quibus ponit lucem. vel potiùs, in quibus ponit stultitiam, & propterea non credit illis, quasi absque se sint facturi officium suum. Job. 4: 18. 15: 15. Imò & *sanctos Dei* dum vocat Scriptura, quid nisi sanctificatos Dei intelligimus? Legimus adeò, *Deum facere pacem in supernis suis*. Job. 25: 2. Ob quam causam & *electos* angelos nominari credi-

credimus & *filios Dei.* 1 Timot. cap. 5: 21. Job. cap. 1: 6. 38: 7.

23. Nisi putamus, rectum esse, ut sancti illi spiritus in semetipsis glorientur, & dicant Deo, Ego feci me. Ezech. 29: 3. aut ad mentes bonas non pertinere, ne dicat opus de factore suo, non fecit me. Es. 29: 16. aut id, quo Deus se celebrat & glorificat, non esse opus ejus; aut ea obedientia Deum non glorificari & bonum ac potentem in creatura ostendi atque in ea admirabilem fieri. Psalm. 148: 2. 2 Thess. 1: 10.

24. Certè, si quod bonum in creatura est, quod non sit à Deo, rectè dicet creatura, *Propter nomen meum glorioſus erit Deus.* Es. 66: 5. Itaque & confidet sibi homo, & non incidet in illud, *Maledictus, qui confidit carni*, Aug. Enchirid. c. 114. & homini erit in hac vita vis sua, quod Dei potentia in altera; hoc est, vis hominis erit ipsi Deus. Hab. 1: 11.

25. Quid? num quæ est perfectior veriorque aut liberior obedientia ea, quam Christus præstitit? Atqui obedientia ipsius testis fuit, *ſuper ipſo* esse *ſpiritum ſapientiæ & prudentiæ, conſilii & fortitudinis, & cognitionis & timoris Domini.* Es. 11: 2. *ὁ λόγος verbum ſe ipſum ſanctificavit.* Joh. 17: 19. & *ſpiritu æterno ſe ipſum ſine vitio obtulit.* Hebr. cap. 9. vers. 14.

26. Si aliter est, quomodo obedientia & oblatio sui est τοῦ λόγου *Verbi* sive *Filii Dei?* Phil. 2: 6. 8. Galat. 4: 4. 5. Hebr. 7: 27. 28. Ephes. cap. 5. vers. 2.

27. Quæ quum ita sint, eò libentiùs concludemus, *libertatem* voluntatis *non esse independentiam à Deo.*

28. Quod olim statuerunt Sadducæi, qui, ut Josephus ἀρχαιολ. 13: 9. loquitur, τὴν εἱμαρμένην αἴρεσι *fatum tollunt*, intelligens divinæ voluntatis dispositionem. &, ἅπαντα τὸ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθεσι: *omnia ponunt in noſtra poteſtate.*

29. Pharisæi an voluntatem ex dicione Dei exemerint, forte ex Josepho intelligemus. De illis ita loquitur ἀρχαιολ. 18: 2. προσάπτουσί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, καὶ δὲ τὸ ἀνθρωπεῖον τὸ βουλόμενον τὸ ἐφ' αὑτῆς (ms. cod. ἀπ' αὐτῆς) ὁρμῆς ἀφαιρεῖντω, δοκῆσαι θεῷ κρᾶσιν (ms. κρίσιν) γὰρ ἔχειν καὶ τῷ ἐκείνης βουλητικῷ καὶ τ' ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μὴ ἀρετῆς καὶ κακίας. Quæ sic sonarent: *Quum omnia fato fieri decernant, nec humanam voluntatem ſpoliant impetu, qui ab illo ſit, quum Deo viſum ſit, judicium fieri & illius* (fati) *conſilio & hominum volenti accedere cum virtute aut vitio.* Paulò aliter ἀρχαιολ. lib. 13: 9. οἱ

Φαρι-

Φαρισαῖοι πινὰ καὶ ὁ πάντῃ τ εἱμαρμένης λέγεσιν ἔργον. πινὰ δ' ἐφ' αὐτοῖς ὑπάρχειν συμβαίνειν τε καὶ γίνεσθαι. *Pharisæi quædam & non omnia Fati dicunt esse opus: quædam autem in sua potestate esse, ut eveniant vel non fiant.* Clariùs ἀλώζ. l. 2. c. 7. εἱμαρμένη τε καὶ θεῷ προσκεῖσθαι πάντα (quod & de Essenis dicit) καὶ τὸ μὲν προσῆκον τὰ δίκαια καὶ μὴ κατὰ τὸ πλεῖον ὑπὸ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τῷ εἱμαρμένῃ. *Fato & Deo assignant omnia, & justa agere aut non potissimùm per homines stare, adjuvare autem ad singula etiam Fatum.* Certè Christus Luc. 18: 11. optimum Pharisæorum sic facit loquentem: ὁ θεὸς, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τ ἀνθρώπων. *Deus, gratias tibi ago, quòd non sum, sicut reliqui homines.* Manasse ben Israël de fragil. humana docet p. 116. 117. 118. 119. c. XIV. *Hebræos duo tantùm auxilii divini genera agnoscere. 1. cùm Deus hominem, qui opus bonum & pium orsus est, adjuvat, ipsique manum porrigit, ut inceptum absolvat. 2. cùm bonum opus facere volenti plurimas occasiones offert.*

30. Philosophi Stoici, quum omnia fato tribuerent, voluntatem nec fato nec Deo subjectam esse voluerunt. Arianus Epictet. cap. 1. τὴν προαίρεσιν οὐδὲ ὁ ζεὺς νικῆσαι δύναται, *voluntatem nec Iupiter vincere potest.* cap. 6. ὁ θεὸς τὸ ἐφ' ἡμῖν δέδωκεν οὐδ' αὐτῷ πινὰ τοῦτο ἰσχὺν ὑπολιπών, ὥστε κωλύσαι ἢ ἐμποδίσαι. *Deus liberum arbitrium dedit, neque sibi ipsi ullam in id vim reliquit, ut coërceret aut impediret.* cap. 12. κατάγε τὸν λόγον οὐδὲ χείρων θεῶν οὐδὲ μικρότερος, *quoad rationem, neque deterior diis neque minor.* cap. 17. εἰ τὸ ἴδιον μέρος, ὃ ἡμῖν ἔδωκεν ὑποτάσας ὁ θεὸς, ὑπ' αὐτοῦ ἢ ὑπ' ἄλλου τινὸς κωλυτὸν ἢ ἀναγκαστὸν κατεσκεύακε, οὐκέτι ἂν ἦν θεὸς, οὐδ' ἐπεμελεῖτο ἡμῶν, ὃν δεῖ, τρόπον. *Si propriam partem, quam nobis dedit, raptam fecisset obnoxiam suæ vel alienæ coërcitioni aut coactioni, non esset Deus, neque curam nostri gereret, quemadmodum oportet.* Similia alibi.

31. Inter Christi nomen ferentes exorti sunt postremò Sociniani, quos non pudet ita loqui: *Falsum est, omnia, quæ Deo pro beneficiis offerimus, in Dei esse potestate simpliciter, vel magis esse in potestate Dei, quàm nostra. Cor enim nostrum, quod præcipuum est eorum, quæ Deo pro beneficiis offerimus, & ex corde manantia omnia in nostra potestate Deus esse voluit, ut scilicet religioni locus esset.* Smalc. adv. 2. libros Smigl. de erroribus Arianorum p. 254. & 255. *Celebritatem nominis Deus absolutè & effectu ipso Christo donare non potuit. Ad hanc enim requiritur etiam hominum voluntas & assensus, qui scil. Christum talem agnoscant.* Is tamen se corrigit p. 261. *Non diffitemur, Deum posse in rebus bonis vim facere*

cere hominibus, ut scil. id fiat necessariò, quod Deus vult. Sed hoc rarissimum esse.. &.. tunc liberum arbitrium cessare prorsus. quasi diceret, voluntatem hominis bonum velle invitam & nolentem, si Deus eam velit velle, & velle ipsum operetur. ut dicit Paulus Phil. 2: 12.

32. Quis non novit horum socios Molinistas, quibus libertas est *indifferentia voluntatis ad utrumque oppositorum, & talis quidem, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, posßit agere vel non agere, bonumque aut malum agere. Quorum hanc vocant libertatem contrarietatis* sive *specificationis*, illam *contradictionis* sive *exercitii*.

33. Necesse est, illos inter requisita ad agendum non censere Dei ἐνέργειαν (sic loquor cum Apostolo) aut hanc voluntati humanæ subjicere. quorum illud voluntatem facit independentem, hoc divinam voluntatem & ἐνέργειαν dependentem à creaturæ voluntate.

34. Quid? quòd hi tollunt Dei præscientiam? quam exsertè negant Sociniani. Nam, quod indifferens est & ἀδιοριστον ad extandum, & à Deo non dependet, id, antequam sit, sciri & prædici non potest. Atqui & lapsus hominis præscitus est, quia ante jacta mundi fundamenta Mediator præcognitus est, & in ipso propositum seculorum factum est, & is hæres omnium constitutus est, & in eo nobis gratia donata est. Et in quo fefellit divina prædictio eorum, quæ humana voluntate gesta sunt? & quid non de iis, quæ geruntur in mundo, ita, uti geruntur, antè scriptum est? qualia sunt defectio Judæorum, conversio gentium, & erectio regni Antichristi, & multorum ab illo recessio.

35. Certè non præscivit Deus opera sua, Actor. 15: 18. quæ occasione voluntatis liberæ facturus est, si voluntas libera non à Deo dependet in agendo. Nam & novam in Deo ortam scientiam & decretum extemporaneum statuere, Deum abnegare est: quia est æternitatem resolvere.

36. Quòd si voluntas libera non est, nisi sit indifferens ad malum: Deus ipse, qui est *αἰτίος κακῶν καὶ ἀναίτιος & ἄγιος, exsors tentationis ad malum, mentiri nescius, sanctus*, liber non est; & homo, quum liberabitur, non manebit liber, nempe quum Deo ὑποταγήσεται *subjicietur* & à Deo implebitur, ita ut is in ipso sit omnia. Quo tempore profectò non poterit peccare aut malum eligere. *Neque libertas est indifferentia ad malum.*

37. Si verum amemus, aliud est *mutabilitas* aliud *libertas*. Nam, etiamsi non possit creatura mutari à bono ad malum, nisi libera voluntate, *A libertate distinguenda mutabilitas.*

luntate, &, ut Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. cap. 16. dicit, *nulla re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi* constet, *nisi voluntate*; quum, ut idem dicit lib. 3 c. 1. *neque à superiori posit ad hoc dedecus cogi, quia injustum est, neque ab æquali, neque ab inferiore, quia non potest*: tamen id ipsum mutari posse, non libertas est, sed libertatis imperfectio, quia est possibilitas servitutis. In quo Bellarminum nobis adstipulantem, & alios, citavimus in Summa fœderis § 99.

Mutabilitas unde?

38. Quæ ex ὑστερείᾳ creatæ mentis proficiscitur. Nam, etsi creatore dignum non sit, eam non ad ipsum reflexam & in ipsum euntem condere: tamen ea ex se digna non est, ut sit οἴκημα & ἐναργεῖον & ἐσοπτρίζμα & κοινώνημα, *habitaculum, effigies, speculum & communicatio* Creatoris; &, quum sit infinitè minor Deo, potest inferiori obhærere; &, quum se ipsam suumque ordinem nisi in Deo ut exemplari suo & omnium fine videre non possit, facili momento potest in se deflectere, ut se, quæ nihil est, faciat mensuram sapientiæ Dei. Certè eum spiritum, qui *in veritate non stetit*, falsæ sapientiæ, hoc est, mendacii adinventio præcipitavit: & illa mens, quæ à Deo corpore vestita est, cuique in membra corporea imperium dedit, paululum omisso magisterio Dei, dum ex se ipsa judicavit verum speciosi fructus finem, qui verus ejus finis non erat, fine & bono & pulchritudine sua excidit. Namque ex ὕλῃ *materiæ* aut appetitu sensitivo, qui sit contra rationem, & יֵצֶר רָע *appetitu malus*, qui homini adjaceat, non est mutabilitas. Nam mens ita facta est, ut ei obediant membra, & nullus est in homine appetitus sine anima. *Anima, quum carnalia bona appetit, caro nominatur.* Aug. de fid. & Symb. c. 10. Vide eum 2. de Civ. Dei, c. 3. & 14. 15.

39. Verum est, electionem voluntatis versari circa bonum & malum: sed non eo efficitur, libertatem esse indifferentiam circa bonum & malum; quinimò nec mutabilitatem adesse libertati. Nam & Dei voluntas circa bonum & malum versatur, non ut deliberet, sed ut illud velit, hoc oderit incommutabiliter.

40. Ergo Deus voluntatem indifferentem non fecit, sed liberam, quia rectam, & ad factorem ordinatam, dependentem à se, sui ut primæ causæ omnium, quæ sunt & fiunt, & exemplaris, & boni, & magistri ac ducis lucisque & vitæ suæ indigam; ac pro tempore, nullo cogente, per se ipsam mutabilem, *qua bene velle posset & male*: idque in homine, *ut ostenderet, quàm bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamvis sit melius, quod peccare non possit: sicut minor fuit immortali-*

tas, sed tamen fuit, in qua posset etiam mori; quamvis major futura sit, in qua non possit mori. Illam natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc est acceptura per gratiam; quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum fuisset. quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit; — ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adjutoria sive alimentorum sive quorumcunque tutaminum desint: sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem; ut autem ab ipso teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adjuvaret. Augustin. Enchirid. c. 105. & 106.

41. Poterat autem Deus hominem, quem non poterat facere, nisi rectum, mutabilem condere: quia potuit bonum imperfectius perfecto & felicitatem minorem majori prærogare. Quemadmodum etiam in ipso rerum ortu non uno pedatu fecit ut extarent omnia, sed paulatim ad meliora ac perfectiora & omnium colophonem processit: eo ipso ostendens, se etiam imposterum profectum & incrementum & consummationem machinari. Ad quam quum perventum erit, tum demum Deus requiescet ab operibus suis; quum etiam eos, qui ipsum exspectaverint, faciet requiescere à suis. Hebr. 4: 10. Es. 64: 3. *Facit* omnia, ὑπαρχόμενον, ὑπομένῳ, *præstolanti se.*

42. Neque enim Deus homini debitor erat repræsentandæ perfectæ beatitudinis; quamvis non posset ei se non ostendere bonum ejus (Hoc veritas Deo imponebat; quia revera bonum est mentis) & quia sine illo rectus & bonus homo esse non poterat. Possessio felicitatis perfectæ sine injuria & sine abnegatione bonitatis ac veritatis divinæ poterat differri. Similiter verò & in rectitudine hominem confirmari (quemadmodum in angelis electis confirmata imago Dei & in sanctis per regenerationem confirmatur & per corporis depositionem in eorum spiritu atque in regno gloriæ post resurrectionem consummatur) non erat necessarium: sed decebat Deum, si vellet, hominis obedientiam in eo statu per præceptum tentare & experiri, eumque invitare, ut ex fœdere candidatus coronæ fieret, & in obedientia sua viveret.

LOCUS DECIMUS
DE
EXPLORATIONE HOMINIS.
Cap. XXVI.

Homo non necessariò peccavit.

Homo, factus à Deo rectus & imagine Dei præditus, quamvis mutabilis esset, hoc est, (ut Augustinus dicit de corrept. & grat. c. 12.) *donum Dei, quod est perseverantia in bono, sine quo* sanctificati à peccato *perseverantes esse non possunt, non accepisset*, sed peccare & mori, Deo permittente, posset, tutus tamen esse poterat, si securus non esset, hoc est, si in timore Deo ut domino & exemplari & fini ac bono suo, atque verbo ipsius tanquam unici magistri, adhæresceret; & id unum cogitans, quod in rectitudine sua cogitabat, voluntatem Dei esse bonam & sanctam, eique esse obediendum, omnes alias cogitationes, utcunque blandientes, à se sperneret & constanter excluderet.

Præceptum.

2. Placuit autem Deo etiam præceptum exercere & explorare: nempe Ne comederet de arbore certa, quæ appellata fuit *arbor cognitionis boni & mali*. Quæ arbor fueritne tota species, an una de specie, nobis non liquet. Postremum putavit Augustinus lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 31. *Tale pomum credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant.*

Natura præcepti.

3. Præceptum hoc fuit δόγμα *placitum*, sive imperium δεσποτικὸν *dominicum*. Quis enim dubitat, esum hujus arboris homini permitti potuisse, ut aliarum arborum? & per se abstinere ab illa non magis ad justitiam facere, quàm non omnes licitos cibos consumere? Huic igitur præcepto parendum fuit ex amore dominii Dei. cujus dominii est, quòd, quum omnia sint Dei, homini nihil subjectum est, aut ab homine nihil sumi potest, nisi quod Deus ipsi concesserit vel expressè vel tacitè; & homo ipse tenetur ea facere, quæ Deus ipsi imperaverit, &, quæ vetuerit, non facere; & omninò idem cum Deo velle, & nulla in re ab ipso dissentire.

Ratio præcepti.

4. Sed, si ulla δόγματα (*positivas* leges vocitare solemus) sapientem rationem habuerunt, hoc certè habuit sapientissimam; quam homo conditus ad imaginem Dei animadvertere facile potuit.

Docuit

Docuit enim 1. Non esse ponendum hominis bonum in rebus sensum oblectantibus. Aliudque esse bonum beatificum, satians animum, & se ipso ipsi ad consummationem felicitatis sufficiens. 2. Deum esse dominum hominis & omnium actuum motuumque ejus. 3. Dominium homini in res Dei concessum esse villicationem, de qua Deo sit respondendum. Ideoque omnium rerum usum cum gratiarum actione ad glorificandum Deum & sanctificandum referendum.

Sanctio præcepti.

5. Ei præcepto fuit addita comminatio mortis, si id transgrederetur. Quæ docuit, 1. Vitam, voluntate Dei, non obtineri ab homine, nisi ut mercedem obedientiæ. 2. Omnem transgressionem esse dignam pœna mortis, sive dignum esse Deo, eam mortis pœna vindicare. 3. Vitam præ voluptate habendam esse. 4. Custodiam imaginis Dei indigere cura & timore. Quippe quum contemtus ejus & ingratitudo & neglectus finis sui glorificandi, & domini venerandi, & boni quærendi, & potentiæ ejus timendæ & pro sola rupe habendæ aspernatio, inevitabiliter privet, ut similitudine, ita communione Dei, & judicium accersat, quo divina illa spreta ab homine sensu injucundo experiatur à Deo abnegari non posse. Igitur omnis obedientiæ in hoc præcepto periclitatio est.

Ratio nominis arboris, de qua præceptum datum.

6. Et *arbor cognitionis boni ac mali* dicitur, 1. Quia erat πειρασική sive δοκιμαστική hominis, *bonus* ne an *malus* futurus esset. *Bonitas* enim hominis conservatione similitudinis Dei constabat; qua amissa, *malus* & Deo inimicus ac odiosus ipsiusque communione indignus erat extiturus. Chrysost. ἐν τῷ ξύλῳ τούτῳ ἡ γυμνασία ἦν τῆς ὑπακοῆς καὶ ἀπειθείας, *in hac arbore erat exercitium obedientiæ & inobedientiæ.* 2. Quia per hanc explorationem, si obediret, perventurus erat ad cognitionem & sensum *boni* sui, ad quod vocabatur & naturali appetitu trahebatur, nempe vitam æternam & beatitudinem consummatam, tanquam justus: contra, si inobediens esset, in *malum* ruiturus erat, nempe *mortem*, ut injustus.

Vita expectanda obedienti.

7. Idque ipsum comminatio mortis clarè explicavit. Quæ *vitæ* oppositæ ostendit, obedienti vitam esse propositam, quæ est לא מות *nequaquam mori*, vel τὸ μὴ δεῖν ἀποθνήσκειν, *non oportere mori*, h.e. τὴν ἀφθαρσίαν *non posse corrumpi.*

Mors denunciata inobedienti.

8. *Mors* autem, quam Deus hîc comminatur, significat id omne peccatum consequens, quod in Scripturis appellatur *mors*. Nempe non tantùm reditum corporis in pulverem (qui in peccatore est

quidem privatio amatorum bonorum, quoad corpus autem est abruptio peccati & inquietudinis) sed & molestias ac dolores animæ & corporis; & cumprimis separationem à Deo & vita ejus, qua is in homine recto, & ipsum amante ac timente, vivit. Animæ vita minima est sapere & bonum suum cognoscere, & in sancto amore bonæ conscientiæ gaudio frui. Ita mors animæ est desipere, per concupiscentiam à Deo recedere & malæ conscientiæ tormentis excruciari. Hinc peccatores *mortui in lapsibus*, Eph. 2: 1. *& præputio carnis*, Col. 2: 13. dicuntur; & *vita* dicitur novitas imaginis Dei. ibid. & passim. Vide 1 Tim. 5: 6. Es. 8: 19. 26: 14. Psalm. 115. vers. 17. Joh. 5: 25. Apoc. 20: 12. 13. Matth. 8: 22. Psalm. 14. vers. 1. נָבָל stultus, mente atque animo corruptus, mortuus in peccato: & *mors prima* ac *secunda* spiritualis. Apoc. 20: 5. 6. Isidorus Pelus. 3. epist. 232. θάνατος ἡ ἀθανάτου ψυχῆς ἡ ἁγίου πνεύματος ὑποφοίτησις, *mors immortalis animæ est Spiritus sancti discessus* sive *desertio*.

9. *Mortis* comminatio significat non tantùm placitum puniendi, sed naturalem consequentiam peccati & mortis. Ideò dicit: *Quocunque die comederis, moriendo moriemini.*

10. Quæ naturalis sequela mortis ad peccatum quum pendeat à decentia Dei, ut manifestet sanctitatem suam; perspicuum est, non excludere ostensionem πλήρωμα θεῦ *perfectionis Dei*, quæ est in longanimitate & misericordia. Matth. 5: 48. Psalm. 25: 8. Siquidem utrumque est Deo naturale, & sanctitatem suam demonstrare, & misericordiam exercere posse.

11. Neque adeò excludit beneficium, quo fit, ut homo mortuus in peccatis moriatur in alio, ut liber à maledictione legis vivat Deo, h. e. à Deo vivificetur.

12. Potest enim Deus sanctitatem suam, qua odit peccatum, & cum peccatore non habet amicitiam & communionem, ostendere, etiamsi totam pœnam non infligat peccatori statim, & eum à pœna per misericordiam liberet, atque, ut eum ad resipiscentiam vocet, eum per longanimitatem toleret & multis afficiat beneficiis. Ita enim poterat & comminatio statim habere vigorem, & nihilominùs supplicium vel ad tempus mitigari vel etiam penitus auferri.

LOCUS

LOCUS UNDECIMUS
DE
Transgressione hominis. itemque lapsu Angelorum, & sanctorum Angelorum conservatione.

Cap. XXVII.

Moses post præceptum Dei narrat lapsûs occasionem, nimirum Tentationem. Tentatorem ipsum non nominat: sed instrumentum illius. Historicum enim agit, & repræsentat, quid mulier tentata viderit & audiverit. Serpens locutus cum ea fuit: & falsa locutus fuit. Id signum est, Angelum defectorem fuisse tentatorem. Neque enim per serpentem loqui potuit, nisi spiritus; neque mendacium loqui, nisi creatura, & jam mala; & sic πνεῦμα πονηρὸν, *spiritus malus*, qui in veritate non constitit. ut est Joh. 8. vers. 44. Hinc Spiritus impurus nomine *serpentis* venit. Es. 65:25. Apocal. 12:9. 20:2. *Tentatio est lapsûs occasio. Tentator quis?*

2. Prima hîc mentio peccati angelici. Neque constat, an ullum prius fuerit Diaboli peccatum, quàm mala illa voluntas, quæ ipsum impulit ad mentiendum homini, ut eum occideret. Propter quam voluntatem *hostis* appellatur, quamque dum exercet adversus miserum peccatorem & Ecclesiam ⲁⲗⲱⲗⲱ sive ⲯⲧⲛ h. e. κατήγορος vocari meretur. Sine dubio autem hæc est mala illa voluntas prima, in qua semper permanet. quæque est contraria voluntati sanctorum angelorum: qui cantarunt, quum fundaretur terra, Job. 38:7. ut in eam introduceretur homo, ad cujus ministerium à Deo se videbant ablegari. Norant enim, suum esse, celebrare Deum in operibus ejus, & eam potentiam, quam Deus ipsis attribueret, impendere conservationi ejus creaturæ, quam Deus præcipuè conservatam volebat, hoc est, hominis. Quare, si Diabolum primitùs dicamus peccasse ut ἀνθρωποκτόνον *homicidam*, (ut est Joh. 8:44.) & dedignantem ministerium hominis, fortasse à vero non aberrabimus. Dicit Christus, *ab initio*. Id possumus sanè referre ad id tempus, quo Deus ostendit, se hominem velle condere. Ostendit autem *Angelicum peccatum.*

autem id, quum fundaret terram. Eam enim fecit, non ut inornata maneret, sed ut habitaretur, & quidem etiam à peccatore. Es. 45. vers. 18. Eo tamen non obstante, dici potuit, quòd Deus viderit omnia, quæ ipse fecerat, &, quòd ea bona admodum fuerint. Nam, quod Deus fecerat, bonum erat. quamvis adinventio Diaboli non esset bona. Vel ea verba de inferiori & aspectabili mundo, qui sex diebus exornatus est, accipi possunt.

Tentationis modus.

3. Propositum autem est à Spiritu sancto schema illius tentationis, ut in eo exemplo astum Satanæ & dolos illius discamus. 2 Cor. 11: 3. simul ut, in peccato esse obedientiam Hostis Dei ac hominis, &, per peccatum regnum tenebrarum & mortis conflatum & Diabolo conciliatum esse, animadvertamus. Distinguendum autem est ab initio inter tentationem divinam & tentationem Diabolicam. Deus tentavit ponendo objectum exercendi amoris & timoris sui, ut ita obedientia & bonitas hominis cognosceretur, & laudem à Deo reportaret. Item sinendo intervenire suasionem defectionis, ut suasorem ejus vinceret & eum confunderet. Diabolus tentavit suadendo peccatum, & ea gratia mentiendo.

4. Usus est larva animalis non mole sed prudentia insignis, Quæ prudentia etiam homini imitanda proponitur Matth. 10: 16. Cujus species est *videre malum & occultare se.* Prov. 22: 3. Animalia omnia tum adhuc homini subjecta erant, & singularis ille φρονιμότητος χαρακτὴρ spiritum, ut benevolum, ita sapientem commendare videbatur. Principem dæmonum de cœlo deturbatorum Pherecydes ὀφιωνέα vocat, teste Augustino de Civit. Dei lib. 14: 11. Quod arguit, Mosis historiam ad gentes perveniisse, vel id, quod à Mose narratum est, & gentibus innotuisse traditione.

5. Neque sine specie miraculi adortus est mulierem. Superat enim hominis & animalis facultatem, ut vox articulata exeat ex bruto. Deus igitur, sine quo loquela hæc formari non potuit, simul tentavit hominem, quando eum tentavit Satanas. Deut. 13: 3.

6. Mulierem tentavit primò, ut infirmiorem, & quæ viro in auxilium data erat, & sine eo nihil debebat proprio consilio audere. quam sibi comparavit parariam peccati Adami & tentationis adminiculatricem. Multum profecit, quando effecit, ut mulier verba ipsius audire & considerare vellet, non advocato viro; atque ita incepit agere ut ἀνυπεύθυνος. Hac re ordinem, quem Deus instituerat, convulsit. 1 Tim. 2: 12. 13. 14.

7. Ten-

7. Tentavit autem verbo. Ut vel hinc discere debeamus, Diabolo solenne esse à verbo Dei ad aliud verbum, à Deo magistro ad suum discipulatum deducere.

8. Verbum, quo adortus est mulierem, est λοξὸν sanè & ambiguum: unde meritò λοξίας appellatur dæmon, qui sub nomine Apollinis Græcos infatuavit. Utcunque tamen sit anceps ipsius oratio, nihilominus apparet, eum in ipsis initiis & πειρασμοῦ tentationis non aliam tenuisse viam, quàm quâ etiamnum utitur; nempe *ut se transformet in angelum lucis.* 2 Cor. 11:14.

9. Quapropter in verbis ipsius id animadvertendum est, tanquam quod efficacissimum fuerit ad seductionem mulieris, quod maximam similitudinem veri habet.

10. Ex abrupto incipit sermo à Mose repræsentatus; quod innuit, alia verba præcessisse ejusdem argumenti. *Etiam, ut dixerit Deus, non comedetis ex omni arbore horti.* In dubium vocat, an Deus præceptum dederit de vitando esu alicujus arboris. Sed ambiguè loquitur. Potest enim verti: *ex ulla.* Et particula מכל ambigua est. Primus aries intentatus fidei est verbum, quo in dubium vocatur, an verbum Dei sit verbum Dei. Dictum erat Adamo: *Ne edas. Nam morieris.* Adamus mulieri id tradidit. Satanas mulieris fidem sollicitat, ne putet id dictum esse à Deo. Doctor ille larvatus hoc agit, ut mulierem à superstitione retrahat scilicet: ne abstineat à fructu utilissimo, tanquam à vetito & noxio. Qualecunque verbum Dei fuerit, hoc imperatum esse non posse, disputat. Pestis fidei certissima sunt διαλογισμοὶ καὶ γογγυσμοὶ, *ratiocinationes & murmurationes.* Regulæ bonæ conscientiæ istæ docentur hîc. 1. Nihil facere contra conscientiam & apertum Dei verbum. 2. Non dubitare de verbo Dei: quod à Deo acceptum narratur & conscientia testatur esse ἀποφατικὸς. etiamsi non statim pateat omnis ratio divinæ sapientiæ in illo. quando nulla est ratio dubitandi, & sine tentatione Dei potest fieri, quod mandatur, aut omitti, quod vetatur. 3. Quod Deus revelat, sine dubitatione credere, etiamsi rationem superet. 4. Neminem nisi Deum doctorem & revelatorem admittere.

11. Mulier repetens verbum Dei visa est aliquid addere. quo præbuit suspicionem verbi non bene intellecti, nec satis in animo radicati.

12. Diabolus doctorem veritatis effingens præfatur nomen Dei & eum testem facit: *Novit Deus.* Exemplum inde capi-

mus cavendi Pseudoprophetas in nomine Dei falsa loquentes.

13. Mendacium apertum est, *Non moriemini.* Numquid hoc primum Diaboli mendacium? Vix aliquid de eo possumus dicere. Patet, quòd hominem voluerit subjicere sibi per alienationem à Deo. Credibile est, priùs appetivisse, hominem non immediatè subjici Deo, sed Angelis; nec in fastigium communionis cum Deo attolli. Veritatis autem ea natura est, ut aut tota amanda sit, aut tota perdenda.

14. Videtur æquivocasse, quum dixit, *Non moriemini.* Nam anima hominis non exstinguitur. Sed, quia hæc æquivocatio comparata est ad non metuendum malum, quod comminabatur Deus, mendacium est. Ita minuit timorem custodem amoris Dei. quo interfecto, amor tollitur. Nam tantundem est non timere mortem in amore irregulato sive concupiscentia, quod non solum Deum finem & vitam suam reputare. Aliud amare, est alium Deum constituere, aliunde repleri: imparatum esse ad recipiendum Deum: à luce ad tenebras converti. Deus, quia solus amandus est, ideò & timendus est, hoc est, cum humilitate & cura ac tremore recipiendus. quippe minùs amare, quàm amari quærique à nobis dignus est, ignoratio & oblivio Dei & certa mors est.

15. Hæresis pestilentissima est, *Hominem non mori, etiamsi transgrediatur præceptum.* quam magno conatu docet Socinus. qui docet, Hominem per peccatum unum non potuisse corrumpi & à vita Dei alienari, præl. Theol. cap. 4. Item, Hominem peccatorem non necessariò judicari à Deo inflictione mortis. Item, relaxari legem: &, nos non mori exsecrationi in Christo ut satisfaciente. Affines etiam huic pestilenti doctrinæ Pontificii, qui concupiscentiam nolunt esse peccatum propriè, & aliquod peccatum vocant dignum venia.

16. Neque tamen Satanas tam impudens fuit, ut id ita sine involucro traderet. Potiùs enim hoc suggessit, Edere de fructu arboris fore utile, & sic non posse videri malum aut vetitum (Deus enim non est invidus) & per consequens nec mortem afferre, quæ sit destructio vitæ & boni. Unde sequebatur, verbum Dei requirere interpretationem: ut *mori* significet mutari ab illa vita in meliorem.

17. Eoque abusus est indigitamento arboris, quod docuit esse pollicitationem sapientiæ perfectæ, excludentis possibilitatem deceptio-

ceptionis, & sic immutabilitatis à bono, & assimilationem Dei in sanctitate constantissima ac glorioſa vita.

18. Quod bonum, homini quærendum in Deo per obedientiam, suasit, ut quæreret per potestatem suam in fructu arboris, tanquam si Deus constituisset eam perfectionem ex opere operato conferre. quemadmodum nunc somniant Pontificii, justificationem, hoc est, habitus justitiæ dationem ex opere operato contingere. Quam præsumtionem Scriptura φαρμακείαν vocat.

19. Judæi commentantes in verba Serpentis, ea sic interpretantur, quasi Deo שִׂנְאָה sive *odium* & invidiam societatis attribuisset. Quas ego commentationes credo à spiritu mendacii esse profectas, ad tegendum suum strategema, quo mulierem decepit: ne vel nunc artes ipsius sentiamus aut caveamus.

20. Quòd si mulieri persuaderi potuit, beatitudinem suam & vitam à frutice pendere ita, ut, Deo invito, illam consequeretur & retineat; quid stultius ea poterit cogitari? Talis igitur opinio non facit nisi ad deridendam Scripturam & opus Dei.

21. At Satanas apertè Deo attribuit Sapientiam, Sanctitatem & Felicitatem, quando eum proponit, ut eum, cui in felicitate sua per usum pomi consequenda sint assimilandi. Hoc vero non est Deo invidiam & odium similis impingere.

22. Ludit igitur verbo Dei & de organo explorationis facit sacramentum & medium obtinendæ consummationis & immutabilitatis, quod usurpare non sit vetitum, sed libertati, dominio & prudentiæ hominis relictum. Nam & hanc datam homini gloriam, ut haberet statum suum optimum in ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ *propria potestate*. Quod tantundem est dicere atque *Vim ejus esse ipsi in Deum suum* debere. Habac. 1: 11.

23. Ita primum buccinatorem & inflatorem ἐξ αὐτεξουσίου *potestatis* & liberi arbitrii se exhibet. Planè ad istum modum, quo Jesuitæ nunc faciunt *Gratiam Christi* qualitatem aliquam, quæ sit instrumentum, quo homo uti vel non uti possit, ita ut ratio, cur gratia influat in opus, & sic voluntas Dei aliquid operetur, sit motus & nutus liberi arbitrii. Vide Jansenii August. tom. 3. lib. 2: 8. ubi redarguit Lessium. Ita Satanas: *Quo die*, &c. q. d. In vestra libertate & manu est, quàm citò velitis fieri instar Dei. Deus hoc totum vobis subjecit. & illud magnum bonum non pendet nisi ab esu illius fructûs. Is expectat voluntatem & opus vestrum: quo

extante, non deerit vobis. Huic enim medio suam vim & voluntatem alligavit; quam influendo vestra voluntate facietis efficacem.

24. Sanctus Diabolus etiam jurat, *Deus novit.* nihil enim audet loqui, quod Deus non noverit esse verum. Sed, si Jesuitas audimus ambiguitatibus ludentes, videri potest bene juravisse. Nam quid lapsum consequitur? Nonne electis datur, ut non moriantur? Nonne Filius Dei factus est ut nos? nonne fiemus nos ut ipse est? Non fiunt electi per gratiam Christi sapientes & in vita beata ἀναμάρτητοι καὶ ἀνεξαπάτητοι *impeccabiles & fallibiles?*

25. At mentitus est, quia non locutus est, quod Deus jusserat loqui, (voluit enim videri in nomine Dei loqui) neque locutus est, quod Deus antè locutus erat: & eo fine locutus est, ut crederent, maledictionem & mortem non secuturam esse esum pomi; & non sentirent se deficere à Deo & à sapientia ejus: denique non pro eo candore, quem socia creatura à Deo facta bona promittebat, & Dei opus Homo, ad imaginem Dei factus, stipulabatur coram Deo à conservo. cujus candoris est, Dei virtutes indicare, & periculum inobedientiæ non tacere.

26. Eò diligentiùs Prophetia Draconis est consideranda, quò Apostolus monet, ne in similem tentationem nos patiamur induci, & à simplicitate in Christum nos seduci. 2 Cor. 11:3. & Spiritus sanctus prænunciat, fore Pseudoprophetas, qui habeant cornua Agni & loquantur instar Draconis. Apoc. 13:11. & δαιμόνια ἐν ὑποκρίσει ψεύδολόγα *dæmonia per hypocrisin mendacium loquentia.* 1 Tim. 4:1. 2.

Transgressio. 27. Effectus tentationis est: *Et vidit mulier, quòd bona esset arbor in cibum, & quòd cupiditas esset oculis, & amabilis arbor ad considerandum: & accepit de fructu ejus & comedit: & dedit etiam viro suo secum, & comedit.* Rectè hîc Chrysostomus. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. *Colloquia mores prava corrumpunt bonos.* Vacavit sermoni vano. Is excussit memoriam verbi Dei, & timorem, quo servaret ordinem, & nihil sine Deo auderet. Allubuit non tantùm bonum ostentatum (hujus enim appetitus maximè naturalis est) sed & dominium & ἐξουσία sive *potestas* in bonum, ut adipiscendum proprio arbitratu & ope. Ad hanc αὐτοκρατορίαν *potestatem absolutam* statim voluntas non satis frenata timore Dei adhinniit. Hinc λογισμοὶ *ratiocinationes*, &, ut Sapiens dicit, Eccl. cap. 7. vers. 29. חִשְּׁבֹנוֹת רַבִּים λογισμοὶ πολλοὶ, *cogitationes plures.* Voluntas enim non

satis

satis munita timore & perscrutatione verbi titillata lubidine apparentis boni prima defecit, & pro charitate concupiscentiam admisit, imperavitque intellectui, ut rationes ad consummandam transgressionem comminisceretur. Tentata à Deo, à Diabolo, seipsa denique tentavit Mulier, ut tentaret Deum, ac periculum faceret patientiæ & potentiæ atque omnium virtutum ejus in re illicita; quæ debebat periculum facere bonitatis ejus in obedientia & timore.

28. Unum fuerat cogitandum: Deum esse hominis vitam. atque iccirco Vitam Dei non sine imagine Dei, hanc non sine obedientia & perpetua adhæsione ad consilium Dei retineri & conservari. Ergo ordinem à Deo institutum esse servandum. Ergo illi tempora nostra esse committenda. Ergo illius bonitatem & gratiam expectandam. Cogitationes diversæ illud tinniunt: Bonum est, esse in nostra potestate boni nostri consecutionem. Arbor speciosa est, fructus amabilis, bonus in cibum. Angelus quidam dixit, nos non morituros; sed futuros instar Dei, peccare & decipi nescios. Deus bonus est. Ergo Deus hoc medium nobis dedit assequendi scopum vocationis nostræ.

29. Ut primis parentibus, ita & nobis hinc constat, quid bonum sit & malum. Bonus erat homo, si custodiret imaginem Dei. Custodiret eam, si legem. Hanc, si non nimis gauderet sua bonitate & rectitudine ac statu præsenti, sed omni intentione se ad Deum amandum & retinendum & gloriam ejus obtinendam pararet, nec tantùm præceptum Dei in præsens approbaret, sed etiam timore mali, & contemplatione sapientiæ Dei & sanctitatis ac justitiæ, & imploratione auxilii divini se ad consummationem pararet. Peccati procœmia sunt non satis attendere verbo, non servare ordinem, non suspirare, non expectare Deum, vacare aliis doctoribus, deliberare. Post lapsum *bonum* est ad gratiam Christi confugere; in quo solo justitia; idque cum timore & tremore, cum fame ac siti justitiæ, cum precibus perpetuis, & meditatione jugi Verbi Dei. *malum*, sibi placere in operibus suis & consiliis, ac de viribus suis præsumere: multò magis in rebus prætereuntibus voluptatem quærere, & vacare fabulis inanibus.

30. *Dedit & viro suo, & is comedit.* Hìc humana curiositas exultat & quærit, quomodo Adamus adductus fuerit, ut comederet. numquid per easdem rationes, quas Serpens suggesserat mulieri?

an quòd viderit Evam necdum mortuam? an quòd putaverit esse peccatum veniale, quod *peremtorium* erat? (sic loquitur Lombardus lib. 2. d. 22. lit. D. quasi sine gravissimo errore putare potuerit, esse ullam παράβασιν non-peremtoriam) an, quòd *non voluerit uxorem suam contristari, quam crediderit posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, & omnino interire discordia.* Qualia sunt apud August. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 42. Qui c. 31. & hanc conjecturam affert: *Tale fuisse pomum, cujus generis poma jam innoxia senserant.* Vehementer placet, quod idem dicit: *Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum, sicut persuaderi talibus posset: conscriptum est autem, sicut legi ab omnibus oporteret, etsi à paucis hæc intelligerentur, sicut oportet.* D. Calvinus. *Præcipuum sapientiæ caput est compositæ in Dei obsequium sobrietas.* Σκολιότης *obliquitas* animæ nostræ est, omissis iis, ad quæ scrutanda nos conscientia impellit, animum languentem & famelicum περιεργίᾳ *curiositate* pascere. Adamus dicit sui excusandi causa, *Mulier dedit, & comedi.* Apostolus 1 Timot. 2: 13. *Adam non est seductus.* Quod ita tamen licet accipere, q. d. Tentator non est adortus Adamum. Ut minimum tribuamus Adamo, fuit παράβασις *transgressio*, & παρακοὴ *inobedientia*: ut qui non attenderit ad id, quod audiverat, & siverit id securè effluere. ita ut non in fide faceret, quod vetitum erat. Veteres quidam *gula* peccatum dicunt fuisse. Augustinus *superbiam, & amorem suæ potestatis.* l. 11. de Gen. ad lit. c. 31. & ex eo Lomb. l. 2. d. 22. B. Calvinus monet, primam labem fuisse, quòd se abduxerint à verbo Dei.

31. Bellarminus de am. gr. & lt. pecc. l. 3. c. 9. anxiè comparat peccatum Evæ & Adami, quærens, quod gravius sit. Nobis certum est, fuisse verè ἁμαρτίαν *peccatum* & πτῶμα *lapsum, ruinam.*

Consequens lapsûs vitium breviter attingitur.

32. Statim in peccatoribus se *mors* exserit. *Nuditas* apparet, hoc est, aliquid pudendum ac turpe. Quippe ἐγυμνώθησαν τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς, *nudati erant superna ope.* Chrysost. In membris jam hærebat lex peccati. Ducatus illis cesserat, spiritu abeunte. Hoc homini priùs incognitum. ne fingamus cum Socino, sic hominem factum, ut esset in eo altercatio duplicis Appetitûs, *Recti & Sibi boni*; vel cum Pontificiis, partium inferiorum & superiorum pugnam; nedum hominem sic creari potuisse, qualis est post lapsum.

33. *Viderunt.* August. c. 32. l. 11. de G. A. L. *In ipsa pœna sua generositatis vindex anima rationalis bestialem motum in membris sua carnis erubuit, eique incussit pudorem, non solùm, quia hoc ibi sentiebat, ubi*

nunquam

nunquam antea tale aliquid senserat; verùm etiam, quod ille pudendus motus de præcepti transgressione veniebat. Conscientia igitur judicavit, 1. Ipsos malos esse. 2. Non esse honestum id patere sensibus, quod animam languentem ad concupiscendum illicere potest. Perierat imago Dei, mansit conscientia testis peccati & contristans & irritans concupiscentiam.

34. Vix peccaverat homo, & requiritur fugitivus & ἄφετος *Dei exsors* à πιστῷ κτίστῃ *fideli creatore.* qui non tantùm examen instituit: sed & in damnatione Serpentis ostendit פֶּתַח תִּקְוָה *ostium exspectationis.* & insuper eum spe ad patientiam munit recitans ea, quæ & assertis ac sanctificatis, victo Diabolo, ad exercitium fidei & charitatis, & ad debilitationem vetusti hominis (quem *pulverem* appellat) divina gratia ordinasset. Sed hæc prægustasse sufficiat. de quibus suo loco & ordine dicendum.

25. Debebamus hîc etiam de constantia & conservatione bonorum Angelorum agere, ut ordo noster promittit: sed, quia, quum de Angelis ageremus cap. 16. nobis excidit, ut de ea loqueremur § 37. eò lectorem remittimus.

LOCUS DUODECIMUS

DE

Providentia Dei, etiam circa mala.

CAP. XXVIII.

Creatum esse mundum à Deo initio, & quidem bonum ac sine labe, supra demonstratum est. Ex quo autem conditus fuit, & constitisse eum hactenus & peccatum in eum intrasse, compertum est. Nunc igitur considerandum est, quomodo se habeat Deus ad mundum consistentem & permanentem, & quidem, quatenus in eo geruntur mala.

2. Mundum non creavit Deus, ut per se ac sua ipsius virtute, manu Dei subductâ, subsisteret: quod somniavit Taurellus. sed eum perpetuò fert. *Creatura est creata conservare.*

3. Ne-

3. Neque enim id, quod ex nihilo est, aliter extra nihilum esse potest, quam ea vi, qua productum est. Ergo, quo jussu & imperio exstitit, eodem stat.

4. Nihil seipsum conservat. Quòd enim quæque res suum locum affectat, suumque ordinem retinet, an sapientiæ tribuemus, quæ sit in illis, aut potentiæ, qua vel socia ac conjungenda sibi requirant, vel ab iis attrahantur? Quæ basis universi est, quis angularis lapis, quis mensor, Job. 38: 5. 6. quis fluminum castellarius, quis diei noctisque auriga, quis mutat hibernas tenebras in æstivam lucem, Amos. 4:13. quis luci monstrat locum suum, Job. cap. 38:12. quis ambulat in circuitibus cœli, Job. 37:12. quis equitat in alis venti, Psalm. 18:11. 104:3. quis dat vento pondus & pluviæ mensuram, & viam fulguri, Job. 28:25. 26. 38:25. quis manu sua tectum ignem cœlestem in terras defert, & imperium ei dat ne noceat, gramini, animali, homini, imprimis supplici? Job. 36. v. 32. 33. Quis lucem nocturnis miscet tenebris? quis circinavit modum aquis, ad quem assurgant cum minima vel amplissima noctium luce? Job. 26: 10. Numquid cœli pluunt? Jerem. 14: 22. Numquid homo (cui hæc serviunt) lucem & imbrem sibi cœlitus promit, Job. 38: 34. & è terræ gremio germina provocat, aut ex animantium uteris fœtus, ut sit quo ipse & animantes nutriantur? Quis suo consilio natus est? Job. 38: 21. quis sibi staturam dedit aut vultum aut sensus, aut vocem aut ingenium aut robur? Matth. 6: 27. Job. 38:36. 35: 11. aut cui parentes dederunt? Sine numero hæc sunt, ideoque abrumpenda recensio.

5. In Deo igitur omnia *sunt* & *moventur* & *vivunt*. Actor. 17:28. Illius virtute *sunt*, quæ tantùm sunt; ut vitæ expertia: & in suo ordine locoque, quo debent esse, cumque omni usu suo & qualitatibus, quibus prosunt, sunt: illa autem, quæ moventur vel incremento, vel sensu, vel etiam ita, ut se agant de loco in locum, non tantùm Dei potentia *sunt*, sed & *moventur*. Quæ verò etiam *vivunt* (vitâ altioris gradus) cogitando & volendo, rectè cogitando & sapiendo, rectèque amando, Dei vim experiuntur, qua ita vivunt. quorum ea, quæ recta sunt, ita etiam imago ejus sunt, ut γένος αὐτοῦ *genus & proles Dei* esse intelligantur, in ipsis tanquam in speculo relucentibus gloriæ divinæ radiis.

6. Deus igitur, *substantia creatrix mundi sine labore regens & sine onere continens mundum* (Augustin. ad Dardan.) est omnibus מָעוֹן *habitaculum*,

taculum, & צור *Petra*, &, ut pulcrè Hebræi, הַמָּקוֹם id est, non tam locus, quàm ὑπόστασις πάντων *omnium subsistentia & sustentaculum*.

7. Atque hinc non longè à quovis abest; quippe omnia in ipso sunt. Actor. 17: 27. 28.

8. Hæc est prima pars providentiæ, quæ dicitur *Conservatio*.

9. Quæ est, ratione earum rerum, quæ esse inceperunt, quasi continuata creatio.

10. Quippe, quo voluntatis momento Deus esse dedit rebus, eodem dedit eis עוֹלָמָם hoc est, totam suam durationem & καιροὺς προτεταγμένους *tempora præfixa*. Quo verbo ab initio vocata sunt, ut venirent, eodem manent & se movent ac vivunt. *Potenti verbo portantur*. Hebr. 1:3. Propter quam voluntatem sunt, propter eandem condita & formata sunt. Apoc. 4:11. Nemes. c. 44. de n. h. πάντα ἤρτηται ἐκείνου θελήματος, καὶ ἐνταῦθεν ἀρχὴν ἔλαβον καὶ σωτηρίαν.

11. Et, si quid *annihilaretur*, non nova potentia aut voluntate destrueretur, sed, impleto προτεταγμένῳ καιρῷ *præfixo tempore*, desineret esse. Et ita, quæcunque desinunt esse, quod sunt, & redeunt in sua elementa & pulveres, vel in alia transeunt, dicuntur, Deo faciem occultante, perire. Psal. 104:29. Quemadmodum enim, quæ manent, proclamant, Deum velle, ut sibi creatori appareant, sequeque vocari à Deo, & sentire obtutum ipsius: ita, quæ pereunt, quasi nolente ea videre aut videri ab eis & sentire vim suam amplius, abeunt. *Annihilatio.*

12. Neque tamen mundi conservatio constat absque creatione propriè dicta. *Creatio propriè dicta in conservatione.*

13. Quotquot enim res incipiunt esse quomodocunque, creantur: &, quod generant parentes, Deus creat. Quicquid enim est in eis, quæ generantur, Deo vocante & jubente est. Creare autem nihil aliud est, quàm quid novum verbo producere.

14. Atqui, nisi nova individua quotidie orirentur, genera, quibus mundus exornatus est, individuis abeuntibus, perirent; & sic desineret mundus esse habitaculum, imprimis Hominis, propter quem creatus est: atque adeò frustra esset.

15. Ergo & novorum individuorum in omni specie creatio pars est conservationis mundi & specierum in eo.

16. Ex quo perspicuum est, deliràsse eos, qui putarunt, Deum habere providentiam generum, sed eam non pertingere ad singula minima entium individua. Atqui etiam capilli capitis nostri numerati

merati sunt. Et, ne putes, de homine sollicitiorem, reliqua extra curas suas habere Deum, ne passerculi quidem sine ejus voluntate cadunt in terram sive capiuntur. Matth. 10: 30. Quidni lacrimas & suspiria sanctorum colligat atque in rationibus suis reponat? Psalm. 56: 9. Adde his Matth. 6: 30. Luc. 12: 28. 1 Cor. 15: 38. Job. 37: 6. 38: 28. Matth. 5: 45. Ps. 104: 30. 147: 15.—18.

17. Pulchrè Pindarus exactissimam omnium etiam minimarum rerum in Deo scientiam descripsit, Pyth. IX. κύρεον ὃς πάντων πλεῖ- ϑα καὶ πάσας κελεύθους. ὅσα τε χϑὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει, χ' ὁπόσα ἐν ϑαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμμαϑοι κυμασι ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται· χ' ὅ, τι μέλλει, χ' ὅ, τι πόϑεν ἔσται, δ' καϑορᾷς. *Cui summa nota est omnium, Viaque cuncta. floribus Quot terra vernet & comis; Quot amnium & magni maris Flagris arenæ fluctuum Et fluminum impete æstuent; Quid sit futurum, &, unde quid Sit exstiturum, perspicis.*

18. Quæ, utut magnificè dicta, tamen superantur à nuda simplicitate Scripturæ. Actor. 15: 18. γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ ϑεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Nota à seculo sunt Deo omnia opera sua.* q. d. Novit, decretumque & constitutum habet, quid facturus sit.

Concursus. 19. In conservatione insignis est, quem Scholæ vocant, *concursus*. Qui significat causarum secundarum dependentiam à causa prima in suis actionibus. Quod enim à se ipso non est, id nec à se ipso agere potest.

20. Mirabile est, quicquam esse, quod aliquando non fuit: mirabilius, id etiam agere: maximè mirabile, & liberè agere; sic etiam, ut & contraria agere possit.

21. Attamen perspicuum est, & esse in quibusdam agentibus (quæ, stilo Apostoli, non tantùm *moventur*, sed & *vivunt*) libertatem; & ea necessariò à prima causa & nutu voluntatis ipsius in actionibus dependere.

22. Cujus dependentiæ τὸ πῶς æquè creaturam latet, atque ipsa ratio creationis sui. Neque id nosse potest, nisi creator & motor primus: quia is solus se ipsum suasque virtutes & divitias novit. Non reperitur in ulla re, in ullo loco sapientia. Interitus & mors audierunt vocem ejus: nobisque renunciant, Deum vias ejus parasse & nosse locum ejus. Job. 28: 23. q. d. Nulla creatura novit mentem Dei, &, quid Deum deceat facere vel non facere, & quomodo Deus omnia regat, ut, quum creaturæ sæpe ipsi adversentur, tamen nihil fiat præter voluntatem ejus. Esse autem apud

Deum

Deum ſapientiam iſtam, ipſa Mors & Interitus ipſe indicant, tanquam teſtes ejus. Nam, quum omnia ſint ex nihilo, & non poſſint ſubſiſtere, niſi divina voluntate, nemo dubitare poteſt, quin Deus ab initio omnia pulchrè fecerit tempore ſuo. Mors quoque, qua homines in ſuos pulveres redeunt, teſtis eſt, Deum peccata odiſſe & iis, qui quærunt ipſum, melius aliquid paraſſe. Non immeritò igitur Pſalmus 139. teſtatur, ſcientiam Dei & operationem ejus omnipræſentem homini eſſe ἀνέφικτον. *Tu noſti ſedere meum, & ſurgere meum & diſtinctè cognoviſti cogitationem meam à longinquo* (h. e. longè antè. ſic Eſ. c. 25: 1. *Conſilia à longinquo.* cap. 22: 11. *formator à longinquo*) *Omnes vias meas periclitatus es. Quum non eſt verbum in lingua mea, ecce, Iehovah, noviſti illud omne. Retro & ante obſides me & imponis mihi manum tuam. Mirabilis eſt ſcientia præ me, ſublimis eſt, non valeo ad ipſam pervenire. . . . . accipiam alas Auroræ, habitem in extremo maris: etiam eò manus tua duceret me & teneret me dextera tua.*

23. Sed, ut meritò Deo relinquimus hujus partis providentiæ plenam cognitionem, ita noſtrum eſt, ea, quæ manifeſta aut revelata ſunt, ad gloriam Dei confiteri.

24. Nempe eadem actio & idem opus, quum ſit cauſæ ſecundæ, & ejus eſſe dicatur, ac ejus nomen præferat, tamen & pendet à cauſa prima: nec tantùm remotè, quatenus à cauſa prima eſt eſſentia & facultas cauſæ ſecundæ (quod dicitur ſtatuere Durandus & Ludovicus à Dola) ſed proximè & immediatè: ut omnis motus creaturæ à prima cauſa in particulari pendeat. Quò ſolent referri hæc dicta. Eſ. 26: 14. *Deus, omnia noſtra opera operatus es nobis.* Rom. 11: 38. *Ex ipſo, per ipſum, in ipſum ſunt omnia.* 1 Cor. 12: 6. *Deus omnia operatur in omnibus.* Jer. 1: 5. *Priuſquam formarem te in utero, novi te.*

25. Ita ut præſupponat in Deo nutum voluntatis, deſcriptionemque & determinationem conſilii, ad quem actum velit concurrere: dum ſcil. creaturis liberis necdum confirmatis ſed mutabilibus conſtituit dare, ut liberè vita & ἐνεργείαν, quam ipſis dedit & daturus eſt, etiam abutantur. Qua ratione & concurſus præcurrit. Eſt enim hoc conſilium ante actionem creaturæ: cujus efficacitas in tempore quaſi comitatur creaturæ operationem; ſed comitatur ut efficacitas cauſæ primæ. *Concurſus præcedens.*

26. Providentiæ huic in peccato adeſt *Permiſſio.* Quæ non eſt Conceſſio per remotionem legis obſtantis; nec ceſſatio à ponen- *Permiſſio peccati.*

dis impedimentis moralibus aut difficultatibus agendi (sæpè enim numero committitur peccatum vel facto vel certè cupiditate cum omnibus impedimentis luctante) sed includit negationem illius ἐνεργείας, qua Deus facit, ut præcepta ipsius fiant à creatura, cum præbitione concursus ad liberam creaturæ ἐνέργειαν.

Concursus indifferens positus in hominis potestate.

27. Comminiscuntur Jesuitæ *concursum indifferentem*, positum in hominis potestate, non priùs influentem in effectum sive bonum sive malum, quàm voluntas influat. Quæ sunt meræ Chimæræ.

28. Nam hoc commento fingitur Deus concurrere, ubi incertum est, an quid fiat: concurrere ad utrumque & ad neutrum & ad alterutrum: & non concurrere ad volitionem hominis: & concurrere, antequam concurrat; & concurrere, quum homo influxerit; ac dependere ab hominis influxu. & mutari in tempore tum quoad scientiam, tum quoad decretum. Nam, si concursus est ita planè indifferens, Deus non priùs sciet, quid creatura facturа sit, sed, quum ea voluerit feceritque id, quod ei permissum fuerit, tum demum id sciet: &, quod ab initio non decreverit, nisi conditionatè, id, post visam cognitamque creaturæ voluntatem, demum decernet absolutè. Ut omittam, eodem fieri hominem, etiam peccatorem, dominum & causam vitæ suæ ac salutis. De quo agendi non est hic locus.

29. Sed, Deum habere voluntatem determinantem, cui subjiciatur etiam peccans, ut non possit in omnibus peccare & peccando limitationem Dei excedere, & sua sponte ac liberè, ubi sinitur, peccet, pendens à nutu aut, si placet, concursu certo causæ primæ, satis perspicuum est intuenti πρόθεσιν αἰώνων *propositum seculorum*, quod Deus fecit in Christo, quo statuit peccata expiare & remittere. Eph. 1: 4. 5: 11. Nam, qui statuit peccata remittere, statuit etiam ea permittere. Et, qui decrevit per filium ea expiare, is noverat, quod permittebat, esse futurum. Et, qui certum populum ac peculium elegit servandum ante jacta mundi fundamenta, is non ignoravit illorum peccata.

Auctor peccati non est Deus.

30. Homo tamen est auctor peccati, non Deus. Rectitudo enim Dei est, creaturam explorare, & annuere, ut liberè peccet: rectitudo hominis, in lege Dei permanere: quam non violat Deus, observans creaturæ, quem instituit, ordinem; eique velut συντασσόμενος; sed homo subjectus mandato.

31. Dicitur tamen Deus *etiam* ἐᾶν *permittere* peccatoribus, ut in viis

viis propriis ambulent, Actor. 14: 16. non dando ipsis pœnitentiam per verbum & spiritum suum. In qua desertione est judicium includens sub inobedientiam, Rom. 11: 32. quale est judicium factum de Simei & Davide: quod exprimitur his verbis; *Deus dixit ad Simei, maledic Davidi*, hoc est, Deus judicavit, Simei dignum esse, qui illo peccato macularetur, & Davidem eo modo debere humiliari. 2 Sam. 16: 10. Quale item pronunciatur Apoc. 22: 11. *Qui injustè agit, injustè agat amplius, &, qui sordidus est, sordescat amplius.* Quale de Israëlitis infidelibus Deut. 32: 20. *Dixi, occultabo faciem meam ab ipsis.* Psalm. 81: 13. *Et dimisi eum in obstirmatione cordis sui. Eunt in consiliis suis.* Inest etiam sapiens limitatio malitiæ, juxta quam homines, seipsis auctoribus, talionem luunt eorum, quæ contra Deum designaverant. Rom. 1: 24. 26. 28. 29. 30. 31. 32.

32. Et sanctos, quos vult tentare, dicitur *deserere*, ut manifestum fiat, quid sit in ipsis. 2 Chron. 32: 34. Quæ desertio est non datio illius efficaciæ spiritus, qua fiat, ut homo resistat tentationi, hoc est, pellectioni Diaboli & inclinationi pravæ naturæ.

33. Nam in bono non tantùm est permissio & concursus, sed *auxilium*. Quod est, non partitio operæ, neque tantùm datio facultatis & roboris, sive habitus, neque tantùm facilitatio (ut ita cum multis loquar) & promotio ac provectio sive πλείωσις ejus, quod homo inceperit, boni: sed ipsum facere, ut creatura velit & faciat. Phil. 2: 13. Ezech. 36: 27. In hoc igitur Deus & imperator & doctor & suasor & exemplar & præparator & custos & retentor & per suam amabilitatem ad se quærendum invitator & voluntatis bonæ creator & operis boni formator, ejusdemque laudator ac remunerator; denique auctor est. Ne creatura, si benè egerit, glorietur in se ipsa, dicatque, Ego me feci, & non Deus. (Ezech. 29: 3. Psal. 95: 6. 100: 3. 149: 2. Job. 35: 10.) & non agat gratias Deo, quòd bonitatis Dei & sanctitatis ejus particeps facta sit.

Auxilium.

Auctor bonè Deus.

34. Neque sic *fato* omnia aguntur necessario; sed consilio Dei, gratiam & judicium distribuentis, libero.

Non est fatum.

35. Neque excluditur *contingentia*, quæ est in iis, quæ sunt & possunt non esse; quippe nulla res mutat naturam suam, quia ordinatur à Deo: sed, quod *fortuitum* est in ordine ad causam secundam, id fixum & προγνωσμένον est in ordine ad Deum. Exod. 21: 13. Prov. 16: 33. Ita & liberum est homini, quod juxta Dei consilium liberè fit ab homine.

Contingentia & libertas non tollitur.

Mediata & immediata Dei operatio.

36. Quando secunda causa agit cum prima & sub prima, dicitur Deus *mediatè* operari: quando quid sine causa ulla alia sistit, *immediatè*. Sed mediata operatio non adsciscit causam secundam, ne Deus fatigetur; quin amplior est manifestatio virtutis in iis, quæ per causas secundas fiunt. Nam facit & causam & virtutem causæ & effectum & ipsam productionem effecti, & sapienter aliud ad aliud ordinat. Atque hîc tenendum est, quod Scriptura dicit de Deo, non tantùm ἐξ ὧν τὰ πάντα, *ex quo & ad quem sunt omnia*, ἀλλ' οὗ τὰ πάντα, *propter quem*, id est, propter cujus consilium, voluntatem & potentiam sive voluntatis efficaciam sunt omnia, & propter cujus gloriam & laudem sunt omnia, quæ sunt: sed etiam δι' οὗ τὰ πάντα, *per quem sunt omnia*, hoc est, cujus immediata & proxima virtute, ut causæ primæ, sunt omnia. Quum enim omnia, quæ ex Deo sunt, ad Deum esse necesse sit, necesse etiam est, *omnia per Deum esse*, & ipsius virtute, jussu atque imperio adduci; neque Deum indigere & uti propriè dicto instrumento, per quod aptus fiat ad opus, ne quid sit, quod cum Deo gloriam communem habeat. Nam, si Deus instrumento indigeat, quemadmodum homo, qui necesse habet uti instrumento vel vivo, ut jumento, servo, socio, vel vita carente, ut scriptor calamo, instrumento illi cedet pars gloriæ operis. Quare etiam istiusmodi opera, ex quibus gloria divina, sive relatio, quæ solam magnitudinem Dei decet, oritur, non possunt concedi causæ secundæ: nempe ut causa secunda sit dominus hominum, & fiducia ac gloriatio ipsorum. Atque inde est, quòd eum, qui consummatus per passiones factus est causa salutis æternæ obedientibus sibi, non tantùm oportuit esse σωτῆρα, *salvatorem*, sed ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας *primum auctorem salutis* (Hebr. 2: 10.) ne quis nisi in Domino gloriaretur. 1 Cor. 1: 30. 31. Phil. 2: 9. 10. 11. Psalm. 149: 2. *Lætetur Israël in factore suo*, sive *facientibus se*. Es. 45: 25. *In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis*. Et rursus Psalm. 148: 13. *sublimatum est nomen tuum solius*. Unde & Deut. 32: 27. cavetur נכר h. e. *alienare* Dei opus, ut dicamus, *Non-Iehovah id fecisse*: & negatur, Deo unquam adfuisse *socium* in suis actionibus. ibid. 12.

Miracula.

37. Quare in iis, quæ minùs miramur, Deus est mirabilior: licèt in illis, quæ causam in natura non habent, solus evidentiùs noscatur. De quo genere dictum est: *Qui facit miracula solus*. Psalm. 72: 18. Quod non ita accipiendum est, quasi omne id, quod superat

perat vim hominis, sit statim verum miraculum (amplius enim valent efficere angeli, quàm homines: & multa impurorum spirituum mirabilia sunt opera) neque quòd, si omnino constet, esse effectum supra vim omnis creaturæ & solius creatoris opus, statim id opus Creatorem prodat testem fidelitatis ejus, ad cujus vocem miraculum fit, & non sæpe tentatorem. Deut. 13: 2. 3. Fas est enim Deo, hominem, cui dedit imaginem sui, aut saltem conscientiam, & verbum, & testimonium de se, explorare opere tam immediato, quàm mediato. Neutrum enim sine Dei voluntate & potentia fit.

38. In providentia hactenus ferè observavimus id, quod est potentiæ, & creationis universi continuatio est; quod *Conservationem* diximus. Neque tamen hoc fides nostra tantùm respicit, Nihil fieri contra Dei consilium, &, Fieri omnia, quæ ipse vult; sed etiam se eò extendit, ut non dubitet, *Deum omnia feciſſe pulchrè tempore suo*, Eccles. 3: 11. Actor. 17: 26. 1 Tim. 2: 6. In quo versatur *Gubernatio*: qua sapientiam suam in suis operibus demonstrat, sive manifestet misericordiam & clementiam, sive judicium, sive dominium & potestatem. Job. 37: 13. *Sive in virgam, sive terræ suæ, sive ingratiam, facit assequi.* Prov. 16: 4. *Omnia tractat, parat, Deus propter se & prout cuique convenit, etiam improbum, ad diem mali.* Hos. cap. 14: 10. *Rectæ sunt viæ Domini.* Cavendum autem est, ne, quia consiliis & operibus Dei videmus intervenire innumerabilia creaturæ peccata, ideò existimemus, peccata à Deo esse ordinata ut media. Peccatum enim non potest esse, nec finis, propter quem quid agatur, nec medium, ex quo sequatur finis, & quod sit propter finem bonum. Peccatum enim ad sequens Dei opus bonum se habet tantùm, ut ἀφορμὴ & *occasio*: sive id opus Dei bonum sit gratia, sive judicium. Nam Dei non est media ordinare ad judicium, & homo non peccat eò, ut judicetur: porrò peccatum tantum abest, ut sit causa gratiæ, & medium eam adducens, ut per se provocet pœnam.

Gubernatio.

Peccata non sunt media.

39. Fidei gubernationis divinæ est amare providentiam Dei, etiam tum, quando homo nihil eorum reperit, quæ Deus facit, ab initio usque ad finem, Eccles. 3: 11. non præoccupare consilia Dei, non petere consilia à carne & Diabolo; quod faciunt, qui peccant, & sic Deum tentant, ut suos fines assequantur: sed vias suas in Deum revolvere, ad vias Dei attendere, & in illis ambulare, eosque glorificare.

40. De quibus Dei viis si loquendum esset, omnium sacrorum codi-

codicum recitanda esset materia, quibus & prisca Dei opera descripta sunt, & consilium Dei in futurum Israëli & Ecclesiæ expositum est. In quo genere non infeliciter sudavit Salvianus.

41. Quos ea vexat cogitatio, videri in hoc seculo omnia confusaneè agi, & malis benè, bonis malè esse; is legat Psalmum 37. 49. 73. & 92. & similes: præcipuèque cogitet, 1. neminem bonum esse. 2. Qui videntur esse boni, multos esse pessimos hypocritas. 3. Jucunda hujus vitæ non facere bonos; nec esse id bonum, quod sperandum aut appetendum est bonis. 4. Bonos malis corrigi & in iis se experiri ad spem tanquam fructum justitiæ. 5. Bona terrestria malis dari in convictionem & in judicium, (Job. 36: 16. 17. 18.) & in explorationem justorum fidei & constantiæ ac tolerantiæ, imò charitatis minimè invidæ, ut discant non propter abundantiam improborum classicum canere fraudati, Job. 35: 9. & ne dicant cum vulgo, Laudemus improbos, quia ædificantur, tentant Deum & effugiunt, Mal. 3: 16. & indolescere pauperibus atque afflictis, interque eos potiùs sanctos quærere, & eos non contemnere, quum & pauper frater sit, & Deus sit is, qui fecit eum, Proverb. 14: 30. 17: 5. & sæpe, ut mali habeant, quo serviant Ecclesiæ, ut, dum ipsi quærunt haberi servi Dei, servis Dei commodi sint, & alios servos Dei adducant. 6. Deum injustis benefaciendo suam πληρότητα *perfectionem* ostendere; Matth. 5: 45. 48. virgam adhibendo electis se præstare patrem. Hebr. 12: 5. 6. 7. 8. 1 Petr. 4: 18.

LOCUS DECIMUS TERTIUS
DE
Effecto peccati in primo homine & in posteris.

Cap. XXIX.

De hominis per peccatum corruptione.

Effectus inobedientiæ Adami primus est *Reatus* sive debitio pœnæ. Propter reatum dicitur homo ὑπόδικος, dignus damnatione,

tione, ὑπόδικος τῷ θεῷ, *debitor pœnæ Deo*, ἁμαρτωλὸς *peccator* expers Dei & eo excidens, ἄδικος *injustus*, μιαρὸς *inquinatus*, ὑπὸ κατάκριμα ὢν *condemnationi subjectus*. Reatus respondet τῷ δικαιώματι θεοῦ *flagitationi justitiæ Dei* (Rom. 1: 32.) quòd, quia Deus est exemplar creaturæ ad imaginem ipsius factæ, non potest seipsum abnegare & non testari, quòd peccator sit dissimilis sui. Id δικαίωμα lege stabilitur. Quæ ex lege præmium promittente aut etiam addicente fit lex damnans & addicens peccato in servitutem; atque ita *lex peccati* Rom. 8: 2. & mortem homini irrogans; atque ita *lex mortis*. ibid. quasi dicat, Peccato & morti inserviens. Tam enim decorum ac dignum Deo est, quòd dicit lex, *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, ut ea faciat*, quàm quòd dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis*. Et par est utriusque sententiæ veritas. nempe, quòd, qui fecerit illa, non possit non in illis vivere, &, qui ea non fecerit, non possit non maledici & mori; utrumque propter veritatem Dei: & quidem eam veritatem, qua non potest testari contra id, quod est & contra suas virtutes. Interest enim gloriæ ipsius, ut virtutes ipsius agnoscantur. Quæ si ipsi non reddatur à creatura, à creatura abnegabitur & in alium Deum mutabitur.

Reatus unde?

Lex peccati & mortis.

2. Reatûs consequens est *alienatio à vita Dei* Eph. 4: 18. sive privatio sanctificationis, quæ est à *Spiritu Dei*. Unde homo peccator appellatur ψυχικὸς *animalis*, hoc est, solam animam vivificatricem & rectricem habens, 1 Cor. 2: 14. & expressiùs πνεῦμα μὴ ἔχων *spiritum non habens*. Judæ v. 19.

Privatio sanctificationis.

3. Ex privatione sanctificationis existit *impotentia* se subjiciendi legi Dei, & cognoscendi Deum sic, ut eum glorificet ac ei gratias agat: & *concupiscentia* regnans in membris, hoc est, quòd talis est, ut voluntas illius non possit non φθείρεσθαι *corrumpi*, sive perperam appetere aut fugere ea, quæ in hoc mundo sunt vel jucunda vel molesta.

Impotentia, concupiscentia.

4. Quæ corruptio quàm latè pateat, cognosci potest ex statu filiorum Adami; in quibus ea corruptio appellatur *vetus homo*. Rom. 6: 6. Eph. 4: 22. *Homo*, quia invenitur in utraque hominis parte, spiritu & corpore. *Vetus*, quia est prima & abolenda hominis conditio.

Nomina corruptionem indicantia.

5. Vocatur etiam *exterior homo*, 2 Cor. 4: 16. quia corruptionis hujus ducatus in *membris* residet, Rom. 7: 5. 23. unde etiam *concupiscentiæ corpori* attribuuntur, Rom. 6: 12. & tamen rursus *homo*, quia pravitas illa & impotentia utriusque partis est.

6. Et hinc homo peccator appellatur in Scripturis *caro* vel *pulvis*. Gen. 3: 19. Pſalm. 103: 14. Eſ. 65: 25. Gen. 6: 2. Joh. 3: 6. Quia voluntas ejus perperam appetit aut fugit ea, quæ per *carnis* ſive corporis membra, oculos, aures, manus, palatum cognoſci & percipi poſſunt.

7. Ipſa quoque illa conditio aut qualitas ſive impotentia *caro* vocatur: Rom. 7: 5. 8: 5—9. nec tantùm, ſed etiam difficultas boni agendi & pronitas ad peccandum reliqua in ſanctificatis & juſtificatis *caro* appellatur. Rom. cap. 6: 19. 7: 18. 25. Col. 2: 11. 1 Cor. cap. 3. verſ. 3.

8. Et hinc *corpus* hominis mortalis vocatur *corpus peccatorum*, Rom. 6: 6. quia ad peccandum per illius membra irritatur: & in ipſis ſanctificatis *corpus peccatorum*, cum reſtrictione, *carnis*, Coloſſ. 2: 11. quia peccata ſunt *carnis*, non *ſpiritûs*, nempe ſancti, cujus templum ſunt ſpiritus & corpora ſanctificatorum.

9. Vocatur igitur homo, poſtquam peccavit, *pulvis* & *caro*; quia in dicionem partis pulvereæ & carneæ, hoc eſt, membrorum totus redactus eſt, non habens intus in mente ſpiritum ducem, illuminatorem, rectorem.

10. Vocatur ea labes etiam *concupiſcentia*. quod nihil aliud ſignificat, quàm malam voluntatem. quæ & φθορὰ *corruptio* appellatur. 2 Petr. cap. 1: 4.

11. Quanquam id vocabulum propriè ſignificat actum, tamen adhibetur ad notandum eam conditionem hominis, qua, propter *legem peccati*, (ut loquar cum Theophraſto) πεπὸς ἐστιν οἷ ἐπιθυμεῖν, *talis eſt, ut concupiſcat*, &, ut Apoſtolum imiter, ἀδυνατῶ μὴ ἐπιθυμεῖν, *impotens ad non concupiſcendum*. Vide Rom. 7: 8. 8: 3. 7. Poſſumus autem eam conditionem etiam ἕξιν *habitum* ſive διάθεσιν *diſpoſitionem* nominare. Vocabulum autem ἐπιθυμία *concupiſcentia* & ἐπιθυμεῖν *concupiſcere* in deſcriptione hominis vetuſti & in præceptis converſionis ſignificat concupiſcentiam malam & pravam; in oppoſitione τῆ ἀγάπης, *charitatis*, quæ bonam voluntatem ſignificat. Quanquam ipſum vocabulum ſua natura eſt μέσον *media ſignificationis* & ἐπαμφοτερίζον *ad utrumque aptum*.

12. Ab hac impotentia nominatur homo ἀσθενὴς *impotens* Rom. 5: 6. & *impotentia* tribuitur *carni*: ἡ σὰρξ ἀσθενὴς *caro impotens eſt*. Matth. 26: 41. ἡ ἀσθένεια τῆς σαρκὸς. Rom. 6: 19.

13. Vocatur etiam ea animæ corporiſque labes ἁμαρτία *peccatum*,

tum, & ἡ ἐνοικοῦσα ἁμαρτία *inhabitans peccatum*. Rom. 7:7.—20.

14. Cujus appellationis non parva emphasis est. Significat enim, 1. quòd ea corruptio sit consequens peccati primi, & per illam lapsus abundet. Rom. 5:20. 2. Quòd sit malum contrarium imagini Dei, quam servandam esse lex Dei in corde scripta testatur; atque ita contrarium & legi Dei & naturæ ejus. 3. Quòd adeò vel solum collocet hominem sub κατακρίμα *condemnatione*. Ideò Apostolus Rom. 7:13. id *malum*, quod vocat ἁμαρτίαν *peccatum*, cui attribuit concupiscentias actuales, ut fonti, dicit καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν *secundùm excessum peccaminosum*, q. d. excellenter promerens damnationem.

15. Hinc igitur homo vocatur *mortuus*. Es. 8:19. 26:14. Dan. 12:2. Joh. 5:25. Rom. 7:10. Eph. 2:1. Col. 2:13. Apoc. 3:1. 20:12. Cui affine est נָבָל *Nabál* ἄφρων, *mente atque animo corruptus*. Psalm. 14:1. Nam נְבֵלָה *Nebeláh* est *cadaver*, נוֹבֵל *Nobél emoriens*.

16. Et טָמֵא *impurus*. Job. 14:4. 15:16. Es. 64:5.

17. Et est רָשָׁע ἀσεβὴς, quod significat κατάδικον, κατακεκριμένον. neque enim tantùm notat κακίαν *malitiam* & *vitium*, sed maximè reatum & condemnationem. ut patet Psalm. 109:7. Ita vox illa notat Psalm. 1:1. omnem hominem expertem & sanctificationis & justificationis.

18. Est in ea corruptione *aversio*. unde de improbis impœnitentibus dicitur זָרוּ רְשָׁעִים מֵרָחֶם *aversi sunt improbi ab utero*. Psalm. 58:4. &, *figmentum* sive formationem *cogitationum cordis eorum esse tantùm malam à pueritia*. Genes. c. 6:5. Ideoque opus habet homo omnis *conversione*. Unde unica prophetarum prædicatio est in nomine Dei, *Revertimini ad me*. Zach. 1:3. Omnes enim indigent μετανοίᾳ *conversione* sive *resipiscentia*. *Aversio.*

19. Ab hac labe pullulat infinita seges peccatorum actualium; quæ per totum vitæ tempus homini adhærent; etiam sanctificato, ut cum illis luctetur. *Fructus corruptionis tantùm peccare.*

20. Imprimis homo necdum sanctificatus est & vocatur חוֹטֵא *peccans* & *peccator*, ἁμαρτωλὸς; quia nihil nisi peccat. Luc. 6.32. 33.34. 1 Petr. 4:18. Ps. 1:1. Quod nomen dat Scriptura gentibus, quæ Deum non cognoverunt: Rom. 3:7. Gal. 2:15. Matth. 26:45. & Esaias, dum defectionem exprobrat, Israëli. c. 1:3. *gens peccatrix*, hoc est, similis reliquarum gentium, quæ nihil nisi peccant.

21. Quod non ita dicitur, quasi gentes aut non sanctificati nihil

legis faciant, quodque apud conscientiam ullam *defensionem* & συνλογίαν habeat (Rom. 2: 14. 15.) sed quòd nihil rectè faciant.

22. Nam sanè etiam gentes multa vera dicunt, quod lex profectò mandat, imprimis de virtutibus & vitiis; & multas bonas leges condunt, prohibentes malum & utilia imperantes; etiam judicia exercent; & benefaciunt peccatores peccatoribus, eosque quodammodo diligunt. Matth. 5: 46. 47. Luc. 6: 32. 33. 34. & dedit Deus Græcis σοφίαν *sapientiam*. 1 Cor. 1: 21.

23. Idque provenit à divina clementia & longanimitate, qui habet hanc πλήρωσιν *perfectionem*, ut, cùm differendo judicium & benefaciendo peccatores invitet ad μετάνοιαν, tum etiam eos refrenet, ut non in omne scelus & νῦν ἀδόκιμον *mentem nihil examinantem* ac pensi habentem planèque *reprobam* statim provolvantur. unde & ut יוסר הגוים ὁ σωφρονίζων τὰ ἔθνη *gentes disciplinæ freno astringens* celebratur Psalm. 94: 10.

24. Quæ tamen refrenatio non est sanctificatio, sed vel coërcitio tentationis, & non-irritatio peccati vel etiam impeditio, & injectio metus, & excitatio conscientiæ terrentis peccatorem, & suppeditatio occasionum boni operis ac præmiorum terrestrium ac temporalium, quorum amore homo amet verum dicere & bonis externis faciendis assimilari piis; denique increpatio Diaboli seductoris & diminutio potestatis ipsius. Nam Deus, ut lucis, ita & tenebrarum distributor est. Non omnes ponit ad hoc, ad quod posuit Pharaonem & Judam. Quanquam nemo peccatorum est, qui posset μέμφεσθαι Deique judicium accusare, si ad hoc poneretur. Pariter enim ἠχρεώθησαν *inutiles effecti sunt*. Quare, qui vel in mundo vel in medio populi Dei sic vivunt, ut non tententur ad magna scelera, eò majorem occasionem habent Deo agendi gratias, qui ipsos custodit, & ipsius μακροθυμίαν σωτηρίαν *longanimitatem salutem* reputandi. 2 Petr. 3: 15.

25. Quòd igitur gentes & omnes irregeniti dicuntur *peccare*, hoc est, nil nisi peccare, id eò dicitur, quia nihil rectè & bene faciunt. atque ita nullum eorum opus meretur appellari bonum.

26. Nam, ut opus bonum vocetur, non tantùm requiritur, ut motus membrorum præceptus sit, quale est verum dicere, munus porrigere pauperi: aut ut usus rei sit per se licitus; qualis est vestitus, esus, potus: aut ut quis abstineat à factis, quæ nemo non vituperat & damnat: sed ut dignum sit homine, & quidem

dem ut imaginem Dei gerente, & sic Deum judicem habente.

27. Requiritur igitur maximè bona voluntas, sive *purum cor*, hoc est, quod non obsidet & fœdat concupiscentia, sed quod inflammat charitas. *Conscientiam bonam*, hoc est, εὐλογημένην adjicit Apostolus 1 Tim. 1: 5. quam charitas conciliat *probando ea, quæ sunt meliora*, Rom. 2: 18. Phil. 1: 10. τῷ δοκιμάζειν τὸ θέλημα, *probando id, quod* Deus *vult, quod bonum, gratum & perfectum est*. Rom. 12. vers. 2. idque tum in proprio mentis sinu, tum in libris Dei. Distinguenda autem *bona conscientia* in homine creato, à *bona conscientia* in peccatore regenito. Ut enim peccator *bonam* & exhilarantem *conscientiam* habeat, necesse est, eum habere πίστιν ἀνυπόκριτον, *fidem sine hypocrisi*, qua recumbat in Servatorem. In eo enim habet justitiam.

28. Non potest bonum opus esse, quod non procedit à bono, non à bona voluntate. Nam ea parte magis censetur homo. Et est quoddam opus hominis, quod in exterioribus non apparet.

29. Neque propterea statim meretur voluntas appellari bona, aut electio illius charitas, si quando eligat bonum & motum membrorum præceptum; ut est sermo verus, largitio in pauperes, aut quid simile: imò etiam tradere corpus suum comburendum. 1 Cor. 13: 3. Potest enim etiam mala voluntas per concupiscentiam talia eligere.

30. Quod quum fit, dicitur homo δίψυχος *duplicis cordis*, non שָׁלֵם *perfectus*, לֹא חָסִיד *non pius*, &, proprio vocabulo, עִקֵּשׁ duplex, perversus. cui tribuitur, ut *cor geminum*, ita *via duplex*. Prov. 28: 18. *Perversus duabus viis incedens cadet in una*. *Cor duplex* est voluntas eligens verum dicere, mandatum membris facere, vetitum non facere, propter concupiscentiam. Illud enim cor eligit simul bonum simul malum. Bonum, quod mandatum est. Malum, cui id bonum parat pro instrumento. Talis divisio cordis est in iis, qui temporariam fidem habent. qui, *audito sermone, statim cum gaudio eum recipiunt*. Matth. 13: 20. Parte enim veritatis, & imprimis consolatione peccatoris, exultant, ideoque verbum illud dicunt & dici volunt; sed malè, quia nimis maturè consolationem peccatoris sibi vendicant, non habentes radicem, neque σωφρονεῖν, ibid. v. 21. 23. sed gratiam transferentes ad lasciviam.

31. Oritur ab ea privatione sanctificationis & q. habituali malo etiam *actuale peccatum* omne genus. In genere ea peccata vocat *Et quidem omnis generis peccati.*

Apostolus ἔργα σαρκὸς *opera carnis* Gal. 5: 19. ubi etiam aliquem eorum indiculum ponit. Causa appellationis est, quòd corruptio & prava voluntas, quæ, ut diximus, in ducatu membrorum consistit, illis operibus fruticat. Neque enim ociosa est in homine φθορὰ *corruptio*, sed, qua data porta, in malum hominem rapit. Neque aliter fieri potest. Necesse est enim, hominem aliquid cogitare, & pro re nata appetere. Neque absque cogitatione esse potest, neque voluntas ab appetitu abstinere. Atqui *cogitatio* hominis *mali* sive corrupti est *mala in ipsa* adeò *pueritia*. Genes. 6: 5. 8: 21. Vocat etiam *opera mortua*. Hebr. 9: 14. Sunt enim opera mortuorum. Non sunt à vita & spiritu Dei. Sunt ut motus putrefactionis in cadaveribus.

Concupiscentia actualis.

32. Imprimis hîc se offert nobis concupiscentia omnis, ut est *concupiscentia oculorum*, ut plurimum velis habere; *concupiscentia carnis*, ut velis carni gratificari in illis, quæ ei jucunda sunt. Concupiscentiam hîc notamus operantem, prurientem, æstuantem; quæ in certo objecto vel particulari vel generali delirat atque exorbitat. Nempe, quum quicquam habere volumus, aut suavitatem aliquam percipere, aut quicquam secundùm consilium nostrum agere, ut Deum non constituamus finem, sed rebus Dei abutamur, appetentes illas ita, ut id appetendum est, quo frui cum satietate in æternum possumus: sive ille appetitus sit cum lætitia, sive cum tristitia, zelo, invidia, ira. Nam id, in quo satietas est, est expetendum ante omnia, & summo nisu quærendum, & semper ex toto corde, tota anima & omnibus viribus amandum, ut de eo cogitemus & integrè judicemus, & illius cognitionem ambiamus, inque eo delectemur, id speremus, in eo conquiescamus: cætera autem habenda sunt ut adminicula, & rudimenta amoris, & argumenta bonitatis ejus, quod verè amandum est, & in eis quiescendum non est, imò sic habenda sunt, ut malimus sine illis habere, quod solum *bonum* & *nostrum bonum* est, hoc est, nos decens, nobis conveniens, nobis necessarium, & quod auferri à nobis non potest. Luc. 16: 12.

33. Jacobus *concupiscentiam* συλλαβοῦσαν & *prægnantem* vocat, cap. 1: 15. corruptionem congenitam cogitatione mala vivificentem & commotam. cujus proles non est nisi *peccatum* sive interni operis sive etiam externi.

34. Neque tantùm ea concupiscentia sive cogitatio, aut, ut rectiùs dicam, appetitus ille malus *peccati actualis* nomen habet & reum

reum facit, quæ deliberationem ſequitur & ratiocinatione roborata eſt, & in propoſitum, quod יִצְרָה vocat Scriptura, profecit: ſed etiam primus voluntatis motus, quo ad oſtentatum apparens bonum adhinnit.

35. Decalogus vetat concupiſcentiam uxoris, proximi & bonorum proximi. non, quaſi nulla concupiſcentia mala ſit, niſi illa, quæ dolet proximi bono, aut id ſtudet intervertere; ſed ut in illo genere imprimis experiremur, an tales ſimus, quales oportet eos eſſe, qui ad imaginem Dei creati ſunt; ſive, utrum *vivi ſimus* an *mortui*, Rom. 7: 9.—13. 2. ut ex altera parte in eodem genere experiremur, an nos adhuc faciamus malum, nec ne, ſive an revera Chriſti & ſpiritus ipſius participes ſimus effecti; nempe, ſi condelectemur legi ſecundùm interiorem hominem, & ad abolitionem vetuſti hominis ſuſpiremus & nitamur. Ibid. v. 17.—25. 8: 1. 3. ut hoc exemplum nobis pro clavi ſit ad cætera præcepta explicandum. nempe, illa non tantùm factis externis, ſed etiam corde violari. ut, quemadmodum ſumma præcepti eſt dilectio ex corde, eoque puro, ita etiam peccatum corde & appetitu committi intelligamus. Matth. 5: 22. 28. atque ita juſtitiam ampliorem & meliorem quæramus, quàm ea eſt, quam Phariſæi & Scribæ norunt. Matth. 5: 20. quæ eſt in Chriſto: & meliora δικαιώματα ſive *argumenta juſtificationis*. Apoc. 19: 8.

36. Eſt enim concupiſcentia dirior etiam, quæ per legem in peccatore excitatur. nempe ut velit legem & judicium Dei non eſſe, imò Deum vel non eſſe vel alium eſſe. Quæ concupiſcentia protrudit hominem peccatorem maximè quidem ad dubitandum de Deo & divinitate ipſius, deinde ad comminiſcendum conſilium, quomodo poſſit Deo falſam juſtitiam obtrudere. De quo *conſilio* loquitur Pſalmus primus v. 1. Hoc vocat Scriptura σοφίαν σαρκικὴν *ſapientiam carnalem*. 2 Cor. 1: 12.

37. Quandoquidem igitur cogitatio de Deo peccatori neceſſariò terribilis eſt, hinc proficiſcitur, quod non attendit homo ad opera Dei & verbum ejus, ut Deum, quemadmodum eſt, cognoſcat. Quod Pſalmus decimus quartus v. 2. 3. dicit his verbis: *Dominus de cœlo proſpectavit ſuper filios hominis, ad videndum, an eſſet, qui conſideraret* aut curaret *Deum. Vniverſi receſſerunt.* Idem ſic explicat Jobus cap. 21: 14. *Et dicunt ad Deum, Recede à nobis, & cognitione viarum tuarum non delectamur.* Ἀγνώτως.

38. Ne-

38. Neque enim tantùm ea omissio est debiti, quando quis non attendit ad Dei opera & verba: sed est animus malus adversus Deum & divinitatem ejus. Hinc igitur rectè attribuitur ei, qui est *Nabál*, hoc est, spiritualiter mortuus, quòd *in corde suo dicat, Non est Deus.* Nam, sive quis obliviscatur Dei, sive quis non attendat ad ea, per quæ se Deus manifestat, sive consilio pravo quærat cum falsa justitia accedere ad Deum, quem ignorare penitus non potest, tantundem id est, ac si dicat, *Non est Deus.* Præsertim, si audiverit verbum Dei; maximè si etiam nominaverit eum Deum suum, & verba veritatis, quæ cum gaudio receperat, incipiat odisse, eò quòd comperiat, veritatem, quæ in iis continetur, cum suis concupiscentiis pugnare. De quo genere dicit Psalmus 36: 2. *Dictum defectionis ad improbum est in corde meo: non est pavor Dei coram oculis ejus.*

Idololatria. 39. Non opus est dicere, quomodo peccator per consilium improbitatis ad idololatriam, ad superstitionem, ad incantationem, ad corrumpendum legem Dei & verbum ejus propellatur, quæ sunt gravissima peccata.

Blasphemia in Spiritum sanctum. 40. Est in hoc genere pestilentissimum peccatum in Spiritum sanctum; quod vocat Scriptura *blasphemiam in Spiritum sanctum.* Matth. cap. 12: 31.

41. In universum cognovimus, hominem irregenitum fugere cognitionem Dei: tribuimus etiam illi, si necesse sit eum cogitare de Deo, opiniones de Deo ipsi indecoras, & sapientiam carnalem, & ratiocinationes. Hinc igitur sequitur, quòd ea, quæ sunt Spiritus sancti, *non possit cognoscere* sine spiritu Dei. quia illa non nisi *spiritualiter* examinantur & discutiuntur. quam examinationem & considerationem Apostolus vocat ἀνάκρισιν. 1 Cor. 2: 14. Non nisi *spiritualiter*, inquam, hoc est, non sine spiritu *timoris & amoris Dei.* Ergo, *quæ Spiritus Dei sunt*, etiam τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, *quod de Deo cognosci potest*, ὅ ἐστι φανερὸν ἐν αὐτοῖς, *quod est manifestum in ipsis*, atque etiam ea, quæ *norunt* (Rom. 1: 20.) hoc est, quæ penitus ignorare non possunt, peccatores (ut Petrus loquitur 2 epist. c. 3: 5.) volentes *ignorant.* Judæ v. 10. multò magis ea, quæ de Deo non possunt cognosci sine ἀποκαλύψει *revelatione.*

42. Quæ quando illis proponuntur verbis Dei, præ stupore, præ aversione animi, propter falsam sapientiam, vel non considerant, vel *torquent* (2 Petr. 3: 16.) in sensus pravos, vel *non recipiunt* (1 Cor. 2: 14.) sed *blasphemant*, Judæ v. 10. quia *stultitia ipsis sunt.*

Hoc

Hoc vocat Scriptura *bibere sannam instar aquæ*, hoc est, delectari irrisione veritatis. Job. 15:16. Fit in contorquentibus verbum Dei evidens judicium, quod Deus pronunciavit per Ezechielem c. 14: 3. 6. 7. 8. 9. *Quicunque de domo Israël faciet ascendere stercora sua in cor suum, & offendiculum pravitatis suæ ponet ante faciem suam, & veniet ad prophetam, ad consulendum eum in me, ego respondeo illi in me: & dabo faciem meam in virum illum & faciam eum stupere in signum & exemplum. Et propheta, cum decipietur & loquetur verbum, ego Dominus decepi illum prophetam* (non aperiendo oculos ejus, ut videat mentem dictorum meorum, & permittendo Satanæ ei suggerere ansas ratiocinationum & sophismatum, ut putet, id ex veritate esse, quod ex veritate non est, & non videat, quæ sit vera clavis cognitionis, & ea non utatur, & suas cogitationes & opiniones hominum misceat verbis meis, atque ita temerarium loquatur) *& extendam manum meam in illum, & ferent peccatum suum. peccatum consulentis erit ut peccatum prophetæ: ut non errent amplius domus Israël à me & non contaminent se omnibus defectionibus suis.*

43. Unde apparet, necesse esse, ut cor hominis *circumcidatur*, Deut. 30: 6. 10: 16. Jerem. 4: 4. à concupiscentia & falsa sapientia & maximè ab opinione potestatis suæ & justitiæ suæ (quæ sunt verè *præputium cordis*) antequam possit videre, cognoscere, amare *regnum Dei & justitiam ejus.* Hæc enim sunt τὰ δὲ πνεύματος *ea, quæ spiritûs sunt.*

44. Unde sancti orant, ut *Deus ipsis oculos retegat, ut videant mirabilia ex lege sua.* Psalm. 119: 18. Natura enim *velum jacet super oculis* hominis, etiam *quando legit Scripturam* tum Veteris tum Novi Testamenti (2 Cor. 3: 14. 4: 4.) ut, quæ *videt, non cognoscat*; quæ *audit, non intelligat.* Es. 6: 10. & opus habeat corde novo, Psalm. 51. v. 11. 90: 12. Ezech. 11: 19. Job. 11: 12. ubi homo vetus vocatur *vacuus* sive excors & *onager.* quemadmodum & alibi vocatur בַּעַר *brutus*, Psalm. 92: 7. Prov. 30: 2. & *bestia.* Eccl. 3: 18. Psalm. 49: 21. 73: 22. *Cor* autem *novum* creatione altera & *generatione altera ex aqua & spiritu* accipit, ut *regnum cœlorum possit videre & in id intrare.* Joh. 3: 3. 5.

45. Quum igitur omnis homo irregenitus *blasphemet* ea, *quæ sunt Spiritus Dei*, quæ est illa peculiaris *blasphemia Spiritus sancti*, quæ non remittitur? Paulus Apostolus, quum fatendum haberet, se *blasphemum* fuisse, testatur, sibi id remissum esse, ὅτι ἀγνοῶν ἐπίστευν

ἐν ἀπιστίᾳ, quòd *ignorans feciſſet in infidelitate.* 1 Tim. 1. verſ. 13.

46. Sunt *infideles*, qui non habent fidem, & nec audiverunt: ſunt, qui audiverunt, eſſe verbum Dei, & negligunt: ſunt, qui audiverunt & legerunt & ſuis opinionibus faſcinati non intelligunt; atque ita verba quidem Dei quædam aliquando recipiunt, ut verba Dei, ſed ſenſum illorum non recipiunt, ut *mentem Dei.* Ita Paulus recipiebat verba Moſis & Prophetarum, & *putabat, ſe vitam æternam in illis habere,* cum cæteris Judæis, Joh. cap. 5: 39. Rom. 2: 20. ſed Euangelium de Chriſto atque ita mentem Prophetici ſermonis non recipiebat. Ἄπιστος *infidelis* igitur erat: quia fundamentum non recipiebat. Sed *ignorans* blaſphemabat Chriſtum & Euangelium: quia mentem Scripturarum non intelligebat. De talibus loquitur Chriſtus Joh. 16: 2. 3.

47. Hæc igitur blaſphemia remittitur; quæ committitur non tantùm contra Patrem, ſed etiam contra Filium, *donum cœleſte*, & juſtitiam Dei.

48. Sed, quum quis *cognoverit veritatem* fundamentalem, Hebr. 10: 26. convictus per Scripturam (quæ convictio fit per ἔλεγχον *redargutionem* aut *convictionem* Spiritus ſancti, Joh. 16: 8.—11.) ſive, ut latiùs dicit Apoſtolus Hebr. 6: 4. 5. quum quis *illuminatus fuerit*, ut cognoſcat ſe in errore verſatum, veritatem autem in verbo Dei contineri; & ita quidem, ut *guſtaverit donum cœleſte*, Chriſtum de cœlo datum, & *particeps fuerit factus Spiritus ſancti*, hoc eſt, chariſmatum, quibus Eccleſia ornata eſt & ædificatur, & *guſtaverit bonum Dei verbum*, de juſtificatione gratuita ex fide, & *virtutes futuri ſeculi*, in gaudio, cum quo excepit ſermonem (hiſce enim modis, ſemotis illis, quæ ſunt κρείττονα & ἐχόμενα τῆς σωτηρίας *meliora & connexa ſaluti*, in irregenitis illa fieri poſſunt) ſi tum *voluntariè pecceti*, hoc eſt, redeat ad errores priſtinos & relictas conſuetudines, & veritatem ex odio (quærens mortem, Apoc. 9: 6. hoc eſt, indurationem priſtinam) blaſphemet; is *blaſphemat Spiritum ſanctum*, quia, quem antea *ſpiritum veritatis* & *gratiæ* vocaverat, vocat ſpiritum mendacii; ſed non ſolum, verùm etiam Patrem & Filium.

49. Eſtque in hoc genere magna differentia inter eos, qui legem tantùm audiverunt, & eos, qui Chriſtum viderunt. Hebr. 10. verſ. 28. Joh. 15: 22. 24. *Si non veniſſem & loquutus ipſis eſſem, peccatum non haberent* (hoc eſt, non eſſent rei repudiati Servatoris) *nunc autem pratextum peccati non habent.* Sic v. 24. Multò magis, qui, jam

effuſo

effuso Spiritu sancto, *se non dignos judicarunt vita æterna*, hoc est, contemnendo vitam æternam & justitiam Dei, quæ est in Christo, seipsos contemnunt, tanti se non facientes, ut putent, Deum potuisse ipsis gloriam præparare. Actor. 13: 4. Multò magis, qui in diebus regni Christi per spiritum Antichristi sic fascinantur, ut verbum Dei putent sibi blandiri in suis erroribus & peccatis, & ea approbare pro veris sententiis & rectè factis, ut legem bestiæ suscipiant: quam *mortem secundam* appellat Scriptura. Denique multò maximè, qui, prolata in medium veritate, *quærunt mortem*, hoc est, pristinam ignorantiam, quæ *fugit ab ipsis*, Apoc. 9: 6. hoc est, quem ignorantiæ statum consequi non possunt, quia veritas illis invitis prædicatur.

50. In illo peccato Apostolus addit τὸ ἑκουσίως *ultrò* ac *sponte*, hoc est, ex odio. Nam, qui ex ignorantia id facit, aut metu externatus, si verbum dicat contra Deum, facit quodammodo nolens: si modo in genere *zelum Dei habeat*. Est quippe *peccatum ex ignorantia*, quod committitur ab eo, qui verbum Dei non intelligit, vel id non habet in præsenti memoria, vel à carne præoccupatur, ut ad seipsum non attendat, & factum suum consideret.

51. Quanquam igitur omne peccatum tale sit, ut à conscientia approbari non possit, & cum eo atque ex eo bona conscientia haberi non possit: tamen non omne peccatum fit *contra conscientiam* sive dictamen actuale conscientiæ. Quia non semper examinat homo, quod facturus est, vel fecit. *Peccatum contra conscientiam.*

52. Tunc autem *conscientia maculatur*, quando quis quid facit, putans id licitum non esse; multò magis sciens, illicitum & turpe esse.

53. In illis est, ἀδόκιμος νοῦς *mens improba*, qui norunt τὸ καθῆκον *quod oportet facere*, *officium*, & τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ *dictamen justitiæ Dei*; quòd, qui mala faciunt, digni sint morte; & tamen non tantùm faciunt, sed & delectantur iis, qui ea faciunt. Rom. 1: 28. 32.

54. Quomodo paulatim descendat eò divina severitas, ut tradat homines in talem mentem, nervosè explicatur Rom. 1. Ad hoc judicium pertinet *induratio*, qua peccator ex duro fit durior, ut, spreto periculo, conscientia sepulta, cum Deo pugnare audeat.

55. Sunt & *peccata actualia* membrorum: quæ & *scandala* sunt aliis, & nocumentum proximo afferunt. unde & per *malum facere* sæpe indigitantur. *Peccata membrorum. Scandala.*

56. Sunt ea *omissionis* & *commissionis*. *Omissionis*, quum quis non

facit, quod debet, quodque mandatum est; neque tempus ejus faciendi quærens, neque occasione utens, sed eam destituens. *Commissionis*, quum quis facit, quod rectum non est; sive id prohibitum est, sive etiam *licet*, sed *non expedit*.

Arguunt carnis vel dominatum,

57. Non potest is, qui *malus* sive *mala arbor* est, *bonos fructus ferre*, Matth. 7: 18. hoc est, vera loqui purè & sincerè, & sancta facere non ad velamen nequitiæ. Consequuntur igitur mala opera malam mentem. Diu enim occultari ea non potest.

vel reliquias,

58. Non tamen statim ex quibusvis verbis non veris & factis non ædificationi inservientibus judicandus est aliquis esse arbor mala: qui quidem loquatur etiam verba fundamenti.

59. Nam etiam reliquiæ carnis remanent in renatis. Ideoque per debilitatem possunt & ipsi præoccupari peccato, retinentes tamen *veritatem in præcordiis*, ut David, Psalm. 51: 8. & *præceptorum Dei non oblivisentes*, Psalm. 119: 176.

60. Ut verò peccato præoccupari possunt, ita possunt habere ignorantiam magnæ partis doctrinæ, &, in ignorantia, ut cum Augustino loquar, multiplicia *phantasmata*, sive errores, ut, satis diligente examine non adhibito, aut sophismatibus, tanquam præstigiis, delusi cum fundamento conjungant, quæ ex veritate non sunt, mendacia. 1 Cor. 3: 12. 1 Joh. 2: 21. Apoc. 2: 20. Hoc *puerili in Christo*, præcipuè inter seductores, facilè accidit. 1 Cor. 3: 1. Quod quum in Ecclesia contingit, *Zizania cum tritico* miscentur. Matth. 13: 25. 38. quæ non facilè est à se invicem separare, nisi quum δόκιμοι, recti & probi, manifesti fiunt, 1 Cor. 11: 19. & Zizania *se abscindunt*, Gal. 5: 12. vel probos *expellunt*, 3 Joh. 10.

61. Quemadmodum autem ii, qui *veritatis amorem non receperunt, ut serventur*, 2 Thess. 2: 10. possunt assumere verba quædam fidelium & facta, & nomen Christi, & Deo mentiri, Psalm. 66: 3. & sic putare, se credere & justos esse, Jac. 2: 14. ita per ignorantias & errores & consentanea erroribus facta possunt fideles *fieri tanquam immundus*, Es. 64: 5. sed nolentes.

cum lucta.

62. Nam regenitus, quando facit malum, facit, quod non vult; nescit, quid faciat: &, quando omittit bonum, non facit, quod vult. Rom. 7: 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

63. Quæ lucta est Spiritus & carnis, novi & veteris hominis, quam *ex toto corde* exercent, qui *ex toto corde crediderunt in formam doctrinæ, quæ ipsis tradita est*. Rom. 6: 17.

64. Ideo-

64. Ideoque nec hi *duplicis cordis* rei sunt: quemadmodum neque illi, qui duplex cor habent, quicquam habent de lucta sanctorum: dum in ipsis cupiditas cupiditatem supprimit, non Spiritus per charitatem concupiscentiam vincit.

65. Qui autem cum vetusto homine pugnant, & *concupiscentias corporis* non sinunt *regnare*, Rom. 6: 12. *& actiones corporis mortificant*, neque *secundùm carnem ambulant*, Rom. 8: 13. 14. sentientes & studentes ea, quæ sunt spiritus, ibid. 5. ut ex לִמְדִי חֶרֶשׁ εἰσὶ ζωὴν κακοποιεῖν fiant לִמְדֵי יְהוָה *discentes* & assuescentes in viis Dei ambulare, Jer. 13: 23. Es. 54: 13. 1: 17. sciunt, se Spiritum Dei habere, & non ampliùs se peccare, Rom. 7: 17. & veterem suum hominem cum Christo crucifixum esse, Rom. 6: 6. seque adeò in virtute meriti Christi carnem crucifixisse, Gal. 5: 24. atque adeò *in carne & secundùm carnem non esse*, Rom. 8: 5. 8. 9. neque porrò peccatum illis dominaturum: quia non sub legem, sed sub gratia, sunt, & servi justitiæ effecti sunt. Rom. 6: 14. 18.

66. Quanquam & hoc norint, *carnem suam*, quamdiu in corpore hoc sunt, *concupiscere adversus Spiritum*; unde cum amaritudine animæ quotidie experiuntur, saltem, se *non facere* omne bonum, quod volunt, & ita, ut volunt. Gal. 5: 17. Volunt enim *voluntatem* Dei *fieri in terra, ut fit in cœlo*. Matth. 6: 10.

67. Quod certamen relictum est sanctis, ut gratia Dei manifestior sit, & potentia Dei in infirmitate consummetur. 2 Cor. 12: 9.

68. Efficit autem in iis suspiria, quibus ipsis pro eis intercedit Spiritus Dei. Rom. 7: 24. 8: 26. 2 Cor. 5: 2. 4.

69. Atque ita, ubi *Lapsus per legem abundavit, ibi abundat & regnat gratia per justitiam ad vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum*. Rom. 5: 20. 21.

CAP. XXX.

De Propagatione peccati.

Quid post rectitudinem imaginis Dei, cum qua homo conditus est, & lapsum ejus, meditandum nobis sit, clarè monet S. Paulus Rom. 5: 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit*. Nempe, quantum nocuerit Adamus filiis suis, necessariæ considerationis est, ut intelligamus peccati gravitatem, Dei sanctitatem, impossibili-

tatem justificationis per legem, necessitatem & divitias gratiæ cùm redemtionis tum sanctificationis & conservationis, ad abnegationem nostri ut Christo potiamur: ne, si nobis placeamus & nitamur, exsortes Christi reperiamur & cum sacrilegii tum blasphemationis judicium incurramus.

Filii Adami hæredes i. reatûs: ut ipsis imputetur transgressio Adami.

2. *Primum*, quod filii Adam ex conjunctione maris & fœminæ geniti trahunt à parente, est *reatus* & *imputatio* peccati actualis primi, sive transgressionis Adami. Tertullianus de testimonio animæ cap. 3. *Homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum suæ etiam damnationis traducem fecit.* *Reatum* voco hæreditatem omnium fructuum peccati primi, obligationemque ad eos ferendos, & jus Dei ad illos infligendos. *Imputationem* voco judicium Dei tum de Adamo, quòd non dignum sit Deo per ipsum Adamum filiis ipsius imaginem suam communicare; atque ita, non obstante peccato, eum esse caput & stirpem *seminis Dei*, &, qui quærere Deum desierat, quærendo liberos imaginem Dei in liberis invenire: tum eadem ratione de filiis Adami, quòd obligati sint ad communionem pœnæ: & consentaneam huic judicio voluntatem non propagandi imaginem suam per generationem humanam, sed exsecrationi subjiciendi semen hominis.

3. Non longè abfuit Socinus à notitia veritatis, quanquam longè abesset ab ipsius amore. Nam libri de Servat. p. 4. c. 6. & Præl. cap. 4. agnoscit, Occasione peccati Adami similiter agi cum filiis Adami, atque cum ipso Adamo: imò, idem judicium factum esse de illis, atque de ipso: &, posteros factos esse reos mortis per Adamum. attamen idem negat, peccatum Adami in posteris puniri. Remonstrantes in Apologia c. VII. *fatentur, peccatum Adami à Deo imputatum posteris posse dici, quatenus Deus posteros Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum se obnoxium reddidit, obnoxios nasci voluit: sive quatenus malum, quod in pœnam Adamo inflictum erat, in posteros ejus dimanare & transire permisit. At nihil*, inquiunt, *cogit eos dicere, peccatum Adami posteris ejus sic fuisse à Deo imputatum, quasi Deus posteros Adami revera censuisset ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quam Adamus commiserat, reos.* Et porrò: *Scriptura testatur, Deum Adamo soli pœnam comminatum fuisse, & eam Adamo soli inflixisse.* Maximè abominantur, si dicatur, *pœna, quæ imputatur, esse æterni sensûs pœna.* Unde obiter cognoscitur, malum, *cui Adamus se obnoxium reddidit*, ab illis non cen-

censeri pœnam sensus æterni. Nam, cui Adamus factus est obnoxius, illi & posteri facti sunt obnoxii. Sed non ut pœnæ: non sensui æterno, ut illi volunt.

4. Illis, ut suum dogma fraude aliqua occultent, prætentui est mala explicatio vocis *imputandi*. Id enim explicant, quasi Deus imputet peccatum Adami opinando vel judicando, quòd posteri Adami hoc voluerint, cogitaverint, fecerint, quod Adamus perperam voluit, cogitavit, fecit. Sic igitur judicaret, eos fuisse, quum non nisi radicaliter essent. Si sic interpretandum est τὸ *imputare* sive λογίζεσθαι, numquid etiam 2 Cor. 5: 19. *non imputans lapsus ipsorum?* Quod certè non significat, non scire, aut judicare, quòd nos peccatores simus. Ita Rom. 2: 26. *Præputium in circumcisionem reputabitur. Imputare* est stilo Scripturæ idem judicium facere de eo, qui non fecit, quod de illo, qui fecit: *non imputare*, est judicium facere idem de illo, qui fecit, quod de illo, qui non fecit. sive plures una sententia damnare vel absolvere propter conjunctionem, quæ inter ipsos est.

5. Socinus & Remonstrantes, dum negant, hæc mala (certè incommoda) quæ in nobis sunt post peccatum, esse pœnas & effecta primi peccati, simul negant, in filiis esse, quod eos reddat fœdos Deo; &, in Adamo fuisse veram rectitudinem, ut illum faciant similem nobis: &, in filios redundare aliquid præter ærumnas temporales; atque adeò Adamum vocatum fuisse ad bonum cœleste, aut mortem æternam sensûs ei fuisse comminatione Dei propositam. Nos, quid Scripturæ nos doceant, inquiramus.

6. Primò, Gen. 3: 16. 17. imponuntur Adamo & Evæ mala atque ærumnæ, quæ sunt communes resipiscentibus & ἀμεταμελήτοις *non resipiscentibus*, parentibus & liberis, præmisso, *Quia edisti*. Si filii propter factum Adami sunt ærumnosi, & cum matre filii in ærumna, dolore, & morte conjunguntur, atque eo ipso, quòd sunt יְלִידֵי אִשָּׁה *nati mulieris*, miseri sunt, sequitur, ærumnas illas verè & formaliter esse pœnas peccati Adami: donec à reatu liberentur. tum enim mutantur in remedium vitiositatis: quæ etiam reatum sequitur. atque adeò ipsum *remedium* ostendit peccatum extans & in homine ac posteris ipsius judicatum. Tertullianus de habitu muliebri cap. 1. *Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo: vivat & reatus, necesse est.*

7. Secundò, Maledictio terræ propter hominem est ostensio

iræ

iræ in peccatum. Quamdiu igitur terra est maledicta, tamdiu imputatur peccatum. Atqui durat maledictio terræ, donec in Christo nanciscamur justitiam, per quam omnia nobis fiant munda. Quum igitur terra non minùs sit maledicta posteris, quàm Adamo, ut cogatur contra ipsos testari, quòd sint injusti possessores, & quod *invita subjecta sit vanitati propter ipsos*, Rom. 8: 20. hoc est, ministret ipsorum peccato & inserviat ipsorum tormento: sequitur, posteros Adami sub eadem maledictione esse, donec in Christo eis subjiciantur opera manuum Dei. Psalm. 8.

8. Tertiò, qui moritur & pulvis fit, est *pulvis*, hoc est, ψυχικὸς *non-spiritualis*. Igitur & filii Adami, in quos (tametsi non peccaverint quidam ita, ut Adam, transgressione actuali) mors regnat, dum Adam factus est pulvis, sunt facti *pulvis*, Psal. 103: 14. & *caro*. Genes. 6: 3.

9. Quartò, omnis mors est à maledictione. quippe crucifixio etiam innocentis & filii Dei ab ea est. Nam *Execratio Dei est suspensus*. Deut. 21: 23. Si unum genus mortis est execratio, sive execrationis effectus; quæ causa est, quare non omnis mors sit exsecratio, donec, per mortem justi, exsecratio tollatur? Mors igitur filiorum est pars maledictionis patris. Rom. 5: 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic* (dum scilicet per unum hominem peccatum & mors intravit) *in omnes homines mors transiit.* & v. 14. ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος *regnavit mors.* Non potest autem mors regnare, nisi vi peccati & legis. 1 Cor. 15: 56. Neque alia ex causa est, quòd Diabolo attribuitur κράτος θανάτου *imperium mortis*. Hebr. 2: 14. Is enim nullum imperium habet, nisi ex reatu peccati.

10. Idem clarè dicunt verba Rom. 5: 15. τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι οἱ πολλοὶ ἀπέθανον *unius lapsu multi mortui sunt.* & v. 17. τοῦ ἑνὸς παραπτώματι ὁ θάνατος ἐβασίλευσε διὰ τοῦ ἑνὸς *unius lapsu mors regnavit* PER UNUM. & v. 21. ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ *regnavit peccatum* (hoc est transgressio Adami) *in morte.* quemadmodum idem Apostolus v. 20. dicit, *Lex subintravit, ut abundaret* τὸ παράπτωμα, *ille lapsus*, q.d. fructus lapsus Adami in posteris ipsius per legem, quæ post multa secula promulgata est, manifestantur. Quod per legem abundavit, ejus rei fuerunt ii, qui legi subjecti fuerunt, atque illis imputatum est, procul dubio. Unde etiam, quum peccatum admissum est, *lex* inscripta cordi testis δικαιώματος θεοῦ facta

est

est *lex peccati*, peccato tribuens personam ad accusandum hominem, & ejus accusationem adjuvans eique patrocinans, & hominem peccato addicens in servitutem (2 Petr. 2: 19.) & ad occisionem. à qua *lege peccati & mortis* necesse est omnes homines liberari per *legem spiritus vitæ in Christo.* Rom. cap. 8: 2. & 1 Cor. 15: 22. *In Adamo morimur.*

11. Quintò, omnis homo est sub execratione legis. Ergo omnibus imputatur peccatum Adami. Antecedens probatur, 1. Quia omnes, quos Christus liberat, quique accipiunt υἱοθεσίαν *adoptionem*, liberantur à maledictione legis. Gal. 3: 13. 2. Quia omnis, qui non liberatur, manet sub maledictione. Gal. 3: 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub exsecratione sunt.* Quod ita ab ipso dicitur, ut liqueat, eum non tantùm omnes eos, qui non sunt ex Testamento & fide, censere esse sub maledictione, &, si absit gratia, nihil legem homini qualicunque nisi execrationem impertiri: non ut malis actibus execratio demum accersatur, sed ut per eos manifestetur & cumuletur: sed etiam eos, qui circumcisionem sacramentum fœderis in ipsa pueritia acceperunt, nondum omninò liberos fuisse à maledictione, sed demum per Christum ab ea fuisse liberatos, quum ab eo emti sunt. v. 13.

12. Sextò, Natura sumus filii iræ. Ergo sub ira nascimur. Eph. 2: 3. Hoc autem nihil aliud est, quàm nos sub judicio nasci.

13. Septimò, *Crimen est ex uno in condemnationem.* κρῖμα notat culpam judicio dignam, עָוֹן פְּלִילִי / Rom. 5: 16. *Per unum, qui peccavit, in omnes homines ad condemnationem.* v. 18. Ubi est condemnatio ex uno peccante ibi est imputatio primi peccati.

14. Octavò, *Per unius obedientiam peccatores constituti sunt multi.* Rom. 5: 19. hoc est, tanquam peccatores judicati sunt. Et quidem similiter, atque *per unius obedientiam justi constituentur multi*, μὴ ἐργαζόμενοι *non operantes.* Et Apostolus expressè v. 14. illos, qui peccatores constituti sunt, dicit etiam τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τ παραβάσεως Ἀδὰμ, *qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam.*

15. Nonò, In Adamo sive cum Adamo omnes peccarunt. Rom. 5: 12. nempe etiam illi, qui necdum fuerunt, peccarunt, hoc est, judicati sunt tanquam si fuissent & peccassent. Peccatum ergo primum imputatur. Nam quomodo dici possent *omnes peccasse* (quod Apostolus etiam de nobis pronunciat, qui necdum eramus,

& de iis, qui futuri sunt) nisi nostrum esset peccatum, quia parentis fuit: & sic imputaretur? Sic, *Christo mortuo, omnes mortui sunt.* 2 Cor. 5: 15. Non multum interest, quomodo vertas τὸ ἐφ' ᾧ. dum ne, *eò quòd.* Hoc enim potiùs est ἐν ᾧ Rom. 8: 3. ut בַּאֲשֶׁר. Aliud ἐφ' ᾧ pro διὰ τοῦτο ἵνα, vel sanè ὅτι, hoc est, *ea gratia, ut* vel *quòd.* Meliùs, *Quo peccante, peccarunt.* ἐφ' ᾧ ἁμαρτάνοντι πάντες ἥμαρτον. Sic Plut. Demetr. διὰ νηπίῳ αὐτῷ τὸ παιδὸς τελευτήσαντος. *ipso puero superstite.*

16. Neque obstant duo cola interserta. Mos Pauli est τὰ ἀκόλουθα *consequentia* connectere & continuare. & possunt ea sola quasi in parenthesi legi. Photius quidem epist. 152. hîc discedit à mente Chrysostomi, qui sic. ἐκείνου πεσόντος καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου γεγόνασιν ἐξ ἐκείνου πάντες θνητοί. *quum ille laberetur, etiam, qui non ederunt de arbore, facti sunt deinceps omnes mortales.* & adoptat Theodoreti sententiam, quod ἐφ' ᾧ notet αἰτίαν *causam.* addito commentario subiesto, ἡ κοινωνία τοῦ πρόξενος εἰς τὴν κοινωνίαν αὐτοὺς τοῦ καταδίκης συνήλασεν *communio facti eos in communionem damnationis compegit.* nisi κοινωνίαν τοῦ πρόξενος intelligamus eam, quam habemus ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς φύσεως, *in communione naturæ.* Abutitur loco 1 Cor. 5: 4. ubi tamen ἐφ' ᾧ est pro διὰ τοῦτο ὅτι. propter hoc, ad hoc. Alii codices ἐπὶ δὲ. Sed nihil commune est phraseologiæ utriusque loci. Potest commodè intelligi, στενάζομεν διὰ τοῦτο, ὅτι ἐ θέλομεν ἐκδύσασθαι (fortasse meliùs codices, qui habent ἐνδύσασθαι, *induere*, q.d. gemitus noster non est, ut primò induamus, sed ut superinduamus) ἀλλ' ἐπενδύσασθαι. *ea gratia ingemiscimus, quòd non quidem volumus exui, sive exuere nos, sed superinduere.* Sed non æquè commodè exaudiri posse videtur, ὁ θάνατος εἰς πάντας διῆλθεν διὰ τοῦτο, ὅτι πάντες ἥμαρτον. q.d. *mors in omnes pervasit ea gratia, quòd omnes peccarunt.*

17. Si tamen omninò αἰτιολικῶς *causaliter* velimus capere, non potest fieri, ut intelligatur de actuali omnium transgressione, tum quia etiam moriuntur, qui actualiter non peccant, v. 14. tum quia in πᾶσιν ἀνθρώποις *omnibus hominibus* continentur etiam illi, qui nondum erant, quum Paulus ea scriberet. Neque enim tantùm loquitur de causa, quare adhuc omnes homines mortui sint; sed loquitur de potestate & regno mortis, quod ei acquisitum est in omnes per peccatum. Διῆλθεν *pervasit*, hoc est, habet imperium in omnes, qui nati sunt, & qui nascentur. 1 Cor. 15: 22. Hebr. 2: 14. Et sic ἥμαρτον, *rei facti sunt*, quasi fecissent hoc ipsum, quod Adamus

mus fecit. v. 19. ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν, *peccatores constituti sunt.* Potest & alio modo causativè accipi dictum Apostoli, ἐφ' ᾧ ἥμαρτον, q.d. *per quem stetit, ut peccaverint*, id est, qui est causa, quare dicendum sit de omnibus, ipsos peccavisse.

18. Sed, quum manifestum sit, dici, etiam de nondum natis, quòd *peccaverint*, & quòd propterea mors ad omnes transierit etiam nondum natos, & 1 Cor. 15: 22. clarissimè dicatur, *omnes homines in Adamo mori*; quomodo non dicendum sit, *in Adamo omnes peccasse*, sive reos & ὑποδίκους *judicio obnoxios* omnes factos esse in Adamo, nulla ratione intelligi potest. Quum etiam Levi in lumbis Abrahami dicatur esse decimatus. Hebr. 7: 10.

19. Et quid tandem insinuat, quum dicit, *Per unum hominem peccatum intrasse in mundum:* si non hoc, Peccatum Adami culpa factum esse omnium? adeò ut id, quod in fine versus dicit, *Omnes peccarunt*, sit explicatio primorum verborum, *Peccatum intravit in mundum.* Quod ne quis acciperet de peccandi exemplo primitus edito per Adamum (& profectò in ea pericopa ineptè diceretur; Adamum primum omnium peccasse. Neque verum est, primum Adamum in mundo peccasse. Nam ante ipsum in mundo erat Satanas, & ante ipsum peccaverat, & mendacio suo mulieri peccandi exemplar exhibuit, & illa Adamo ad delinquendum præivit) sed ne quis hoc ullo colore dicere posset, addidit, *per peccatum intrasse mortem, & sic*, nimirum intrando in mundum per peccatum, *ad omnes pertransiisse.*

20. Neque ea reatûs & judicii communio ex ea causa est, quòd prolis integra substantia ex substantia parentis traducatur; quasi aut proles opus Dei esse non possit aut sub reatu esse non possit. Anima patris & anima filii est Dei. Ezech. 18: 4. & de omni homine verum est, quod Ijob de sese dicit cap. 10: 10. 11. 12. *Vt lutum feciſti me. Vt lac mulsiſti me, ut caseum coagulasti me. Cute & carne vestiviſti me, ossibus & nervis texiſti* vel *texuiſti me. Vitam feciſti mecum. Cura tua conservat halitum meum.* A parentibus est voluntas carnis, semen, uterus, sanguis, coagulum, (בֵּיצָה) ἀφορμὴ divini phasmatis, qui hominem format, de suo, in inferioribus terræ, quasi de pulvere, & ei spiraculum vitæ inspirat: prosequens primitivæ benedictionis carmen, *Fructificate & multiplicamini*, etiam subingresso reatu & exsecratione. Quemadmodum hominem peccatorem decenter conservat, per tolerantiam & clementiam; ita Deum non de-

Ratio imputationis peccati primi.

decet arborem illam humanæ gentis inquinatam reatu protelare, & non revocare verbum, quod pronunciaverat, quoque significaverat, jam tum in libro suo scriptos esse Adami hæredes filios vel in rectitudine, vel in reatu.

21. Unum ab initio fecit, unam duorum carnem, quærens semen Dei, Malach. 2:15. hoc est, hominem in sancto conjugio posuit, ut propagaret hæredes imaginis Dei: postquam peccatum irrepsit, non potuit Adam generare in imagine Dei, sed in imagine sua.

22. Atque ista est Adami prioris & posterioris analogia (absque qua si esset, nulla foret causa Christum hoc nomine afficiendi) ut, quemadmodum in posteriore omnes ipsi dati reconciliantur, ut non imputentur ipsis peccata eorum, ita in priore omnes, qui ipsius sunt, judicati fuerint. Rom. 5:14. & sequentibus. 1. Cor. 15:22.

23. Judicium hoc fundatur in jure illo Dei, à quo is etiam denominari voluit *Visitans peccatum patrum in filios.* Exod. cap. 20:5. 34:7. Quanquam enim illa nominis divini particula (quo *notificavit Mosi vias suas & filiis Israël opera sua*, Psalm. 103:7.) expressiùs significet exemplum vel exempla judicii filiorum cum patribus inobedientibus & gratiam Dei frustrantibus damnatorum, intra certum generationum numerum; & non in millesimam usque generationem; ita ut ostendat, se vel dilatione vel limitatione judicii velle commendare longanimitatem & misericordiam suam: nihilominus tamen illa exempla probant jus Dei in universum, peccata patrum filiis, & nominatim patris omnium, ut radicis, omnibus tanquam ramis, eidemque carni & sanguini, imputandi.

24. Nam, si radix sancta, & rami; sed, si radix maledicta, quomodo rami maledictionem effugient?

25. Neque tantùm significat pœnam, quæ infligitur filiis, quatenus imitantur delicta parentum, sed etiam, quòd filios rejicit cum parentibus & faciem suam abscondit ab ipsis: ut ab Israëlitis. Deut. cap. 32:20.

26. Atque ampliùs id manifestum est ex eo, quod opponitur: *Et qui servat gratiam in millia iis, qui diligunt me.* Id enim significat, necessariam esse Dei gratiam ad sanctificandum & justificandum semen. Quod promisit Abrahamo Genes. 17. *Ero Deus seminituo.* Hoc non dictum est de omnibus filiis Adami, quemadmodum sanè nec de omnibus filiis Abrahami. uti & in ipsa Eva apparet, quæ

non

non habebat exspectandum semen, hæredes benedictionis, nisi ex promissione; quæ etiam, ut intelligatur esse gratiæ, non se extendit ad omnes filios Adami, sed quosdam relinquit ut semen Diaboli, ἄθεους ἐν τῷ κόσμῳ, *sine Deo in mundo*, quorum Deus nuncupari non voluit. Ephes. 2: 12. Et hoc innuit Psalmus 127: 3. *hæreditas Iehovæ filii, & merces fructus ventris. Hæreditas, merces* non pertinet nisi ad fideles & justos; qui in Christo, cui data est hæreditas, fiunt etiam ipsi patres filiorum, nempe non tantùm carnis, sed promissionis, (ut Abraham; cui dictum: Patrem multarum gentium posui te) & qui non tantùm sint filii ipsorum in communione naturæ, sed magis in hæreditanda benedictione & adoptione Dei. Nam בְּנִים מֻחְשָׁים hoc est degeneres & quasi abnegantes radicem, *filii* non merentur vocari. Rom. 9: 7. οὐδ' ὅτι σπέρμα εἰσὶν Ἀβραάμ, πάντες τέκνα, *neque, quia semen sunt Abrahami, omnes* sunt *filii*.

27. Unica Adversariorum exceptio est, quòd injustum sit, punire illum, qui propria voluntate non peccaverit. Quod & confirmatum eunt ex Ezech. 18: 19. 20. *Et dixistis: Quare non fert filius partem delicti patris? Atqui filius judicium & justitiam fecit, omnia mea statuta observavit & fecit ea. Vivendo vivat. Anima, quæ peccat, ea morietur. Filius non feret de pravitate Patris, & Pater non feret de pravitate filii. Iustitia justi super ipso erit, & improbitas improbi super ipso erit. At improbus, quum convertetur &c.* Qui non vident, loqui Prophetam de resipiscentibus, quòd illi non ferant peccatum patrum. Quod à gratia & misericordia Dei provenit. Non sequitur autem, ipsos illos, qui resipiscunt, & per gratiam liberantur à pœnis peccati, non esse רְשָׁעִים, κακοδίκους, & indigere pœnitentia ac venia. Imò contrarium sequitur. Quin etiam agitur ibi cum Judæis ignorantibus Testamentum gratiæ exercendum cum gentium filiis; & præsupponentibus, secundùm rigorem legis, eos debere ferre peccatum parentum. v. 19. quippe cùm ii non essent semen Abrahami, ad quos pertinebat promissio. In utroque enim introducuntur Judæi murmurantes, tum quòd ipsi rejicerentur, qui essent semen justorum, tum quòd gentes assumerentur, qui sunt semen injustorum.

Objectio contra reatum & imputationem peccati primi ex Ezech. 18.

28. Nulla autem est consequentia, si quis ita colligat: Resipiscentes, etiamsi patres habeant pessimos, justificantur à Deo & vivunt, & non moriuntur propter peccatum parentum suorum: vel etiam, Deus decrevit, gentium residuos justificare per fidem;

& eos Testamento gratiæ complexus est: Ergo Deus non damnat, nec potest damnare filios Adami cum Adamo. Quin planè contrarium inde consequitur. Si gentes & filii gentium omnes indigent resipiscentia, & dono resipiscentiæ, & divina justificatione per fidem, ut in Semine benedicantur cum fideli Abraham: Ergo omnes gentes & filii gentium in communi damnatione & maledictione jacent.

29. Notanda autem est mala versio verborum Ezechielis. Plerumque enim ii, qui oppugnant peccatum originis, sic vertunt: *Anima, quæ peccavit, morietur.* quum vertendum sit: *Anima peccans ipsa morietur. Anima* autem *peccans* dicitur homo ἁμαρτωλὸς, ὁ ἁμαρτάνων, qui à peccato suo non resipiscit & convertitur ad Deum & amorem ac timorem ipsius.

30. Digna sunt, quæ Tertullianus de hoc loco & de peccati primi imputatione habet *adversus Marcionem lib. 2. capite* 15. ut etiam hîc legantur. *Et, si patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes, legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curet? Sed &, si benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur sine ullo adhuc merito ejus, cur non reatus patrum in filios quoque redundavit? Sicut gratia, ita offensa: ut per totum genus & gratia decurreret & offensa, salvo eo, quod postea decerni habebat, Non dicturos, acidam uvam patres manducasse & filiorum dentes obstupuisse, id est non sumturum patrem delictum filii, nec filium delictum patris, sed unumquemque delicti sui reum futurum, ut post duritiam populi duritia legis edomita justitia jam non genus sed personas judicaret. Quanquam, si Euangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta, cognosces: ad illos scilicet, qui hanc ultrò sibi sententiam fuerant irrogaturi, Sanguis illius super capita nostra & filiorum nostrorum.*

Adversarii ἀυτοκατάκριτοι.

31. Ipsi Adversarii coguntur hîc patrocinari veritati. Neque enim possunt negare, liberos Adami esse hæredes omnium malorum, in quæ incidit Adam. Et quidam sanè illorum procedunt usque ad malum damni sive jacturæ æternæ, quæ est sine dubio *frustratio*, &, si non sit homo omni modo extinctus, est pudor & confusio & sic compunctio æterna. Et, ubi illa frustratio est, ibi sine dubio sunt *tenebræ exteriores & ploratus & frendor dentium.* Si autem homo fingatur non esse, & sic mors revera non habet locum nisi ut pœna: quia est contraria naturali hominis desiderio fruendi Deo quomodocunque.

docunque. quod desiderium homo penitus exuere non potest; nec Deus potest frustrari, nisi ut judex pœnam hanc infligendo.

32. Sed omittamus illam ineptam distinctionem pœnæ sensus & damni: quomodo non percipiunt, si Deus non injustus est, ut eadem mala imponat filiis Adami, quæ ipsi Adamo, & quidem occasione peccati, ut saltem speciem punientis præferat; quomodo Deus sit injustus, si dicatur, mala filiorum esse pœnam & vindictam peccati primi? quum constet, Deum nolle mortem & omnia illa mala, qualiacunque sint, haberi & æstimari aliter, quàm ὀψώνια δ ἁμαρτίας *stipendia peccati?* exceptis solis passionibus fidelium: quas vult haberi non quidem pro non-pœnis simpliciter, sed pœnis in remedium mutatis.

33. Quidam Judæorum fatentur, *Omne genus humanum nasci obnoxium pœnis peccato Adamo debitis.* Sed volunt, eas pœnas esse tantùm corporales. Quæro igitur, An filius Adami sit reus secundùm unam partem, & non secundùm alteram? An cruciatus corporis & morbi ipsius pertineant ad animam, nec ne? Et quomodo anima non rea ponatur in reo corpore? An etiam *appetitus malus* sit in homine peccatore & quidem in filio Adami? Quomodo animus, qui mera Dei creatura, & sic sanctus est & rectus &, ni fallor, non injustus, nec reus, ad hoc damnetur, ut corpus habeat in omni miseria, dolore, afflictione, vexatione; terra utatur maledicta; & homo eam habens sit filius maledicti hominis; sit frater sceleſtorum & iram Dei provocantium; omnibus tentationibus carnis infestetur; nunquam interquiescat; temperamento corporis gravetur, morbis turbetur, & quasi transversus agatur, in delirium, in rabiem, in stultitiam, in varia vitia; in vanitatem demergatur; verbo Dei aliquando careat; ea, quæ spiritus Dei sunt, ignoret; denique animus ipso corpore, ad quod gerendum factus est, aliquando penitus privetur?

34. Etiam conscientia testatur, liberos esse naturâ hæredes statûs paterni; & Deus postulat à nobis hanc gloriam, ut vitam ab ipso in Filio, ut hæreditatem, expectemus.

35. *Secundum*, quod posteritas ab Adamo trahit, est carentia justitiæ (sic vulgò loquimur) hoc est, rectitudinis, cum qua homo conditus erat; sive *imaginis Dei* propriè & κατ' ἐξοχὴν secundùm Scripturæ usum dictæ. Nam, utcunque homo, postquam peccato depravatus est, imago Dei quodammodo nominari possit, vel propter

1. *Carentia imaginis Dei.*

pter id, quod in creatione homini datum est, vel propter ejus rudera; quemadmodum tabula habens aliqua lineamenta picturæ artificiosæ residua imago dici potest illius hominis, quem aliquando repræsentavit: tamen revera imaginem Dei non habet, quia Deus non est similis peccatori; & habet quidem homo argumenta conditionis suæ bonæ, sed cum iis habet argumenta defectionis, ex quibus filius & servus Diaboli cognoscitur.

36. Hinc est, quòd, ut Adam post peccatum *pulvis* vocitatur, ita & posteri *pulvis* & *caro* appellantur, & quidem ab ipsa generatione. Gen. 3: 19. 6: 3. Psalm. 103: 14. Joh. 3: 6. Es. 40: 6. 1 Petr. 1: 24. Quæ denominatio eam emphasin habet, ut non significet tantùm materiale animæ domicilium & primam hominis originem, sed excludat inhabitationem *spiritus*; qui *carni* opponitur. Joh. cap. 3. vers. 6.

37. Eadem mente homo, ut nascitur, dicitur ψυχικὸς, *animalis*, in oppositione πνευματικῷ *spiritualis* 1 Cor. 2: 14. 15. quo significatur πνεῦμα μὴ ἔχων *spiritum non habens*, Judæ v. 19. Sanè 1 Cor. 15: 44. 45. Adamo, ut creatus est, attribuitur *corpus animale*; quo negatur non spiritus illuminans & sanctificans animam, sed Spiritus vivificans corpus ad ἀφθαρσίαν *immortalitatem*: sed cap. 2. *homo animalis* est, qui nihil nisi animam rectricem habet.

38. In eo igitur est ignorantia & cæcitas, quoad mentem; & ineptitudo ad quicquam boni cogitandum. 2 Cor. 3: 5. Judæ v. 10. ὅσα οὐκ οἴδασι *quæ non norunt*. Reduci huc potest ἀδυναμία ὑποτάσσεσθαι τῷ νόμῳ *impotentia subjiciendi se legi*. Rom. 8: 7. & ἰδεῖν τὴν βασιλείαν θεοῦ, *videndi regnum Dei*. Joh. 3: 3. & defectus virtutum omnium. Unde meritò homo אָדָם לֹא טָהוֹר *non pius* Psalm. 43: 1. vocatur.

39. Verum quidem est, *Gentes, quæ non habent legem*, atque adeò omnem hominem, *sibimet esse legem*, & *habere opus legis scriptum in cordibus suis*, & *naturâ facere ea, quæ sunt legis*, Rom. 2: 14: 15. at per hoc ipsum non significatur vel omne id, quod ad salutem cognitu necessarium est, illis esse manifestum; vel, ullam cogitationem rectam & sanctam esse in irregenitis; multò minùs ullum ab ipsis fieri opus *moraliter bonum*, hoc est, quale esse debet.

3. *Corruptionis animi.*

40. *Tertium*, quod à lapsu primi hominis sequitur, & privationem Spiritûs illuminantis & sanctificantis sive flectentis ad bonum comitatur, est *Corrumpi in iis, quæ naturaliter novimus, ut bruta animalia*,

lia, Judæ v. 10. id est, perperam affici erga omnia illa, quæ sensibus percipere possumus. Ideò 2 Petr. 1: 4. φθορὰν *corruptionem* ponit in ἐπιθυμίᾳ *concupiscentia*, & eam dicit *esse in mundo*, & fideles *effugisse*. Et hinc est, quòd *sensus* nostri & *membra scandalisant* nos, hoc est, occasionem & incentivum peccandi nobis præbent, nosque rapiunt in peccatum. Matth. 5: 29. 30. Nam, quum homo spiritu illuminante & sanctificante orbatus, atque ita ejus mens cœca & voluntas impotens sit, ut ignoret ea, quæ sunt Spiritus & quæ spiritualiter dijudicantur, & ad illa saltem torpeat, necesse est, eum delectari iis rebus, quas sensibus percipit, & in iis acquiescere. quæ summa perversitas est, Amorem nostrum, qui ad Deum, tanquam summum bonum & ultimum finem debet referri, convertere partim ad res creatas & sensibiles, tanquam ad *bonum fruendum*; quum Deus debeat is esse, in quo deliciemur; partim ad nos ipsos, scilicet ut satisfaciamus desideriis nostris. Quo genere affectus præditi rectè dicuntur *Deum* habere *ventrem*. Phil. 3: 19.

41. *Quartus* primi peccati proventus est *Mala* & *impura conscientia*, qua verberatus homo horret judicium Dei & ipsum Deum fugit, *dicens Deo, recede à me*, Job. 21: 14. & vellet eum non esse, vel talem esse, qualis peccator est, hoc est, peccatis non offendi, imò & delectari. Hinc est, quòd homo irregenitus legem audiens magis ad peccandum incitatur, Rom. 7: 8. nimirum, dum ei cogitatio peccati ingeritur, & dum contra ipsam legem & legislatorem se effert. Unde existunt omnes ratiocinationes contra veritatem Dei & judicium ejus, proque impietate & injustitia, aut etiam falsa justitia. *4. Mala conscientia & eam consequentium.*

42. Eæ ratiocinationes in quibusdam vergunt ad ἀθεότητα *impietatem*, hoc est, ad studium excæcandi & indurandi aut exsurdandi animum, ne velit judicium Dei timere. Quam ἀθεότητα quidam verbis (furore quodam animi, Deum iratum sentientis, impulsi, qui, requiescere quum non possit, quærit applausores & admiratores ingenii, ut, quod ipse non credit, securiùs tanquam non improbabile retineat) fatentur; quidam profanitate vitæ ostendunt, quærentes in voluptatibus aut curis mundanis conscientiæ torquentis silentium. Alii ad δεισιδαιμονίαν *superstitionem* deflectunt, comminiscentes aliquid, quo putent Deum placari, vel se ei posse placere. quæ cogitatio hominum quum videatur esse sapientissima (quippe ut Deus propitietur & honoretur, scilicet) stultos arguit, *Hinc ἀθεότης, vel δεισιδαιμονία.*

Rom. 1: 22. imò, ut Plutarchus rectè, περιαιρεῖ ἀθέους, & voto eodem præditos, quo illi, qui Deum abnegant.

43. Igitur de homine irregenito dicit Scriptura, *Cogitasti, me esse similem tui*, Psalm. 50: 21. & Psalm. 14: 1. *dicit stultus in corde suo, non est Deus.* & Gen. 6: 5. *Figmentum cogitationum cordis hominis tantùm malum omnibus diebus.* & 1 Cor. 2: 14. *Animalis homo non recipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, quia sunt ipsi stultitia.* Judæ v. 10. *Quæ non norunt, blasphemant.* Adi & Eph. 4: 18.

5. *Prolapsionis in deterius.*

44. *Quintò* sequitur progressus ab uno peccato ad aliud, & profectus in deterius, Deo etiam justè frenum suum, quo per clementiam coërcet gentes & eas σωφρονίζῃ, hoc est, in moderatione quadam continet, Psalm. 94: 10. relaxante; & tandem tradente in reprobum sensum ad accumulationem iræ in diem iræ. Rom. 1: 28. 2: 5. Fructus illos *carnis* sive carentiæ Spiritus magno catalogo recensèt Apostolus Gal. 5: 19. 20. 21.

Nomina vitii originalis.

45. Hoc malum originis significatur per *imaginem Adami*, Gen. 9: 3. & præsupponitur, quando dicitur, cogitationem hominis tantùm esse malam à pueritia, Gen. 6: 5. 8: 21. Ex eo enim intelligitur esse talis, & ita vitiosus, ut tantùm malum cogitare possit & cogitet. Et ex iis locis sumserunt Hebræi appellationem hujus mali, quod vocant יֵצֶר הָרַע *figmentum malum* vel *mali*, metonymicè. Vocatur etiam שְׁרִירוּת לֵב *obstirmatio cordis* Deut. 29: 19. Item *cor lapideum*, necessariò eximendum ex homine, ut in statutis Dei ambulare possit. Ezech. 11: 19.

46. Ab hoc malo homo dicitur πονηρὸς *malus* vel *malignus*, Luc. 11: 13. cui contrarium ἄκακος *non vitiosus* in Christo, qui sanctus conceptus & natus est, & ἀμίαντος *non inquinatus* etiam peccati paterni reatu, Hebr. 7: 26. Item *mortuus*, *mortuus in peccatis*, (quod perperam explicat Episcopius *mortis reus propter peccata*; quum notet *mancipatum operibus mortuis tenebrarum. Vita* animæ est veritas & sanctitas; *mors* animæ est corruptio cupiditatis) *filius iræ*, Eph. 2. vers. 1. 3. 5. Col. 2: 13. נָבָל *stultus*, Psalm. 14: 1. hoc est, mente & animo corruptus. *defector ab utero*; in qua defectione perseverant impœnitentes. Psalm. 58: 4. Es. 48: 8. רָשָׁע ἀποδόκος, destitutus justitia Dei. Psalm. 1: 1. Rom. 3: 19. 4: 5. 5: 6. ἁμαρτωλὸς Rom. 5: 8. 19. quod gentibus imputatur Rom. 3: 7. Gal. 2: 15. & extenditur ad omnes indigentes justificatione Christi, v. 16. quo elogio Esaias ipsos Israëlitas vituperat cap. 1: 4. *Heu gens peccatrix,*

hoc

hoc est, homines ita nati, ut nihil nisi peccare possint, & ita adulti, ut nihil nisi peccent. ἐχθρὸς *hostis.* Rom. 5: 10. Et Israël, quum assumeretur, dicitur *jacuisse in sanguine suo.* Ezech. 16: 6. in quo est typus omnis hominis electi. Et verò hinc est, quòd peccatum omnes Christi fratres tenet, Hebr. 4: 15. etiam infantes. Col. 2: 13. quippe circumcidendos. ibid. v. 11.

47. Malum hoc etiam dicitur *Vetus homo, qui corrumpitur secundùm concupiscentias seductionis,* Eph. 4: 22. item *Homo exterior,* 2 Cor. 4: 6. idque eadem ratione, qua dicitur *Lex in membris rebellans* in renatis *legi mentis & captivans sub legem peccati.* Rom. 7: 23. *In membris* sive *in carne* est, quia anima hac labe prædita corrumpitur per sensus & affectiones membrorum, Rom. 7: 5. & plerumque ventrem Deum, oculorumque & carnis illecebras & victus vanitatem sensibus æstimabilem sequitur. Et sic novus homo *in mente* dicitur residere & dicitur *homo occultus cordis*, quatenus in mente, in corde, sunt primordia sanctificationis & coërcitionis concupiscentiæ. Nam nec sanctificatio subsistit intra mentem & cor; nec concupiscentia in membris. Et hinc malum hoc appellatur *cor lapideum, cor lamosum* & in peccatis maceratum *ac* deploratè *ægrum.* Ezech. 11: 19. Jer. 17: 9.

48. *Concupiscentia* dicitur, quia actualis concupiscentia ex hac habituali pronitate ad malum & aversione à bono oritur; & hæc in illa cernitur. Concupiscentiæ & primi motus peccatum sunt, quia non sunt ex Deo, neque ex eo esse possunt, 1 Joh. 2: 16. Exemplum est in Petri timore, qui fuit ἀναγμὸς fidei contrarius. Matth. cap. 14: 29. 30. 31.

49. *Peccatum* dicitur, non tantùm quia à peccato & ad peccatum est, sed, quia revera est יֵצֶר *pravitas*, cum imagine Dei, legeque naturæ & fœderis Dei stipulatione pugnans. Ideoque & rectè statuitur, Decimo præcepto postulari, ut homo talis sit, qualis à Deo factus est, rectus, sine concupiscentiæ contra Deum & proximum fomite. Vide Rom. 7: 7. 8. Hoc *peccatum* regnat in irregenitis, qui ipsi voluntariam & necessariam servitutem serviunt, liberi à justitia. Rom. 6: 12. —20. Hi iidem sub lege & damnatione sunt. Rom. 6: 14. Hic est *mundus, qui in malo jacet*, & ἄθεος est, *spem non habens.* 1 Joh. 5: 18. 19. Ephes. 2: 12. *Stipendium,* quod sibi servientibus dat, est mors in prima fœderis operum promulgatione nuncupata. Rom. 6: 23. *Peccatum reatum.*

50. *Non regnat* in regenitis, qui *sub gratia sunt*, quos Spiritus vitæ in Christo liberavit à lege peccati & mortis. Rom. 6: 14. 8: 2. & servientes mente legi Dei, quatenus nova creatura sunt. Rom. 7. v. 25. cum carne (à qua lubricitas ad malum & difficultas in bono) luctantur: atque ita *in carne non sunt*. Rom. 8. 1. 4. 5. 8. 9. Est tamen in ipsis peccatum, licèt debilitatum; imputabile ad condemnationem, quamvis condonatum: & plurimos afferens amaros (quamvis aliquos per gratiam salutares) fructus. Inter quos est mors corporis peccati. Rom. 8: 10. ad ejus & luctæ cum carne depositionem, propter mortem & vitam Christi. Corpus mortale *corpus peccati* dicitur, quia in eo cum peccato luctamur. Rom. 6: 6. Coloss. 2. vers. 11.

Moderatio hujus mali à clementia.

51. Per clementiam Dei fructus peccati coërcentur diversimodè. Quò pertinet παιδεία ἐθνῶν *disciplina gentium*, Psalm. 94: 10. per quam tamen, & ei ancillantem sapientiam, in sapientia Dei, Deum non agnoscunt. 1 Cor. 1: 21.

52. Singularis disciplina fuit Israëlis per legem, non ut per illam justificarentur, sed ut, abundante per præceptum peccato, in omnibus ostenderetur impotentia carnis: in multis etiam vis execrationis. Rom. 5: 20. Esa. 5: 4. 5. 40: 6. 7. 8. 1 Petr. 1: 23. 24. Gal. 3: 21. atque ita omne os obturaretur, convicto homine de sua impuritate.

Errores circa hanc doctrinam.

53. Pestilentes sunt errores contra hanc veritatem Pelagianorum & Socinianorum: qui fingunt hominem nunc nasci, ut olim conditus est: Adamum solo exemplo nocuisse: solam necessitatem moriendi provenisse à peccato. Unum peccatum nec Adamum corrumpere potuisse; nedum posteros. Socini Philosophia est, Hominem in natura bona habere duplicem appetitum, *Recti*, & *sibi boni*. Rectum ignorare; sed, si id cum præmio notificetur, appetere. Nos dicimus, & ignorantiam *recti*, & appetitum *sibi boni*, quod non fundetur in *recto*, non posse esse in natura bona & à prima conditione Dei: imò Hominem sine sapientia & sanctitate creari non potuisse.

54. Alii (Episcopius inst. theol. l. 5. s. 5. c. 2. Apolog. Conf. Rem. c. 7. pag. 84. b.) concedunt, Hominem quidem per se parum idoneum esse ad vitam æternam, sed in filiis Adæ nihil esse, quod peccatum propriè dictum & odio Dei dignum, aut pœna peccati sit: & promissionibus maximis per Christum propositis per se addu-

adduci ad Deum, per generale subsidium (quod ajunt omnibus & debere dari & dari; & vix aliud quid est, quàm ratio & doctrina) neque autem in homine esse propensionem tantùm ad malum, nempe ad odium Dei & proximi. ut Catechesis nostra loquitur. Quibus oppone § 40 — 44.

55. Pontificii negant, concupiscentiam à baptismo remanentem esse peccatum. Fingunt, imaginem Dei fuisse frenum aureum substringens inferiores hominis partes superioribus: hominem lapsum mansisse in puris naturalibus; & talem fuisse condendum, si absque supernaturalibus conderetur; & talem potuisse condi, qualis est homo, qui nascitur ex muliere: lapsum ab homine in puris naturalibus condito differre ut spoliatum à nudo: in homine irregenito esse dimicationem superiorum & inferiorum partium; quasi duplex volendi facultas esset in eodem homine, &, meliori parte integra, deterior tantùm rebellis constituta esset, & membra sine voluntate appeterent. Item, peccatum originale non obligare nisi ad pœnam damni: quum tamen involvat imputationem peccati Adami. Et, illud tolli penitus in baptismo. Item, Mariam virginem fuisse absque eo peccato; vel saltem incertum esse, an ea fuerit sub execratione legis, an fuerit mortua, an indiguerit regeneratione, & Christi justitia ac salute. Item, hominem post peccatum esse liberum ad faciendum bonum.

56. Errant, qui dicunt, peccatum originale esse hominis substantiam. Neque enim est creatura, sed defectus bonitatis in creatura. Et cor lapideum mutatur in carneum non mutatione substantiæ, sed *purificatione ejus per fidem*. Actor. 15:9.

57. Pighius in mera & nuda imputatione peccati Adami peccatum originale ponens, & corruptionem hominis abnegans, sine dubio rejiciendus est, ut qui nesciat inter rectum & corruptum distinguere.

58. Quid velint illi, qui dicunt, filios Adami esse hæredes corruptionis Adami, sed illis non imputari transgressionem Adami, statuere apud me non possum. De qua sententia diligenter scripsit Antonius Garissolius. Vide, ut eam explicet, cap. 2. § 10.

Cap. XXXI.

De Fœderis operum evacuatione prima, & Legis impotentia.

Quot modis aut gradibus fœdus operum transeat in fœdus gratiæ & huic decedat?

Supra c. XXII. vidimus, hominem, conditum ad imaginem Dei, constitutum fuisse sub lege operum, &, quia ei legi annexa necessariò est promissio vitæ, aditum ei patefactum fuisse ad fœdus cum Deo & amicitiam ac communionem ejus. Per transgressionem homo id *fœdus irritum fecit.* Sive id intueamur, quòd homo rectam voluntatem habens, & mandatum Dei sine contradictione recipiens, videtur spopondisse constantiam in ea rectitudine, & deinde, quum peccavit, mentitus esse Deo, perfidè egisse, & fœdus, hoc est, pactum violasse: unde Hoseas c. 6: 7. dicit, *Et illi, ut Adam, transgressi sunt fœdus; ibi perfidè egerunt mecum.* Sive ad eum modum rem consideremus, quomodo Israëlitæ, verbis fœderis auditis, id irritum fecerunt & à se amicitiam Dei repulerunt. Jer. 31: 31. Et nos quidem, quando de fœderis operum abrogatione & antiquatione loquimur, intelligimus pactum de operibus, ut conditione vitæ, quod ab homine recto non potuit non accipi & approbari; &, quum mandatum Dei ipsi proponeretur, acceptum est & approbatum. Id igitur pactum quinque gradibus videtur aboleri & abrogari. 1. quoad possibilitatem justificandi & vivificandi. 2. Quoad damnationem. 3. Quoad terrorem. 4. Quoad luctam cum reliquiis carnis. 5. Quoad effecta omnia. Quod tamen ita dicimus, ut in eadem lege fundari hanc quadruplicem pacti de operibus faciendis, quæ cum bono nostro conjuncta est, abolitionem & amotionem, intelligi cupiamus; non, quòd virtute legis per se solam id fieri potuerit, sed, quòd interventus Sponsoris & Redemtoris demum id legi fecerit possibile. ut ita non sine legis potentia *moriamur peccato* paullatim, & *Deo* magis magisque *vivamus.* Gal. 2:19. Cæterum prima fœderis operum evacuatio, qua factum inutile, facit necessitatem fœderis gratiæ. Fœdus autem gratiæ acceptum tollit damnationem legis: ita tamen, ut, quamdiu Mediator non apparuerit, reatus peccati maneat, terror potuerit peccatori incuti & servitus imponi. A quo liberat mors & resurrectio Mediatoris. Manente tamen lucta spiritus & carnis, usque ad mortem. Ex qua resurrectio tollit omnia, quæ à peccato provene-

venerunt, & introducit in omnia fœderis gratiæ bona & plenam hæreditatem.

2. Apostolus igitur Paulus Legi tribuit ἀδυναμίαν & ἀσθένειαν sive *impotentiam* quandam, Rom. 8: 3. quam cognoscere oportet, si quid rectè de Spiritu regenerationis, tum ad pietatis inflammationem, tum ad consolationem fidelium, dicere velimus.

3. Ante omnia vox *Legis* accuratè noscenda est. Alicubi enim significat in genere doctrinam Dei, qua homini vel monstratur via, qua ad Deum & communionem ejus veniat, vel nominatim peccatori. Alicubi significat id totum, quod Moses populo proposuit, quo Deus populum voluit docere & sapientem ad salutem facere. Alicubi, quod Moses post Patres & præter verbum Patribus factum, h. e. præter *promissionem*, à Deo accepit, ut populo Israëlitico, maximè post fœderis rejectionem, imponeret. Gal. 3: 19. *Legis distinctio.*

4. Et in eo quidem tria sunt. 1. Ea præcepta, quæ qui facit homo vivit in eis, Lev. 18: 5. Ezech. 20: 11. quæ in ea consideratione constituunt *legem operum*, ut Paulus loquitur Rom. 3: 27. nempe eorum, quæ justum faciunt & commendant Deo. 2. Symbola, quæ testabantur, quòd Deus sanctificaret Israëlem, & multa præcepta de symbolis, quæ homini vitam non præstabant, eumque non justificabant, Actor. 13: 39. imò quibus Israël inquinatus cum suis oblationibus ostendebatur. Ezech. 20: 26. quæ ad Sacerdotium filiorum Aharonis pertinebant. Nam iis statutis reliquus Israël ab altari & omnibus rebus sacris tanquam impurus fuit abstentus. Quibus statutis suppositus fuit populus terram Canaan hæreditaturus. 3. Judicia præscripta populo & senioribus ad ea exercendum in transgressores. Quæ statuta (intellige de symbolis aut ritibus, sive malis cerimoniis, deque judiciis) faciunt eam legem, quæ *cerimonialis & forensis* vulgo appellatur, ab Apostolo verò νόμος ἐν δόγμασι *lex placitis constans* nominatur.

5. Legis operum (nam de ejus impotentia jam loquimur) agnoscenda est ea potentia, quam ei tribuit Scriptura, quòd habeat *statuta* sive *definitiones ac judicia, quæ qui facit, in eis vivit.* Ideò de ἐντολῇ *præcepto*, dicit Paulus, quòd sit ἀγαθὴ *bonum*: & vocatur ἀγαθὸν *bonum*. Rom. 7: 12. 13. Nempe quia est εἰς ζωὴν *ad vitam*, ibid. 10. *Legis operum potentia.*

6. Ex quo intelligitur, eum, qui fecerit ea, eo ipso, quòd ea fecerit, habere jus gloriandi & dicendi; se ut fidelem servum fecisse, quæ debuerit facere, &, juxta pactum, petendi mercedem. Quod non

non potest item dici de statutis ritualibus: quæ δόγματα *placita* aut *decreta* appellantur. Nam ea Propheta Ezechiel חֻקִּים לֹא טוֹבִים *statuta non bona, & judicia, in quibus non viverent*, appellat cap. 20: 25. Ut & Apostolus Hebr. 7:16. vocat νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς *legem præcepti carnalis*, & ei tribuit ἀθέτησιν διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς, *abolitionem, propter impotentiam & inutilitatem.* v. 18. & rursus vocat δικαιώμασι σαρκὸς, *mandata carnalia*, cap. 9: 10. Nempe hæ res illo exemplo sunt judicandæ, quod extat 1 Cor. 7:19. ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν· ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν θεοῦ, *circumcisio nihil est & præputium nihil est: sed observatio præceptorum Dei.* Per se enim Deo non facit similem circumcisio aut præputium, esus potusque aut abstinentia, lotio, mactatio & crematio pecudum, suffumigatio, & similia. Sola in his spectanda obedientia; & quidem cum fide illius promissionis, quæ per hæc firmabatur, & amore illius boni, quod per illa figurabatur.

7. Habet & illam potentiam Lex operum, ut peccatorem damnet. Galat. 3:10. *Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt.* unde facile intelligitur, eos, quibus imperatur aliquid facere tanquam ad peccatum expiandum & purificationem parandam, hactenus sub maledictione aliquo modo esse: multò magis eos, qui non habent fidem ad justitiam & obligantur ad opera faciendum, quum peccatores sint, atque etiam illa via justitiam quærunt, sub maledictione penitus esse. 1 Cor. 15:56. *Aculeus mortis peccatum: potentia autem peccati Lex.* h. e. sancta natura & sancta voluntas & verbum sanctum Creatoris facit peccatum potens ad mortem irrogandam.

Legis operum impotentia. Non potest justificare.

8. Propter peccatum igitur non habet potentiam justificandi aut vivificandi. Rom. 8:3. *Quia Lex infirmabatur per carnem, impossibile ei erat peccatum condemnare.* Galat. 3: 21. *Si data esset Lex, quæ posset vivificare, revera ex lege esset justitia.*

Nec vivificare vel sanare peccatorem.

9. Ex quo efficitur, eandem legem obstare, quò minùs peccator possit accipere Spiritum Dei ad sanctificationem.

10. Atque adeò nulla legali doctrina de moribus & operibus posse hominem converti ad Deum, si quidem ea sola sit ac destituta verbo gratiæ, quo Deus ostendatur amabilis peccatori. multò minùs doctrina de operibus propter justitiam faciendis, cum negatione aut occulratione verbi gratiæ. Et hominem omnem, qui illam audit, eam relinquere *animalem*, ac spiritu Dei destitutum:

eique

eique nihil esse nisi *literam*, & quidem occidentem, h. e. damnantem & peccatum excitantem ac vivificantem. 2 Cor. 3. vers. 6. 9. Rom. 7. vers. 9.

11. Atque ita est *Lex peccati & mortis*. Rom. 8: 2. *Lex peccati*, quia peccatum armat ad accusandum & damnandum hominem atque eum sibi subjiciendum & mancipandum, & peccatum tanquam accusatorem petentem dominium in peccatorem adjuvat atque patrocinatur: dum scisci, ut, à quo quis victus est, ejus quoque servus factus sit. 2 Petr. 2. 19. Velut *lex mariti* dicitur, cui obligat uxorem, ut adultera vocitetur, si, eo vivo, alteri jungatur. Rom. 7: 2. 3. *Lex mortis*, quia est δικαίωμα θεοῦ, h. e. justa Dei sententia & justum judicium, quod justitia ejus ab eo flagitat, (δικαιοκρισία) ut, qui tales sunt & talia faciunt, digni sint morte. Rom. 1: 32. sintque ὑπόδικοι τῷ θεῷ *obnoxii Deo*, Rom. 3: 19. ἐχθροὶ *inimici*, Rom. 5: 10. ὑπὸ τὴν ὀργὴν, *sub ira*, Rom. 2: 5. *Est* lex peccati ac mortis.

12. Quod quidem judicium ita justum est, ut Deus seipsum abnegaturus sit, si non ἀποφέρῃ ὀργὴν *iram irroget*, 2 Timoth. 2. vers. 12. 13. Rom. 3: 5.

13. Servitus autem peccati, cui Lex peccatorem addicit, in eo consistit, quòd homo peccator *sua membra sistit* voluntate sua *serva impuritati & defectioni, ad defectionem* sive rejectionem legis. Rom. 6: 19. Hæc autem servitus intenditur per legem auditam, sive consideratam, quia manifestat hominis vitiositatem, & eam irritat. Et eò magis irritat, quò magis manifestat. *Occasionem* enim præbet homini, non tantùm ut enixiùs velit, quod contra legem est, quando id vetari audit: sed etiam, ut, quum intelligit, se à lege coargui, ratiocinetur contra legem, & concupiscat contra Deum ipsum, ipsiusque virtutes & judicium. *Servitus peccati à Lege irrogatur: Per legis auditum confirmatur.*

14. Ita, qui ἄνομος & sine lege est, quasi vivus est; dum se abstinentia & honestis dictis factisque ornat coram hominibus, & coram eis justificat: quando autem legem audit aut considerat, moritur, quippe & videt se damnatum, & eò perditiùs concupiscit. Rom. 7: 7. 8. 9. 10.

15. Neque illa concupiscentia minor est in illis, qui religionem constituere conantur. Quod dum faciunt, ac sapienter se agere autumant, stulti fiunt. Nam religio illorum caret sapientia, & ἐπιγνώσει *cognitione* aut *animadversione*. Rom. 1: 22. 28. 10: 2.

16. Aut in illis, qui propriam justitiam constabilire satagunt.

Necesse est enim, illos, ut confidant, se Deo placituros, legem ipsam extenuare, & culpas suas; & abstinentiam suam atque facta coram Deo extollere. Uno verbo, judicare, quòd Deus sit ut ipsi. Psalm. 50:21. Qui nempe sine satisfactione & sacrificio, quod ipso dignum sit, iisque, qui cum ipso non faciunt fœdus per sacrificium ipso dignum, Psalm. 50:5. peccata remittere, vel, non obstante naturali sanctitate & veritate, legem laxare, vel defectuosa approbare & cupiditates non imputare possit.

17. Qui error capitalis est, & in omnibus residet, qui legem non intuentur ut expressionem illius veritatis, secundùm quam imago Dei esse debebamus; quasi justitia pendeat ἐπὶ δόγματος *à placito*. Hoc vitium est in omnibus religionibus, quæ hoc tempore extra Ecclesiam reformatam sunt. Quod diligenter cavendum est, ne vel in animis hæreat (hæc enim stulta cogitatio est à carne) vèl in doctrinam serpat.

18. Neque tantùm Animalis homo non recipit, neque cognoscere potest ea, quæ pertinent ad mysteria salutis; verùm etiam, quæ pertinent ad sanctitatem, in qua consistit imago Dei. Licèt enim in multis, quæ facit proximus, habeat quisque, quod judicet & criminetur; licèt multa rectè præcipiat agenda vel omittenda; licèt assentiatur legi, quando illam audit, quòd illa justa & recta sit: quæ est vis conscientiæ etiam in irregenitis: tamen inter illos nemo est, qui non jurgetur cum conscientia sua, qui non ratiocinetur & murmuret, qui non se excuset, qui non oderit disciplinam, qui amet Deum & timeat, qui se ipsum excutiat, qui cognoscat ipse sua desideria & animi perturbationes, quique cognoscat, quomodo Deus colatur in vera resipiscentia, ut Deo sit cultus ipsius εὐπροσδεκτος. Cujus rei argumentum certissimum est, quòd ne ipsi quidem, qui primitias spiritûs habent, sciunt, quid petant, quemadmodum oportet; nedum ut sciant, quid emendent. Nam profundum est cor hominis & lacunis recessibusque asperum, atque incurabili malitia ægrum. Quis illud cognoscet? Jer. 17:9.

Examen opinionis cujusdam viri docti de effectu legis in quibusdam irregenitis & statu medio inter prorsus cor-

19. Neque est, quod quis magni æstimet ea, quæ, sine promissione percepta vel credita, solus auditus legis efficere potest, vel in quibusdam effecit. qualia sunt, 1. *Reverentia aliqua orta partim ex notitia justitiæ & æquitatis mandati, partim ex persuasione divinitatis revelationis, per quam innotuit.* 2. *Nisus servandi mandatum ex cognitione sanctitatis ipsi insitæ, & ex spe remunerationis* aut *metu pœnæ.* unde *evenit,*

ut

ut ii, in quorum mentes lex *paulò altiùs penetravit, eò deducerentur, ut actiones suas exteriores & perturbationes animi comprimerent, nequid earum erumperet in rebus, quas vel leges hominum corrigere vel eorum oculi damnare solent; tametsi cupiditates ipsa mirum in modum intus arderent, haud ferè aliter, quàm cùm equi ferocia injecto freno coërcita violentiùs intumescit.* *ruptos & regenitos.*

20. Licèt enim hæc eò usque aliquando profecerint (apud Judæos nominatim) ut magnam δικαιοσύνην *honestatem* præ se tulerint; atque etiam S. Paulus hoc studium habentibus attestetur, quòd habeant ζῆλον θεοῦ, קִנְאַת אֱלֹהִים *zelum Dei*: Rom. 10: 2. ipseque se & sui similes eo studio occupatos vocet ζηλωτὰς θεοῦ καὶ τοῦ νόμου *zelotas Dei & legis*. Actor. 21: 20. 22: 3. tamen, quia ille ζῆλος non fuit κατ' ἐπίγνωσιν, & fuit conjunctus cum ζήλῳ παρελκῶν τῶν ἀποστόλων, Gal. 1: 14. & comparatus ad propriam justitiam constabiliendam (quam Scriptura vocat יֵשַׁע αἰσθῆσιν) neque fuit ad δόξαν θεοῦ, ἧς πάντες ὑστεροῦνται, *gloriam Dei, qua omnes posteriores sunt*, non potuit id studium & is zelus *bonam conscientiam* parere: sed, quò ardentius fuit, eò fuit major ἀπείθεια *inobedientia* & in Deum contumelia. Sic enim in Scripturis appellatur.

21. Error proinde gravis est, putare, quòd ad eam conversationem pertineat dictum Apostoli Act. 23: 1. *Fratres, ego omni conscientia bona conversationem meam institui usque ad hunc diem.* Quem locum aliquis referens ad tempus Zeli Apostoli pro lege & traditionibus, hoc modo citat: *Hoc sibi arrogat, quòd toto eo tempore omni conscientiâ bonâ Deo servivit.* Atqui hæc verba dicto loco non inveniuntur: sed similia habentur c. 24: 14. 16. *Secundùm viam, quam dicunt hæresin, sic servio avito Deo.* &c. *In hoc autem ipse me exerceo, inoffensam conscientiam habere ad Deum & homines semper.* Atqui manifestum est, Apostolum in posteriore loco loqui de suo statu in Christianismo. De eo verò statu, in quo proficiebat in Judaismo, alibi testatur, se tunc fuisse blasphemum & contumeliosum & persecutorem & infidelem. Quare & verba Actor. 23: 1. ubi dicit, *usque ad diem hunc*, de citeriori tempore accipi debent. Nam, si utrumque tempus amplexus esset, sibi bonam conscientiam & in persecutione Christi, ac prosecutione propriæ justitiæ, quam alibi pro quisquiliis habet, & in Christi prædicatione habuisse testaretur. Quod absurdissimum est.

22. *Zelus* igitur ille *Dei* nihil fuit nisi *consilium improbi* & damnati

hominis. de quo loquitur Psalmus primus vers. 1. Atque adeò pertinet ad concupiscentias illas, quas peccatum occasione legis operatur in irregenitis, & per quas peccatum eas operans fit eò magis peccaminosum, hoc est, tum desperatæ pravitatis & malignitatis, tum reatûs damnationis justissimæ compertum. Rom. 7. vers. 13.

23. Atque eas ob causas non possunt ea, quæ scribuntur Rom. 7: 15. & sequentibus, pertinere ad eos, qui sub lege habuerunt eum Zelum Dei, quem Apostolus de iis testatur.

24. Neque illorum, qui hunc Zelum habent, status debet dici *medius* inter *statum prorsus corruptum, quem à natura habemus, & conditionem eorum, qui per Euangelium regeniti sunt.* quasi is status sit separatus à statu prorsus corrupto, in quo vis & malignitas peccati abundantiùs manifestatur.

25. Certè iis, qui, sepositâ aut ignorata promissione, solam legem, quæ factoribus vitam pollicetur, audiunt, non convenit velle bonum, non velle sed odisse malum, non amplius esse eos, qui fuerant, atque adeò ipsos eosdem non amplius perficere malum, habere hominem alium à veteri internum, condelectari lege Dei, videre legem peccati in membris, miseriam suam deplorare, ad liberationem ex corpore mortis suspirare, gratias agere Deo per Jesum Christum, servire legi Dei mente, non esse illis condemnationem. Nam hoc statim Apostolus principio capitis octavi infert. Quæ quum ita sint inter se similia, frustra fingitur parenthesis versus vicesimi quinti parte prima; *Gratias ago*, &c. quasi ea loqueretur de alio statu.

26. Malè statuitur, eam efficaciam legis, quam § 19. posuimus ex quorundam sententia, esse *adductionem ad Christum*; & per eam homines fuisse *usque ad Euangelii marginem veluti propulsos ministerio legis.* Nam per legem, sepositâ promissione, nulla est Christi notitia. Seponere autem illius sententiæ auctores promissionem, ex hisce eorundem verbis constat. *Nihil certè nunc opus est, ut quicquam de ea revelatione dicamus, qua, quid esset mediator designaturus, aliquatenus innotescere potuit: sat habebimus examinare, qua ratione lex hominibus notum fecerit, quantopere illis mediatore opus esset.*

27. Nec meliùs, eam efficaciam esse ab operatione *Spiritus, qui legem comitatus fuerit.* adeò ut *studium justificationis per legem obtinendæ excitatum spe remunerationis & metu pœnæ*, sit effectus spiritus: & per hoc

hoc differant ab iis, *in quibus Deus nullam sui Spiritus vim exeruit*: quanquam iidem etiam non sint nacti *spiritum sanctificationis*, *quem Euangelium subministrat*. Quanquam enim dictamen conscientiæ, Debitum hominis esse, ut justitiam coram Deo habere curet; non sit nisi à Deo, atque adeò à Spiritu Dei: tamen 1. non omnis operatio Dei in hominibus attribuitur Spiritui, ut est *spiritus gratiæ*: sed tantùm operatio sanctificationis, & quæ ei connexæ sunt. Quando enim Deus nobis fidem donat, & ea purificat cŏrda nostra, tum dicitur Spiritus sanctus nobis, ut acquisitus à Christo, donari, & fieri in nobis arrhabo & pro nobis intercedere ut paracletus, tanquam noster: non quòd alia sit operatio Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed, quum illa operatio sit & Spiritus sancti, ut fides nostra & spes roboretur, & nobis donetur gloriari in Deo. Quatenus enim est operatio & Spiritus Patris ac Filii, quadamtenus intelligitur, eum procedere à Patre, & mitti à Filio, & nobis donari, ut maneat & habitet in nobis. Et ideò dicimur, quando fide donamur, uno spiritu in unum corpus baptizari. Et ab hoc spiritus dono *homo spiritualis* appellatur in oppositione *hominis animalis*. qui nec *recipit* ea, quæ sunt Spiritus Dei, verùm ea repudiat, quia sunt ipsi stultitia, propter præjudicia ratiocinationum concupiscentiis ancillantium; *neque potest cognoscere* plenè & sincerè, prout sunt ad communionem cum Deo & veram sapientiam recuperandam, quia spiritualiter per illuminationem spiritus gratiæ judicantur, ut sapientiam illam cœlestem in iis cognoscamus. 1 Cor. 2:14. Nam vim Apostolo facit, qui putat, in homine corrupto omnem vim conscientiæ ab eo negari. Cui contrarium est, quod extat Rom. 2: 14. 15. Qui profectò pestilens error est, quasi tantùm ii *prorsus corrupti* sint, qui *virtutem & vitium nullo discrimine habent*, & in quibus conscientia non distinguit rectum à pravo.

28. Et hinc est, quòd Lex, separata à promissione, dicitur *litera*; cui opponitur *Spiritus*. quia spiritus ille acquisitus, quem Christus accepit, ut daret nobis, per legem solam non operatur ullam cordis purificationem.

29. Certè 2. illud studium propriæ justitiæ constituendæ non potest dici Charitas. Et fatentur auctores sententiæ, quam tractamus, Legem in illo statu medio *nullum verum amorem Dei animo hominis ingenerare*. quippe quum *talis amor non aliunde, quam ex fiducia* divinæ benevolentiæ *proficiscatur*.

30. Non potest igitur nobis arridere, ut tales significari putemus à Christo per κοπιῶντας *fatigatos*, Matth. 11: 28. Sunt enim ii אֲסִירֵי הַתִּקְוָה vincti expectationis, ligati & constricti sub jugo legis cum expectatione libertatis; οἱ ἐν ὑπομονῇ νυκτὸς καὶ ἡμέρας λατρεύοντες καὶ ἐλπίζοντες καταντῆσαι εἰς τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατέρας ἐπαγγελίας γνομένης, *cum contentione noctu atque interdiu cultum obeuntes & sperantes se perventuros ad spem promissionis ad patres factæ.* Actor. 26: 7. eaque servitute & longa exspectatione delassati, atque anhelantes ad Christi adventum. Eos enim vocat ad se, & iis promittit in se ἀνάπαυσιν *requiem.* Atqui hæc spes per legem (fatentibus iis, quibuscum meditationes nostras conjungimus) non excitatur.

31. Eodem jure improbamus, quod iidem dicunt, talem operationem spiritus fuisse *sub œconomia legali*: atque adeò affirmant, Paulum Apostolum docuisse, quòd *homines sub œconomia legali verè non fuerint sanctificati.* Periculosè confunditur Lex sola, & Oeconomia legalis. Nam Oeconomia legalis præsupponebat promissionem; & lex non proponebatur ut valens vivificare aut justificare, aut etiam promittens peccatori vitam ex studio constituendæ justitiæ propriæ, aut Zelo Dei, quem habuerunt Judæi, (sic enim fuisset contraria promissioni antè ratificatæ) sed ut ei addita, non ut contraria-retur, sed ut maledictionem intentaret omnibus benedictionem ex ea in propria justitia quærentibus; eamque credentibus cum Abrahamo in Christum addiceret: atque interim peccatum, ut necdum expiatum, commemoraret & accusaret, & iram aliquam irrogaret imponendo servitutem. Atque adeò œconomia legalis est quædam œconomia fœderis gratiæ. In qua non fuisse veram sanctificationem dicere, est injuria non tam in sanctos Patriarchas, Prophetas, justos, quàm in gratiam Dei.

32. Non possum concoquere, quod iidem dicunt: *Promissiones veniæ & misericordiæ declarationes, quæ sunt in Veteri Testamento, non pertinent ad fœdus legale, sed Evangelii primordia & rudimenta comprehendunt.* Quamvis enim verum sit, promissionem de Christo dando, & mandatum fidei in eam promissionem, cum annexa pollicitatione veniæ, sive consolatione credentium, esse primordia Euangelii, sive προευαγγελιζμὸν (ut loquar cum Apostolo Gal. 3: 8.) imò, quia id verum est, non potest verum esse, ut νομοθεσία *legislatio*, quæ postea facta est, sive legis introductio fuerit introductio fœde-

fœderis legalis de justitia & vita sub conditione propriæ obedientiæ. Fateor tamen, per νομοθεσίαν hanc initum fuisse fœdus peculiare cum Israëlitis, promissioni Testamentum gratiæ declaranti credentibus, de hæreditate terræ Canaan ut pignoris cujusdam, sub conditione portandi jugi, usque ad tempus διορθώσεως correctionis.

33. Fateor & hoc, istud fœdus carnale non potuisse in ignorantibus Testamentum Dei (quales erant Paulus adhuc zelator Pharisaismi & ipsius socii) aliud efficere, quàm, summùm, gaudium quoddam inane de prærogativa præ gentibus, & anxietatem in studio suæ justitiæ propriæ, ac litigationem cum cupiditatibus, ut scortis molestis, sine odio earum. ut id mihi liceat mutuari ab Seneca epistol. 22. Quod hi auctores dicunt *certamen intellectus & appetitus.*

34. Profectò non debebat is effectus deputari *Spiritui servitutis*, de quo loquitur Apostolus cap. 8. ad Rom. v. 15. Quippe illum spiritum mundus accipere non potest. Filii, qui statu nihil à servis differebant, sic à Spiritu Dei agebantur, ut in expectatione Christi & justitiæ ac libertatis jugum legis patienter ferrent, quanquam fessi & anheli. Is spiritus non operabatur certamen intellectus & appetitus, in quo appetitus vinceret; sive conflictum concupiscentiarum, ut rectiùs loquamur: sed operabatur fidem & spem Messiæ & amorem Dei & patientiam jugi.

35. Atque ex his patet, quàm putidè sentiant, qui asserunt, hominem sine adjutorio gratiæ posse facere opus moraliter bonum secundùm omnes circumstantias. Qui homines non vident, opus hominis non posse æstimari bonum, nisi quatenus est opus hominis. Sed non est opus hominis tantùm quatenus membris administratur, verùm multò magis, quatenus à mente imperatur. Atqui nulla administratio membrorum, quantumvis honesta & splendida, quæ reperitur in homine irregenito, fit ex imperio Charitatis, sed tantùm Concupiscentiæ. *Homo irregenitus non potest facere opus moraliter bonum secundùm omnes circumstantias.*

36. Maneat, legem non valere in homine non regenito sive non sanctificato unam bonam cogitationem efficere, sed tantùm cupiditatem accendere & irritare.

CAP.

Cap. XXXII.

De Libertate arbitrii peccatoris.

Ex iis, quæ superiori capite tractata sunt, mediocriter potest intelligi, in quem statum venerit voluntas peccatoris per peccatum. nempe servitutem peccati lege addicente constrictam & devinctam.

Libertas pristina amissa.

2. Unde liquet, non nisi abusivè tribui peccatori *liberum arbitrium*, sive voluntatem liberam. Siquidem oportet *liberum* vocare ex usu Scripturæ eum, qui jure alieno solutus est, &, quum de hominis statu spirituali agitur, eum, qui ad suum bonum, quod natura ei demonstrat, voluntate promta constantique fertur, nullis impedimentis & difficultatibus impeditus vel compedibus & catenis aliovorsum actus, nedum à domino & conservatore suo aberrans, eique ingratus & infidelis. *Libertatem* enim, quam homo habebat in rectitudine, qua Deum & verbum ejus amabat, amisit: cui successit tristis illa servitus cogitandi & volendi malum, & quidem *tantùm malum*, donec à Deo sanetur & liberetur. Rom. 6:17. Gen. 6: 5. Johan. 8:32.

Peccator liber justitiæ.

3. In quo statu *liber justitiæ* dicitur ab Apostolo Rom. 6: 20. quia fuit abdicatus à Deo & positus extra illud Dei jus, quo decet Deum creaturam suam sanctificare & rectitudinis munere ornare; & expers fœderis, cujus participes à Deo sanctificantur & in gloriam certò deducuntur propter justitiam Redemtoris. Qualis est libertas mortui. Psalm. 88: 6. *In mortuis liber.* Mortuus enim omittitur, effertur, solus relinquitur, neque habet ἀπλαμβανόμενον, vindicantem & retinere cupientem.

Lex peccatorem constituit servum peccati. Id ostenditur in spiritibus impuris.

4. Quanta autem sit vis legis ad constringendum peccatorem sub dominatum peccati, patet in angelorum lapsorum contra Deum conjurata societate; quæ veritatis amori falsitatem præposuit, cujusque princeps hominem à disciplina Dei ad fidem mendacii seduxit. Ea enim *vinculis damnationis æternis sub caligine*, atque adeò peccato, *tenetur*, Judæ v. 6. neque ad Dei amorem redire postliminio potest, tum impotentia voluntatis malæ, tum Dei sanctissimo judicio. Judicium enim Dei sanctum est, quo statuit illis non impertiri gratiam. Non potest autem fieri, ut ea severitate delectetur, qui pro reo damnatur: sed, præterquàm quòd sanctificatione

catione Dei destitutus & à Deo desertus non potest elevare se animus ad Deum & gloriam Dei quærendum, & à sui æstimatione avelli, etiam conscientia offensionis ad iram in Deum & ejus blasphemationem malum animum impellit. Unde in spiritibus nequam existit studium obtrectandi Deo & ejus gloriam obscurandi. Ex qua causa Satanas vocatur אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם *inimicus & vindictam expetens*, sive vicissim lædere gestiens, Psalm. 8: 3. & 44: 17. Quam voluntatem ejus testantur & alia ipsius nomina, quæ in sacris literis ei attribuuntur; ut, quòd בְּלִיַּעַל ὁ πονηρὸς *nequam* & *malus* vocatur. Item, quòd cum *leone rugiente* comparatur. 1 Petr. 5: 8. Et, ut non essemus φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς, atque veritatem, quæ nobis innotuit, non sperneremus, id judicium, quod de Satana factum est, nobis diligenter à Spiritu sancto inculcatur. 2 Petr. 2. vers. 4. & ibid. Judæ vers. 6.

5. Quod judicium eò magis verendum est, quia Deus homini indulget tempus ad pœnitentiam, & ei tum per verbum suum, tum per inæstimabilem longanimitatem ac beneficentiam suam gratiæ ostium patefacit, suamque amabilitatem demonstrat. Rom. 2: 4. Quam benignitatem & longanimitatem qui contemnit, sine dubio meretur idem cum Diabolo judicium. Matth. 25: 41.

6. Nihil autem homini magis metuendum est, quàm, ne superbus sit, seque *quicquam absque Deo & Christo facere posse* (Joh. 15: 5.) cogitet, atque ea fiducia se à Deo & Christo abstrahat. Nam, dum homo in se acquiescit, tanquam si aliqua ex parte idoneus sit ad bonum cogitandum, volendum, faciendum, ad Deum ut Sanatorem suum non potest recurrere & confugere, & divinæ gratiæ efficaciam recipere. Sunt enim ea inter se è diametro opposita, Deo confidere, vel, in Deum recumbere, atque ab ipso dependere, & sibi ac sua potestate viribusque niti. *Nexa doctrina de libertate.*

7. Unde intelligi potest, *radicem fructificantem veneno & absinthio* esse eam doctrinam, quæ etiam in irregenitis & damnatis extollit. *libertatem arbitrii*, hoc est, voluntatis humanæ; quam volunt esse indifferentiam ad bonum etiam. quasi dicas, hominem malum & à Deo desertum perinde se habere ad Deum & gloriam ejus amandam, quàm ad contrarium: aut saltem ei non esse impossibile vera & divina cognoscere, æstimare & juxta ea se studiosè componere.

8. Quod statuere quàm sit non modò à veritate alienum, sed etiam divinæ gloriæ contrarium & falsæ gloriationis ac superbiæ plenum, Deus non una ratione demonstravit. Nam, quum pecca- *Deus impotentiam hominis convicit ad gloriam suam.*

tum ingressum esset in mundum, & Deus bellum Satanæ indixisset, ac Testamentum gratiæ publicasset, (Gen. 3:14.15.) nihilominùs *omnis caro corrupit viam suam*, Gen. 6: 12. & mundus diluvio periit.

9. Post diluvium, quum in conservatione Noachi & domus ejus gratiæ Dei experimentum exstaret, & cum eo fœdus gratiæ confirmatum esset, tamen paullò post propriis consiliis usi homines, quæ videbantur ipsis utilia, revera autem noxia erant, meruerunt, confusione linguarum facta, dispergi. Et ex eo *sivit Deus gentes viis suis incedere*. Actor. 14:16. At illæ ἀσύνετον καρδίαν *cor inconsideratum* Rom. 1:21. multis modis manifestum fecerunt: &, quamvis sapientiam multiplicem Deus ipsis impertitus esset, tamen *in sapientia Dei Deum per sapientiam non cognoverunt*. 1 Corinth. 1:21. &, *quum se sapienter agere putarent*, constituenda religione, in *stultitiam summam impegerunt*. Rom. 1: 22. Quare etiam Deus ipsis mercedem retribuit condignam: ut, quum Deum mutassent, ipsi in naturam ipsi suam efferarentur, & tandem in mentem nihil pensi habentem traderentur; ut intelligamus, quòd majores moderatiores & pudiciores visi sunt, id non ipsorum bonitati, sed divinis retinaculis acceptum ferendum esse.

10. Et gentes quidem verbum Dei non habuerunt: Israëlitæ autem verbum Dei audiverunt, atque ex eo potuerunt cognoscere amorem Dei erga peccatorem, & justitiam ejus, ut Deum amarent & glorificarent. Nihilominus tamen in plerisque eorum, quos Deus ex Ægypto eduxit, non habuit beneplacitum; quorum membra in deserto ceciderunt. 1 Corinth. 10:5. & Ezechiel c. 20. commemorat, quomodo porrò in deserto & in terra rebellaverint. Quare & Esaias cap. 40: 6. Christo in carne apparenti prædicationem vanitatis omnis creaturæ & ipsius populi assignat. quæ prædicatio non majorem potentiam relinquit carni, quàm gramini & flori agri. Et cap. 5. carmen dilecti Dei describit; in quo is se victorem in certamine cum vinea sua evasisse gloriatur. Nempe, quòd, quum nihil superesset, quod vineæ suæ amplius faceret, (quæ scilicet fructus bonos pollicita erat tanquam ex se, si modò Deus ipsi loqueretur per servos suos, ut Mosen & Prophetas. Quod certamen Deus habet cum omni carne) nihilominus non tulerit uvas sed labruscas, h. e. reipsa ostenderit, se infrugiferam esse & impotentem ad concipiendam fidem & amorem Dei, nisi à Deo terra bona efficeretur. Cujus certaminis ille effectus est, ut debeat *omne os obturari*, & *divino judicio obnoxia fiat omnis caro*. Quam

rem

rem Apostolus clarè exsequitur Rom. 1. 2. & 3. Unde & dicit c. 5: 20. lege subingressa, τὸ παράπτωμα *lapsum*, Adami nempe, *abundasse*, hoc est, vim suam abundantiùs ostendisse.

11. Sed quid? num, Euangelio audito, ejus veritas & bonitas & amabilitas effecit in omnibus, etiam zelum Dei habentibus, amorem & subjectionem gloriæ Dei? Nonne Judæi recalcitrarunt, & ita sub peccatum concluſi sunt, ut vix videantur ex vinculis inobedientiæ posse eluctari? Num sapientes hujus seculi assensi sunt? Et, postquam reges principesque ac sapientes mundi puduit idololatriæ, numquid sincerè nomen Christi acceperunt & nominarunt? Nonne ἀποστασία *defectio* & ἀνομία invaluit?

12. Nonne igitur rebus ipsis clarissimum experimur, de quo gloriatur Deus Es. 43: 7. *Omnis nominatus de nomine meo: quem ad gloriam meam creavi, formavi, etiam feci?* & v. 20. *Populus, quem formavi mihi, gloriationem meam narrabunt?* Et verissimam querelam sentimus, quæ est Psalmo decimo quarto, neminem attendisse, neminem curasse aut quæsivisse Deum; idque etiam Deo de cœlo prospectante fuisse manifestum factum?

13. Ut rectè possimus cum Paulo definire, quod est 1 Corinth. 2: 14. *Animalis homo non recipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim ipsi sunt. Neque potest ea cognoscere; quia spiritualiter examinantur & dijudicantur.* Notabilia sunt non pauca in hoc testimonio. 1. hominem ante generationem vocat ψυχικὸν *animalem*, hoc est, nihil habentem nisi animam, spiritu autem rectore destitutum. Atque ita declarat Judas epistolæ suæ v. 19. *animales, spiritum non habentes.* Denominatio est sono quidem affirmativa, sed sensu negativa. Sumitur enim ab eo, quod in ipso est potissimum, & solum. 2. negat, eum *recipere*, hoc est, approbare & admittere ea, quæ revelat, docet, præcipit, suadet Spiritus Dei: sed eis reluctari, &, ut Judas dicit v. 10. ea *blasphemare.* Quod rursus ex ratione, quam Apostolus addit, clarum est. nempe, quia *ipsi stultitia sunt.* Pro stultis habere ea, quæ spiritus sancti sunt, sine dubio est ea blasphemare. Nam, quod pro stultitia habemus, id irridemus vel etiam damnamus. 3. dum dicit, *stultitia ipsi sunt*, significat, habere hominem animalem eam sui fiduciam, ut de Deo & ejus cultu, de justitia, de vita consilium ineat, & propria sapientia nitatur, suasque cogitationes semper admisceat divinis rebus. Ideò dicit Esaias c. 55: 7. *relinquat injustus viam suam & vir vanitatis cogitationes suas.* 4. negat, eum

Ulterior demonstratio servitutis peccati ex loco 1 Cor. 2: 14.

Animalis homo.

Ejus judicium de iis, quæ sunt Spiritus.

Habet sui fiduciam.

Non potest cognoscere.

eum posse cognoscere ea, quæ sunt spiritus sancti. Quod non significat, ea omnia, quæ Spiritus sanctus docet & suadet, superare intellectum humanum, aut, verba, quibus docet Spiritus sanctus, non posse intelligi, sed, etiamsi verba Spiritus sancti proponantur & audiantur, tamen hominem animalem non posse sensum Spiritus sancti & *mentem Christi* (v. 16.) *cognoscere*; *quia spiritualiter examinantur & dijudicantur* ea, quæ sunt Spiritûs Dei, hoc est, non sine ἐνεργείᾳ & *operatione* Spiritus Dei. cujus est cor aperire, ad attendendum, Actor. 16: 14. cordi verba sua inscribere, Jer. 31: 33. Nempe amor & timor Dei (qui est initium sapientiæ) requiritur ad examen & considerationem verborum Spiritus sancti. Atqui timor Dei non habetur ab *homine animali*; sed per *Spiritum timoris Dei* datur. Es. 11: 2. *Deus operatur* τὸ θέλειν *velle*. Phil. 2:13. Christus negat, *Iudæos posse audire sermonem suum*. atque eam causam dicit, quare *loquelam suam non cognoscant*. Joh. 8: 43. significans, esse apud ipsos, quod eos impediat, quò minùs animo attento & vacuo sermonem Christi audire, & eum ferre possint.

Verba Spiritus sancti spiritualiter ἀνακρίνονται.

Cor lapideum.

14. Neque de nihilo est, quòd Scriptura homini, ut nascitur, attribuit *cor lapideum*. Ezech. 11. & 36. quo notatur cor ἀσυνέτον & ἀνεπιτηδεύτους, *inconsideratum, durum*, refractarium, intractabile. aut, quòd eum comparat cum mortuo. Es. 8:19. 26:14. Col. 2: 13. Eph. 2:1.

Peccator mortuus.

Carnis φρόνημα.

15. Quodve Paulus asserit, carnem habere φρόνημα, sensum, studium, factionem: quod φρόνημα sit ἔχθρα εἰς θεὸν *inimicitia adversus Deum*. Rom. 8: 5. 6. 7. idque Deo *subjici non* POSSE. v. 7.

Peccator impotens.

16. Unde & hominem vocat ἀσθενῆ *impotentem*. Rom. 5:6. 6:19.

Peccator non habet cor ad intelligendum, oculos ad videndum &c. Deut. cap. 29.

17. Moses etiam Deut. 29: 4. comprimit fastum Israëlitarum, monens, Deum *necdum ipsis dedisse cor ad intelligendum, aures ad audiendum, oculos ad videndum*: & ipsis tribuens לֵב לָדַעַת *obfirmationem cordis*, vers. 19.

18. Clarum est, 1. quòd moneat Israëlitas, ne sint φρόνιμοι παρ' ἑαυτοῖς, eos necdum habere cor intelligens, oculos apertos ad videndum, aures comparatas ad audiendum; ne putarent, sibi sufficere ad sapientiam, quòd vidissent illa omnia, quæ in Ægypto & in deserto facta erant, aut ea verba, quæ audiverant, audivissent. Quippe illos nondum satis attendisse ad ea, quæ dicta erant, neque scrutatos esse eorum mentem; neque adeò adhuc habere verbum Dei manens in se: sed, quemadmodum patres ipsorum, qui Angelum de Sina loquentem audiverant, tamen fœdus Dei irritum fecerint,

cerint, ita quoque ipsos animatos adhuc esse. Quare cum ipsis hoc fœdus init, ut ad Deos alios non respiciant, & ut caveant radicem fruticantem veneno & absinthio h. e. cogitationem & δόξαν, quæ amaros fructus atque consequentias profert; nempe hos, ut quis sibi benedicat & pacem polliceatur, ambulans in proprii cordis mali cogitationibus & tempore satietatis revocet satiatos in statum & conditionem sitientium. Unde patet, non aliter illos dicendos fuisse accepisse oculos ad videndum, quàm si haberent sitim eorum, quæ expectanda erant, & in plenitudine temporis satietatem cum gratiarum actione reciperent. Quæ admonitio ipsis necessaria erat, ne, si putarent, se satis habere, deinde, quum Christus esset manifestatus, doctrinam illius rejicerent. Quod tamen illis evenit. Hanc autem esse mentem Mosis, satis ostendit simplicitas verborum, &, quòd illa admonitio apta est ad stipulationem fœderalem, quam ipsis proponit: nempe ne in ipsis sit talis radix. Præterea, quòd ubique apud Mosen taxatur durities cordis Israëlitarum: atque etiam cap. 31: 27. Moses apertè accusat ipsorum inobedientiam & contumaciam.

19. Quare respuenda est cavillatio Abarbenelis, qua hunc locum torquet; ut videatur Moses contrarium ejus dicere, quod dicit: nempe populum accepisse cor ad intelligendum &c. dum illud *Non dedit* interpretatur הֲמִיהוָה interrogativè; vel, si absque interrogatione legatur הַמִּיהוָה, *ad diem hunc* explicat, usque ad diem eductionis ex Ægypto. Cæterum ea duricies Israëlitarum & torpor ad scrutandum sermonem, quem de cœlo audiverant, qui torpor tantus fuit, ut oportuerit de eo ipsos Dei nomine redargui; satis ostendit aversionem humani ingenii à consideratione rerum divinarum & impotentiam carnis.

20. 2. Clarum est ex verbis Mosis, quòd attentio ad verbum Dei & intelligentia mysteriorum Spiritûs & amor divinæ veritatis ad glorificandum Deum sit donum Dei. Dicit enim, *Non dedit vobis* &c. significans, id neminem habere, nisi cui Deus dederit: certè eos non habere, qui se cor prudens & intelligens absque gratia divina habere putant & Deum non cum Davide (Psalm. 119:18.) orant, ut *retegat oculos suos, ut videant mirabilia ex lege ejus.*

21. Quæ ipsa oratio testis est, oculos hominis tectos & nube aut velo coopertos esse, ut, nisi Deus ea impedimenta auferat, non possit *videre mirabilia ex lege Dei.* Oculi tecti.

Quidam habentes oculos ad videndum non vident.

22. Atque hæc cæcitas & amentia hominis eò magis indicatur, quòd quidam dicuntur *oculos habere ad videndum & aures ad audiendum*, & tamen *non videre* vel *audire*. Jer. 5: 21. Ezech. 12: 2. Nempe, qui eò perducti sunt, ut multa vera cognoscant, quæ ignorare non possunt; & ut audiant id verbum, quod solum à Deo prodiit; deque eo convicti sint, id à Deo prodiisse. Potest enim quibusdam talibus evenire, ut non *audiant* neque *videant*, sed habeant *aures præputiatas*, ut Jeremias dicit cap. 7: 10. Qui nimirum se divites putant & sufficienter ad justitiam instructos. quales Judæi, qui describuntur Rom. 2: 17. 18. 19. 20. 21. &, quos accusat Servator Joh. 9: 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc autem dicitis, Videmus. Ergo peccatum vestrum manet.* q. d. Si vestra esset ea conditio, quæ est cæterarum gentium, quæ surdæ & cæcæ vocantur in Scripturis (ut Es. 29: 18. 42: 7.) non haberetis peccatum, quod jam habetis. Nunc autem, quia *dicitis, Videmus*, & sic 1. fatemini, vos audivisse verbum Dei & facta ipsius vidisse, & 2. non consideratis vestram infirmitatem & impotentiam, sed vos, quod videre oportet, jam videre putatis; tametsi sermonem Dei non habeatis manentem in vobis; & Scripturas non scrutamini; & eum, quem Deus misit, non agnoscitis: ideò peccatum habetis, quod manet, & à vobis non auferetur: ut nempe in cæcitate vestra perseveretis. quemadmodum dixerat, *Ut videntes cæci fiant*. v. 39.

23. Ex quo exemplo perspicuum est, quanta sit socordia & malitia ac duritia humanæ mentis: quæ etiam verbum Dei ita accipit, ut tamen mentem ejus non inquirat & investiget, atque ita, tametsi id in ore ferat & de eo glorietur, tamen id non habeat manens in se.

24. Quemadmodum de Israëlitis dicitur, verbum Dei in ore ipsorum fore Deo in testem contra ipsos ultimis diebus, Deut. 31: 19. Quod non aliter fieri potest, quàm si ii, qui norunt, verbum Dei esse, quod loquuntur, non velint cognoscere, quid verbo Dei doceatur; atque interim cogitent, dicant, faciant, quod vetantur: ita ut ab ipso illo coarguantur contumaciæ & defectionis.

25. Quæ quum in cor hominis cadere possint, & non tantùm cadant in rudes atque imperitos, stupidos & tardos; sed etiam eos, qui præcipuam sapientiæ laudem consecuti sunt, & sancti ac religiosi habentur (in quibus illa ipsa sapientiæ ac justitiæ opinio est causa aberrationis & indurationis) quàm nihil sit attribuendum viribus hominis, manifestum est.

26. Sed

26. Sed solet objici, Si ea sit hominis impotentia, colligendum esse, quòd Deus impossibilia præcipiat. Atqui ita Deum injustum fore. Quæ objectio ut tollatur, quædam distinctè admonenda sunt. Imprimis, illud verbum, *Deus non præcipit impossibilia*, rectè explicandum esse. Nam posset id perperam accipi. Quid enim, si quis putet, Deum non posse præcipere, nisi id creatura possit independenter à Deo & ipsius auxilio, ut causæ primæ & fontis boni omnis? Clarum est, in ea mente hoc dictum repudiandum esse. Nam Deus non potest non esse causa prima & omnis boni auctor; neque potest ulla creatura esse independens à Deo. *Obj. Deus non præcipit impossibilia.*

27. Quid, si quis ita hoc dictum accipiat, Dei præcepta homini etiam transgressori esse possibilia? Nam quis neget transgressorem manere debitorem? Qui autem debitor est, esse sub præcepto? Numquid igitur dicemus, præcepta possibilia esse transgressori, quia Deus non præcipit impossibilia? Ut ita transgressori possibile sit integram perfectamque sine peccato habere obedientiam, quæ præcepto exigitur? atque is retinuerit illa dona, quæ in creatione acceperat, ut Dei voluntatem faceret? Certum est, nullum esse hominem, qui justè agat & non peccet; & tamen præceptum vetat omne peccatum. Quod autem Scriptura dicit ita se habere, id impossibile est aliter se habere. Præceptum non desinit esse præceptum, quum homo id transgressus fuerit, neque mutatur transgressione: sed per eam accipit officium coarguendi & damnandi transgressorem, & ei ostendendi tum impotentiam parendi, tum impossibilitatem justitiæ ex obedientia sua.

28. Igitur, si respiciamus hominem, ut à Deo creatus est, quando dicimus, *Deum ei non præcepisse impossibilia*, significamus, decuisse Deum hominem commeatu rectitudinis instruere ad observandum præceptum amoris Dei, & non deserere ipsum sibi, Deo inquam, adhærentem. Si autem respiciamus hominem, ut lapsum, præcepta, quæ faciens homo in eis vivit, & cuncta & omnia ipsi sine dubio impossibilia sunt; quia ipsi est impossibile tum cognoscere omne officium, & omne, quod honestum, utile proximo sibique, & Deo gloriosum est, tum ejus, quod novit, meminisse, tum eo delectari. Nam, ut sæpe diximus, res aspectabiles atque obviæ eum abripiunt ac transversum agunt; ea autem, quæ sunt Spiritus sancti, cum prudentia carnis non conveniunt; deniquē divina sanctitas (sive ut exemplaris, sive ut judicis) & cogitatio ejus ipsi est odiosa.

29. Quod

29. Quod verò attinet præceptum fidei, id sine dubio remotum est ab homine, nisi de cœlo descendat, & à mortuis redeat, qui, ut dominus, id præceptum possit proferre. Quod quàm difficile sit homini credere, quis non videt? Imprimis qui consideret, quanta hominis sit pervicacia ad confitendum peccatum & ad abjiciendam opinionem propriæ justitiæ & recognoscendum judicium Dei ac severitatem ejus; & quàm avidè abutatur divina tolerantia ac clementia. Psalm. 90: 11. *Quis cognoscit vim iræ tuæ, & pro eo atque timeri dignus es, excandescentiam tuam?* Unde & Apostolus pronunciat, gentibus stultitiam esse prædicationem ejus rei gestæ, quæ ad fidei legem fundandam necessaria est. 1 Cor. 1: 23. Quid verò fiet, si etiam errantes multi sint, & ii magna specie sapientiæ ac religionis se jactent in mundo, & pauci sint veritatis confessores ὀλίγοι, certè pauciſſimi πλέοι καὶ σοφοὶ *adulti & sapientes*; & potentia mundana cum veritate belligeret, & bona hujus mundi, quibus caro inhiat, videantur esse præmia proposita illis, qui veritatem fugiunt & persequuntur, errorem autem propugnant & confirmatum eunt?

30. Quando autem Deus declarat, suæ opis & sui doni esse fidem ac amorem veritatis, neque aliter quàm per spiritum gratiæ & implorationis obtineri: ibi dicere, Præceptum fidei non esse impossibile homini carnali, est manifesta ingratitudo & gratiæ divinæ abnegatio ac divini auxilii rejectio.

31. Sunt sanè *præcepta Christi non gravia sed levia*; 1 Johan. 5: 3. quia amore ejus, qui amabiliſſimus est, & lætitia vivæ spei exercentur; & Deus facit, ut ea faciamus: &, quia non sunt conjuncta cum sarcina & onere servitutis elementorum mundi. Sed sunt eadem carnis concupiscentiæ contraria. Gal. 5: 17. ideoque eis, qui *in carne sunt*, impossibilia.

Object. 2. Peccator facit bonum.

32. Potest quidem etiam homo spiritu Dei destitutus sive carnalis eligere sermonem verum & membrorum motum præceptum, atque ita bonum velle; sed non potest id bene velle atque eligere, nempe ut id amans: verùm ut id concupiscentiæ subjiciat, sive pro medio assumat ad comparandum bonum terrestre ac periens. De qualibus malorum & injustorum operibus sive Chrysostomus sive alius dicit, Καλὰ μὲν, ἀλλὰ νεκρά; *bona quidem, sed mortua.* in hom. 89. tom. 6. edit. Savil. p. 838. Ῥήσεις γὰρ πολλὰς ἔχεις ἔξωθεν λόγων ἀληθείας ἔργοις ἀγαθοῖς καὶ τὸ φαινόμενον ἀμαλάμπονον.

Ῥήσεις

εὑρήσεις ἄνδρας συμπαθεῖς, ἐλεήμονας, δικαιοσύνῃ προσέχοντας· ἀλλ' οὐδεὶς καρπὸς τοῖς ἔργοις, ἐπειδὴ ἠγνόησαν τὸ ἔργον τὸ ἀληθείας· καλὰ μὲν γὰρ τὰ ἔργα, ἀλλὰ δεῖ προηγεῖσθαι τὸ ἔργον τὸ αὐτάτατον. —τὰ μὲν γὰρ ἔργα εἰς ἀνθρώπους καὶ ἐξ ἀνθρώπων, ἡ δὲ πίστις ἐξ ἀνθρώπων πρὸς θεὸν —οὐδέν ἐστιν ἔξω πίστεως ἀγαθὸν—καλὰ μὲν τὰ ἔργα νεκρὰ δὲ ἂν ἔχοντα πίστιν. *Invenies igitur multos etiam exſortes ſermonis veritatis, bonis operibus, ut apparet, ſplendentes. Invenies viros compatientes, miſericordes, juſtitiæ attendentes. Sed nullum habent opera fructum, quia ignorant opus veritatis. Bona enim ſunt quidem & opera: ſed oportet præcedere opus celſißimum. —Opera enim in homines & ex hominibus, fides autem ex hominibus ad Deum.* q.d. Opera externa in homines erogantur, ſed fide animus ad Deum affigitur. *Nihil eſt ſine fide bonum.* —*Bona quidem illa opera, ſed mortua non habentia fidem.* Hæc ultima verba Oecumenius ad Actor. 10. repetit & Chryſoſtomi verbis, quæ reperiuntur ad Acta, admiſcet. Malè autem me habet, quòd hoc dicit de operibus Cornelii, qui non fuerat annumerandus irregenitis. quippe cui Scriptura teſtimonium præbet, quòd fuerit homo pius & timens Deum, eumque ſemper invocans, in populum, Iſraëlem, eleemoſynas erogans, atque ita ſpes Iſraëlis fide amplectens; tametſi non circumciſus. quales vocabantur שַׁעֲרֵי גֵּרִי *proſelyti portæ.* Dubitabatur illa tempeſtate, an proſelyto fidei Iſraëlis neceſſarium eſſet circumcidi & cætera legis onera ſubire. Quod ex Joſepho conſtat: ubi agit de Izate Adiabenorum rege. Carent igitur bona opera non regenitorum radice & vita ſua, nempe fide; in qua & à qua eſt amor Dei. quod verò attinet officia erga homines, ea ex vero amore non poſſunt proficiſci, quia verus amor fratrum amore Dei continetur. Et Chriſtus filiis Dei ut præcipuum tribuit hoſtes & inimicos diligere: diligere autem diligentes & ſalutantes reſalutare etiam publicanis concedit. Quæ quam exilis aut inanis dilectio ſit, facile eſt æſtimare. Vide Matth. 5:44.—48. Fit etiam, ut bonum eligat irregenitus, quò aduletur Deo. quod Scriptura vocat *Deo mentiri*, ſive potiùs *Deo per mendacium abnegare.* Nam כָּחַשׁ propriè ſignificat *verum abnegare.* Item הִתְכַּחֵשׁ *de ſe, quod verum eſt, abnegare.* Nempe intelliguntur infideles non *confiteri Deo*, ſed ſuum affectum occultare & abſcondere. ut, quum dicunt, *Amamus te*, intelligantur dicere *Non odimus te:* quanquam oderint & averſentur.

33. Non autem eſt homo propterea exiſtimandus melior, quòd Deo ita abnegat odium ſuum. Minus enim videtur eſſe malum

de Deo **non** cogitare, quàm Deum sibi similem cogitare, &, Deum non quærere, quàm accedentem, se offerentem, fores pulsantem rejicere, aut verbum Dei circumponere non Deo atque non Deum ut ejus auctorem celebrare.

Obj. 3. Si homo impotens est, ergo habet apologiam.

34. Sed, inquiunt, si homo est ita impotens, ergo habet apologiam & excusationem. Atqui Paulus dicit, eos esse ἀναπολογήτους, *inexcusabiles*. Rom. 1:20. 2:1. Resp. Apostolus non vult docere, eos, quos *inexcusabiles* dicit, habere potentiam ex se ad bonum, quod debent, faciendum; sed maturos esse judicio, Rom. 1: 18. quorum malitia & corruptio inemendabilis, καρδία ἀσύνετος & ἀμετανόητος, *cor inconsideratum & à resipiscentia alienum*, Rom. 1:21. 2: 5. per divinam patientiam & longanimitatem, atque etiam ostensionem divinæ gratiæ, est manifestatum & comprobatum. Malè existimat se quisquam excusationem habere, qui sub lege peccati est & peccati servus est; quique se omnibus modis ad amorem Dei invitatum *vincentibus & vincientibus cupiditatibus subditum* esse & manere velle ostendit. Qui natura est filius iræ, is tam blandè & clarè vocatus, & eò usque perductus ut glorietur in Deo & verbo ejus, & se aliis præponat, alios que judicet, eò majorem sibi iræ acervum accumulat & velut in thesauris reponit. Qui, quum inops sit & cæcus & languidus & nudus, se divitem, oculatum, sanum & gloria indutum jactat, contra Deum nuditatem & cæcitatem arguentem, & ab ipso sanitatem, illuminationem, divitias & vestimentum, quo nuditatem suam operiat, non accipit aut expetit, qua excusatione utetur, ne malus & in malo obfirmatus, & ἀδόκιμος *improbus* atque gratia Dei indignus reputetur?

35. Psalmus 14. ostendit, Deum se patefeciisse de cœlo, ut videret, an esset ullus, qui consideraret & curaret Deum. h. e. qui δοκιμάζῃ θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει *tanti putaret Deum habere in agnitione*, Rom. 1:28. Non Deus ignorabat, quid esset in homine, sed oportebat, quod occultum erat, in apricum proferri: nempe, summam in omnibus esse impotentiam; quæ non nisi divina potentia posset sanari.

Impotentia hominis potest demonstrari à causis conversionis.

36. Posset hæc hominis impotentia ad bonum etiam clarissimè demonstrari per causas conversionis ad Deum fideique ac amoris Dei, & per modum conversionis: sed, quum de iis primò agendum sit, satis esse debet, nunc id demonstratum esse, hominem peccatorem adeò esse impotentem ad bonum & adeò addictum & mancipatum

patum peccato, ut in se salutem sperare nullo modo possit. Quòd si deinceps reperientur causæ conversionis & modus convertendi veræ impotentiæ convenire, non poterit existimari, nimis se quenquam posse humiliare & de se sentire abjectiùs, quàm oportet.

37. Hoc certum est, eos, qui vero indignitatis, inopiæ & impotentiæ suæ sensu à se abeunt & ad Dei gratiam confugiunt, bonique sui auctorem Deum habent, & sic agunt, ut omni momento timeant, ne à peccato præoccupentur, suamque ipsi naturam exhorrent, opem verò Dei implorant, & sola auxilii ipsius spe se consolantur atque erigunt, non agere indigna Deo miserante & sanctificante. Qui verus usus est hujus doctrinæ & fructus in iis, qui servantur. *Effectus hujus doctrinæ in iis, qui servantur.*

38. Nam, si quis, quum vocem Dei audit, dicat, Atqui ego non possum bonum facere, & hoc dicens cogitansvè in malo perseveret, & potentem se carni ac diabolo ad faciendam voluntatem ejus Deoque renitendum præbeat, (quod est τῶν ἀπογνωσμένων *desperantium & desperatorum*) quin ipse suo se sibi ore condemnet, dubitari non potest. *Huic doctrinæ non potest imputari desperatio.*

39. Si quis autem cum Juda & Achitophele, deprehensus in sua impotentia, morbo ac morte, non ad auctorem vitæ aspiret, sed se ultrò in tenebras exteriores conjiciat, quid nisi justæ iræ Dei se exsecutorem facit? aut potiùs *impudente pudore* fugiens videre hominum de se luctum ad faciem Dei properat iratam, &, dum respuit tolerantiam & vocationem Dei, tentat Deum, vel effugere ac finire ejus judicium sperans, vel id experiri gestiens, vel ei invidiam facere laborans.

40. Sed, ut hac doctrina etiam utamur ad ἔλεγχον & *redargutionem* errantium aut imprudenter & non cum Scriptura loquentium, imprimis non valde probamus nomen αὐτεξουσίου, quo veteres denotarunt τὴν προαίρεσιν sive voluntatem eligentem. Notat enim id nomen potestatem sui carentis domino & vinculis. Quod & αὐτοκρατὴς à quibusdam dicitur, & αὐθεντία. Vide Habertum de Gratia ex P. Græcis pag. 146. Vix sana voluntas potest tam turgidum nomen ferre: nedum vulnerata & vinculis peccati & ejus, qui mortis imperium per peccatum nactus est, adstricta. Facile quidem patimur, eos, qui eo vocabulo utuntur, ὑπτιώς explicari, qui, quum philosophorum vocabulis utantur (quemadmo- *Nomen αὐτεξουσίου improbatur.*

dum etiam faciunt, quum τὸ ἐφ' ἡμῖν cum Stoicis dicunt) forte quia ad Philosophos ipsis initio loquendum fuit (quanquam satius erat eorum sermonem corrigere, quàm imitari) nihil tamen aliud senserint, quàm quod Scriptura sentit, tribuens homini voluntatem & judicium ac בְּחִירָה *electionem.*

Nysseni testimonium.

41. Non possum hîc non quædam ponere ex Gregorii Nysseni hom. 2. in Eccles. quam idem scriptor citat, ut probet, Græcos hoc & similibus vocabulis usos; qui interim omittit, quæ illi addiderunt ad comprimendam superbiam, quæ alioqui in hoc vocabulo inest. ἐπεὶ ὃν τρόπον τῇ γῇ τὰ κακὰ· τὸ γὰρ ἑρπυστικὸν καὶ βίαιον θηρίον ὁ ὄφις ὅλη τῷ σώματι καὶ κοιλίᾳ συρόμενος βρῶμα ποιεῖται τὴν γῆν, ἐδὲν τῶν ἐφετῶν σπέρμενος, ἀλλ' ἐν τῷ παλαιμένῳ συρόμενος τρέφει τὸ παλαίμενον ἀεὶ ἕλκων, τηρῶν τὴν ἀπέραντον τῆς ἀνθρωπίνης πορείας καὶ τὸν ἰὸν ἐντείνας σκαίνοις τοῖς τὴν ἐξουσίαν ἐπὶ πᾶσιν ἐπάνω ὄφεων ἐπιλέουσι. *Quando igitur circa terram mala: Reptilis enim & violenta bestia serpens, quæ rependo graditur supra pectus & ventrem, terram comedit & nulla re vescens ex cœlestibus sed reptans in eo, quod calcatur, observans calcaneum gressus hominis, venenum immittens illis, qui* AMISERVNT POTESTATEM CALCANDI SVPER SERPENTES. Sic Gentianus vertit. ἐπειδὴ καὶ τὸ θεῖόν μέρος ἀφ' ἡμῶν τῆς κακίας ἐταπεινώθη. *quandoquidem & cœlestis pars depressa est per vitium.* πῶς εἰσῆλθεν ἡ ματαιότης; πῶς ἐπεκράτησε τὸ ἀνύπαρκτον; πῶς ἡ δυναστεία δὲ μὴ ὑπάρχοντος; τὸ γὰρ κακὸν ἀνυπόστατον. *Quomodo intraverit vanitas? quomodo invaluerit id quod non est, & quod sit imperium ejus? Nam malum non subsistit. Quia*, quod est, *ex non extante substantiam habet: quod autem ex eo, quod est, non est, neque est omnino sua natura.* ἀλλ' ὅμως τῇ ματαιότητι ὁμοιωθέντων ὑπερκρατεῖ ματαιότης, *at nihilominùs in eos, qui vanitati assimilati sunt, dominatur vanitas.* πῶς ἐδουλώθη τὸ ὂν τῷ μὴ ὄντι, *quomodo id, quod est, factum est* SERVVM *ejus, quod non est?* τὸ ἀγαθὸν δῶρον θεοῦ δόμα, τοῦτο δέ ἐστιν ἡ αὐτεξούσιος κίνησις, τῇ διημαρτημένῃ τῶν ἀνθρώπων χρήσει ὄργανον εἰς ἁμαρτίαν ἐγένετο. ἀγαθὸν γὰρ τῇ φύσει τὸ αὐτεξούσιον καὶ ἀδέλωτον, τὸ δὲ ὑπεζευγμένον ἀνάγκαις οὐκ ἄν τις ἐν ἀγαθοῖς ἀριθμήσειεν. ἀλλ' ἡ αὐτεξούσιος αὕτη τῶν διανοίας ὁρμὴ ἀπαιδαγώγητος πρὸς τὴν αἵρεσιν τῆς κακίας ὑπορρυεῖσα πρόχειρος τῆς ψυχῆς ἐγένετο ὑπὸ τῶν ὑψηλῶν τε καὶ τιμίων πρὸς τὰς ἐμπαθεῖς τῆς φύσεως κινήσεις καταπαθείσης. *Bonum Dei donum, nempe liber motus, pravo hominis usu instrumentum ad peccatum factum est. Bonum enim natura est liberum esse & non servire, at violentiæ & coactioni subditum esse nemo in bonis numeraverit. sed libera hæc mentis agitatio indisciplinatè ad electionem*

mali

mali delapsa tentatio animæ facta est à sublimibus & preciosis ad perturbationis plenos naturæ motus detractæ. κατηγορεῖ τὴν ἐξουσίας, ἣ ἀγαθὸν μὲν ἐστι καὶ θεῦ δῶρον δεδομένον τῇ φύσει, γέγονε δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸ ἐναντίον ῥοπῆς κακὸν. *accusat* POTESTATEM, *qua bonum quidem est & Dei donum datum naturæ, sed facta est, per inclinationem ad contrarium, malum.* Gregorius igitur dicit quidem, homini *potestatem* esse datam, sed eam factam esse *malum* homini per propensionem ad malum. Et rursus per πνεῦμα *spiritum* docet significari τὴν προαίρεσιν τὴν ἀνθρωπίνης ὁρμῆς *electionem humanæ inclinationis.* eum verò *spiritum accusari* à Scriptura, *non quòd talis fuerit ab initio*, ἀλλ' ὅτι διαστραφὲν ἐξημάθη τὸν κόσμον. *sed, quòd perversus ab ornatu* aut ordine suo *discesserit* eique incongruus factus sit. ἢ διότι τὴν κακίας διαστραφεῖσαν φύσιν τῇ κεκοσμημένῃ ὑπὸ τοῦ ὀρθοῦ λόγου κτίσει ἐγχωρεῖν οὐ δυνατόν. *Vitio depravata natura non potest ornata ordinataque à recta ratione creatura inesse.*

42. Abutuntur quidam loco 1 Cor. 7: 37. ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *potestatem autem habet propriæ voluntatis.* quasi iste locus doceret, hominem quemcunque habere liberum arbitrium, hoc est, voluntatem non servam, sed ad bonum æquè atque ad malum eligendum aptam. Neque enim ibi agitur de natura & potentia voluntatis, sed de eis, quæ requiruntur, ut quis filiam suam virginem retineat. nempe inter alias conditiones illa est maxima, si cui integrum sit de ea re deliberare ac statuere pro libitu: nempe si nulla à circumstantiis aut indole ipsius puellæ afferatur necessitas eam elocandi. Potest enim evenire, ut propter circumstantias tales sit puella potiùs elocanda. Non autem significat Apostolus, hominem sine gratia rectè deliberare & decernere super ulla re posse. *Abusus loci* 1 Cor. 7: 37.

43. Augustinus probè, quomodo sentiendum sit & loquendum, docet. Is quidem utitur vocabulo *liberi arbitrii.* Id indulget vulgo doctorum à scholis philosophorum recenti. Sed etiam eam *libertatem* irridet, dum dicit, *Liberum arbitrium liberum justitiæ, servum peccati.* Ita enim dicit de corrept. & grat. c. 1. *Liberum itaque arbitrium & ad bonum & ad malum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit, Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Nec ita, ut, quum quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio, sed ita potiùs, ut ab illo audiens, Sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse,* *Quomodo Augustinus liberum arbitrium dicat?*

Adjutor meus es, ne derelinquas me. Idem contr. 2. ep. Pel. ad Bonif. 1: 3. *Voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideò libera non est in bonis, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Christum dominum nostrum. Omne enim, quod non est ex fide, peccatum est.* & 3: 9. *Arbitrium sui in malum liberum, ad agendum bonum gratia Dei liberandum.* & 1: 2. *Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.* & 4: 3. *Non potest captiva voluntas nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem.* Et 1. Retract. 15. *Qui verò cogenti* (al. l. volenti) *cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Et mox: *Nam quando tale est* (peccatum) *ut idem sit & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate? nisi fortè si pia est, ut oret auxilium. In tantum enim libera est; quia in tantum liberata est, & in tantum appellatur voluntas. alioquin tota cupiditas quàm voluntas propriè nuncupanda est.* Tantum abest, ut *liberam* dignetur appellare voluntatem concupiscentem, ut & *voluntatis* nomen ei deroget. Rectè sanè. Vix enim homo videtur velle, in quo paulisper per libidinem insanit, quodque mox fastidit, propter quod cupitum erubescit, pudoreque & pœtentia corripitur.

44. Notabilia etiam sunt verba Augustini in epistol. 144. ad Anastasium. *Quantò sunt charitati futura meliora, tantò sunt infirmitati violentiora præsentia. Et utinam, qui ea videre & gemere noverunt, vincere & evadere mereantur. Quod sine Dei gratia nullo modo voluntas implet humana, quia nec libera dicenda est, quamdiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita. A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.*

45. Quare etiam audet homil. 49. in Johannem. *Nemo ergo se palpet, de suo Satanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo nisi de peccato suo? Tolle peccatum, quod est tuum. Justitia,* inquit, *de meo est.*

46. Quæ verba mihi in mentem revocant illa Hoseæ cap. 14: 3. ubi jubemur redire ad Deum & nobiscum afferre verba: inter quæ primum est; כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן quæ sic vertenda sunt, *Omne,* quod *accipis* (nempe à nobis. confer Esa. 43: 24.) *pravitas* est. Postulat ante omnia, ut accedentes ad Deum confiteamur, nihil nostrum esse, quod Deus à nobis accipiat, nisi peccatum. Quod certè accepit à nobis & Filio suo imposuit.

47. Sed

47. Sed sunt, qui concedunt, multum mali ab Adamo ad posteros derivatum esse; id tamen contendunt tantùm ad corpus & inferiores nescio quas facultates pertinere. Qualis est Judæorum quorundam sententia. quam videre licet in libello Manassis ben Israël de fragilitate humana. Quorum prætextus est, quòd non animam ex parentibus, sed corpus solum, accipiant filii. Qui non cogitant, utrumque esse opus Dei, & animam & corpus; &, si ad animam nihil redit à peccato parentis, necessariò animam integram rectamque in corpore infecto collocari. quod & pugnare cum veritate experimur (concupiscentia enim & charitatis vacuitas ubi, si non in anima est?) & manifesta absurditate laborat. Nam, si anima recta est & nulla vitiositate est prædita, quare in tam fœdo & putido collocatur habitaculo? Quòd si autem dicant, ut dicunt, animam illam puram, quando in corpore impuro collocatur, suæ originis oblivisci: quærendum est, utrum sponte obliviscatur suæ puritatis & originis, an invita? Si sponte, quomodo obliviscitur? Nam vix est, ut quis sponte & volens rei alicujus propriè obliviscatur. Et quomodo fit, ut omnes omninò originis suæ obliviscantur? Si invita, & non proprio consilio, quomodo meruit anima pura collocari in corpore velut ἀώχμηρῷ πάπῳ & à luce in tenebras detrudi, ubi originis suæ & puritatis obliviscatur? Sed de eo egimus in Considerat. Responsionis Judaicæ ad Q. XXIII.

An malum per Adamum invectum tantùm pertineat ad corpus vel facultates inferiores?

48. Prope ad eundem modum aberrant, qui statuunt, gratiam indebitam naturæ (quæ adfuerit primo homini velut frenum aureum, devinciens partes inferiores superioribus) per peccatum ablatam esse; & ex eo inferiora superioribus rebellare. Quasi aut aliqua pars integra remaneret in homine, neque plenaria corruptio esset invecta, & rebellio esset in materia membrisque, quæ sine anima stupent, atque ex opere Dei esset impedimentum boni operis. De eo errore sic decernit Concil. Arausic. cap. 1. *Si quis per Adæ prævaricationem non totum, id est, secundùm animam & corpus, in deterius dicit hominem mutatum, sed, illæsa animæ libertate, corpus tantummodò corruptioni subjectum fuisse credit, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ, &c.*

49. Qui volunt, liberum arbitrium non quidem valere ad spiritualia, valere tamen ad naturalia, civilia, externa; non considerant, non esse voluntatis libertati ac viribus adscribendum, quod divinæ custodiæ & providentiæ est attribuendum eique disciplinæ,

An liberum arbitrium valeat ad externa?

næ, qua & gentes temperat ac refrenat. Quare, etiamsi inter gentes reperti fuerint atque etiamnum reperiantur διὰ χήμονες *honesti* (quo vocabulo Paulus gentilium mulieres ornat Actor. 13: 50. & 17: 12.) ac bene morati, in eo tamen non est extollenda liberi arbitrii potestas: neque putandum est, eos, qui non acceperunt spiritum filii Dei, bonum opus feciſſe aut facere, vel præcepto Dei obedire. Certum est, eos, qui vera loquuntur & mandatas actiones membris administrant non ex charitate, & ad hoc se assuefaciunt, quum verbum Dei non audiverint, meliùs mereri de genere humano, quàm facinorosos; & pudorem incutere iis, qui verbum veritatis audiverunt ac receperunt, qui sæpe non ostendunt se emendatiores: sed non poterunt effugere judicium eorum, quos Scriptura appellat חֲנֵפִים *hypocritas*; qui, quum viderint, quid intersit inter bonum & malum, tamen non operam dederunt, ut ex charitate facerent, quod timore vel cupiditate fecerunt.

An bona conscientia possit esse in irregenitis?

50. Absurdum est illis tribuere *bonam conscientiam*. Tametsi enim potuerint habere *cogitationem defendentem*, quoad δικαίωσιν & honestatem externæ conversationis aut singularium actionum; tamen, si animus ipsorum in ipsis tranquillus & sine horrore fuit, & vel non stitit ipsos divino judicio, vel, quasi Deo probabiles essent, exultavit, non ea *bona conscientia* fuit, sed *conscientiæ* neglectus & temeraria apud Deum gloriatio in velamine nequitiæ & odii Dei: & inanis hominum ἀπηλγηκότων *qui dedoluerunt* (Ephes. 4: 18.) αὐθάδεια ac de se ipsis persuasio. 2 Petr. 2: 10. Neque, quod Paulus de se dicit 2 Tim. 1: 3. se *à majoribus Deo in bona conscientia servire*, aliud significat, quàm, quòd, quum crediderit in Christum & Euangelium ejus prædicet, Deo patrum suorum, ut Abrahami & patriarcharum reliquorumque sanctorum patrum serviat, idque in bona conscientia; contra atque faciebant Judæi infideles, quorum *inquinata erat mens & conscientia*. Tit. 1: 15.

An irregenitus possit facere opus bonum secundùm omnes circumstantias?

51. Quæ quum ita sint, non est dandum, quod quidam, qui fatentur quidem, hominem sine gratia sanctificante non posse omnia opera bona præstare sive cunctis præceptis obedire, aut etiam ardua atque difficilia opera facere; nihilominùs petunt sibi concedi, homines posse multa opera bona, quæ sint secundùm omnes circumstantias moraliter bona, facere. Nam ut opus moraliter bonum dicatur, non tantùm hoc requiritur, quod obtinet *laudem ex hominibus*, sed illud maximè, quo consequitur *laudem à Deo*. de quo loqui-

loquitur Apostolus Rom. 2: 29. Quod sine dubio infidelibus deest. Possunt illi hactenus horrere facinora quædam, ut metuant pudorem & morsum conscientiæ malæ, ne cogantur scilicet sibi ipsis dicam scribere, aut sibi detrahere, seque contemnere aut humiliare: sed tamen non possunt δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, *probare & approbare meliora*, & vel ad gloriam Dei incumbere vel Deum & nomen ejus amare, vel seipsos abnegare. Et certè ad *abnegationem sui* (quam præcipit Christus se sequi volentibus) hæc doctrina de bonitate operis infidelium minimè facit. Nam, qui id urgent, eò procedunt, ut dicant, hominem posse se præparare ac disponere ad donum sanctificationis (hanc enim vocant *gratiam gratum facientem*) & ita quidem disponere, ut quum quis fecerit quantum in se est, *de congruo mereatur* accipere gratiam.

An irregenitus sit congruus ulli divinæ vocationi?

52. Cujus farinæ est, quod dicunt, distingui homines per *congruitatem* ad divinam vocationem. Quid enim aliud volunt per *vocationem congruam*, qua efficiatur, ut quis convertatur, nisi quòd alius sit congruus & ἱκανὸς ex se ad fidem; alius non: quasi non Deus sit ὁ ἱκανῶν ἡμᾶς, qui nos aptos atque idoneos facit ad partem sortis sanctorum in luce. Col. 1: 12. Nisi sanè hoc volunt, dum dicunt, aliter congruum esse vocari ambitioso aliter avaro, vocationem vitiis & concupiscentiis hominum accommodatam eos convertere à peccato. Quod mirum fuerit. Aut, si volunt hoc congruum esse ambitioso, in quo ambitiosus confunditur; avaro, in quo avarus: congruam esse peccatoris indolem sententiæ se condemnanti ad amandam sui confusionem. Sanè Augustinus non paucis in locis mentionem facit congruæ vocationis; sed is neque aliam vocationem intelligit, quàm quæ est in Euangelio, &, eam congruam fieri non tantùm per externum hominis vocati statum, sed per internam cordis præparationem. Quod à doctis diligenter est demonstratum. Vide Jansenii Augustinum tom. 3. lib. 2. Nos autem cum Scriptura dicimus, tunc hominem aptè vocari, quando Deus aperit cor & facit attendere, & ei inscribit, quæ prædicantur.

An irregenitus per gratiam sufficientem non efficientem persit converti?

53. Oportet etiam eos de valore arbitrii & ingenii bonitate non rectè sentire, qui statuunt, necessarium esse, ad demendam excusationem non obedientibus Dei præceptis & Euangelio, ut ipsis adsit *gratia sufficiens*; eamque omnibus adesse. Quid enim ea gratia sufficiens est? An *generalis vocatio?* Quum non sit generalis. An generalis excitatio per opera, & conscientiam & longanimitatem

& judicia? Ergo hæc gratia sanans est, aut sufficiens ad sanandum quæ relinquit hominem in sua ἀσθενείᾳ? Nam ista non nisi fide νοὸς τῷ animadvertuntur, curantur, observantur & ad celebrationem Dei referuntur. Hebr. 11: 3. An ratio hominibus relicta, quanta etiam in cæcis, in lapideis, in dementibus supereſt? Et quid dictu absurdius? Hominem mortuum habere in se sufficiens remedium, quo se excitet; cæcum, quo se oculatum faciat; dementem, quo se sapientem reddat.

Concil. Tridentini definitio de libero arbitrio.

54. Nunc videant Pontificii, quid dicat Concil. Trid. sess. 6. can. 5. *Si quis liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam: anathema sit.* Quid enim volunt credi? Numquid arbitrium voluntatis liberum esse, ut ante lapsum fuit? Tum in os contradicunt & Augustino & Scripturæ. Si igitur illa libertas periit, quomodo *voluntas* libera vel *arbitrium voluntatis liberum* vocabitur; retinendo significationem vocabuli *Liberi*, quam Scriptura ei tribuit? An volunt intelligi *liberum justitiæ*; ut Augustinus? Et quid hoc est nisi servum peccato? & non simpliciter ac verè liberum? An hoc volunt, voluntatis naturalem conditionem *libertatem* vocandam esse? Sed quis unquam de vocabulo non à Spiritu Sancto usurpato & ejus notione dissentientem anathemate perculit?

Concupiscentia reliqua in renatu quale malum?

55. Pertinet ad hunc locum quæstio de *Concupiscentia*: numquid ea sua natura & propriè sit peccatum? Nam prætermittere hîc non possumus considerationem ejus mali, quod non totum deponit homo, priusquàm corpus deponat. Intelligimus autem hîc non actualia cordis prava desideria & cogitationes malas, sed eam vitiositatem ac pravitatem quasi habitualem, qua fit, ut homo, quum cogitat & desiderat, mala cogitet & desideret (mala autem desiderare dicimus etiam eum, qui bona eligit malo fine; verbi causa, ut sibi & Deo & aliis videatur justus, qui injustus est. Hoc enim malum est) & etiam bonum volens *facere non invenit*, Rom. 7: 18. De hoc igitur malo seu vitio ac ἀσθενείᾳ quæritur, sitne propriè *peccatum*?

56. In cujus quæstionis definitione à quibusdam evidens cavillatio & calumniatio verborum Augustini exercetur. Tribuunt enim Augustino, quòd concupiscentiam non habeat pro peccato propriè dicto, quia alicubi dixit, Concupiscentiam vocari peccatum,

tum, non quia sit peccatum, sed quia peccato facta sit: ut lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. c. 13. *Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo vel fallere, cum qua necesse est ut etiam baptizatus, & hoc, si diligentissimè proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed utique, quia peccato facta est, sic vocatur. — Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam tenent, si non remittantur.*

57. Sed videntur aut Augustini mentem non perspicere, aut de industria illius auctoritate abuti Patres Tridentini, qui sess. 5. c. 5. fatentur, *in baptizatis manere concupiscentiam vel fomitem*; sed, *etiamsi eam Apostolus aliquando peccatum appellet, declarant, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat.* &, *si quis contrarium senserit, anathema esse jubent.* Quia nempe Deus *nihil odit in renatis.*

58. At Augustinus alibi eam peccatum vocat, & repugnare legi Dei testatur, & eam Deum odisse, & reatum mortis afferre, nisi remittatur. Vide Vossii histor. Pelagian. l. 1. p. 3. p. 233. Jansenii Augustinum, nostram summam doctr. de fœdere ac T. D. § 60.

59. Splendida contradictio est in verbis Tridentini. Nam, quod tantùm *in renatis* non est peccatum, id in non renatis intelligitur esse peccatum. Jam malum, quod ante remissionem fuit peccatum, adhuc superstes qua ratione potest desinere esse peccatum: licèt sit condonatum? Peccatum condonatum peccatum est propriè.

60. Augustinus autem vel peccatum propriè actuale censuit dici, vel etiam *peccatum* gravius & atrocius intelligit, quod hominem facit tantummodò peccantem, quod excludit gratiam sanctificationis, cujus ὑπόλειμμα & residuum est concupiscentia, quam infestam experiuntur filii Dei. Ita, quemadmodum filios Dei Scriptura non dicit ἁμαρτωλοὺς sive ἁμαρτάνοντας *peccantes* (Nam, qui חַטָּאִים *peccatores* appellantur, *justis* opponuntur Psalm. 1. & alibi) etiam חַטָּאוֹת ἁμαρτία *peccatum* (nempe à quo gentes vocabantur *peccatores*) videtur rectè dici in justis cohibitum. Dan. 9: 24.

61. At absurdum est, inde colligere, concupiscentiam in se propriè non esse rem Dei odio & damnatione dignam: ac proinde etiam in non lapso potuisse naturaliter existere sine peccato.

62. Quod est Deo assignare, quòd is nos tentet, quum tentamur. Nam, si concupiscentia est opus Dei, Deus nos tentat. Hoc damnat Jacobus cap. 1: 13. Atqui; inquiunt, Jacobus dicit v. 6. *Concupiscentia concipiens parit peccatum*: ergo, quod à peccato distinguitur, non est peccatum. Imò, inquam ego, quod parit peccatum, est peccatum. Non dicit Jacobus τὴν ἁμαρτίαν, ut significet, *parit id, quod peccatum dici meretur*, quasi concupiscentia δελεάζουσα, ἐξέλκουσα, συλλαβοῦσα, atque adeò ipsa concupiscentia *peccandi delectatione mota* & sic actualis non sit peccati nomine appellanda: sed ἁμαρτίαν, hoc est, peccatum aliquod. q. d. nihil potest concupiscentia gignere nisi peccatum. Nam concupiscentia non gignit bonum opus: neque ullum opus, cujus mater est concupiscentia, est bonum ejus. Quo ipso probatur, concupiscentiam esse peccatum, quia, ut dixi, nihil aliud quàm peccatum gignit. Quam nostram argumentationem audet quidam irridere, hunc in modum. Quod parit peccatum, est peccatum. Fœmina parit peccatum. Ergo fœmina est peccatum. Ineptè. Fœmina non parit peccatum, sed peccatorem. *Parere peccatum* est esse matricem peccati, radicem fructificantem felle, rem, ex qua peccatum sua natura & nihil nisi peccatum provenit & mors.

63. Cæterum Tridentini se ostendunt πολυπτῶς, quando Apostolo palam contradicunt. Is enim non tantùm *peccatum* appellat *concupiscentiam*, Rom. 7: 7. & antonomasticè τὴν ἁμαρτίαν, ibid. & v. 8. 9. 11. sed etiam καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν, *secundùm excellentiam peccaminosum*, v. 19. Atque etiam ita nominat eam, quum de se regenito loquitur v. 17.—25. & οὐκ ἀγαθὸν *non bonum*, v. 18. & κακὸν *malum*. imò etiam testatur, *se* hac ratione *reperire legem sibi*, v. 21. hoc est, se cognoscere, quòd propterea, si rigidè à Deo judicandus sit, legem damnantem habeat. nam & à lege damnante sive *lege peccati* est omnis concupiscentia in posteris Adami, &, quemadmodum mors corporis, ita etiam reliqua in membris lex peccati testis est pristinæ condemnationis.

64. Quare etiam hoc peccatum nobis confitendum est, ne Deum mendacem faciamus, si dicamus, aliquando nos peccatum non habere. 1 Joh. 1: 8. Quod baptizatis dicendum fuerit, si nihil in ipsis sit, quod propriè peccatum sit.

65. Miserum est effugium Tridentinorum apud Petrum Suavem p. 201. loqui Augustinum de diversa concupiscentia, una voluntatis

tis adversus Deum, altera sensus adversus rationem: quasi non Augustinus de eadem loqueretur concupiscentia, quæ filiis Dei negocium facessit; aut concupiscentia carnis in renatis non sit adversa concupiscentiæ Spiritui, Gal. cap. 3. vers. 17. aut sit tantùm sensus & non voluntatis præposterè ad ea, quæ sensus ostendit, adhinnientis.

66. Neque convenit dicere, Augustinum concupiscentiæ reatum attribuisse propter reatum primi peccati. quasi concupiscentia per se non faceret reos pœnæ. Neque enim hoc duntaxat reum facit hominem, quòd mala facit, sed etiam quòd talis non est, qualis esse debebat; sed talis est, ut Deum ignoret & virtutes ejus ac gloriam non amet, nec quærat: aut saltem non amet, ut oportet & præceptum est. quod nullus etiam pius sibi arrogabit.

67. Sed dicunt, Peccatum propriè dictum est voluntarium. Ad quam objectionem etiam Augustinus respondet. Inter alia negat, peccatum, quod est & pœna peccati, voluntarium esse. 1 Retract. 1: 13. Nos dicimus, Si *voluntarium* significet, quod fit voluntate præmovente, illud non est verum. Nam tum ipse motus voluntatis ad malum non esset voluntarius nec peccatum. Sed, si voluntarium dicatur, quod in voluntate est & à voluntate humana suscipitur atque arcessitur, etiam concupiscentia voluntaria est. Est enim vitium voluntatis, & voluntate Adami est suscepta & quodammodo advecta & generi humano immissa. Et, si sunt peccata omissionis, quomodo voluntati pro peccato non erit, quòd non ita diligit Deum, ut dignus est, & ut oportet? quod habituali concupiscentiæ semper adest.

LOCUS DECIMUS QUARTUS DE Consilio Gratiæ & Iræ.

Cap. XXXIII.

De Consilio gratiæ exercendæ. ubi de Testamento.

Ratio ordinis.

De Consilio Dei non uno modo agitur in Theologia. Vel enim de eo agitur, prout est origo & causa rerum omnium, & omnibus rebus per id constitutus est finis; vel quatenus non tantùm circa bona, sed etiam circa mala, h.e. peccata, versatur; quod ex ipso peccato cognoscitur: vel quatenus versatur circa dispensationem gratiæ & judicii; cujus judicii & gratiæ exercendæ locus est, postquam peccatum intravit in mundum. Hujus loci est agere de Consilio dispensandi gratiam & judicium. Postquam enim actum est de Transgressione & miseria, quæ inde consecuta est, & demonstratum, impossibile esse, ut homo ex lege operum ad justitiam & vitam perveniat; quò aditus detur ad legem fidei & justitiam Dei, consilium hoc Dei explicandum est: cujus exsecutio est, quicquid Deus facit in mundo, ex quo peccatum intravit in mundum. Non verò propterea huc usque distulimus hanc tractationem, quasi Deus ex tempore demum post peccatum ingressum in mundum hoc consilium cepisset; atque ita hæ fuerint Dei δεύτεραι φρονήσεις ac secunda deliberatio. Neutiquam. Nam, ut suo loco diximus cap. 14. § 14. 15. Decretum Dei unum & æternum est. Unde, quod de hominibus peccatoribus per gratiam & misericordiam decrevit, Deum ante jacta mundi fundamenta decrevisse, certum est: adeò ut ipsa terræ fundatio & humani generis propagatio ex uno sanguine & omnium creaturarum sub vanitatem subjectio testimonium præbeant æternæ gratiæ; planèque cognosci possit, illum, qui ab initio cœlum terramque condidit, esse eum, qui *Deus Israëlis* nuncupari voluit, &, quum ea crearet, jam tum vidisse, se facere mundum theatrum *gloriæ gratiæ suæ*, qua velut præcipua laude triumpharet. Attamen propterea hoc loco demum de isto consilio agimus, quia id post lapsum demum revelatum est; neque necesse fuit, ut vel ante lapsum

pſum manifeſtaretur, vel ante ejus conſiderationem præcognoſceretur: contra homo lapſus eſt is, in quo demum exſecutio hujus conſilii fieri & poterat & debebat.

2. Hæc doctrina optimè, ut quidem ego judico, explicabitur à nobis ſecundùm eum modum, quem Scriptura in ea explicanda tenet. *Scriptura methodus in explicanda hac doctrina.*

3. Ea igitur imprimis teſtatur ubique, hominem & filios hominis, poſtquam peccatum intravit in mundum, ſub condemnatione eſſe, omnemque carnem eſſe gramen & cùm ad ſubjiciendum ſe Deo tum ad juſtitiam comparandam impotentem, denique abominabilem & fœdam, & miſericordia atque ſalvatione Dei indigere: quod de omni homine, in quo *caro* eſt, intelligendum eſt.

4. II. Deinde, Deum non dimittere peccatum impunitum: hoc eſt, Deum decreviſſe ſeipſum ſanctificare. Exod. 20:17. 34:7.

5. III. Atque etiam conſtituiſſe viſitare peccatum parentum in filios, uſque in tertiam & quartam progeniem eorum, qui oderunt ipſum. Exod. 20: 5. 34: 7. Num. 14: 18. &c. Quod, exempli cauſa dictum, monſtrat, in Deo eſſe decretum non remittendi peccatum omnibus filiis peccatoris aut peccatorum, ſed in eis oſtendendi ſeveritatem ſuam.

6. Præterea IV. aſſerit Scriptura, eſſe apud Deum condonationem, gratiam & redemtionem, Pſalm. 130: 4. 7. & ipſum habere θέλημα, πρόθεσιν, εὐδοκίαν, βουλὴν & χάριν, *voluntatem, propoſitum, beneplacitum, conſilium gratiæ.* Eph. 1: 9. 11. *Quibus nominibus appelletur conſilium gratiæ?*

7. In gratiæ explicatione tribuit Scriptura Deo *Teſtamentum*: quod ſignificat Dei ἀμετάθετον βουλὴν *conſilium, quod tranſponi non poteſt*, & voluntatem quaſi ultimam, qua apud ſe ipſum deſignavit hæredes juſtitiæ & ſalutis per fidem, non ſine Mediatore Teſtamenti. Hebr. 6: 17. 8: 6. 9: 15. *Teſtamentum Dei, & quidem 1. ut ſpectat hæredes juſtitia.*

8. Cujus Teſtamenti, ſive ultimæ voluntatis Dei de hæredibus ſalutis, notificatio facta eſt patribus per ἐπαγγελίαν *promiſſionem*. illam, inquam, *promiſſionem*, qua Deus πρόθεσιν ſive *propoſitum* ſuum declaravit, &, quid facturus eſſet, explicavit. ita ut dubitari non debeat, vocari à Scriptura *Teſtamentum* id propoſitum, quod tanquam ultima voluntas promiſſione declaratum eſt. Quæ ἐπαγγελία *promiſſio* etiam *jusjurandum* vocatur, & ברית *Berith fœdus*: quando ſcilicet ea vox non ſignificat vel ſtipulationem obedientiæ, vel ſuaſionem obedientiæ ab exſpectatione boni obedientibus propoſiti,

ſive

sive promissionem conditionatam, vel amicitiam, quæ est inter συνωμότας & confœderatos; sed addictionem rei exspectandæ. Ea addictio aliquando præsupponit fidem ejus, cui bonum addicitur; quippe quæ promissionem ratificat & irrevocabilem facit. quale est juramentum, quod Deus fecit Abrahamo Gen. 22: 16. 17. 18. Aliquando ea addictio nullum officium præsupponit in eo, cui promissio notificatur; sed tamen eodem modo proponitur, quo modo solet promissio fœderatis proponi, ut Deus ostendat, se hoc, quod promittit, velle à se peti & expectari non aliter, atque si esset promissio remunerationis, & ex fœdere & pacto proveniret, atque propter jus petentis ejus præstationem esset irrevocabilis.

9. Hujus generis est illa promissio, quæ præsupponenda est fidei peccatoris in Christum: cujus impletio non suspensa est à conditione, & quæ est ipsum objectum fidei. Nempe illa, quæ audita est in Paradiso: *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Gen. 3: 15. & Abrahamo: *Ero tibi in Deum.* Gen. 17: 6.

10. Ad hunc modum בְּרִית *fœdus* dicitur, quod Deus decrevit de Sole & Luna, de cœlo, & omni cœlorum ordine. Jer. 33: 20. confer Jer. 31: 36. ubi id ipsum per חֹק *statutum*, *definitionem* & ὁρισμὸν explicatur. Ita כָּרוֹת בְּרִית *secare fœdus* dicitur Deus, quum declarat, quid facturus sit, & à se exspectari, tanquam vi pacti, velit. Exod. 34. vers. 10.

11. Talis ingenii בְּרִית *fœdus* est id, quod dicitur בְּרִית חֲדָשָׁה *fœdus novum* Jer. 31: 31. Nam omnia verba, quæ ad hoc negocium pertinent, sunt meræ pollicitationes, indicantes Dei propositum, & opus à nulla conditione suspensum, atque ita Testamentum; quia hoc propositum est ultima voluntas de hæredibus divinorum bonorum constituendis. Quæ verba leguntur Jer. 31: 33. 34. Hebr. 8: 10. 12.

12. Et hinc est, quòd vox בְּרִית *Berith* in talibus rectè potuerit verti διαθήκη *Testamentum*: & à Christo atque Apostolis καινὴ διαθήκη *novum Testamentum* nuncupari. Quod Apostolus Paulus imprimis urget Gal. 3: 15. 17. Hebr. 9: 15. 16. 17. 18.

13. Paulus autem non tam vocabulum urget, quàm significationem vocabuli in eo negocio, & naturam rei. Nam, quòd illa Promissio habeat conditionem Testamenti, & per mortem Testatoris ratificanda esset, ex ipso priori Testamento, quod non sine sanguine initiatum est, probat Hebr. 9: 18. *Unde nec prius* testamentum *sine sanguine initiatum est.* Quum enim in priori essent διαθή-

κης

μαΤῶ figura & bonorum & καθαρισμῶ purificationis, Hebr. 9: 23. id, in quo est veritas, respondere & convenire præcedenti necesse fuit. Typi enim & umbræ mentiri non possunt.

14. Testamenti igitur est & propositi immutabilis, quod dicitur Gal. 3: 8. *Prævidens Scriptura, quòd* EX FIDE IVSTIFICET GENTES DEVS, *antè euangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes.* Quod etiam juramento Deus sanxit, Gen. 22: 16. 17. *Per me juravi, ait Iehovah: quia feciſti hoc verbum... benedicendo benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ut ſtellas cœli, & ut ſabulum, & hæreditabit ſemen tuum portam inimicorum ſuorum, & benedicent ſibi in ſemine tuo omnes gentes terræ; pro eo, quòd obediviſti voci meæ.* Vide & Hebr. 6: 13. 14. *Inſtar divini teſtamenti, Gal. 3: 8. Gen. 22: 16. 17. 18.*

15. Quæ si evolvamus, inveniemus in hoc Testamento divino liberum Dei beneplacitum & voluntatem determinatam, & propositum certum ac consilium irrevocabile, à nulla conditione suspensum, non de una re maximi momenti. Nimirum 1. de auctore justitiæ, quod est semen Abrahami. 2. de modo justificationis. nempe per fidem. 3. de hæredibus justitiæ; qui sunt omnes gentes, quarum Abrahamus declaratur Pater. Gen. 17: 5. Rom. 4: 16. 17. ut ita benedicantur in Abrahamo, hoc est, cùm exemplo illius, Gal. 3: 7. 9. Rom. 4: 11. tum propter semen ipsius, tum in communione ipsius, quam post illum filii illius habent in semine ipsius. 4. de singulari fructu justitiæ in hac vita hæredibus ejus repræsentando. nempe *ut sibi benedicant*; & gentes alienæ à semine Abrahami fiant hæreditas. *Ejus enucleatio.*

16. *Prima* igitur pars Testamenti est, quòd Deus decrevit Filium suum unigenitum dare, eumque mittere in carne, ut esset caro, semen Abrahami & mulieris, frater servandorum, atque ita sanctificans &, qui sanctificantur, ex uno essent omnes. Joh. 3: 16. Hebr. 2: 11.

17. Requirebatur enim ad salutem peccatoris *justificatio*, & ad justificationem *justitia*, per quam Deus sanctus sanctificaretur, Es. 5: 16. & peccatum accusans hominem condemnaretur; ut δικαίωμα Τ νόμυ, hoc est, id, quod Lex justitiæ tribuit, ex merito, impleri posset in salvandis. Rom. 8: 34. *Iustitia* autem sine *obedientia*, & quidem in passionibus, etiam in morte, non poterat existere. Rursus *obedientia* non poterat esse sine *subjectione sub legem* dilectionis fratrum. neque *justificatio peccatoris*, nisi præcedente *justificatione*

Sponsoris: ut is *per legem* fieret peccatoris *Dominus*, & peccator fieret illius *hæreditas*.

18. Quare in Testamento etiam necessariò continetur *secundò* voluntas justificandi per fidem in Sponsorem. Ut & Paulus dicit d. l. & rursus Christus Joh. 3: 16. *ut, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ubi duo ad justificationem referuntur, 1. *non perire*, sive liberari à judicio & condemnatione; 2. *habere* jus sperandi, expectandi & petendi *vitam æternam*.

19. Ea autem justificatio, quæ, virtute legis obedientiam remunerantis, & absolvit à reatu & vitam addicit, ex fide est, & quidem in eum, cujus est ea obedientia, per quam legi satisfit. Neque enim peccator ex operibus propriis justificari potest. Et, quum in Sponsore sit justitia, non nisi in communione Sponsoris haberi justitia potest. Communio autem peccatoris & Sponsoris non est nisi per Spiritum Sponsoris, qui peccatorem unit Sponsori. Ejus autem primum opus, & primus effectus vitæ in peccatore, quem unit Sponsori, ut Capiti, est fides. Quid enim priùs in peccatore operari potest, quàm ut agnoscat justitiam, quæ est in Sponsore, & eam desideret, & illi se committat, & eum, ut Salvatorem, glorificare studeat, & unionis cum ipso signaculum in se requirat, ut gloriari in ipso & in spe vitæ possit? Qui autem eam fidem habet, ut promissionem ratificat, ita fœdus cum Sponsore facit, & in ipso est, & perire non potest, & habet vitam æternam, propter justitiam.

20. *Tertia* pars Testamenti est designatio hæredum justitiæ. Quam partem Christus sic significat Joh. 3: 17. *Misit Deus filium suum, ut mundus servetur per eum.* & Paulus Rom. 8: 29. *ut sit ipse primogenitus inter multos fratres:* & Gal. 3: 9. *pravidit Scriptura, quòd Deus justificet gentes per fidem.* In quo proposito continetur voluntas eos regenerandi & sanctificandi per donum fidei in salvatorem.

21. Neque enim possibile erat, ut peccator adduceretur ad Deum & ad fidem, nisi per Spiritum Redemtoris; & lex Sponsori idoneo addicit salvandos, & eorum dominum eum declarat, & eos hæreditatem ipsius pronunciat. Si enim verum, rectum, sanctum ac justum est, ut patrem ac matrem honoremus; etiam rectum ac justum erit, sanctificanti agere gratias, eumque glorificare, & ei servire, atque in eo gloriari, & divino honore afficere eum, à quo divinum beneficium accepimus.

Cap.

Cap. XXXIV.

De Mediatore & Sponsione Testamenti.

Atque ideò Scriptura, quando de Testamento, quo peccatori hæreditas datur, agit, simul agit de *Mediatore Testamenti.* Hebr. 8: 6. Est autem *Mediator Testamenti* persona, cujus obedientia ac morte, atque ita δικαιώματι sive *merito justitiæ* interveniente, bonum Testamento descriptum sive æterna hæreditas ad eos, qui Testamento vocantur, pervenit. Hebr. 9: 15. Oportet ergo, hisce positis, Testamentum Dei, quo æterna hæreditas hæredibus decernitur, continere voluntatem, qua dentur mediatori, quos salvet. Es. 8: 18. pro quibus se offerendi &, quum se obtulerit, eos tanquam hæreditatem suam postulandi jus habeat. Psalm. 2: 8. Quod significatur, quum dicitur, quòd Deus ipsum *constituerit omnium hæredem.* Hebr. 1: 2. 2. *Vt spectat Mediatorem Testamenti.*

2. De qua constitutione multa legimus in Scripturis. Christus ipse vocat *Testamentum.* Luc. 22: 29. *Pater meus mihi Testamento disposuit regnum.* Es. 42: 1. *Ecce servus meus, quem teneo; electus meus, quem gratum habet anima mea.* ἐν ᾧ εὐδόκησα. Matth. 3: 17. confer Col. 1: 19. 20. Ibidem Es. 42: 6. *Vocavi te cum justitia.* volui, ut venires & justitiam adduceres (Dan. 9: 24.) *Et dabo te in fœdus populi* (ut in te tanquam Salvatorem, Ἀρχιερέα καὶ Ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας *sacerdotem & legatum confessionis* atque adstipulationis, Hebr. 3: 1. credentes fiant populus meus) *in lucem gentium.* Sic Es. 49: 8. *Et dabo te in fœdus populi, ad erigendum terram, & ad hæreditari faciendum hæreditates desolatas.*

3. Quod autem fieri non possit, ut Mediator Testamenti incassum laboret, & hæreditatem non videat, etiam docet Esaias eod. c. 49: 4. *Atqui ego dixeram: incassum laboravi, in vanum & pro nihilo vires meas consumsi. Enimverò judicium meum est cum Iehovah, & opera pretium meum cum Deo meo.* Non potest fieri, ut Mediator Testamenti incassum laboret, quia Jehovah judicat justè, & ipsum justificat, & quia in manu ejus est, ei operæ pretium suum & fructum laboris præstare. Quare etiam statim in eodem loco v. 5. Deus introducitur declarans, *Sibi tanti non esse, ut Servum eum faciat ad erigendas tribus Israël, aut reducendum retentos Israëlis, sed eum dedisse in lucem gentium, ut sit salus Dei usque ad finem terræ.*

Sponsor Testamenti. 4. Qui autem est *Mediator Testamenti*, eum necesse est esse etiam *Sponsorem Testamenti*. Hebr. 7: 22. hoc est, Voluntatem habere se sistendi servum Dei ad justitiam adducendam, & sic Testamentum Dei exsequendum. Quæ *voluntas* eximiè explicatur Psalm. 40:8.9. Hebr. 10: 9. Ubi ostendit, τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ καὶ τὴν προσφορὰν τοῦ ἱερέως *voluntatem Dei & oblationem Sponsoris* esse causam nostræ sanctificationis. v. 10. *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu semel factam.*

Sponsio. 5. Ergo voluntas Mediatoris, ut Mediatoris Testamenti, est *Sponsio*, quatenus est voluntas id præstandi, quod requirebatur ad damnandum peccatum, ut meritum legis impleretur in peccatore. quod legi impossibile erat, propterea quod infirmabatur per carnem. unde factum, ut lex esset lex peccati & mortis, hoc est, peccato & morti inserviret ad condemnandum hominem. Rom. 8:2.3. 1 Cor. 15. vers. 56.

Est æterna. 6. Est autem ea voluntas *spiritus æterni*. Hebr. 9: 15. Neque enim sine voluntate Sponsoris & Mediatoris Testamenti fieri poterat Testamentum æternum. Quod ante jacta mundi fundamenta factum est. Eph. 1: 4. 3: 11. Es. 45: 18. Unde Johannes diligenter inculcat, τὸν λόγον *Sermonem* in initio fuisse apud Deum. Joh. 1: 1. & Christus, Patrem nihil facere, quod non monstret filio, ut is similiter id faciat. Joh. 5: 19. Quo significatur, Patrem nihil facere nisi communi Filii sapientia, decreto, potentia, operatione.

Divina. 7. Non enim potest esse nisi una voluntas, à qua pendeat, ut esse nostrum, ita etiam sanctificatio nostra & justificatio & vita æterna. Non enim plures sunt aut possunt esse dii. Et in Mediatore Testamenti, ut Domino & Capite & Vivificatore gloriandum est. Gloriatio autem in non-Deo injusta est. 1 Cor. 1: 30.31. Deut. 32: 27. Neque potuit Spiritum suum dare, ad uniendum sibi redemtos, nisi Deus. Qui autem per Spiritum suum redemtos sibi unire non potest, is Redemtor esse non potest. Præterea nulla creatura, quæ Deo debet obedientiam ad justitiam propriam, potest pro peccatore satisfacere aut ei vitam impetrare. Neque potuisset creatura emergere ab exsecratione, si ea foret ipsi exantlanda, ut Deus per passiones ejus sanctificaretur. Magnitudo autem *Spiritus æterni*, qui est *filius hominis*, facit, ut brevi tempore minor factus angelis & humiliatus usque ad mortem, mortem autem crucis, per justitiam Deum sanctum, Deum & sanctificatorem Israëlis, sancti-

ctificaret. Pſ. 8: 6. Hebr. 2. v. 9. Phil. 2: 8. Eſ. 5: 16. Rom. 3: 26.

8. Ex his igitur perſpicuum eſt, Mediatorem Teſtamenti eſſe Deum, at non alium Deum ſive diverſum à Patre & Spiritu ſancto: ſed unum cum Patre Teſtamentum faciente. Atque ita *Sponſionem* ipſius, quæ eſt *Sponſio Teſtamenti*, eſſe etiam Teſtamenti factionem & χάριν *gratiam*, dilectionem, miſericordiam, & voluntatem, ut redemti, ſibi donati, habeant vitam æternam. Hebr. 9: 16. Rom. 5: 15. 8: 37. Eſ. 63: 9. Luc. 22: 29. Joh. 17: 24. atque ita voluntatem Jehovæ & Sacerdotis eſſe *conſilium pacis*. Zach. 6: 13. *Sponſor Teſtamenti Deus & Teſtator.*

9. Deinde, eum neceſſariò eſſe אָדָם hominem, *natum* ex hominibus, fratrem redimendorum propter unionem carnis & ſanguinis. Hebr. 2: 11. 14. Quare etiam *filius hominis* ex Pſalmo octavo ſæpiſſimè in Euangelio nuncupatur. Quo ſignificatur, eum, minoratum infra id, quod eſt aut nominatur Deus, ipſoſque adeò *angelos*, & principes, qui nomen *Deorum* geſſerunt ſub Veteri Teſtamento, legi factum eſſe ſubjectum, quæ poſtulat dilectionem fratrum, qui ſunt una caro. *Idem homo, filius hominis.*

10. Quanquam autem Mediatorem, quum Teſtamentum exſequeretur, & Sponſionem ſuam expleret, neceſſe erat eſſe hominem, fratrem redimendorum, & ex uno patre cum reliquis fratribus oriundum; tamen oportebat, eum ita ex communi parente eſſe, ut non poſſet dici in ipſo aut ipſius lumbis fuiſſe, aut patre peccante ipſum quoque peccaſſe; quemadmodum de omnibus filiis Adami dicitur, quòd *omnes peccaverint*, ſive injuſti & peccatores conſtituti ſint ipſo peccante. Rom. 5: 12.—19. *Iuſtus & immunis à reatu.*

11. Et profectò dici non poteſt, quòd Filius Dei fuerit in lumbis Adami. Nam *in lumbis parentis* dicitur is *eſſe*, qui virtute lumbis indita generatur ſecundùm ordinarium generandi modum.

12. Quotquot enim ita generati ſunt, ſub κατακρίματι *condemnatione* fuerunt. Qui autem non ex patre & matre, ſed ex virgine natus eſt, ſub reatu & κατακρίματι non fuit. Nam à matre hoc tantùm accepit, quod præparatum erat à Deo, ut inde ſumeret Filius Dei materiam templi ſibi fabricandi. Quantumvis enim id, quod eſt peccatoris, propter peccatorem, cujus eſt, ſit ſub eadem damnatione, ſub qua eſt peccator: tamen, quod ita in ſubſtantia peccatoris continetur, ut non debeat eſſe pars ſubſtantiæ ejus, ſed præparatum ſit divinitus ad generationem extraordinariam, propter ſolam communionem carnis inter Redemtorem & Redimendos,

dos, id sub condemnatione non est. Ideoque dicitur rectè esse *sanctificatum*, h.e. à communi filiorum Adami condemnatione præservatum. Neque enim *sanctificatum* in eo casu potest significare *purificatum*, sive ab impuritate liberatum: quemadmodum, quum de aliis filiis Adami dicitur, significat.

13. Debuit igitur nasci ἀμίαντος *non coinquinatus*, non μεμιασμένος, *contaminatus* & fœdatus peccato parentis, & reatui ejus subjectus, ut reliqui homines nascuntur.

14. De cætero necesse fuit, ut esset ὅσιος *sanctus*, חָסִיד *pius* ac studiosus divinæ gloriæ omnisque recti, officii ac decori: ἄκακος, *sine vitio*, corruptela, pravitate ac morbo naturali: *separatus à peccatoribus* & ab omni communione peccati alieni. Hebr. 7:26.

Sub legem factus.

15. Præterea oportuit eum fieri subjectum legi, h.e. præcepto dilectionis Dei & proximi, tanquam conditionem præscribenti, à qua pendet jus petendæ mercedis. Dixi, *Subjectum fieri*, non, *subjectum esse*. Nam debuit esse in se *dives*, 2 Corinth. 9: 9. & lætitiam habere expositam, Hebr. 12:2. atque ita non pro ἁρπαγμῷ raptu vel sacrilegio (Hoc enim propriè est ἁρπαστὴς; alienum rapiendi actio) reputare, *esse in mundo parem Deo*, vel *ut par esset Deo esse*, Phil. 2:6. ideoque debuit posse statim τὸ λῆμμα, h.e. carnem assumtam manifestare cum gloria digna Altissimo. Quippe, si ipse pro se opus haberet δικαιώματα h.e. opere justificante, & merito; non potuisset aliis quicquam mereri. Tantùm enim solvisset debitum.

In passionibus tentatus.

16. Debuit igitur posse voluntate propria se ipsum exinanire, servi forma accepta, & se humiliare ad obedientiam. Ea verò obedientia non debuit esse sine passionibus. Quippe debuit *ex iis, quæ patienda habebat, discere obedientiam.* Hebr. 5: 8. & sic πεπειρασμένος *tentari* in omnibus similiter ut fratres. Hebr. 4:15. h.e. debuit ipsius obedientia, quæ est in Amore Dei & proximi, ipso passionum cumulo manifestari: ut intelligeremus, nos in ipso habere δικαίωμα sive *obedientiam justificantem*: & certi essemus, eum συμπαθεῖν *condolescere* omnibus nostris malis & doloribus (quæ dicitur חֶמְלָה Es. 63. vers. 9.) & cum ea fiducia ad ipsum in cœlo, ut *throno gratiæ*, sedentem *accederemus*.

17. Nec tantùm debuerunt passiones Mediatoris esse πειρασμοὶ, *tentationes*, sed etiam per eas debuit Deus, justificans improbum, *sanctificari*: Esa. 5: 16. ut in illis, quæ in corpore passus est palam, quæque in spiritu passus est interne, quæ verbis ipsius & signis manifestata

nifestata sunt, liquidò, tanquam in מופת & δειγμάτι, sive severitatis *exemplo*, Es. 53: 5. pateret, Deum revera sanctum & osorem peccati esse, &, quanta esset magnitudo culpæ, quæ Ecclesiæ remittitur, propter quam filium Dei tanta oportuit pati.

18. Nam finis redemtionis est sanctificatio hominis, quæ in restitutione imaginis Dei consistit. Quæ requirit cognitionem sanctitatis Dei, & ejus amorem cum timore. Quare necesse fuit, ut, proposito Mediatore ad amandam salutem Dei, non possemus salutem Dei amare, nisi etiam amaremus justitiam Dei & sanctitatem ejus, & Deum propter justitiam, qua legem non abnegat, & sanctitatem, qua odit & persequitur peccatum, revereremur. Ut ita ira & gratia, utraque comparata ad timendum Deum, per Servatorem nobis manifestaretur. Psalm. 90: 11. *Quis recognoscit vim iræ tuæ, & secundùm timorem tui, excandescentiam tuam?* Psalm. 130: 4. *Nam apud te est remissio, ut timearis.*

19. Quare *passionibus* Christus debuit πλήρως *consummari*, Hebr. 2:10. 5:9. ut esset ipsius obedientia perfectè θυσία εὐωδίας *sacrificium fragrantiæ*; quippe comparata ad glorificandum Deum, ut justum & sanctum, & in condonatione peccati ac justificatione peccatoris non abnegantem aut dissimulantem justitiam ac sanctitatem suam. Et hoc indicat Scriptura, dicens, Christum *factum esse peccatum*, 2 Corinth. 5:21. κατάραν *execrationem*, Galat. 3: 13. Deut. 21:23. *posuisse* פגיע *satisfactionem ad luendum reatum*, Esa. 53:10. *tulisse peccata*, Johan. 1: 29. 1 Petr. 2: 24. quod est victimæ, imò sacerdotis, Lev. 10. vers. 17. *Et consummatus.*

20. Quare, quum hæc requisita Mediatoris Testamenti gratiæ sint, intelligendum est, eum hæc spopondisse Patri, & sic Sponsorem Testamenti factum esse.

21. Facile autem est intelligere ex dictis, eam personam divinam potuisse fieri Mediatorem & Sponsorem Testamenti, quæ & *Servus Dei* potuit fieri, & mitti ac venire seque sistere ad voluntatem mittentis implendam & ad eum sanctificandum. Mitti autem sic potuit Filius, qui est ex Patre & cui Pater per æternam generationem dedit vitam habere in se, quique habuit jus hæreditatem sibi parandi & populum peculii, in quo & à quo glorificaretur.

22. Unde patet, hoc consilio introductam esse illam plenam, ut Consolationis & Amabilitatis, ita Gloriæ, *œconomiam*; qua Pater se constituit Vindicem sanctitatis & nominis divini, regnumque ac judi-

judicium Filio dedit, Filius autem, ut *Sapientia* (hoc est, in quo sapientia Dei creatoris, volentis glorificari in homine, potuit explicari) unctus est & designatus *princeps salutis*, *sacerdos* populi sui, ejusque *rex* & *dominus*, &, uno verbo, *Angelus Iehovæ assertor*, Patris gloriæ restitutor & manifestator.

23. Nam unica causa hujus Consilii est קִנְאַת יְהוָה *Zelus Iehovæ*, Es.9:6. hoc est, flagrantissima voluntas patefaciendi divitias suas & gloriam suam exaltandi, & opus suum à potestate hostis & à blasphematione & à contaminatione, quæ per peccatum facta est, vindicandi.

24. Patet etiam, quomodo Apostolus dicat Rom.5:14. *Adamum primum esse typum futuri.* h e. sic per Adamum primum perditum esse genus humanum, ut non nisi simili modo per alium Adamum, sive *secundum hominem*, qui esset caput *salvandorum*, salus hominibus quiverit obtingere: &, quandoquidem is à Deo præcognitus est, similiter de efficacia obedientiæ hujus atque de efficacia inobedientiæ illius esse judicandum.

Cap. XXXV.

De Sponsionis effectu.

Sponsionis effectus non imputatio peccati in judicio Dei.

Sponsionis hujus effectus non quidem is est, ut statim homini, atque conditus erat, indicaretur beneplacitum Dei, quo decrevit *justificare impium*; (Nam constat, etiamsi hoc Testamentum & Sponsio Mediatoris extaret, nihilominùs tamen Deum homini vitam ut mercedem operis justificantis & jus ejus per opera parandum proposuisse) neque ut peccatum, quod ab homine commissum est, non ESSET amplius, hoc est, jam posset dici DELETUM, OBLITERATUM, EXPIATUM. Rom.4:15. 5:13. Es.43:25. Zach.3:9. Dan.9:24. Aut ut JUSTITIA DEI annunciari statim post peccatum posset. Nam ejus annunciatio requirebat sacrificium actu juxta sponsionem præstitum. Psalm.40:7.8.9.10.11. Unde etiam in adventu Mediatoris ad homines dicitur, quòd *Salvaturus esset populum ex peccatis suis.* Matth.1:21. &, postquam mortem obiit, per Euangelium annunciatur, quòd fecerit *purificationem peccatorum*, Hebr.1:3. & *æternam* λύτρωσιν *redemtionem invenerit*, Hebr.9:12. & conscientias purificaverit, Hebr.9:14. & sanctificatos consummaverit, Hebr.10:14. qui antea non fuerant consum-

ſummati, Hebr. 10:1. Atque hoc eſt *Quartum*, quod in typo Teſtamenti ſuperiùs cap. 33. § 15. annotabamus.

2. Fuit tamen is effectus *Sponſionis*, ut peccatum, poſtquam commiſſum eſſet, *non imputaretur* hæredibus in Teſtamento ſcriptis, h.e. ut non poſſet eſſe in Deo voluntas puniendi peccatum ipſorum in ipſis. Quippe quod impactum erat in Sponſorem, & in eum debebat incurrere, & ab eo exigi. Eſa. 53: 6. 7. Nam, ſi voluntas puniendi eſſet in Deo, nulla vocatio & ſanctificatio haberet locum. Ex quo conſequitur, eos à judicio exemtos fuiſſe, & nullam afflictionem ipſis imponi potuiſſe, quæ revera eſſet pœna: atque ita, quoad hoc condemnatio abolita fuerit.

3. Deinde, ut adventus Sponſoris ad præſtandum Sacrificium & expiandum omne peccatum, quod Deus conſtituerat remittere, & Euangelium ſalutis ac juſtitiæ poſſet promitti.

4. Imò ut ea promiſſio hæredibus ſalutis proponeretur, & ſic Teſtamentum Dei aperiretur & notificaretur.

5. Utque ii, qui credidiſſent promiſſioni, apud Deum juſti eſſent, Gen. 15: 6. &, tanquam juſti & filii, in gloriam introducerentur. Hebr. 2: 10. & in hac vita, etiam inter omnes miſerias & in ipſa morte, gloriari poſſent in Deo, qui jam ut Deus ipſorum cum ipſis agere incepiſſet, fœdus cum ipſis faciendo; & impoſterum etiam futurus ipſis eſſet in Deum, per redemtionem, & ei annexa beneficia: atque ita accedentes ad Deum eſſent quidem ἅγιοι & δίκαιοι *ſancti & juſti*, ſed in hac vita non eſſent πεπλεωμένοι *conſummati*, quoad fructum juſtitiæ & ejus declarationem: & ne in gloria quidem quoad ejus cauſam perfectam. De quo alias.

6. Hac autem *non imputatione peccati* non obſtante, potuit nihilominus, quia adhuc Mediator ſacrificium non obtulerat, reatus, ut necdum abolitus, ſed extans, accuſari & commemorari. Hebr. 10:3. Cujus contrarium obtinet, expiatione peccati & reatus factâ. Jer. 31:34. Heb. 8:12. 10:18. Rom. 4:15. 2 Cor. 5:19. atq; ita, commemoratione peccati ceſſante, magis adhuc *non imputaretur peccatum*.

Ita tamen, ut potuerit reatus extans commemorari.

CAPUT XXXVI.

Conſilium de duplici Oeconomia.

Quandoquidem verò peccatum & reatus poterat exprobrari & accuſari ante exhibitionem Mediatoris, placuit Deo etiam

per aliquod tempus per *legem* & *maledictionem* non tantùm injustos, sed etiam justos, h. e. credentes promissioni, de reatu adhuc extante & nondum abolito commonefacere.

2. Placuit Deo id facere tractu aliquo temporis proximè revelationem Servatoris antecedente. Idque ut Servator ipse, quum oriretur ex muliere, sub lege fieret. Galat. 4:4. h. e. ut palam fieret, eum ad hoc nasci, ut legi faceret satis, obedientiam, quæ esset causa justitiæ, præstando, & maledictionem auferendo.

3. Quamdiu enim audirentur illæ sententiæ, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, &, *Maledictus omnis, qui non fecerit*, &, *Exsecratio Dei est suspensus de ligno*; & sacrificia pro peccatis exigerentur; & non audiretur Euangelium salutis, justitiæ, libertatis, remissionis omnimodæ: clarum futurum erat, eum, qui natus inter homines ad conditionem promerendi vitam non teneretur, quippe *Filius*, & qui peccatum proprium non haberet, & in quem princeps mundi nihil haberet, Joh. 14:31. natum esse ad implendam legem, &, quum pateretur & crucifigeretur, pati & crucifigi propter exsecrationem, ad eam auferendam, & vitam, ad quam requirebatur meritum, donandam. Ne quis dicat, Se propria justitia coram Deo justum esse; aut satisfactione, ad tollendam exsecrationem, opus non fuisse.

4. Placuit autem Deo, etiam hoc rigore non uti, nisi occasione contemti fœderis gratiæ ab iis, quibus id singulari modo notificasset. Jer. 31: 9.

5. Et quidem ita placuit Deo uti hac exprobratione, ut simul daret possessionem terræ Canaan certo populo in pignus, eique multas figuras & umbras daret, in quibus fidem suam exerceret: & præterea onus magnum illis imponeret.

6. Quem populum per id tempus elegit, ut verbum ipsius audiret, & ut ei fœdus suum offerret, & ut in eo haberet filios suos hæredes justitiæ ex fide.

7. Contra alios populos in toto mundo statuit missos facere, & non mittere ad eos ministros suos, ut eos à viis malis revocaret ad se. Atque ita illos concludere sub inobedientiam. Actor. 14: 16. Rom. 11: 30. 32. Psalm. 147: 19. 20. Deut. 4: 19. 20.

8. Ut tamen constaret, justitiam non esse ex factis, & ex observatione illorum præceptorum, quæ superimponere Israëlitis visum est, ante illud tempus, inde à promissione primùm edita, per plurima secula, nec legem publicè ferre inculcando illas sententias,

quibus

quibus lex operum continetur, nec onerosam legem *δογμάτων placitorum* proponere voluit.

9. Ut ita, qui audivissent promissionem eique credidissent, sic viverent (etiamsi *peccatum*, hoc est, reatus, adhuc *esset in mundo*, & necdum per sacrificium esset abolitus) quasi reatus nullus esset, sed jam omnia, quæ ad salutem requirebantur, essent peracta. Rom. 5: 13. *Vsque enim ad legem peccatum* ERAT *in mundo: sed peccatum non imputatur*, non accusatur, non commemoratur, *ubi non est Lex.* 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret lapsus.*

10. Ex quo exemplo patet, etiamsi omni tempore, qui credit verbo Dei, sive promissionis sive Euangelii, sit justus coram Deo, tamen, Deo sapienter ita providente, non omni tempore æqualem fuisse in omnibus hujus justitiæ manifestationem per omnes effectus justitiæ: qui in vita altera repræsentabuntur perfecti, in hac autem vita dantur multiplici cum varietate. idque ad bonum hæredum salutis.

CAP. XXXVII.

Confirmatio doctrinæ de Consilio gratiæ, in oppositione Iræ, per illustria dicta Scripturæ: in quibus Prædestinationis & Electionis mentio est.

PAtet etiam ex illo exemplo, quòd Deus ille misericors & gratiosus, longanimis & multus gratiâ non tantùm decreverit peccatores assumere filios & hæredes vitæ æternæ, & illorum peccatum injicere in Sponsorem: sed etiam iram exercere in quosdam, & in iis ostendere potentiam suam, inter & post multiplicem longanimitatem, Rom. 9: 22. imò etiam visitare peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem. Exod. 20: 5. 34: 7.

2. Ut ita clarum sit, esse revera apud Deum *Testamentum*, & eum *elegisse* hæredes vitæ, quibus Testamento daret vitam; alios item rejecisse & odio habuisse. Malach. 1: 2. 3. Rom. 9: 19. atque ita quosdam *prædestinasse ad adoptionem filiorum*, alios autem *posuisse ad iram.* Quod consilium vulgò nomine *Prædestinationis* designamus. *Electio. Prædestinatio.*

3. Nec malè; quum in utraque parte hujus consilii sit ὁρισμὸς *definitio* & προορισμὸς *prædefinitio*, versans etiam circa actiones eorum, qui pereunt. Luc. 22: 22. & Actor. 4: 28.

4. Notandum interim, Scripturam potiùs uti eo vocabulo,

quando designat ordinationem & definitionem certorum hominum ad bonum. Ita utitur hoc vocabulo Rom. 8. vers. 29. 30. & Ephes. 1. vers. 5. 11.

5. Quemadmodum τὸ ὁρίζειν significat *certum indigitare* (Actor. 17: 31. ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ὥρισε, *in viro, quem* nominatim denotavit & indigitavit, quòd scil. ipsi judicium omne datum sit. Rom. 1: 4. ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ. *qui definitus est filius Dei.* qui à Deo nominatim & singulariter q. per publicam compellationem declaratus est esse *Filius Dei in potentia*) ita τὸ προορίζειν *prædefinire* de hæredibus usurpatum significat certos determinatè notare & instituere hæredes, eorumque nomina in libro consignare.

Enucleatio loci Rom. 8. v. 29. 6. Locus ad Rom. 8: 29. sic habet: ὅτι, οὓς προέγνω, καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. *Quia, quos antè agnovit, etiam antè definivit conformes imagini filii sui, ad hoc, ut is sit primogenitus inter multos fratres.* Quæ verba pertinent ad probandum id, quod Apostolus in præcedenti versu posuerat: *Amantibus Deum omnia cooperantur in bonum*, qui *secundùm propositum vocati sunt.* Quibus verbis sine dubio non distinguit *amantes Deum* alios ab aliis. Ita enim incertum redderet, quod confirmare volebat: *Amantibus Deum omnia in bonum cooperari.* Si enim Deum amantium alii secundùm propositum vocati sunt, alii non; non potest universim dici, Amantibus Deum omnia in bonum cooperari. Ratio igitur hujus est, quia *Amantes Deum sunt vocati secundùm propositum.* Intellige θεοῦ πρόθεσιν, *Dei propositum*, de quo cap. 9: 11. Eph. 1: 11. 3: 11. 2 Tim. 1: 9. Nam, si quis hominis *propositum* hîc cum Chrysostomo intelligat, 1. perturbabit ordinem rei. Non enim κλῆσις *vocatio* est καὶ πρόθεσιν *propositum* hominis, sed hominis ὑπακοὴν καὶ πρόθεσις *hominis obedientia propositum* est καὶ τὴν κλησιν *juxta vocationem.* 2. παρολογίαν ponet in verbis. Nam qui sunt κλητοὶ κατὰ πρόθεσιν, *vocati cum proposito* sive potius ὑπακοῆς *obedientia*, nisi οἱ ἀγαπῶντες *amantes?* 3. obscurabit vim demonstrationis Apostolicæ. Atqui ex sequentibus apparet, Apostolum voluisse amantes Deum certos reddere, quòd ipsis omnia in bonum sint cooperatura. 4. inusitatam & insolentem phrasin tribuet Apostolo. & 5. usum vocis πρόθεσις *propositum* ab analogia hujus textus & proximæ pericopæ detorquebit. Hoc igitur *propositum* & *vocationem secundùm propositum*, &, quomodo ex ea sequatur, *omnia cooperari in bonum*, v. 29. & 30. explicat.

7. Pro-

7. *Propositum* explicat per προθεσμὸν sive *prædefinitionem ad conformitatem cum imagine filii sui.* Quæ *conformitas* in *vocatione* ad amorem Dei inchoata, consummatur in *gloria.* ut v. 30. intelligere est. Fulgentius l. 3. de verit. præd. cap. 2. *Prædestinavit per gratiam faciendos primogeniti fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos ejusdem primogeniti cohæredes.* Eam prædefinitionem deducit à duabus causis. 1. προγνώσει, hoc est, miseratione & aspectu gratioso vocatorum ante secula. 2. amore gloriæ Filii, *ut u sit primogenitus in multis fratribus.*

8. Ex *prædefinitione conformium* sive præagnitorum *ad conformitatem cum imagine Filii sui* concludit *vocationem.* Quemadmodum enim miseratio includit voluntatem & propositum dandi bonum (quod est conformitas cum Christo primogenito in gloria) ita voluntas hoc bonum dandi includit *vocationem. Quos autem prædefinivit, eos & vocavit,* hoc est, quos voluit conformes fieri imagini Filii, illos voluit etiam venire ad Filium, & in ipso esse per fidem & amorem ipsius, qui est amor Dei.

9. Ex hoc jam efficit, quòd *Amantibus Deum omnia cooperentur ad bonum,* dum ostendit, in *vocatione* contineri *justificationem. Et, quos vocavit, eos & justificavit.* Est hîc ἀνταπόκλασις. Nam in primo loco τὸ *vocavit* significat *voluit venire.* In secundo, *fecit venire.* Quos ad Christum adduxit, & in ipso esse fecit (id dicitur 1 Cor. 1: 9. *vocare in Christum*) *eos justificavit.* Nam, qui in Christo sunt, justi sunt. Ergo, qui amant Deum, justi sunt.

10. *Quos verò justificavit, hos glorificavit,* hoc est, iis gloriam dedit, addixit. nempe in spe, Rom. 8: 24. in causa. v. 32. 34. Eph. 2: 6.

11. Ergo, quos vocavit, glorificavit. Porrò, quos glorificavit, iis omnia ad bonum cooperantur.

12. Non possunt, opinor, reperiri verba magis efficacia & evidentia ad significandum *propositum Dei* ex misericordia & amore gloriæ Filii ortum, quo Deus certos hæredes ut ad justitiam & conformitatem cum Christo in gloria, cooperationemque omnium rerum in bonum propter justitiam, ita ad vocationem sive regenerationem aut fidem in Christum & amorem Dei ante jacta mundi fundamenta definiverit & nominatim designaverit ac q. in Testamento suo scripserit hæredes.

13. Inter veteres fuerunt, qui τὸ προέγνω *præagnovit* intellexerunt de *præscientia* sive *provisione Dei.* Ii *prædestinationem* dixerunt esse se-

cundùm *præviſionem Dei*. Quorum dictis multi abuſi ſunt: quaſi eſſet in Deo tantùm *præviſio* obedientiæ & non etiam prædeſtinatio. Auguſtinus verò demonſtravit, eos agnoviſſe *gratiam, qua non ſecundùm merita datur*, & Proſper ipſe proponens veterum ſententiam dicit, eos *prædeſtinationem ſecundum præſcientiam* ſtatuiſſe, *qua finem uniuſcujuſque præviderit & SUB IPSO GRATIÆ ADIVTORIO in qua futurus eſſet voluntate & actione præſciverit*. Quæ præſcientia foret ſecundùm *prædeſtinationem ad gratiam*: ut eam præſcientiam *prædeſtinatio ad gloriam* ſequatur.

14. Quanquam autem hoc ſufficiat ad Pelagianis & Semipelagianis obturandum os: tamen à ſimplicitate & vigore dicti Apoſtolici abit, & gratiæ divinæ ordinem non ſatis explicat. Apoſtolus enim voluntatem glorificandi ſtatim ex miſericordia & propoſito regnum ſive multos fratres Chriſto dandi deducit: & ex ea voluntate *vocationem* eam, quæ non tantùm invitat ad fidem, ſed ad eam adducit ſive facit credere & vivificat mortuum, derivat: & ex ea derivatione *vocationis* à *prædeſtinatione* ad gloriam conficit, quia ea eſt *vocatio ſecundùm propoſitum, amantibus Deum omnia in bonum cooperari*. Quare & v. 32. aſſeverat, *cum Chriſto dari omnia*. Videretur autem, ſi eſſet prædeſtinatio ad gloriam ex præſcientia voluntatis humanæ, voluntas & propoſitum glorificandi non tam ſpectare Chriſtum, ut cauſam ſalutis, quàm hominis obedientiam, ut cauſam reddendæ mercedis.

15. Lapſi autem ſunt Veteres in voce προέγνω, *praagnovit*, non animadvertentes, per eam ab Apoſtolo non ſignificari præviſionem & præſcientiam alicujus rei in homine, ſed miſericordiam æternam erga hominem. quæ adumbratur à Scriptura per *aſpectum*, oppoſitum præteritioni, averſioni faciei. Sic Rom. 11: 2. *non abjecit populum ſuum, ὃν προέγνω, quem præaſpexit*, cujus ab æterno miſertus eſt. Quod de ἐκλογῇ χάριτος *electis per gratiam* intelligendum eſſe, docet v. 5. 6. Atque ita vocabulum יָדַע *noſſe* pro *agnoſcere, curare, intueri* cum affectu, uſurpatur Geneſ. 18: 19. Amoſ. 3: 2. & in notiſſima illa phraſi *Cognoſcere Dominum*, Jerem. 9: 23. & verbum הַכִּיר Pſalm. 142: 5. Deut. 33: 9. Job. 34: 19. item προγινώσκειν. Joh. 17: 3. *ut cognoſcant te*, h. e. ad te reſpiciant, te curent, te ante oculos habeant; te ament & timeant. Sic Pſalm. 101: 4. רַע לֹא אֵדָע *malum non agnoſcam*. Explicat hoc Ezechiel cap. 16: 6. *Tranſivi juxta te, & vidi conculcatam in ſanguine tuo, & dixi, in ſanguine tuo vive, in ſanguine tuo vive*.

16. Ita

16. Ita Actor. 2:23. ὡρισμένη βουλὴ καὶ πρόγνωσις *definitum consilium & præcedens curatio* conjunguntur. confer 1 Petr. 1:20.

17. Ita 1 Petr. 1: 1. 2. ἐκλεκτοῖς κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν, *electos secundùm præagnitionem Dei Patris in sanctificatione Spiritus ad obedientiam & aspersionem.* Præcedit πρόγνωσις, omnia secula præveniens intuitus & misericordia: sequitur ἐκλογὴ *electio* sive *separatio* in tempore facta *in sanctificatione Spiritus*, quæ est *ad obedientiam* fidei (eam enim efficit) *& aspersionem sanguinis Iesu Christi* h. e. mundationem à peccatis & justificationem. Sanctificatio, quæ est κατὰ πρόγνωσιν, non est secundùm prævisionem obedientiæ. Nam quomodo potest obedientia prænosci ante prævisionem sanctificationis? Πρόγνωσις *præagnitio*, secundùm quam fit separatio in sanctificatione ad obedientiam, non est prævisio obedientiæ. Et 1 Petr. 1:2.

18. S. Petrus autem in eo loco, 1. πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς, *præagnitionem Dei patris* memorat tanquam causam ἁγιασμῷ *sanctificationis.* 2. In ἁγιασμῷ *sanctificatione* ponit ἐκλογὴν *electionem* actualem sive separationem τῶν σωζομένων *eorum, qui salvantur.* ubi notandum, quòd τὸ ἐκλέγεσθαι *eligere* aliquando dicatur de actu animi, aliquando de effectu sive assumtione reali & separatione ab aliis. Paulus de animo solet vocabulum hoc usurpare. Petrus quasi de manu & effectu. Apud Johannem cap. 13: 18. 15: 16. utrumque intelligi potest. Sic Hebraicè בָּחַר & de animo & de manu dicitur. Utrumque notat הַחֲלִיט Psalm. 4: 4. *Dominus separavit pium sibi.* 3. ἁγιασμὸν *sanctificationem* docet causam ὑπακοῆς *obedientiæ* h.e. διὰ πίστιν, *fidei.* 4. Cum πίστει *fide* jungit ῥαντισμὸν *aspersionem.*

19. Ita idem mox vers. 3. ὁ κατὰ τὸ πολὺ ἔλεος αὐτοῦ ἀναγεννήσας ἡμᾶς εἰς ἐλπίδα ζῶσαν. *qui secundùm multam miserationem suam regeneravit nos ad spem vivam.* Petro misericordia est causa regenerationis, per quam reviviscimus ex divino semine ad spem vivam: Paulo propositum & præagnitio & prædefinitio est causa vocationis, nempe in Christum.

20. Si Paulo πρόγνωσις esset *prævisio*, non diceret, *Quos prævidit*, sed, *quorum fidem prævidit.* Nam sanè omnes homines futuros prævidit & præcognovit.

21. Et quæ illa consecutio est, *Quos prævidit; eos & vocavit?* Numquid enim ideò, quia prævidit aliquos, ut homines futuros, etiam vocavit? Si ea *vocatio* communis externa, quomodo ex ea deducitur,

tur, *omnia amantibus Deum in bonum cooperari?* Si autem est *vocatio* talis, qualis ea, qua, quæ non erant, vocata sunt & παρήχθησαν, *adducta sunt*, & qua mortui excitabuntur, Roman. 4:17. quomodo ea est ex præviſione?

22. Quæ *vocatio* revera ab Apostolo indigitatur. Et verò sine ea impossibile est Deum quicquam boni in homine videre. Nam, qui gratiam *sufficientem* inducunt, cujus usum bonum aut non usum Deus præviderit, ut alios eligeret, alios reprobaret, temerarii sunt. Nam 1. *gratiam* & gratuitum donum convertunt in judicium. 2. id ex opere statuunt agi. 3. Ponunt, id *sufficere* ad hominis conversionem, quod minimè sufficit. Nam nihil citra regenerationem & sanctificationem & creationem cordis novi sufficit ad hominis conversionem. 4. Id *sufficiens* tam tenue & exile faciunt, ut in plerisque nihil aliud possit reperiri, quod illo vocabulo ab ipsis notari possit, quàm quòd homines sunt, in mundo inter homines viventes, mortui in peccatis. 5. Nullum relinquunt discrimen inter eum, cui Deus gratiosus est & cujus miseretur, & eum, quem indurat. Unica est *gratia sufficiens*, de qua Deus Apostolo dixit, ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου, *Sufficit tibi gratia mea.* 2 Corinth. 12:9.

23. Quare τὸ προέγνω hîc non significat *præscivit*, *pravidit*, sed antè aspexit, antè dilexit. Et ita verba Apostoli non discedent ab analogia significationis, quam obtinent in ipsius sermone, & nullo supplemento indigebunt, & potentiam suam obtinebunt, & præbebunt manifestam ἀπόδειξιν *demonstrationem*, quòd amantibus Deum nihil possit nocere, sed omnia ad bonum cooperentur.

24. Denique Apostolus πρόθεσιν *propositum*, πρόγνωσιν *præagnitionem*, προορισμὸν *prædefinitionem*, explicat per ἐκλογὴν *electionem*, v. 33. Et c 9:11. dicit, ἵνα κατ' ἐκλογὴν πρόθεσιν *propositum secundùm electionem*, quod habet prælationem & assumtionem ex pluribus.

Enucleatio loci Eph. 1:3.4.5.6.

25. Et de ἐκλογῇ ita loquitur Ephes. 1:3.4.5.6. *Qui benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, quemadmodum elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta, esse nos sanctos & inculpatos coram ipso in charitate, prædefiniens nos ad adoptionem filiorum per Iesum Christum sibi, secundùm beneplacitum voluntatis suæ, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, qua nos gratia cumulavit in dilecto.*

26. Quo in loco non tantùm electionis natura omnis explicatur, sed etiam ostenditur, eam esse fontem omnis lætitiæ & gratiarum actionis.

27. Prin-

27. Principiò affirmat de Deo *benedictionem*, ſive addictionem *omnium bonorum ſpiritualium in ſupercœleſtibus*. Ubi eſt *corpus ſpirituale*, ubi non eſt *caro & ſanguis*, ubi non eſt φθαρτὸν *corruptibile*, ibi ſunt *benedictiones ſpirituales*. Nota 1. bona alterius ſeculi certò ſperanda, & eorum bonorum communionem in hac vita, in quantum ea datur in hac vita poſſidenda. Nam ad *benedictiones ſpirituales in ſupercœleſtibus* pertinet etiam ἀνακεφαλαίωσις *recapitulatio* (ut loquuntur) eorum, quæ in terris ſunt, cum iis, quæ in cœlis ſunt, v. 10. Quæ benedictio eſt propria Novi Teſtamenti. Hebr. 11: 40. quemadmodum benedictio in bonis alterius vitæ eſt communis omni tempori, quo fideles ſunt in mundo.

28. Deinde, ſecundò, hanc benedictionem aſſerit eſſe *in Chriſto*, tanquam Mediatore, cui ſcilicet ut Domino noſtro has benedictiones dederit donandas & elargiendas.

29. Tertiò, hanc benedictionum addictionem eſſe convenientem *electioni, quia ante jacta mundi fundamenta eos elegit* & à pereuntibus, à mundo, ſeparavit, *quibus benedictiones hæ addicuntur*: atque ita eſſe ſententiam & pronunciationem Dei conſentaneam æternæ electioni. Nam, quod *antè jacta mundi fundamenta* factum eſt, id ante hominis creationem & peccatum factum eſt. Atque ita *fundatio mundi* (ſeu *terræ*, ut Scriptura veteris Teſtamenti loquitur) ſubordinatur decreto electionis, & ad id reſpectum habet. Hîc de vocabulo *Electionis* obſervandum eſt, id propriè quidem ſignificare ſeparationem & aſſumtionem, quæ fit in tempore per ſanctificationem ſive regenerationem, ſed & uſurpari de decreto ſeparandi & aſſumendi: & in quibuſdam locis utramque ſignificare ſeparationem, eam, quæ facta eſt deſtinatione, & eam, quæ fit actu in tempore.

30. Quartò, Deum benedicendos elegiſſe ἐν ἀγάπῃ *in dilectione*. Optimè enim hoc cum ἐξελέξατο *elegit* & προορίσας *prædeſiniens* jungi poteſt.

31. Quintò, Deum *elegiſſe* benedicendos *in Chriſto*. hoc eſt, 1. cum Chriſto ut præcognito. ut ſimul conſtituerit Chriſtum caput & primogenitum & illos membra ac fratres Chriſti. Auguſt. tract. 105. in Joh. *Nos in ipſo, ut membra ipſius eſſemus, elegit.* 1 Petr. 1: 20. 2: 4. Eſ. 42: 1. 4. 6. 45: 23. 24. 25. 49: 5. 6. 7. 8. 55: 3. 4. 2. per Chriſtum & cum Chriſto, ut eligente: quod eſt Sponſoris. Epheſ. 3: 11. Joh. 13: 18. 15: 16. Pſalm. 2: 8. Joh. 5: 21. 17: 9. Matth. 11: 17. Rom. 5: 15.

32. Sextò, Deum benedicendos in Christo elegisse, *ut sint sancti & inculpati coram ipso.* Confer Eph. 5: 27. Col. 1: 22. Potest hîc etiam conjungi ἐν ἀγάπῃ *in dilectione.* Nam, quod sumus ἄμωμοι *sine vitio* coram Deo & ἀνέγκλητοι *irreprehensibiles*, id est amoris justitiam donantis. Rom. 8: 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat.*

33. Duo bona, ad quæ elegit Deus in Christo benedicendos, notat, 1. ἁγιασμὸν *sanctificationem*, 2. ἄφεσιν *remissionem.*

34. Quos autem ad sanctificationem & remissionem peccatorum elegit; eos elegit ad benedictiones omnes spirituales in supercœlestibus: &, quomodo eos sanctificat, etiam justificat, & sic benedicit omni benedictione spirituali in supercœlestibus.

35. Vocatur autem ea voluntas sanctificandi & remittendi peccatum *electio*, quia sanctificandos reperit in mundo & inter peccatores ἀνοσίους *reos*, ἐχθροὺς *inimicos*, ἀσεβεῖς *impios*, *injustos*, ἀσθενεῖς *impotentes*, καταδεδικασμένους *damnatos*, & ex illis primò eos assumit. Quare *electio* hîc nihil aliud est, quàm ἡ προγνωσις *præagnitio.* Rom. 8: 29. 1 Petr. 1: 2.

36. Septimò, quos elegit Deus ad sanctificationem & remissionem, eos *prædefiniviſse ad adoptionem sibi per Christum.* Non ita elegisse sanctificandos & peccatorum remissione donandos, ut non decreverit illis dare hæreditatem: sed simul *elegisse*, ut essent sancti & inculpati, & *prædefiniviſse filios adoptandos*, atque ita hæredes. Rom. 8. vers. 16. 17.

37. Quæ ratio est, quare electionem ad sanctificationem & remissionem peccatorum atque adeò sanctificationem ipsam & remissionem peccatorum donatam sequatur benedictio in omnibus benedictionibus spiritualibus in supercœlestibus in Christo. Nam eæ benedictiones filiorum sunt.

38. Non debet quemquam turbare τὸ προορίσας in aoristo positum. v. 5. Hoc enim non significat, προορισμὸν *prædefinitionem* ad υἱοθεσίαν *adoptionem* esse natura aut tempore priorem electione ad sanctificationem & remissionem peccati. Sacris scriptoribus usitatum est, verbo aoristi temporis adjungere participium ejusdem temporis, etiam, quando aliquid conjunctum, sine quo alterum esse non potest, significant. Exempla vide Eph. 1: 8. 9. 13. 5: 26. Phil. 2: 7. 8. Col. 2: 13. 14. 15. Hebr. 11: 9. 2 Petr. 2: 6. Gal. 4: 4.

39. Atque adeò hoc est diligenter observandum, quòd Apostolus

lus voluntatem sanctificandi, sive regenerandi per donum fidei, & liberandi ab accusatione peccati omni, conjungit cum prædefinitione hæredum sive cum voluntate adoptandi in filios. Ita alibi docet, iis, quibus remittuntur peccata, imputari justitiam. Rom. 4: 5. 6. 7. 8. Quippe inutile esset accepisse spiritum sanctificationis & fidem & remissionem peccatorum, si non etiam cum remissione detur justitia, hoc est jus hæreditatis petendæ. Nam clausa adhuc esset ad beatitudinem via; siquidem ad vitam opus est δικαιώματι merito. quod, qui peccator unquam fuit, in se habere non potest.

40. Octavò, & benedictionem datam, & electionem & prædefinitionem ad hæreditatem refert ad *beneplacitum voluntatis Dei*, tanquam causam προηγουμένω *præcedentem*. Ut intelligamus, nihil nos habere, in quo gloriari possimus, & tam liberè Deum hoc decretum fecisse & has benedictiones addixisse, atque cœlum & terram condidit.

41. Finem autem assignat *laudem gloriæ* sive summæ præcellentiæ *gratiæ* illius, *qua* eos, quibus benedicit, *cumulat in Christo*. Confer Es. 42: 8. 43: 21.

42. Denique asserit, dum pro Ephesiis *sanctis, fidelibus*, hoc est sanctificatis ad fidem, quos secum jungit, Deo gratias agit, unumquemque fidelem habere hanc ἐξουσίαν, jus & *potestatem*, ut de illis benedictionibus secundùm electionem & prædefinitionem gratias agere possit: &, quos fideles reputamus, eos nos posse consolari simili consolatione & pro iis Deo gratias agere.

43. Quemadmodum & breviter 2 Thess. 2: 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quia legit* sive *assumsit vos Deus ab initio ad salutem in sanctificatione spiritus & fide veritatis*. Quemadmodum Luc. 1: 77. σωτηρίας ἐν ἀφέσει pro σωτ. ἐν ἀφέσει *salutis*, quæ est *in remissione*: vel potiùs *salvationis in remissione*: ita hîc conjunguntur σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ, *salutem* sive *salvationem in sanctificatione*, quæ fit *sanctificatione spiritus & fide veritatis*. Legit vos Deus ad salvandum in sanctificatione & fide. Σωτηρία enim est hîc nomen verbale significans actum salvantis: perinde ac si dixisset, εἰς τὸ σώζειν ἐν ἁγιασμῷ κ. πίστ. Quomodo dixerat Eph. 1: 4. ἐξελέξατο εἶναι ἁγίους *elegit esse sanctos*: ita hîc, *Legit vos salvandos in sanctificatione*. Alioqui etiam Hebraismus est, ut relativum frequenter omittatur. Eph. 2: 15. νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, pro τὸν ἐν δόγμασι.

Obiter de loco 2 Thess. 2: 13.

44. Nulla ratione possunt conjungi illa verba, εἵλετο ὑμᾶς ἀπ' ἀρχῆς ἐν ἁγιασμῷ καὶ πίστει. Hoc enim valeret, *Legit vos ab initio per sanctificationem & fidem.* Atqui *legit ab initio ad sanctificationem.* Et quid: *legit per fidem?*

45. Denique res clara est. Salus obtinetur per fidem. Fides est à sanctificatione. Sanctificatio igitur salvat. Salvatio hæc est ab αἱρέσει, à lectione & assumtione divina.

Vtilitas doctrina de Electione. 46. Et rursus ab Apostolo salvationis hujus fructus inculcatur *gratiarum actio.*

47. Ut appareat, totam hanc revelationem Consilii Dei & Testamenti, quo Deus Christo dedit hæreditatem, eò pertinere, ut οἱ καταφυγόντες, *qui* in siti ac fame justitiæ *confugerunt* ad rupem salutis, *per* illud *consilium* & voluntatem immutabilem nullique pœnitentiæ obnoxiam *haberent ἰσχυρὰν παράκλησιν validam incitationem ad arripiendam* & tenendam *spem promtam* & expositam, *quam haberent velut anchoram animæ certam & firmam & intrantem intra velum, ubi præcursor pro illis intravit Christus.* Hebr. 6: 18. 19. 20.

48. Quæ *spes* meritò vocatur *spes viva*, quia hæc *spes* sola facit hominem vivere & in Deo deliciari. 1 Petr. 1: 3. Ad quam spem debet omne studium contendere. Hebr. 6: 11. Quæ est pietatis & amoris Dei verus fons.

Cap. XXXVIII.

De Consilio Iræ exercendæ.

Reprobatio. Ex iis, quæ de Prædestinatione ad adoptionem filiorum sive Electione diximus, patet, esse apud Deum etiam decretum non miserendi, sed indurandi. ita ut', qui separati sunt ad vitam & gloriam hæreditandam per sanctificationem & justificationem, debeant confiteri, se terribilibus modis separatos esse. ut est Psalm. 139: 14. נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי *timendis modis separatus sum.* nempe Deo exercente simul gratiam & iram. Rom. 9: 18. *Ergo igitur, cujus vult, miseretur, &, quem vult, indurat.*

Locus 1 Petr. 2. v. 8. Positi ad casum. 2. Quos autem indurat, de iis dicitur, quòd positi sint ad judicium. 1 Petr. 2: 8. *Qui offendunt ad sermonem non obedientes; ad quod etiam positi sunt.* Quod efficit S. Petrus ex Es. 8: 14. 15. *Et erit in sanctuarium, & in lapidem offendiculi in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & decipulam habitatoribus Hierosolymorum.* & 28: 16.

Ecce

Ecce ego, qui *fundavit in Sione lapidem* &c. item ex Psalm. 118: 22. *Lapidem quem reprobarunt ædificantes, factus est caput anguli.* Quæ dicta ad hunc modum colligit. v. 6. *Ecce pono in Sion lapidem angularem* &c. *Vobis igitur honor, qui creditis*, subintellige, paratus est. *Non verò obedientibus*, subintellige, aliud paratum est; nempe quod ostendunt ista: *lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput anguli & lapis offendiculi & petra scandali. Qui offendunt ad sermonem, non obedientes: ad quod etiam positi sunt.* Sic Luc. 2: 34. *Hic positus est in casum & in surrectionem multorum in Israële.* Et Joh. 9: 39. *Ad judicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident, videant, & videntes cæci fiant.*

3. Ex quibus intelligitur, esse in Deo voluntatem, ut *miserendi*, ita etiam *non miserendi.* Quemadmodum Hos. 1: 6. & 2: 3. vel 1: 12. item cap. 2: 25. vel 22. *Ruchámah* & *Ló Ruchámah*; quæ per misericordiam amata est, & quæ non amata est, opponuntur. Constat autem, inter eos, qui dilecti non fuerunt, aliquos misericordiæ & dilectionis participes factos esse sed non omnes: &, familias, tribus, populos pro tempore fuisse non dilectos, deinde, in filiis non dilectorum, dilectos. Ita ut clarè justitia, vita & pax sive *desponsatio cum Deo* (Hos. 2: 18. 19. vel 21. 22.) à *misericordia* profluxerit; alii autem sine miseratione perierint. Quare & S. Paulus Rom. 9: 25. per *non-populum, & non-dilectum* intelligit tum Judæos, tum gentes antea dilectionis gratiæque exsortes & à jure ac communione populi Dei remotos. *Voluntas non-miserendi.*

4. Ergo ad *electos* & *dilectos* αὐτοδιηρημένως opponuntur *non-dilecti, non-populus.* Qui dicuntur in ea oppositione οἱ λοιποὶ *reliqui.* Rom. 11: 7. οἱ λοιποὶ ἐπωρώθησαν *reliqui occalluerunt.*

5. Quemadmodum vice versa in comparatione illorum, qui per πρόγνωσιν *præagnitionem* & ἐκλογὴν *electionem* non assumuntur, ii, qui assumuntur & salvantur per gratiam, dicuntur τὸ κατάλειμμα *residuum.* Rom. 11: 15. λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν, *reliquiæ secundùm electionem gratiæ factæ sunt.* Rom. 9: 27. τὸ κατάλειμμα σωθήσεται *reliquiæ salvabuntur.* ex Esaiæ cap. 10: 21. 22. Quod amat Scriptura appellare שְׁאָר, & שְׁאֵרִית; item פְּלֵיטָה hoc est, *effugientium multitudinem.* Joël. 3: 5. vel 2: 32. ubi etiam שְׂרִידִים *superstites* nominantur, quos Deus decrevit salvare ex gentibus per *vocationem.* Reliqui & reliquiæ *sive* residuum & superstites.

6. Quemadmodum autem ii, qui *electi* sunt, per gratiam & misericordiam electi sunt, ut non veniant in judicium, sed justitiæ & vitæ hæredes sint: ita, quos præteriit, decrevit in judicium vocare. *Voluntas judicandi.*

Illis imputat peccata sua & super ipsis relinquit. Ira Dei manet super illis. Joh. 3: 36. Jam judicati sunt. Joh. 3: 18. De iis dicit, *Nunquam novi vos*, Matth. 7: 23. &, quemadmodum *Electi* vocantur *benedicti Dei*, ita præteriti compellantur *maledicti* Matth. 25: 34. 41.

7. Quanquam igitur justo judicio pereant, qui pereunt; tamen mera gratia, qui salvantur, hæredes justitiæ fiunt: neque magis pendet ab illorum injustitia, quòd non sunt electi, quàm ab horum merito, quòd sunt electi. Si enim electio non est ex merito aut ex minore demerito, sed ex gratia, consequenter & rejectio est ex beneplacito, non ex merito majori. Ideò dicitur Rom. 9: 11. *Quum nondum nati essent, neque feciſſent bonum aut malum* (quo distingui à se invicem possent) *ut, quod est secundùm electionem, propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, Major serviet minori.* Quemadmodum autem in eo dicto promissio, quòd minor esset futurus acceptus Deo, sive indicatio animi Dei erga minorem, quòd eum amaret, erat puræ putæ δόξας & liberi beneplaciti; ita addictio majoris in servitutem & indicatio animi aversi ab ipso ad aliam causam referri non potest; quatenus quidem notat non-dignationem sive מאיסה *spretionem* & relictionem.

Reprobatio non excludit clementiam.

8. Quod tamen decretum non excludit voluntatem benefaciendi & per longanimitatem tolerandi, & per tolerantiam sollicitandi ad pœnitentiam; aliquando etiam vocandi per verbum, & quidem sæpe non sine illuminatione, ut homines convincantur de verbi dignitate & veritate, imò ut gaudeant audito sermone, ut donum cœleste gustent, ut participes fiant donorum Spiritus sancti, ut gustent bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi, & viam justitiæ cognoscant. Matth. 13: 20. Hebr. 6: 4. 5. 2 Petr. 2: 21. Es. 35: 8.

Clementia Dei justificat Deum.

9. Quod quum facit Deus, quasi controversiam suam disceptat cum homine: qui semper in Deum conjicit suas culpas, eumq; accusat, quasi suo officio non satisfaciat; seque coram Deo effert, quasi aliquid possit facere, si Deus secum agat docendo & benefaciendo, quemadmodum putat convenire, ut Deus cum homine agat. Quæ hominis κακοήθεια *malignitas* exprimitur Matth. 25: 24. in exprobratione servi nequam & μεμψιμοίρια. *Cognoscebam te, quòd sis homo durus, metens, ubi non seminasti, & inde colligens, quod non sparsisti.* q. d. Sciebam, te plus expetere, quàm dederis, &, ubi parcè dederis beneficia & doctrinam impertiveris, ibi magnam messem velle colligere.

10. Ad

10. Ad quam exprobrationem confutandam facit, quod est Es. 5: 4. *Quid faciendum erat vineæ meæ ampliùs, quod non fecerim in ea? Quare exspectavi uvas, & tulit labruscas?* q. d. Quare igitur tulit labruscas, quum mihi promitteret uvas: ad quas ferendas tantum temporis illi indulsi: nisi quia vinea est terra mala? Sæpe enim Israël fuerat protestatus, se velle Deum audire, & omnis homo illo est ingenio, ut non malè sentiat de seipso.

11. De ea re loquitur Moses Deut. 5:24..... 29. *Et dixistis: ecce fecit nos videre Iehovah Deus noster gloriam suam & magnitudinem suam.. accede tu...loquaris ad nos, quidquid loquitur Iehovah Deus noster, & audiemus & faciemus. Et audivit Iehovah vocem verborum vestrorum.... & dixit....bene locuti sunt. Vtinam esset cor hoc ipsis ad metuendum me & ad observandum omnia præcepta mea omnibus diebus: ut bene sit ipsis & filiis ipsorum in perpetuum!* Quo significatur, verba Israëlitarum rectè quidem se habere, sed ea in plerisque non habere veram radicem, & jam Deum prævidere filiorum incredulitatem & contumaciam; tamen velle experiri, an ita facturi sint, quemadmodum dixerant. Esaias autem docet cap. 40: 6. 7. olim Deum victorem fore judicio, & prædicatum iri, quòd *omnis caro* & *populus sit gramen*, h. e. ἀσθενὴς & impotens ad subjiciendum se Deo. Rom. 8:7.

12. Quare tum illi, qui à Deo deseruntur, & tamen non ita deseruntur, quin se ipsis testatum faciat, Act. 14:17. & 17:25. — 28. & interim Deum non quærunt, &, quem omnino ignorare non possunt, non glorificant, & ad opus ipsius non attendunt, ut Deum cognoscant, &, ita agentes, vel Deum negligunt omninò, vel falsam religionem & cultum comminiscuntur: tum illi, qui verbum Dei audiunt, & multis beneficiis, etiam illis, quæ ad regnum Dei pertinent, afficiuntur, &, quum aliquo modo oculos ad videndum & aures ad audiendum habeant, tamen non attendunt, neque fatentur, se stultos & malos esse: ἀναπολόγητοι *inexcusabiles* sunt, ostenduntque, se stultos & malos esse, & Deo ac vita ejus indignos. Rom. 1: 20. 21. 22. 32. Nam stultitia & malitia non est à divino opere.

13. Quòd si enim id, quod homines debebat adducere ad humilitatem & ad abnegationem sui ac justitiæ suæ, & ad Dei bonitatem agnoscendam, eos facit superbiores & contumaciores; qua utentur excusatione, quare non dicant cum Davide: *In peccatis natus sum, & in pravitate concepit me mater mea, ut justus sis, quum loqueris*

sive

sive *defensione uteris, & vincas, quum judicas?* Psalm. 51: 6. 7. Qui si vellent πενθεῖν καὶ πλωχεύειν, *lugere & pauperes esse*, jam salvi essent.

Utilitas doctrina de Reprobatione.

14. Prodest autem hæc Dei gubernatio & gratiæ varia distributio permultum electis, qui salvi fiunt. Nam talibus exemplis commoventur, ut cognoscant, hominem *nihil* ex se *posse facere boni*, &, quanta sit ira Dei, &, quàm justa judicia ipsius, quamque ipsi indigni sint divina gratia, &, quòd mera sit εὐδοκία, *merum beneplacitum*, mera gratia, quòd Ecclesia salvatur; & cum timore ad Deum accedant & in se pignus Spiritus sancti diligenter requirant, denique non in se sed in Domino gloriantes sint μετριοπαθεῖς *moderatè affecti* aut commoti erga illos, qui errant & peccant.

15. De quo fine breviter Apostolus Rom. 9: 20. 21. 22. 23. *Enimverò tu quis es, homo, qui respondes Deo? Numquid dicet figmentum fictori, quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa faciendi aliud quidem in honorem vas, aliud verò in dedecus? Si verò volens Deus demonstrare iram & notificare potentiam suam tulit in multa longanimitate vasa iræ aptata ad interitum: &* quidem, *ut notificet divitias gloriæ suas in vasa misericordia, quæ præparavit ad gloriam:* non habet potestatem?

Elisio murmurationis contumacium.

16. Quod Apostolus reponit murmuranti adversus consilium hoc gratiæ & iræ. Quæ murmuratio proponitur vers. 19. *Dices igitur mihi: Quid adhuc culpat? voluntati ejus quis resistit?* Mens verborum Apostoli est hæc, q. d. Prævideo, quosdam huic doctrinæ de liberrima Dei miseratione opposituros, quòd ex ea sequatur, Deum injustè culpare homines, qui indurantur; quia ipsius voluntate indurantur. Quippe ipsius voluntati neminem posse resistere. Qui voluntati Dei non potest resistere, eum Deus immeritò culpat. Atqui is, quem Deus volens indurat, non potest ejus voluntati resistere. Ergo immeritò culpatur à Deo. Jam verò dici non potest, quòd Deus non rectè culpet induratum. Ergo non est verum, quòd, quem vult, induret. Ad hoc respondet Apostolus: 1. Eum, qui induratur, & maximè eum, qui ista murmuratione utitur, responsare Deo, & 2. non cogitare, quis ipse sit. *Quis tu es, qui respondes Deo?* Satis est ad damnationem hominis, qui induratur, quod contumax est adversus Deum, & non subjicit se ipsi, & ejus consilia suo judicio subjicit. Deinde, si is, qui induratur, se videatur posse justæ Dei accusationi eximere, dicendum etiam erit, eum aliquid esse & ex se ipso posse. Atqui nullus est, & nihil potest, & à

Deo

Deo vita ac fortitudine ſua eſt ſeparatus. Et tamen contumax eſt adverſus Deum & ei obloquitur, quaſi aliquis eſſet & aliquid poſſet, aut gratia Dei dignus eſſet. 3. Quòd *figmentum fictori non poßit dicere, Cur me feciſti ſic?* Ea parabola eſt: qua notatur, non quidem malitiam hominis eſſe plaſma Dei, ſed, eum, qui induratur, facere ſimiliter, atque ſi plaſma diceret fictori, Cur me feciſti ſic? h. e. non acquieſcere formationi ſuæ & poſtulare aliam ſui formationem. Debere ſcilicet quemvis hominem ſe in eo ordine, in quo poſitus eſt, ad Deum dirigere, ut plaſma Dei, non autem eam ordinationem Dei reſpuere & contra eam luctari. Quemadmodum ſi vas figuli non vellet domino eum uſum præſtare, ad quem factum eſt, ſed alio modo adhiberi. verbi cauſa, ſi calix vellet eſſe matula, aut pollubrum vellet eſſe patina. 4. *Quòd figulus habeat poteſtatem ex eodem luto fingendi vas ad honorem & ad dedecus.* Non hoc vult Apoſtolus, ideò poſſe Deum culpare induratum, quia habet poteſtatem fingendi vas ad dedecus: quaſi induratio hominis ſic eſſet à Deo, quemadmodum formatio vaſis ad dedecus eſt à figulo. Sed, quòd propter id, quod in Dei poteſtate eſt, non poſſit ſe creatura ſubtrahere divino judicio. Quemadmodum hîc Apoſtolus, ita & Eſaias ad poteſtatem figuli provocat c. 29: 16. *Mutatio veſtri ſi quidem ut* mutatio *luti figuli æſtimabitur (quia dicit opus de eo, qui id fecit, Non fecit me; & figmentum de fictore ſuo dicit, Non intelligit) annon paullo poſt vertetur Libanus in arvum & arvum nemus reputabitur? & audient illo die ſurdi verba libri & ex caligine & tenebris oculi cæcorum videbunt?* Senſus & Prophetæ & Apoſtoli eſt, Deum poſſe tam gentes quàm Judæos vocare & non vocare, & vocatorum miſereri, & non vocatos indurare; neque ullam dignitatem utrorumque vel ullorum hominum eſſe, propter quam cogatur eos honore & gloria impertiri. Quemadmodum nulla dignitas eſt in luto & conſperſione eadem, propter quam figulus non poſſit facere ex maſſa eadem vas ad dedecus, h.e. vas, cujus uſus non eſt publicus & decorus, æquè ac vas ad honorem, cujus uſus eſt honeſtus in publico & cœtu hominum. Cæterum, ubi nulla eſt dignitas, qua quis mereatur eſſe vas gloriæ, ſed eſt communis indignitas, ut mereantur eſſe vaſa iræ, ibi ut poteſtas Dei gratiam & iram diſtribuentis non minuitur, ita etiam jus reprehendendi & culpandi vaſa iræ non eliditur. 5. Quòd Deus utatur multiplici longanimitate, clementia & tolerantia erga vaſa iræ. 6. Quòd poteſtatem habeat demon-

ſtrandi ut divitias gloriæ, ita etiam potentiam ſuam & iram.

Deus malè culpatur acceptionis perſonarum.

17. Nihil eſt, quod quidam huic doctrinæ objiciunt, Deum non eſſe acceptorem perſonarum. Revera Deus non eſt *acceptor perſonarum*, quia 1. non judicat niſi ſecundùm legem ſuam, quæ eſt ſpeculum veritatis, juſtitiæ & judicii Dei. 2. non recognoſcit quemquam dignum gratia ſua ſanctificante & juſtificante; nihilque in homine peccatore tanti facit, ut ſit ipſi cauſa eam gratiam donandi; ſive ſit generis nobilitas, ut, quòd Judæi filii Abrahami ſunt; ſive divitiæ; ſive ſapientia, qualis in Græcis; ſive ζῆλος quidam θεοῦ *Zelus Dei* aliquis & διωξις νόμου δικαιοσύνης, *perſecutio legis juſtitiæ*, qualis in Judæis; ſive facere, quod peccator irregenitus facere poteſt. Hæc enim omnia apud Deum ſunt גְּלוּלִים *ſtercora*. Nam, quod potiſſimum in his eſt, quod Judæi habuerunt, qui rejecti ſunt, Scriptura appellat גִּלּוּלֵי בֵּית יִשְׂרָאֵל *ſtercora domûs Iſraël*. Ezech. 14. verſ. 2. &c. & Apoſtolus, quæcunque ſecundùm carnem lucra videbantur, σκύβαλα & ζημίαν *ſtercora* & *damnum* appellat. Phil. 3:8.

18. Hæc eſt προσωπολημψία *acceptio faciei* Deo indigna. Sed libera diſtributio donorum, ut corporalium & terreſtrium, ita ſpiritualium & cœleſtium, Deo non eſt indigna. ſecundùm quam aliqui dicuntur *Gratiam inveniſſe in oculis Dei*; Geneſ. 6: 8. quod de aliis dici non poteſt.

Caput XXXIX.

De ordine decretorum & objecto prædeſtinationis.

Solet hîc moveri difficultas de ordine tanquam decretorum divinorum, & de objecto prædeſtinationis. Quæ difficultas, ni fallor, facilè expediri poteſt.

2. In primis conſtituendum eſt & in conſideratione hac retinendum, quod & ſupra, quum de conſilio Dei in genere ageremus cap. 14. § 15. 16. 17. monuimus, Decretum Dei unum eſſe: neque in Deo eſſe cogitationes priores & poſteriores.

3. Ita ut non poſſit dici de Deo: *Quod primum eſt in intentione, eſt ultimum in exſecutione: & contra.* quaſi, velut apud hominem, ita apud Deum ſit prioris poſterior & poſterioris prior cogitatio: niſi tantùm, quòd maximè in cumulo & in colophone omnium operum Dei appareat laus gloriæ Dei.

4. Deum autem vidiſſe ab æterno, ſe illa, quæ fecit, facit & faciet,

ciet, posse facere decenter & cum gloriæ suæ demonstratione. Quæ etiam approbaverit & esse jusserit. ita ut propterea dici possit *omnia rectè & pulchrè* FECISSE *tempore suo*: Eccles. 3:11. quatenus ea, quæ decrevit, jam quodammodo FECISSE dici potest.

5. Quum igitur divina voluntate omnia, quæ fuerunt, sunt & erunt, simul decreta, constituta, vocata, jussa sint; si per *Objectum* consilii Divini, cujus pars est Prædestinatio, intelligatur id, quod nos priùs cogitare oportet, quàm divinum decretum possimus concipere & cogitare; nihil inveniemus aliud, quàm quòd possibile fuerit, Deum illa, ut fecit, vocare & esse jubere ac decernere. Objectum Prædestinationis *dupliciter intelligi potest.*

6. Sed, quando voluntatem Dei ad singulos actus referimus, & à certo genere actuum sive operum denominamus; veluti, quum *Prædestinationem* vocamus voluntatem glorificandi; *Electionem* voluntatem quosdam ex miseris & damnatis salvandi ac glorificandi; si quæramus, Quod sit *Objectum*, verbi causa, *prædestinationis, electionis?* non possumus per verbum *Objectum* aliud intelligere, quàm id, quod necesse est priùs à nobis cogitari, quàm possimus de Deo dignè cogitare, eum facere, quod dicimus eum velle facere. Vel, quod eodem recidit, id, quod apud Deum oportet esse cognitum ceu futurum, ut dignè illum actum decernere quiverit. Igitur objectum *electionis* sive voluntatis separandi per salvationem à percuntibus, & *Prædestinationis* sive voluntatis salvandi, h. e. redimendi, sanctificandi, justificandi, glorificandi, est id, quod necesse est cogitari à nobis, ut extans, antequam de Deo dignè & aptè possimus cogitare, eum exsequi eum actum, quem dicimus eum decrevisse. aut, quod à Deo decernente salvationem hominis tanquam futurum cognitum esse necesse est.

7. *Objectum* igitur *Electionis & Prædestinationis* sic acceptum erit homo miser inter multos miseros, quemque absque gratia ad vitam pervenire impossibile est. Talis enim homo cognoscendus est, ut de eo salvatio & voluntas salvandi rectè aptèque dici possit; idque propter naturam relatorum. Quippe quum salvatio sit hominis miseri & citra gratiam salvantem perituri salvatio.

8. Ita, si quæratur de ordine decretorum, intelligetur ordo certorum actuum decretorum. In qua quæstione cavebimus dicere, Deum priùs decrevisse posteriorem actum, posteriùs verò decrevisse priorem actum. In æternitate enim non sunt momenta distincta, priora & posteriora. Hæc enim sunt temporis. Ex altera Ordo decretorum *quomodo rectè dici possit?*

parte autem dabimus operam, ut decreta Dei sive partes divini consilii inter se connectamus, ut nec prima sine mediis & ultimis, nec postrema sine illis à Deo decreta esse dicamus. Non cadit enim in Deum temeritas, pœnitentia & consilii mutatio.

Ordo actuum Dei secundùm decretum.

9. Diligenter præterea attendemus, quid propter quid factum esse vel fieri dicamus. Quæ quæstio jam non est de ordine decretorum, sed de ordine & κρίσει ipsorum actuum Dei inter se. Non enim semper antecedens actus est causa sequentis actus; neque semper sequens actus est effectus vel finis præcedentis. Ubi verò agitur de decreto & definitione actuum, qui finis & causæ rationem habent, rectè possumus dicere, humano more loquendo, unum decretum esse causam alterius decreti; quia apud Deum rectum est alterum sine altero non decernere. Ita Paulus argumentatur à προγνώσει *præagnitione* ad προορισμὸν *prædefinitionem* conformium imaginis Filii sui; & rursus à προορισμῷ *prædestinatione* ad voluntatem vocandi; à voluntate vocandi ad voluntatem justificandi; à voluntate justificandi ad voluntatem glorificandi.

LOCUS DECIMUS QUINTUS
DE
Executione Testamenti in prima parte temporis.

Caput. XL.
De Promissione.

De Testamento Dei, sive decreto hæreditatem dandi & Filio homines è mundo electos, & hominibus è mundo electis commune regnum cum Filio; de eo, inquam, Testamento nihil nobis constaret, nisi id verbo Dei & rebus ipsis declaratum esset.

Quantum de Testamento Dei cognoscatur ex tolerantia Dei?

2. Satis quidem patet ex tolerantia & beneficentia Dei, quam exercet erga peccatores, Deum velle, ut homo peccator se quærat & inveniat: sed, si nihil præterea videat vel audiat peccator, quid in eo aliud efficietur, quàm ut sibi blandiatur, & se ac consilium

suum

suum Deo non putet displicere; atque ita peccato graviori, superbia nimirum & sui fiducia, atque abnegatione divinæ sanctitatis peccatum suum cumulet? Qui effectus divinæ longanimitatis, imò potiùs animi stupidi, fuit in omnibus gentibus, quæ verbum Dei non audierunt.

3. Igitur effectus quidem Testamenti primus est ἀνοχὴ *tolerantia*. A cujus decentia Deus appellatur אֶרֶךְ אַפַּיִם *longanimis*, μακρόθυμος. Nempe, quòd homini non eripuit omnem vitam, & omne bonum. Ea quidem exercetur etiam erga eos, qui non salvantur, supra quos Dei ira manet. Attamen ea 1. propriè ex *gratia*, sive salvandi decreto procedit. quia necesse est eos, qui hæredes vitæ scripti sunt, non extingui & aboleri, vitaque & bono omni privari. 2. arguit gratiam, & eam quodammodo pandit, ostendit ac commendat. Nisi enim *gratia esset apud Deum*, non deceret Deum tolerantia peccatoris, atque etiam ea frustra exerceretur. Frustra exerceretur, quia nihilominus periret homo; & tantùm esset exprobratio impotentiæ. Non deceret Deum, quia esset dissimulatio iræ & testimonium gratiæ, quæ in Deo non esset, aut voluntatis, quæ Deo non convenit. Testaretur enim, Deum velle pœnas auferre ab amantibus se, quum nulla esset ratio justificandi homines; aut dignum esse Deo pœnas auferre ab iis, qui non justificantur; atque ita glorificationem Dei esse, credere, Deum peccata condonare & non fieri hominis justitiam, & vitam donare sine justitia, aut hominis peccatoris facta, quæ non sunt integra, habere pro merito. Nunc, quia *Gratia apud Deum est* (Psalm. 130:7.) & voluntas justificandi ex fide, Gal. 3:8. Es. 53:11. rectè à Deo & decenter exercetur tolerantia & clementia, primò erga hæredes vitæ (nam non fierent hæredes vitæ, si cum illis ageretur ex ira) deinde & erga præteritos, ut ostendantur inexcusabiles, quòd Deum, qui se amabilissimum peccatori demonstrat, non ament; & impotentia illorum demonstretur, ut homines discant sibi non confidere; & misericordia Dei erga hæredes vitæ eò magis eluceſcat. Rom. 9:22. *Tolerantia effectus Testamenti.*

4. Quum igitur peccasset homo, non statim Sol & Luna & sidera destiterunt officium facere, neque paradisus extirpatus est, neque terra hominem absorpsit, sed omnia manserunt eadem; licèt jam terræ vis maledictione Dei esset imminuta: neque etiam homo fulmine vel morbo interiit.

5. Tamen etiam in ea tolerantiæ in posterum continuandæ dedicatione *Tolerantia non sine judicio.*

dicatione se exseruit judicium. In corpore nuditas apparuit, h. e non, quòd vestes non haberet, sed quòd vestitu indigeret. Quemadmodum & עֶרְוָה *nuditas* appellantur in Scriptura, ea partes, quas pudor tegi postulat. Quæ partes in homine integro tegendæ & velandæ non erant, quia libido non erat, quæ per eas vel proderetur vel irritaretur.

6. Evigilavit etiam conscientia: Deo illam non sinente quiescere. qua homo, antequam à Deo conveniretur, seipsum damnavit indignum, qui coram Deo appareret. Nam ad vocem Dei ambulantis vel ambulantem in horto occultavit se. Gen. 3: 8.

7. Neque tamen ea sui condemnatio sincera fuit. In alios potiùs quisque culpam rejecit, quàm suum agnovit peccatum.

Effectus Testamenti indicatio ejus per verbum.

8. Deus autem non diu hominem in inquisitione tenuit suspensum; sed primò quidem sententiam condemnationis pronunciavit in Serpentem, deinde &, quid mulierem & Adamum maneret, explicavit. In primo verbo est promulgatio Testamenti: quia damnatio Serpentis non tantùm ipsum intuetur Serpentem, seu potiùs Seductorem, qui per Serpentem locutus erat, ut ei pœnam infligat; sed & regnum ejus atque κράτος sive imperium, quod per trangressionem hominis adeptus erat, ut id ei adimat. Altera pars judicii, quæ est maledictio Serpentis, nihil nisi iram indicat in seductorem, qui meritus est omnem miseriam scelere suo. Altera pars testatur קִנְאַת יְהוָה *zelum Domini* pro re sua, quo non patitur sibi adimi gloriam ex opere suo & nominatim ab homine, quem creaverat ad imaginem suam; (de quo zelo diximus c. 34. § 23. ex Es. 9: 6.) atque ita patefacit misericordiam & gratiam erga hominem; quæ φιλανθρωπία, *hominis dilectio*, nuncupatur Tit. 3: 4. & θεῷ σωτῆρι *Deo salvatori* attribuitur: quam dicit *apparuisse per Iesum Christum salvatorem nostrum.* vide v. 6. Ex quo obiter intelligitur, non esse aliam χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν *bonitatem & dilectionem hominum*, quàm eam, quæ *apparuit per Iesum Christum.* Nam gratia, quæ apparuit per Jesum Christum, est ἡ φιλανθρωπία sive dilectio illa hominum, qua Deus dilexit homines, non hujus vel illius temporis, sed qualescunque & cujuscunque temporis homines, quos dilexit. Rursus hinc patet, duo distingui ab Apostolo tempora. Unum, quo gratia hæc ἐπεφάνη, &, tanquam Sol aliquis, illuxit atque exorta est. Alterum, quod id tempus antecedit. Fuit φιλανθρωπία *dilectio hominum* ante fundationem terræ, &, ex quo pecca-

peccatum intravit in mundum, ociosa non fuit, sed efficientiam suam habuit: verùm ultimis diebus affulsit per Christum. Proinde damnatio Serpentis, quæ ei regnum & imperium mortis abrogat, est sententia judicis respicientis Christum Salvatorem & ejus justitiam, quæ est causa justificandi peccatoris. Sic dico, respicit ea sententia ad futuram post secula κατάκρισιν τ ἁμαρτίας ἐν τῇ σαρκὶ, *condemnationem peccati in carne.* Rom. 8:3. Quod & verba Dei, quæ exstant apud Mosen, clarè indicant. Verbum autem ad mulierem & Adamum pronunciatum monet eos, quid in hac vita exspectandum ipsis sit, quantas afflictiones sint in ea exantlaturi, &, quis finis earum afflictionum atque ita ἀγωνίας, timoris & desiderii eorum futurus sit; nempe mors. quæ animæ & corpori requiem det, illi in gaudio, huic ab inquietudine; donec & ipsum gaudii particeps fiat.

9. Sed melius est verba Dei considerare, quæ omnium promissionum fundamentum continent. *Et dixit Iehovah Deus ad Serpentem.* Nomen hîc duplex. *Iehovah* notat eum, *qui sit, quod est: Elohim,* qui poterat fieri homini, etiam peccatori, auctor fiduciæ in se collocandæ & omnis boni à se expectandi; sive, qui poterat fieri *ipsius Deus. Serpens* autem notat, non animal aliquod serpens ex omni genere, sed eum spiritum, qui per serpentem videbatur esse locutus & hominem seduxerat. Neque enim putandum est, Deum hîc alloqui serpentem bestiam; & ea verba ad alium, ut ἀλληγορούμενα, esse transferenda. Metonymicè spiritum, qui loquutus erat per serpentem, appellat serpentem, & metaphoricis verbis judicium in eum pronunciat, quod nempe ei spiritui convenit. *Quia feciſti hoc* (novi enim, te id feciſſe, & testis sum) *maledictus* esto *præ omni pecude & præ omni fera agri.* Subinnuitur, pecudes non ad beatitudinem percipiendam factas, & propter hominem quoque cum terra maledictas. Sed vanitas pecudum finitur, serpentis non finitur, verùm æterna est. Cætera pertinent ad imperium & regnum ejus, quod videbatur per seductionem hominis adeptus. *In ventre tuo ibis.* Non patiar te semper erigi, sed in ventrem te dejiciam & pedibus calcandum dabo. Rom. 16:20. *Et pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Confer Esa. 65:25. Carnem & carnales homines perdes, ut regnum Spiritus sit liberius & integrius in muliere & semine ejus. De quo regno spiritûs sic loquitur: *Et inimicitiam ponam inter te & mulierem,* h.e. faciam, ut mulier tibi non serviat, sed te & opera tua

Gen. 3: 14. 19.

oderit,

oderit, h. e. sanctificabo eam & dabo ei amorem mei, per quem belligeret adversus te & regnum tuum. *& inter semen tuum & semen ejus.* Sunt quidam tecum maledicti. Sed illa habebit semen, primò quod sanctificabitur, ut ipsa, & à servitute tua liberabitur. Ita ero Deus ipsius & seminis ejus. Nec tantùm dabo ipsi semen ἁγιαζόμενον, quod *sanctificabitur*, sed etiam semen ejus erit ὁ ἁγιάζων *sanctificans.* Quippe *illud*, semen ejus, *conteret tibi caput.* Erit in semine ejus aliquis, qui te privabit omni imperio & potestate; & in quo reliquum semen te vincet. Ita semen mulieris pugnabit cum jure tuo, & id tibi eripiet. *Tu autem ei conteres calcaneum*, hoc est, omne tuum jus & omnem vim consumes in attritione calcis ejus. Patietur aliquid propter peccatum, unde tu jus habes in hominem. Sed ea passione omne tuum jus abolebitur. Atque adeò semen mulieris reliquum in ipso tibi morietur & legi tuæ. *Et ad mulierem dixit: Multiplicando multiplicabo dolorem tuum & conceptionem tuam: in dolore paries filios; & ad virum tuum* erit *conversio tua*, vel, *viro tuo præsto eris, & is habebit potestatem in te. Et ad Adamum dixit: Quandoquidem auscultasti voci uxoris tuæ, & comedisti de arbore, de qua imperaveram tibi ne comederes, maledicta est terra propter te.* non dicit, maledictus tu; quod merebatur peccatum; sed, terra maledicta & vanitati subjecta esto, ut peccato serviat & peccatorem exerceat. *In dolore comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ. Sentes & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore faciei tuæ comedes panem: donec revertaris in terram. nam inde sumtus es. Nam pulvis* jam *es*, & servus membrorum, ex quo dominium meum rejecisti & rectitudine ac sanctificatione te privasti; *& in pulverem redibis.* Attamen hoc ipsum non officiet vitæ tuæ. Nam Serpentis potestas interimetur à me & abolebitur.

Promissio. 10. Est in his verbis ἐπαγγελία *Promissio*: & quidem absoluta, à nulla conditione suspensa, sed Propositum (πρόθεσιν solet Apostolus appellare) notificans. Quicquid enim hîc dicitur futurum, id intelligitur Deus esse facturus. Nam, quum dicit, *Ego ponam inimicitiam*, significatur, Deum esse effecturum, ut mulier & semen ejus oderit Serpentem.

11. Si quis autem hîc dicat, Deum quidem aliquid annunciare his verbis, quod ipse facturus sit; cæterum aliquid etiam, quod factura sit mulier: quod nempe Deus præviderit mulierem ex se liberè esse facturam excitatam & invitatam & quomodolibet adjutam

tam à Deo. Quod si quis dicat, eum oportet ex duobus alterum supponere. 1. hominem non indigere adjutorio Dei ad amandum ipsum & ad omnem cupiditatem carnis & opus Diaboli odio habendum ac tentationem ejus superandam: sed esse in exercitio virtutis independentem à Deo. 2. si homo non sit independens à Deo in exercitio boni, tamen reatum ejus, qui per peccatum contractus est, non obstare, quo minùs sanctificetur à Deo. Atqui, reatum sanctificationi obstare, evidens est. quia Deus sanctus est, & transgressor in legem peccati incidit. ut in superioribus demonstratum est. Idque satis clarè indicat præsens Scriptura, dum dicit, *Caput Serpentis esse à semine conterendum.* quo sine dubio notatur aliqua potestas, quam Diabolus in hominem acquisivit. quodque *Serpentem* dicit *contriturum calcem Seminis ei conteretis caput.* Is, qui conterit caput Serpentis propriè & eum vincit, necesse est, ut sit justus. Nam injustus & compedibus reatûs ac lege peccati constrictus non potest hoc jus adversario eripere. Ergo Diabolus nihil habet in Semen, à quo vincitur. Tamen Diabolus ei calcem conterit. h.e. A Diaboli jure, quod habet in peccatorem, atque ita in Sponsorem, oritur passio Salvatoris. Si igitur reatus est & Diabolus habet κρίτον θανάτε & à lege peccati urgetur peccator, clarum est, Deum *promittere* simpliciter abolitionem juris Diaboli in peccatorem & legis peccati. Si porrò homo in actione bona non est independens à Deo, & peccator nec sapientiam eam habet, ut inter bonum ac malũ possit accuratè distinguere; neque prudentiam, ut possit ad omnes occasiones & circumstantias attendere, &, quod melius est, eligere; neque eam fortitudinem, ut ea, quæ sensibus aut cara aut amara sunt, possit viriliter & constanter ita æstimare, ut per ea animus non quatiatur; neque eam pietatem, ut laudet Deum judicem & judicium glorificet: clarum est, Deum promittere donationem Spiritus sui ad amandum ipsum & opera Diaboli abominandum.

12. Et sanè tale hoc verbum accipi debet, quale necesse erat audiri, ut homo, qui peccato Deum offenderat, ad amorem Dei invitaretur & excitaretur. Neque enim aliud verbum est auditum, quo homo ad Deum amandum reduceretur, quod Deus videatur innuere; q. d. Ego faciam, ut mulier audiat aliquod verbum, quo commoveatur ad odium tui & operum tuorum. Neque aliud quicquam Deus erat facturus, quod mulier videret, ut ad Dei amorem converteretur. Et conscientia dictabat homini, Deum esse amandum & Diabolum fugiendum.

13. Reſtat, ut Deus hîc ſignificet, ſe velle diligi à muliere, & nec fruſtra atque ſine ſpe velle diligi; ſeque eo fine omne jus Diaboli aboliturum, ut communionem cum peccatrice decenter habere poſſit: & infirmam atque impotentem adjutorio ſuo ſublevaturum, imò eam, ut & ſemen ejus, in peccatis mortuos vivificaturum. Quæ ſunt duo argumenta ad efficiendum amorem & timorem Dei efficaciſſima. quibus nempe cognoſcitur Deus amabilis peccatori.

14. Profectò, ſi neque ſacrificio opus eſt, per quod Deus homini reconcilietur, neque Dei efficaci auxilio, quo convertatur & ſanetur, non erat, quare diceret, *Ego ponam inimicitiam.* Nam, quid tum ſupereſt, quod Deus fecerit, ut mulier diligeret Deum, & Diabolum oderit? Dixiſſet, *Mulier te odio habebit:* ſi non eſt promiſſio, ſed prædictio. At, ſi homo peccator & reus non poteſt Deum amare, niſi ſciat, ſanctitatem Dei non obſtare communioni cum Deo, &, propter juſtitiam ſibi paratam, ſuum meritum ad vitam opere emendam non requiri; & eos, qui hanc gratiam Dei diligunt, id habere ipſius donc atque efficacia, ideoque poſſe habere certitudinem, quòd Dei hæreditas & peculium precio emtum ſint, ac ſpem vitæ futuræ; ſi, inquam, hæc ſunt ad amandum Deum neceſſaria, & ea his verbis, ut & toti Scripturæ tenori, apta ſunt: quis dubitabit, hoc ipſum, & nihil aliud dici?

Promiſſio abſoluta non eſt pietati contraria, ſed neceſſaria.

15. Quam doctrinam qui pietati eſſe contrariam clamant, mihi videntur profiteri, gratiarum actionem non eſſe cultum Dei, ſpem & gloriationem in Deo eſſe Deo odioſam, ſtudium habendi in ſe pignoris Dei vanum eſſe, poſſeque fieri, ut homo Deum in vanum glorificet, & ceu vitæ datorem amet, eique gratias agere conetur: diſplicere Deo abnegationem ſapientiæ propriæ ac virium ſuarum; contra placere fiduciam ſui & gloriationem in ſe, ſaltem ex parte; & debitionem operis ex ſe præſtandi eſſe idoneum argumentum, quo peccator commoveatur ad amandum Deum & deliciandum in ipſo.

Adhuc probatur verba Dei eſſe meram promiſſionem.

16. Porrò quid magni præſumemus de homine, quum Deus de ejus opere nihil magni, in quo ipſe gloriationem ſuam poſſit fundare, dicat? Nam, ſi putemus, de ſemine mulieris, hoc eſt, de homine, qui nihil eſt niſi filius Adami, dici, quòd virtute ſua ſit victurus Satanam, quia ſemen mulieris dicitur contriturus caput Serpentis; unde eam virtutem habebit, niſi ex ſanctificatione Dei; qui dicit,

dicit, Ego ponam inimicitiam? Et, si ea est mens verborum, quare idem non dicitur de muliere, quod dicitur de Semine? Denique quid nos potest movere ad talem expositionem, qua id, quod ubique Scriptura inculcat, abjicitur & verborum emphasis enervatur, quàm odium Christi & justitiæ, quæ est in ipso; ut cum summa ingratitudine nobis sumamus gloriationem & fiduciam, & Dei justitiam cum injuria abnegemus?

17. Concludamus igitur, ea verba puram putam continere promissionem, qua Deus propositum suum declaret, & q. *ultimam* h.e. omni modo *ἀμεταμέλητον voluntatem.*

18. Quæ quidem promissio bipertita est. 1. de sanctificatione mulieris ac seminis ipsius. Quæ sanctificatio ducit, tanquam rem conjunctam, communionem cum Deo, & quidem in vita beata & glorioſa. Unde solet Scriptura appellare eos, qui sanctificantur ad amorem Dei, *Dei* filios & *hæredes.* Ita ut hac parte Promissio sit notificatio *ultimæ voluntatis de hæredibus* vitæ ac gloriæ. 2. de abolitione juris, potestatis, imperii & violentiæ Diaboli per Semen & ejus passiones: ut nempe ita justa sit & Deum decens peccatoris sanctificatio. Unde consequitur jus Seminis illius, obedientia & passione quæsitum, ad postulandum eos, quos Deus decrevit sanctificare, tanquam peculium & *hæreditatem* suam. Ita ut rursus etiam hac parte Promissio sit notificatio *ultimæ voluntatis de hæreditate* Filii Dei & hominis. Ut non oporteat dubitare, quin ea voluntas exactissimam habeat analogiam cum *Testamento* humano, & verissimè *Testamentum Dei* appelletur. Quemadmodum Apostolus Gal. 3. v. 15. 16. 17. voluntatem Dei promissione indicatam Abrahamo non dubitat *Testamentum* appellare, ut & ipsam *promissionem*, per metonymiam scilicet: quo pacto solemus etiam verba declarantia ultimam voluntatem aut instrumentum, quo ea explicatur, *Testamentum* nominare. Et vocabulum latinum potiùs verba significat ejus, qui hæredem decernit; sed Græcum διαθήκη primò mentis & voluntatis actionem notat. *Promissionis partes.*

19. Porrò, quod priorem partem promissionis attinet, nempe sanctificationem mulieris & seminis ejus, ejus exsecutio habet locum inde ab illo tempore, quo id pronunciatum est. Igitur oportuit & mulierem sanctificari, & eam habere semen ejusdem sanctificationis particeps, quamdiu γυνὴ γυναικὸς *nati mulieris* in mundo sunt. Sunt autem, quamdiu homines sunt, & hic mundus stat. Hoc

verbo & mulier & semen ejus ad hæreditatem adipiscendum *vocatur*. Efficax enim est hoc verbum, nec minùs, quàm illud verbum, cujus potentia filii Adami proveniunt generationibus & temporibus seculorum distincti. De quibus dicitur Es. 41:4. *Qui vocat generationes à capite.* Omnes enim generationes oriuntur vi illius verbi, quod primis hominibus dictum est, *Fructificate & multiplicamini.* Gen. 1:28. Quemadmodum enim Deus *vocat* illa, quæ non sunt; ita *vocat* etiam semen mulieris. Rom. 4:17. Et hinc est, quòd illi, qui salvantur, sive, quibus per *promissionem hæreditas æterna* addicitur, dicuntur κεκλημένοι, *vocati*, puta Testamento. Hebr. 9:15. ut etiam in foro, qui in Testamento hominis hæres nominatus est, *Testamento ad hæreditatem vocari* dicitur. Quod quum ita sit, atque hæc *Vocatio* æterni propositi Ecclesiam in ordine seculorum perpetuam sistat, contra quam portæ inferorum non prævalent, quia Serpens damnatus est, ut in ventre ambulet, sive princeps hujus mundi judicatus est: tamen non ea sola præbet causam & rationem nominis ἐκκλησίας sive κλητῶν *vocatorum*. Oportet enim accedere & alteram, quæ est Verbi, quo Deus amabilitatem suam peccatori notificat, & eum ad se amandum invitat. Quale verbum hîc mulier & Adamus audiverunt. Quod tamen verbum multi audiunt, qui per id ad amandum Deum non convertuntur: qui sub ira manent. Ratione cujus vocationis multi dicuntur *vocati*, pauci *electi*. quia non omnes vocantur Testamento, qui vocantur Verbo. Accedat igitur etiam tertia vocatio oportet, quam Deus hîc innuit, dicens; *Ponam inimicitiam*: nempe quæ fit per Spiritus internam illuminationem & voluntatis sanationem, qua facit Deus, ut ipsum ament hæredes & Serpentem oderint. Eadem promissio continet etiam conservationem sanctificatorum & donum perseverantiæ, ut ad hæreditatem perveniant. Distinguit autem promissio semen mulieris à semine Serpentis, hoc est, filiis Diaboli, qui in servitute ejus perseverant & cum illo maledicti sunt, & non minùs ab amore, quàm communione seminis sanctificandi, separati.

2o. Altera pars Promissionis loquitur de futuro tempore: cujus modus & prolixitas non indicatur. nempe, Semen mulieris aliquando caput Serpentis contriturum. Quod duo significat. 1. jus, quod habebat Satanas in hominem seductum & devictum, à Semine esse abolendum. Id *Semini* attribuitur ratione capitis, quod & ipsum de semine futurum erat. quemadmodum populus dicitur facere,

cere, quod aliqui ex populo faciunt; maximè, si in eo vicem totius populi & personam sustineant, & fructus facti ad totum populum redeat. Ita sæpe de *Semine* distincta prædicantur; alia, quæ sunt τῶν ἁγιαζομένων καὶ σωζομένων; alia, quæ sunt τοῦ ἁγιάζοντος καὶ σώζοντος. Ad jus verò & potestatem Satanæ abolendam pertinet passio Servatoris, qui est semen. Quod exinde, ut & antea diximus, patet, quia à Satana passio ipsi irroganda significatur. Si jam, antequam pateretur, potestas Satanæ abolita esset; non fuisset utique passus; quia frustra fuisset passus. Si dicas, pati tamen debuisse ad exemplum obedientiæ præbendum & spem præmii faciendam; tum id ad primam partem promissionis pertineret, imò in ea includeretur. Neque satis pateret, quomodo serpens eam passionem ei intulerit, ut potestatem habens, & cujus caput frangendum, ac potestas interimenda esset. Sed, quum potestas Satanæ in hominem seductum satis per se evidens sit, &, eam usque ad semen illud, quod eam abolere posset, manere, significetur, atque etiam aliis Scripturis adstruatur: passionem Salvatoris à potestate Diaboli provenire, perspicuum est, &, eam per eandem passionem tolli atque exstingui. 2. Significant illa verba, aliquando omnia effecta atque consequentia peccati, cujus auctor extiterat Satanas, cessatura: ac proinde semen mulieris ab omni miseria & malo liberatum iri. Est autem, sine dubio, inter consequentia peccati, mors. Eam igitur ipsam aliquando esse interficiendam & abolendam. Quod fit per Mortuorum resuscitationem. Quæ etiam efficacia esse seminis & passionis ejus intelligitur.

21. Quare, quum tanti effectus clarissimè semini attribuantur, & constet, eum, qui mortuos resuscitat, etiam sanctificare peccatorem & ex morte in peccatis vivificare (nam & hæc mors ad imperium ac potestatem Satanæ, quam abolere est hominis, pertinet) non dubitandum est, eum, qui futurus erat semen, potuisse dicere, Ponam inimicitiam inter te & mulierem: & id dixisse, videri debere, &, quum ei hæc verba attribuuntur, perinde ea valere, atque si dixisset, Ego, semen & filius hominis factus, caput tibi conteram.

22. Sed, quum, ut dixi, altera pars promissionis tempora distinguat, & hinc pateat, quòd jus Satanæ non statim sit abolendum, planum etiam est, sanctificatis potuisse aliquid interim imponi, quo jus Satanæ adhuc manens argueretur; &, si id sanctificatis impo-

impositum esset, id, fracto ipsius capite & extincto jure, non posse non una sublatum & abolitum videri. utrum verò tale quicquam homini sanctificato imponeret nec ne, posuit Deus in sua potestate. Sed, postquam id impositum est, patuit, hæc verba etiam abolitionem ejus oneris, quod sanctificatos argueret de potestate Satanæ necdum abolita, portendere. Certè hoc liquet, quum caput serpentis contritum esset, & ejus in peccatorem esset ademtum, tum sanctificatos lætitia plenos fore, & omni parrhesia ac libertate usuros, & regnum ejus imminutum iri.

23. Atque hæc est prima Promissio in Paradiso publicata. Quæ est fundamentum & matrix omnis verbi gratiæ, quod imposterum auditum est. Sed, donec audiretur verbum ostendens semen illud, quod serpenti potestatem adimit (quod verbum propriè בְּשׂוֹרָה εὐαγγέλιον appellatur) verbum gratiæ vocatur ἐπαγγελία *Promissio* & προευαγγελισμὸς q.d. Euangelii anticipatio. Gal. 3:8.

24. Neque satis habuit Deus semel loqui cum hominibus. Noacho deinde aperuit abolitionem mundi prioris & conservationem domus ipsius per aquam; &, quum id factum esset, conservationem mundi in tolerantia, donec tempus terræ consummaretur, h. e. donec præteriret id tempus, quo terra maledictionem ac servitutem vanitatis erat latura. Gen. 9:1.

25. Abrahamo deinde, Isaaco & Jacobo indicavit Deus, se Deum seminis ipsorum fore, & eos semen habituros, in quo gentes & benedicerentur & sibi benedicerent. Genes. 12: 3. 18: 18. 22: 18. 26: 4.

26. Deinde per Jacobum Judæ hæc promissio est applicata. Genes. 49: 10. Per Nathanem autem Davidi 2 Sam. 7: 11. 12. 13. 14. 15. 16. De qua promissione David sæpe loquitur in Psalmis, atque etiam in ultimis suis verbis. De ea verò & Moses & cæteri Prophetæ locuti sunt. Quarum instar est Jerem. 31:31. 32. 33. 34. Hujus loci foret, pluribus ostendere, quàm constanter, & ubertim & frequenter ea Promissio, quæ patribus facta est, fuerit repetita, inculcata, explicata. Neque est quicquam, in quo Christianus utilius possit occupari. Nam in ea est medulla omnis prophetiæ, & vigor, &, ut Apocalypsis loquitur, cap. 19: 10. *Testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ.* Sed vel solos textus recensere esset operæ non parvæ. Quare sufficiet, quòd digitum intenderimus ad fontem, & studiosos admonuerimus, ut omnem promissionem cum

Pro-

Promissione prima comparent, & cum partibus ejus. Quod si facient, paralleliam & conformitatem perfectam inter eas reperient.

CAP. XLI.

De fœdere gratiæ.

Quum proposita est à Deo Promissio sive Testamentum publicatum est, *Fœdus gratiæ* homini peccatori propositum est. Quod creberrimè in sacris literis memoratur, & בְּרִית *berîth fœdus* suo nomine appellatur. Quantumvis enim ea vox alicubi, ut supra docuimus, *Testamenti* notionem sustineat, tamen propterea non perdit propriam notionem: quæ est pacti de pace & amicitia; in quo est mutua personarum αἵρεσις & electio, & approbatio conditionum; quales Modestinus ff. de Excus. l. 2. & l. 6. § 2. αἱρέσεις appellat. ut vocem hanc ad בָּחַר αἱρεῖσθαι referamus. Quin etiam, ubi de Testamento gratiæ nomen hoc usurpatur (ut Jerem. 31:31. & Esa. 55:3.) simul addictionem certorum bonorum expectandorum, ex proposito provenientem notat, simul innuit stipulationem, & debitum ὁμολογίας & consequens jus ad bona illa repetendum. Quo jure adepto, *fœdus* consummatur.

2. In his enim quatuor consistit *fœdus*, quod Deus facit cum peccatore. 1. in stipulatione sive νομοθεσία, Hebr. 8: 9. sive εὐαγγελία, 1 Tim. 1:5. Actor. 17:30. מִצְוָה Deut. 30:11. collato Rom. 10:6. ἐντολή, Johan. 13:34. 15:12. 14. 1 Johan. 2:3. 3:23. 2. In promissione conditionata; qua suadetur ὑπακοὴ *obedientia*; Rom. 1:5. sive ὑποταγὴ *subjectio* 2 Corinth. 9:13. quæ & ὁμολογία *assensio* & *adstipulatio* (2 Corinth. 9:13. Hebr. 3:1. 4:14. 10:23.) dicitur, vel hoc sensu, quòd est acquiescentia in lege lata, tanquam justa, sancta & bona, sive ad bonum consequendum accommodata. Quæ adstipulatio & obedientia exsistens in peccatore tertium est, quod ad fœderis conciliationem requiritur. Ea autem adducit quartum, nempe jus peccatoris ad bonum promissum vendicandum, petendum, exspectandum. Unde *justus* est & nominatur. *Fœdus quatuor partibus absolvitur.*

3. Fœdus autem, quod Deus cum peccatore facit, est fœdus gratiæ. Unde consequitur, ut omnes ejus partes gratiæ meræ sint, & nihil, quod est meriti operum, ei admisceatur. *Fœdus gratiæ.*

4. Cum primis igitur *lex* hujus fœderis non est lex operum, sed

lex

lex fidei. Eam enim ſtipulatur Deus, ut ex gratia fœdus nobis faciat, noſque in amicitiam & ad communionem aſſumat. Ita S. Paulus *legem operum* & *legem fidei* opponit Rom. 3: 27. Et hæc eſt, quæ in ſanctis literis paſſim תּוֹרַת יְהוָה *lex Iehovæ* vocatur. ut Pſalm. 1: 2. *Beatus, . . . cujus voluptas eſt in lege Iehovæ*. Quid enim poteſt peccatorem beatum facere, quàm voluptatem habere in verbo Dei, quo peccatori monſtrat viam? Pſalm. 25: 8. Hoc enim תּוֹרָה, quod vertitur *lex*, propriè ſignificat. Ita Jerem. 31: 33. *Legem meam ponam in medio eorum*.

5. Eſtque tam manifeſtum, non poſſe aliam fingi ſtipulationem fœderis gratiæ niſi ſtipulationem fidei; quàm manifeſtum eſt, non eſſe ex gratia, quod eſt ex opere. Rom. 4: 4. 11: 6. & gratiam, quæ excludit opera, nihil relinquere, niſi fidem.

Opera non exiguntur in fœdere gratiæ, ut conditio aut cauſa ſine qua non juſtitiæ.

6. Ubi obviam eſt eundum errori quorundam, qui, quum non audeant aſſerere, Deum in fœdere gratiæ exigere omnia opera, quæ homo integer Deo debebat, tamen aſſerunt, Deum exigere facta, tanquam *cauſam ſine qua non* (ſic enim loquuntur) juſtitiæ. Qui non intelligunt, legem operum eſſe immutabilem, &, ut augeri, ita diminui non poſſe, neque aliam fieri. ut, ſi ex operibus quis juſtus futurus ſit, neceſſe ſit, eum omnia, quæ imaginis Dei integræ in homine ſunt, feciſſe & in nullo deliquiſſe. atque ideò non poſſe à Deo laudari & recipi imperfectam obedientiam peccatoris ut cauſam juris petendi præmium vitæ ac gloriæ æternæ. Unde Apoſtolus diſertis & perſpicuis verbis dicit Rom. 3: 19. *ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo: quia ex operibus legis non juſtificabitur ulla caro coram ipſo. Nam per legem eſt agnitio peccati*. Qui cogitur agnoſcere peccatum, tum antea admiſſum, ejuſque reatum, tum etiam defectum ſuum; qui eſt judicio Dei obnoxius; non poteſt ex operibus juſtificari. quia non ex lege, qua peccati convincitur. Et Paulus non niſi unam legem operum agnoſcit. &, ubi eſt gratia, ibi negat legi operum eſſe locum. Rom. 3. verſ. 21. *Sine lege*.

7. Ipſa ratio, rem ita ſe habere, dictat. Ubi enim eſt promulgatio propoſiti, quo Deus conſtituerit Satanæ poteſtatem in hominem adimere, idq; per obedientiam meritum habentem, & ejus fructum fore hominis ſanctificationem, ibi ut nihil prius poteſt exigi ad jus vindicandi tantum bonum, quàm fides hujus dicti; ita nihil poteſt exigi ut cauſa juſtitiæ, & fidelis à juſtitia non poteſt removeri.

8. Quia

8. Quia enim Deus declarat, Se procurante meritum vitæ exſtiturum, non poteſt ulla obedientia vel ullum opus, quaſi meritum ſive cauſa juris petendi mercedem, imperari. Fidelis autem non poteſt injuſtus haberi, quia credendo, quòd Deus ſit juſtitia ſua, obſignat, quòd Deus ſit verus & juſtus. Prius autem nihil ſua fide exigi poteſt, quia teſtimonium veracis teſtis obligat ad fidem, quatenus eſt talis teſtis teſtimonium. Nulla eſt receptio teſtimonii, niſi fides.

9. Atque inde eſt, quòd Deus toto antediluviano tempore non invenitur locutus de fide; quia, ut homo obligaretur ad credendum, ſufficiebat, Deum judicem ac teſtem ſui propoſiti factum eſſe. Quod enim Deus dicit, id verum eſſe, dubitare non licet: quia Deus mentiri ac fallere non poteſt. De cujus autem veritate dubitare non licet, id ſine dubio credendum eſt. Nam, qui id non credit, mendacem facit Deum. 1 Joh. 5: 10. Quare nulla certior proximiorque eſt conſecutio illâ: Deus dixit; Credere oportet. *Lex fidei aliquando non expreſſis verbis propoſita.*

10. Ceterum eſt quædam fides, qua credimus, verum eſſe, *Qui iſta fecerit, vivit in eis.* Poſſumus enim etiam hoc dici credere, quatenus ratio id approbandi eſt Dei dictum. Nam, ſi conſcientiam tuam interroges, invenies, id ita verum eſſe, ut falſum eſſe non poſſit, atque ita magis ſcies, quàm credes. Ubi autem Deus non dicit, ſe certa opera operantibus præmium daturum, ſed ſe effecturum, ut homo ſanctus & ſalvus ſit, qui id credit, eum oportet & ad audita attendiſſe, & deprehendiſſe, quòd Deus hoc poſſit facere, quodque id facere Deo glorioſum ſit, quodque propterea ſit dignus amari, ſive ſanè, quod dignum ſit bonum illud, ut ejus poſſeſſio aut poſſeſſionis argumenta, quæ nos de eo certos faciant, quærantur. Quæ fides, ſine dubio, jam eſt donum Dei promittentis, & ſigillum ejus hæredi ac peculio impreſſum, & boni promiſſi credentes participes facit. *Fides diſtinguenda ab aſſenſu in veritatem & juſtitiam legis operum.*

11. Ineſt ſanè quidem in hoc fœdere oblato etiam ſtipulatio cùm μετανοίας ſive reſipiſcentiæ in genere, tum ſtudii bonæ conſcientiæ in omnibus, ſive ſtudii ſanctitatis. Nam quomodo quis credet illi verbo, quo Deus de φιλανθρωπίᾳ ſua teſtatur, ut non reſipiſcat? Qui enim credit Deo, Deum veracem judicat; qui promittenti, & quidem ſanctificationem & juſtificationem, amat gloriam ipſius, cupit eſſe particeps ipſius, & nominatim deſiderat ab ipſo ſanctificari. Porrò is credit, Deum id facere poſſe (atqué ita gloriam ei dat potentiæ non minorem, quam qua credit, cœlum *Stipulatio μετανοίας cum lege fidei.*

& terram divino verbo esse adducta) & ad laudem gloriæ gratiæ facere velle. ideoque se ipsi permittit, &, ut omnia bona ab eo expectet, studet habere bonam conscientiam, ne cor suum se damnet, quòd tantam salutem neglexerit. Ex quibus rebus patet, in stipulatione fidei inesse stipulationem resipiscentiæ, sive conversionis ad Deum, & studii servandæ bonæ conscientiæ.

Nulla in fœdere gratiæ stipulatio Conditionis justitiæ.

12. Diligenter tamen advertendum est, nullam esse stipulationem ullius rei, tanquam Causæ justitiæ ac vitæ, sive, ut solemus loqui, tanquam Conditionis, à qua pendeat jus sperandi & petendi bonum promissum: quia in ipsa declaratione propositi sive Testamenti Dei continetur, Deum eas partes, procurandi nobis & donandi justitiam ac vitam, in se recepisse.

Quomodo in fœdere exigatur fides & charitas?

13. Ergo fidem quidem Deus stipulatur, & charitatem, qua odimus opera Serpentis (in quibus duabus partibus consistit μετάνοια & conversio ad Deum) sed neutrum ut causam justitiæ sive vendicandi, sperandi, petendi vitam ut mercedem propriè dictam: verùm *fidem* quidem, ut ὁμολογίαν sive adstipulationem ad fœdus oblatum, ut per eam fœdus non sit irritum, sed ad nos pertineat & in nobis sit ratum, βέβαιον validum: *charitatem* autem aliam, sinceram, licèt non perfectam, & ejus opera, ut *conditionem certitudinis*, quòd in fœdere Dei stemus, & is sit Deus noster. neutrum verò, ut eam præstemus tanquam ex nobis, sed ut, eam habentes, divino assignemus dono. quia fidei est credere, quòd Deus ponat inimicitiam inter hominem & Serpentem, &, nisi Deus inimicitiam ponat, homo sit captivus & servus Serpentis.

In fœdere gratiæ non exigitur Opus operatum, *ut justificans.*

14. Observandum autem præterea est, Deum, quum patefecit homini Consilium gratiæ de Muliere & Semine ejus, non tantùm nihil dixisse de operibus, ut conditione justitiæ, sed nec de opere operato, quod delirus mundus excogitavit, quod hominem justum faceret. Non circumcisio, non sacrificia, non lotiones, non cibus aut potus, nihil denique istiusmodi homini imperatum est. Unde clarè conspicitur, ea ad remissionem peccatorum & justitiam nullum habere valorem.

Locus Ier. 7. 21. 22.

15. Jeremias cap. 7: 21. 22. de hac stipulatione fœderali ita loquitur. *Nam non locutus sum cum patribus vestris & non præcepi eis, quo die eduxi eos ex Ægypto, de holocausto & sacrificio: sed hoc præcepi ipsis, dicendo: Auscultate voci meæ, & fiam vobis Deus, & vos mihi fietis populus; & ambulabitis in omni via, quam præcipiam vobis, ut bene sit vobis.* Id per oppo-

oppositum declarat v. 23. *Et non audiverunt nec advexerunt aurem suam, & ambularunt in consiliis*, ac deliberationibus, *in firmitudine cordis sui mali, & retrò relapsi sunt, non antrorsum processerunt.* In his repetitur & inculcatur verbum, quo indicatur divinum propositum. Dum enim dicit, *Et ero vobis in Deum*, significat, sibi propositum esse, assumere ex mundo populum, cui fiat in Deum. Id verò ostendit se obtulisse patribus, ut id sibi vendicarent & ut suum apprehenderent. Nihil autem aliud se postulasse ab eis, affirmat, nisi ut hoc verbum audirent & cum lubentia atque ita cum fide auscultarent & non agerent secundùm consilium proprium & deliberationes cordis sui (quod arguit, ut *malum*) sed ut in iis ambulent, quæ ipse docturus & præcepturus sit. Nam se paratum esse ipsos docere & ducere.

16. Similis est explicatio fœderis Es. 55: 2. *Auscultando auscultate ad me & comedite bonum & delicietur in opimitate anima vestra. attendite aurem vestram & venite ad me; audite, & vivat anima vestra; & pangam vobis fœdus æternum: gratias Davidis permanentes. Ecce, testem nationum dedi eum, principem & præceptorem nationum. Ecce gentem, quam non noveras, vocabis, & gens eorum*, qui *non noverant te, ad te current, propter Iehovam & ad sanctum Israëlis, quia condecoravit te.* Dum eos primò ad audiendum vocat, ostendit, se habere verbum amabile peccatori & salutare. Id verbum in summa explicat. nempe, Se Davidi studia perpetua addixisse. Se Davidem, hoc est, filium Davidis dedisse principem, dominum & magistrum Israëli & gentibus. Dominum esse sanctum Israëlis. Et, Sanctum Israëlis esse Jehovam, ac proinde filium Davidis esse Jehovam. is enim sanctus Israëlis est, is sanctificat Israëlem & sanctificatur ab Israële. Hoc igitur dum jubet audire, & quidem attentè & arrectis auribus, præcipit fidem. Fidei enim est libenter audire. Quæ enim non credimus, quæ decipiunt, fallunt, frustrantur, aut per quæ nobis imponi putamus, ea repudiamus. Idem significat per *Venite ad me*, nempe quo fine? ut edatis bonum, ut anima vestra vivat, ut pangam vobis fœdus æternum. Ergo *venire ad Deum* nihil aliud est, quàm tendere aut se q. extendere ad illa bona, & ea sitire ac esurire. Non enim pedibus accedimus ad Deum, sed corde. Non invitat nos ut accedamus cum munere nostro, sed cum desiderio accipiendi. Nemo autem ad quemquam accedit cum desiderio accipiendi, ab eo invitatus, nisi id bonum diligat, & credat, eum, ad quem accedit, id bo- *Locus Es. 55. v. 2. &c.*

num habere & posse ac velle dare, & ei confidat, quòd id acceptu-rus, nec in vanum ad eum accessurus sit. Hac phrasi utitur & Christus Joh. 6: 35. *Qui accedit ad me, non esuriet: &, qui credit in me,* sive mihi confidit, *non sitiet unquam.* Quod autem promittit, eam ipsam stipulationem indicat. *Et faciam vobiscum fœdus æternum,* hoc est, addicam vobis pacem, amicitiam, studia mea, communionem meam. Ideò addit, *gratias* sive studia *Davidis perpetua.* Pro quo Jeremias dicit: *Ero vobis Deus & vos mihi eritis populus.* Faciam vobiscum, quod me decet agere cum populo meo, ut Deum ejus, qui ab eo amari & glorificari velit. Ei succenturiatur προεγγύησις sive insinuatio, quæ sequitur v. 6. 7. *Quærite Iehovam,* vel curate eum, *dum præsto est, vocate eum, dum propinquus est. Relinquat improbus* injustus, damnationis reus, *viam suam, & vir vanus cogitationes suas, & convertatur ad Iehovam, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, & multum condonabit.* Ex quo intelligitur, in sola resipiscentia esse salutem: eam autem positam esse in relictione consiliorum & viarum propriarum & in fide verbi Dei, quo is consilium suum patefecit, & in fiducia, & in amore ejus, qui se præbet hominis peccatoris fiduciam.

Ex fide sequitur spes.

17. Ex quibus omnibus patet, per fœdus gratiæ propositum ostendi viam ad fugiendam iram; &, qui ei adstipulatus fuerit, eum jus adeptum esse nominandi Jehovam Deum suum & in eo ac spe gloriæ Dei gloriandi, liberatumque esse à metu æternæ damnationis.

18. Nam, qui jubetur credere, divina voluntate & gratia Serpentis caput conteri, is non potest relinqui in metu æternæ mortis. Nam, si mors æterna metuenda esset, potestas Serpentis non esset confracta.

19. Rursus patet, eos, qui iram effugerint, etiam benedictionem impetravisse ac consecutos esse, hoc est, addictionem vitæ æternæ. Nam, qui jubentur credere, sanctificationem esse opus Dei, & per fidem purificatum cor habet, idque ad invidiam Satanæ, non possunt dubitare, omnia sibi non tantùm ad pietatem, sed etiam ad vitam in Deo esse parata, & addicta, ideoque se benedictionem adeptos esse. Atque ideò Abraham & ejus semen etiam constituitur exemplum benedictionis; &, qui credunt, dicuntur *sibi benedicere,* hoc est, benedictionem sibi vendicare, & in Deo ipsos benedicente gloriari. Nam, ut *gloriari in Deo* est hoc magnum & inæstimabile bonum de se dicere, quod est Deum suum esse, ita in

Sibi benedicere est credere.

eo

eo *sibi benedicere* est benedictionem divinam cum fiducia & lætitia sibi donatam credere & coram Deo & hominibus in bona conscientia affirmare. Id verò excludit gloriationem in se ipso & in ulla re hujus mundi atque ullo nomine, & benedictionem sui ambulantis in consiliis suis. Deut. 29: 19.

CAPUT XLII.

De Vocatione hominis ad salutem.

In superioribus jam non semel *vocationis* divinæ meminimus; quo vocabulo in Scripturis nostræ salutis efficientia nominatur. Operæ pretium est de ea seorsim & distinctè dicere, non ut nunc demum rem ipsam doceamus (ea enim in superioribus explicata est) sed, ut hoc nomen iis rebus, quas hactenus cognovimus, aptum esse, ostendamus, & hoc vocabulum Scripturæ emphaticum illustremus, &, quæ jam tractata sunt, in summam contrahamus.

2. Est hîc *primo* loco agnoscenda *vocatio* quædam similis ejus, qua Deus *vocavit* ea, quæ non erant, tanquam si essent; Rom. 4: 17. & ejus, qua *vocavit generationes ab initio*. Es. 41: 4. *Vocatio, salutis causa, est 1. decreti.*

3. Ad quam *vocationem* pertinet, quod dicit Apostolus Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit*. Perinde enim est, ac si dixisset, Quos inter miseros peccatores aspexit, eosdem etiam designavit ante jacta mundi fundamenta participes gloriæ Christi. Quos verò ad hoc designavit & denotavit, eos quoque ab æterno jussit ad Christum venire, sive decrevit, ut ad Christum venirent. Huic *vocationi* Apostolus ascribit, quòd hæredes salutis in tempore accedunt ad Christum & in eo salvantur. Rom. 9: 7. *In Isaac vocabitur tibi semen*. q. d. Isaaco dedi semen, quod ego voco vel vocabo; quos vocabo, ut sint tuum semen, eos vocabo, ut sint semen & filii Isaaci (ex Gen. 21: 12.) & v. 11. *ut, quod est secundùm electionem, propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante*. Unde patet, Apostolum τὸ *vocare* in loco Gen. 21: 12. non capere pro nominatione, sed pro adductione per imperium & voluntatis propositum. Quod ex re ipsa patet.

4. Atque etiam is docet, eam *vocationem esse sine pœnitentia*, Rom. 11: 29. ubi loquitur de pœnitentia, quæ Deo respectu quorundam operum attribui metaphoricè solet; ut, quum dicitur, quòd *Deum pœnituerit hominem fecisse*. Gen. 6: 6. Similiter atque Apostolus *Vocatio dicitur ἀμεταμέλητος.*

loquitur de gratia Hoseas cap. 13. v. 14. נִסְתָּר נִחַם מֵעֵינָי *abscondetur pœnitudo ab oculis meis.* Atque ita distinguit Apostolus *vocationem* ad salutem ab operibus, quæ mutationi subjecta sunt, vel quorum mutatio decreta est. Quæ distinctio non quidem demonstratur ab Apostolo, sed ex ipsis terminis patet. quia, quum *vocatio* illa sit decretum, quo Deus vult, ut accedant, & quasi imperium, quo sic jubet eos venire, quemadmodum jussit lucem ex tenebris exsplendescere, contradictio esset, dicere, hanc *vocationem* admittere pœnitentiam. Quemadmodum enim à contradictione absolvi non potest illa oratio, *Deus vocans lucem,* ut exsplenderet, potuit velle & facere, ut lux non exsplendesceret: ita etiam à contradictione liberari non potest hic sermo; Deus vocans semen Abrahami in & ex Isaaco potest velle, ut semen Abrahami (quod ex cœlesti regeneratione est) non veniat & nascatur, vel, potest non velle, ut id nascatur. Ita enim vocatio esset aut fieret non-vocatio.

Vocatio Testamentaria.

5. Hæc *vocatio*, ut jam antè diximus (quod non piget sæpè dicere; quum & Scriptura id inculcet) est vocatio per *Testamentum*: sive similis illi vocationi, qua paterfamilias deligit hæredes opum suarum. Ita κεκλημένοι *vocati*, quos oportet æterna hæreditate potiri, ex Testamento venire & mediatori Testamenti ad nos redimendum dati intelliguntur. Hebr. 9: 15. *Et propterea Novi Testamenti mediator est, ut, morte obita ad redemtionem transgressionum, quæ sub priori erant, promissionem acciperent* VOCATI (à Deo per Testamentum & Promissionem) *æternæ hæreditatis.*

Est & Filii Dei.

6. Cujus vocationis Testamentariæ firmitas apud animum nostrum non tantùm nititur promissione patribus facta, quibus Deus promisit, se ipsis semen daturum; & fide illorum, qua promissionem (si etiam ea mutabilis apud Deum esset) fecerunt immutabilem & irrevocabilem, quia ipsis sibi fidem habentibus mentiri non potest: sed pacto Patris cum Filio, & donatione Patris, qua dedit Filio hæreditatem, imò etiam jure Filii & lege, cui Filius suo tempore se subjecit, atque ita justitia Dei, & postulatione Filii. cui dictum est, *Postula à me, & dabo hæreditatem tuam gentes & possessionem tuam fines terræ.* Psalm. 2: 8. Quam Christi postulationem & Patris responsionem emphaticè exhibet Esaias cap. 49: 4. 5. 6. *At ego dicebam, In vanum laboravi, in cassum & frustra vires meas consumsi. Verumtamen judicium meum est penes Iehovam, & opera precium meum penes Deum meum.* Loquitur tanquam sitiens salutem nostram & laborans

omni

omni contentione virium pro illa, & eam tanquam operæ precium desiderans & exspectans. *Et nunc dixit Iehovah formans me ab utero servum sibi ad reducendum Iacobum ad se (& Israël non colligeretur?) & honoratus* vel preciosus *sum in oculis Iehovæ, & Deus meus exstitit robur meum: dixit, inquam, Vile est, præst sis mihi servus ad erigendum tribus Iacobi & retentos Israëlis ad reducendum: & dabo te in lucem gentium, ut sit* vel ὡσὶν perveniat *salus mea ad finem terræ.* Qui locus clarissimè ostendit, & Filium postulasse hæreditatem suam, nempe hæredes salutis, & Patrem eam ipsi pollicitum esse, eosque ea promissione vocasse. Sic Es. 53: 10. 11. 12. *Et Iehovah* eum, qui *ipsum enervare cupiebat, viribus privavit: si ponet satisfactionem anima ejus, videbit semen,* quod *prolongabit dies. satiabitur. justificationem faciet multis, & pravitates eorum bajulabit. Dabo ipsi partem in multis, quia effudit in mortem animam suam.* Ubi videmus & animam effusam in mortem, & animam ponentem satisfactionem sive precium à se solutum imputantem, & semen sibi dari petentem; & diabolum viribus privatum; & Domino per Justum servum Semen acquisitum; & Dominum partem ei addicentem, & multos justificandi potestatem ei dantem.

7. Quamobrem, ut ea *vocatio* irrita fieri non potest, quin nascatur semen illud, quod Filio promissum est, ita etiam, qui veniunt ad Christum & filii Dei fiunt, non, nisi voluntate Dei & virtute ejus, filii Dei fiunt. Quicquid enim est novæ creaturæ, est ex Deo, & quidem vocante. nihil est in ipsa, quod non sit à vocatione hac Dei. quia vocantur, ut *semen, & populus nascens*; (Psalm. 22:31.32. *Semen serviet ei, censebitur Iehovæ. Venient & indicabunt justitiam tuam populo nascenti.*) ut qui à Christo emti sunt, ut ipsius fiant; non tantùm ἀδυνάτους *impotentes, mortui in peccatis,* sed & ita *abalienati,* ut, nisi propter precium à Filio datum, & sic lege peccati in legem Spiritus vitæ in Christo mutata, potuerint sanctificationis Dei fieri participes.

8. Hæc *vocatio* est *verbum* illud *Iehovæ*, quod *stat in seculum.* Es. 40: 8. cui regenerationem nostram, ut semini cuidam, assignat Petrus 1 epist. c. 1. v. 23. 24. 25. Quemadmodum enim semen parentum est causa generationis filiorum, ita *verbum Dei* potens, quod *stat in æternum*, & irritum non fit, sed effectum habet, quod dixit Pater, Filio se daturum populum, & Filius hæreditatem popposcit, est causa nostræ regenerationis, per quam simus filii Dei.

9. Hujus verbi potentia spectatur in omnium sustentatione;

quæ

quæ tribuitur etiam Filio Hebr. 1: 3. *Qui quum esset splendor gloriæ & omnia portaret verbo potentiæ suæ*, &c. Si enim verbum ejus, ut Filii Dei, fuit potens ad portandum cœlum & terram, Col. 1: 16. non minùs fuit potens verbum ejus, ut Mediatoris Testamenti, ad Israëlem populum suum faciendum, ad eum vivificandum, tanquam si diceret ipsi, *In sanguine tuo vive*, Ezech. 16: 6. & salvandum intercessione sua. Es. 63: 9. *Angelus faciei ipsius salvabat ipsos, per dilectionem suam & compassionem suam ille asserebat eos, & suscipiebat eos & bajulabat eos omnibus diebus seculi.*

Vocatio æterna. 10. Et hæc quidem *vocatio* æterna est, antecedens creationem cœli & terræ, & comprehensa in vocatione, qua omnia ab initio, quemadmodum extiterunt aut adhuc existent, vocata sunt, & esse jussa sunt. Non enim tantùm vocati sunt Adam & filii ejus simpliciter, ut quædam ζῶα *animalia*, sed etiam hæredes salutis, ut tales.

11. Absque qua vocatione si esset, videretur Deus omnia, & homines nominatim, frustra creasse. Psalm. 89: 48. quia non esset, à quo glorificaretur, & cui narrarent cœli gloriam Dei. Ps. 19: 1. Es. 43: 21. *Populus, quem formavi mihi, laudem* (sive *gloriationem*) *meam narrabunt.* Nam vocationis hujus ratio & finis est gloria Dei. Gloria, inquam, potentiæ & sapientiæ & bonitatis ostensæ in cetera creatura; & laus gloriæ gratiæ ejus, qua salvatur homo miser & damnatus per justitiam. Eph. 1: 6. in quo tandem vult glorificari & admirabilis fieri. 2 Thessal. 1: 10. 1 Petr. 2: 9. *& annuncietis virtutes ejus, qui vos vocavit ex tenebris ad mirabilem suam lucem.*

1. Verbi. 12. Porrò, quia primus illius *vocationis* effectus est *regeneratio* sive renascentia & resurrectio hominis mortui in peccatis; & ea fit per *fidem* in Salvatorem (quæ est primus actus vitæ novæ. per quam incipit peccator amare Deum, & sic, amando Deum & veritatem ejus, novus homo, conditus ad imaginem ejus, esse: & per quam vivit Christus in ipso, & ipse in Christo) necesse est, aliam *vocationem* æternæ illi esse subordinatam, per quam fides in peccatore efficiatur. Nam, ut prima hominis nativitas est ipsius ὑπόστασις secundùm substantiam cum corde qualicunque; ita secunda est existentia spiritus novi & cordis novi in ipso, hoc est, judicii & consilii novi & voluntatis novæ. Ezech. 11: 12. 36: 26. Quæ *obedientia* vocatur. Rom. 1: 5.

13. Ea vocatio fit per *verbum* auditum. Rom. 10: 14. *Quomodo credent ei, quem non audiverunt?* 17. *Ergo fides ex auditu.* Fides enim propriè

propriè ad testimonium aspicit & testis auctoritatem, hoc est, virtutem, sapientiam, &, si quid de se in futurum promittat, potentiam.

14. Nam, quum id, quo Deus sit amabilis peccatori, non sit natura cognitum, quippe quod sit divinæ δόξης καὶ θελήματος *voluntatis ac beneplaciti*: necesse erat id revelari homini. Revelatio autem ea fit per verbum.

15. Non enim sufficit, misericordiæ & bonitatis Dei exstare aliquod indicium, quale est longanimitas Dei ac beneficentia, quam exercet erga bonos & malos, & quòd omnia præter naturam & ingenium suum q. invita subjicit vanitati propter se, ut nempe tandem gloria ipsius in filiis Dei manifesta fiat & ejus creatura fiat particeps: quia neque hoc indicio justitia Dei & justificatio improbi innotescit, neque, ob cæcitatem & stultitiam suam, homo à Deo desertus non potest tolerantia Dei abuti. quemadmodum & supra demonstravimus.

16. Quod quum ita sit, fatendum est, gentes multis seculis *vocationem*, quæ erat necessaria ad fidem, & sic ad amorem Dei, & conversionem peccatoris, non habuisse. Ex qua re constitit, Deum illas deseruisse; & *in inobedientiam inclusisse*, Rom. 11: 32. hoc est, judicio suo eas induravisse, ad ostendendam iram suam; neque illas æterno proposito *vocasse* ad salutem. *Qua pro beneplacito distribuitur.*

17. Simile exemplum severitatis extat in Judæis, quos Deus non dignatur *vocatione* per Euangelium; quibus etiam jam multis seculis lingua barbara, hoc est, Græca & gentium in Christum credentium, loquitur. Es. 28: 11. coram quibus Deus faciem suam occultat, à quibus regnum suum abstulit, quos relinquit in fame & siti audiendi verbum Dei, h. e. legem Christi, & Euangelium ejus; quod promissum patribus, cùm id loqueretur Dominus, non crediderunt. Quibus etiam magnum offendiculum, ne ad Christum accedant, Dei judicio, constitutum est, idololatria & superstitio multorum, qui Christi nomen nominant.

18. Verbum, quod necesse est audiri, ut peccator per fidem convertatur ad Deum, est imprimis notificatio Testamenti sive Propositi Dei, quòd Deus decreverit in Christo redemtionem dare, & per gratiam suam & potentiam suam, propter meritum Seminis, efficere, ut homo peccator oderit opera Diaboli & Deum creatorem suum amet, tanquam redemtorem, donatorem novæ *Quale verbum vocationis?*

vitæ & justitiæ ac gloriæ, atque ita eum sanctificare. De quo paulò antè egimus.

19. Unde rectè dixit S. Petrus 1 epist. cap. 1: 25. *Verbum Domini, quod in seculum stat, prædicari ad nos,* id est, τὸ βυλὸ & θελήμα & θεὸ, τὸ πρόθεσιν τ αἰώνων, ὃ ἐποίησεν ἐν Χριστῷ, *consilium voluntatis Dei, propositum seculorum, quod fecit in Christo,* prædicari nobis, ut habeamus argumentum & motivum amandi Deum, & sine metu ei serviendi, quem propter peccata sua & justitiam ipsius peccator non poterat non odisse ex ingenio suo.

Testimonium. 20. Hinc vocatur verbum Dei, quo adducimur ad Deum, *testimonium.* Nam testatur, quòd Deus det vitam, quodque ea sit in Filio. Quodque is, qui habet Filium, vitam habeat. 1 Joh. 5: 11. 12.

21. Audito testamento Dei & notificata justitia, quæ est in Filio Dei facto sub legem, conscientia ipsa & ratio recta suggerit, si quis, amando Deum ut datorem sanctitatis & datorem redemtoris & justitiæ, se convertat ad eum, oderitque opera Diaboli, eum justum esse apud Deum, liberum *à lege peccati & mortis.* Rom. 8: 2. Et hoc judicium gratiæ primò legimus de Abrahamo: qui credidit Deo, cuique hoc reputatum est ad justitiam. Gen. 15: 6.

Præceptum fidei. 22. Eidem quoque legimus dictum, *Noli metuere. Nam ego clypeus tuus.* Gen. 15: 1. Quod revera est præceptum fidei. Quod primum oportet intelligere in prædicatione μετανοίας, quam fecerunt Prophetæ toto tempore Veteris Testamenti, dicentes, *Convertimini ad me & convertar ad vos.* Zach. 1: 3. Nam in conversione hominis ad Deum, ut eum, quem oderat, amet, primum est fides testimonii, quo Deus se ostendit *gratiosum & misericordem, amplum gratia & veritate, qui condonat peccatum & id non dimittit impunitum.* Exod. 34: 7. & fides in eum, quem Deus dat Salvatorem ad condemnationem peccati & adductionem justitiæ. Cui fidei justitia assignatur. Nam, si verbum gratiæ Testamenti de hæreditate justitiæ in Christo non audiatur, nullum verbum, nulla sapientia, potest efficere in peccatore amorem Dei. Quippe ipsa lex est sermo κατακρίσεως & occidit, & tantùm facit peccatum abundare. 2 Cor. 3: 7. 9. Rom. 5: 20.

23. Hinc oritur *confœderatio* inter Deum & Peccatorem: Deo stipulante fidem, eamque suadente per promissionem justitiæ & vitæ, homine verò astipulante testimonio Dei per fidem, atque ita potestatem accipiente se gerendi pro justo & filio Dei. Scilicet,

quando

quando *Pro Deo cor ſuum* cuique *dicit, Quarite faciem meam:* & deſiderium ac propoſitum quærendi faciem Dei ex illo animi proprii judicio concipit. Pſalm. 27: 8.

24. Quod ut fiat in homine, qui mortuus eſt in peccatis, qui non recipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ea magis blaſphemat, quia ſtultitia ipſi ſunt, imò ut ad ea attendat & cognoſcere cupiat, opus eſt virtute Spiritus ſancti. Nam verba Spiritus ſancti, in quibus ſapientia Dei revelatur, non niſi πνευματικῶς, hoc eſt, per motum internum Spiritus ſancti, ἀναχρίνεται, ad examen & conſiderationem revocantur. 1 Cor. 2: 14. Nam ad conſiderandum verbum Dei requiritur abnegatio concupiſcentiarum & propriæ ſapientiæ & agnitio ſuæ impotentiæ & indigentiæ, & amor Dei ac gloriæ ipſius. quæ non ſunt in *homine animali, qui ſpiritum non habet.* Judæ v. 19.

25. Scilicet *oportet eum, qui juſſit tenebras ex luce effulgere, emicare in cordibus ad radiationem cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti.* 2 Cor. 4: 6. ut *ita homo peccator fiat epiſtola Chriſti conſcripta Spiritu ſancto.* c. 3. v. 3.

26. Ea potentiæ divinæ efficacia attribuitur Spiritui ſancto, non, quòd magis *immediatè* eam operetur Spiritus ſanctus, quàm Pater & Filius (Nam τὸ δι' ὃ τὰ πάντα æquè eſt Patris & Filii, ac Spiritûs ſancti. neque una perſona divina per aliam agit, ut *mediam*) ſed ut doceamur, 1. eam ſequi gratiam & meritum Chriſti; cum cujus gratia neceſſariò ſenſus Spiritus ſancti convenit, quia eſt Spiritus non tantùm Patris, ſed & Filii. 2. Eam eſſe argumentum donati Spiritus, ut nos Chriſto uniat, in nobis maneat, & in nobis ſit arrhabo per dona ſua, 2 Cor. 1: 22. & paracletus intercedens pro nobis etiam gemitibus noſtris. Rom. 8: 26. Repete hîc, ſi placet, quæ tradidimus latiùs cap. XIII. *Quare Spiritui ſancto attribuatur efficientia fidei?*

27. Ea tamen ipſa efficacia potentiæ Dei eſt reipſa efficacia *Verbi,* quod in æternum ſtat, quo Deus ante ſecula *vocavit* filios & hæredes ſalutis. *Quomodo differat Vocatio per Spiritum à vocatione Decreti?*

28. Eſtque ea potentia efficax talis & tanta, ut hominem & voluntatem ejus ſubjiciat Deo per amorem, eumque ex nolente & refugiente faciat volentem, accedentem, ſequentem; ex renitente *voluntarium* ſacrificium. Pſalm. 110: 3. Propterea vocatur ἐνέργεια τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος, *operatio roboris virium.* Eph. 1: 19. & ἐνέργεια τοῦ δυνάσθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα *operatio* ſive *efficacia ejus,* *Potentia, quæ in Vocatione exſeritur.*

quòd potest etiam subjicere sibi omnia. Phil. 2:21. & ejus operatio dicitur *Circumcidere cor*, & *facere, ut amemus Deum*, Deut. 30:6. Ez. 11:19.20. 36:27. Phil. 2:13. 2 Cor. 12:9. 2 Petr. 1:3. Adeo ut nostra ὑποταγὴ τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ *subjectio adstipulationis ad Euangelium Christi* (2 Cor. 9:13.) sit revera ex eo, qui omnia ὑπέταξε *subjecit filio hominis.* Psalm. 8:7. & fides sit donum Dei, Eph. 2:8.10. & ejus donatio sit donatio Christi, Joh. 1:12. & donatio vitæ in Christo. Rom. 8. vers. 2.

29. Quare *super illis*, qui credunt, *brachium Domini*, eos asserens, *revelatur.* Es. 53:1. (collato c. 52:10.) secundùm id, quod est cap. 43. v. 7. *Omnis, qui nominatur de nomine meo, quem ad gloriam meam creavi, formavi, feci.*

30. Hinc evenit, ut tam diverso cum fructu prædicetur verbum Dei, etiam de gratia, & Euangelium, dum aliorum *mentes excæcat Deus hujus seculi, ne radiet ipsis lux Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei*, sed ipsis sit *stultitia* vel *scandalum*, & *odor mortis ad mortem.* 2 Cor. 4:4. 1 Cor. 1:23. 2 Cor. 2:16. in aliis autem est *potentia Dei ad salutem*, Rom. 1:16.

Quæ utilitas notitiæ hujus potentiæ.

31. Unde, qui illuminantur cognitione gloriæ Dei, quæ est in Christo, ut Christum non tantùm cognoscant Dei sapientiam & potentiam, & illum ament, & in eo exultent, saltem seria fame ac siti cupiant in ipso inveniri non habentes propriam justitiam, sed Dei justitiam, cognoscunt brachium Domini super se revelatum ad salutem, seque Spiritum Christi & Christum, donum cœleste, accepisse sentiunt; atque ita ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος *perfectionem spei*, quæ habet *gloriationem in exspectatione gloriæ Dei*, procedunt. quæ *Spes* est consummatio amoris Dei in hoc seculo, & est *viva*, ad fructificandum Deo. Ut enim non dubitant, se accepisse *arrhabonem*, ita eum omnibus momentis in se intueri & recognoscere gestiunt, & ideò illius vitam & ἐνέργειαν *efficaciam* semper in se requirunt, seque δοκιμάζειν καὶ πειράζειν *probant, explorant, experiuntur, tentant.* 2 Corinth. 13:5.

Vocati *dicti emphatice.*

32. Ab hac igitur *vocatione*, tum illa potentis verbi, quod Deus pronunciavit in Christo ante secula, tum verbi auditi, & ἐνεργείας æterni propositi, quæ est potentia Spiritus sancti, qui per verbum auditum adducti sunt, saltem ut ad rupem salutis confugerint, *vocati* & ἡ κλῆσις *Vocatio* ἐμφατικῶς appellantur. 1 Cor. 1:24.26. & distinctiùs *vocati, electi, fideles*, Apoc. 17:14. ut per primum compellatio

lätio per verbum auditus, per ſecundum vocatio Teſtamenti, in tertio potentia convertens & *tractio Dei* Joh. 6: 44. intelligatur.

33. Aliquando enim nomen *vocati* minùs quid ſignificat, nempe illos, qui *verbo auditûs* compellantur, vel etiam illud ſine aperta rejectione audiunt. Quod patet illo, *Multi ſunt vocati, pauci electi.* Matth. 20: 16.

34. Quòd autem multi vocantur per annunciationem Teſtamenti Dei & Euangelii & præceptum fidei, qui pereunt, ex eo non ſequitur, ipſis jus faſque fuiſſe, Teſtamentum Dei ſibi vendicare, & ſibi applicare conſolationem confugientium, Hebr. 6: 18. niſi ſi confugiſſent in ſeria ſiti & fame juſtitiæ. Horum enim tantùm eſt ἡ ἰσχυρὰ παράκλησις, *fortis illa impulſio*, qua jubentur ſpem, ut expoſitam, arripere. *An univerſi teneantur credere?*

35. Quanquam enim non ſit neceſſe nos cunctari, & trepidare, quò minùs Deum *Patrem noſtrum* appellemus, ſimul confugiendo & amando ut Deum & Salvatorem noſtrum (quod non poteſt temere & fruſtra fieri) imò defectus ſit in confugientibus, nondum lætari; tamen etiam ſunt, qui immaturè audent Deum labiis ſuis appellare Patrem ſuum, quum non confugiant ad Servatorem, atque ita temere Teſtamentum Dei in os ſumant, & Deum blaſphement eum appellando patrem ſuum.

36. Quòd autem vocatio per verbum auditum habet ἰδίους καιροὺς *propria tempora* 1 Tim. 2: 6. & certum μέτρον κανόνος certam *menſuram regulæ* aut *lineæ* (2 Cor. 10: 13. 15.) miſſionis ſuæ, adeò ut necdum ad omnes pervenerit, id certum indicium eſt, ut vocationem, ita ſalutem dari ex Teſtamento. *Vocatio ex beneplacito diſtributa oſtendit, ſalutem eſſe ex beneplacito.*

37. Quanquam autem nunquam ſine fructu prædicetur verbum, Eſ. 55: 10. 11. tamen etiam propter electos paucos venit aliquando ad locum aliquem; in quo cùm defecerit ſemen, etiam deinde aufertur, aut cum eo ingreditur ſeductio & potentia mortis ſecundæ, ut, qui vocati ſunt, & non acceperunt amorem veritatis, ut ſalventur, credant mendacio & indurentur. *Vocatio verbi propter electos venit ad ſingulos locos.*

38. Quare verbum vocationis cum timore & tremore audiendum eſt, & *hodie*, quum auditur, ei parendum, dum præſto eſt. Pſal. 95. v. 7. Eſ. 55: 6.

Cap. XLIII.

De Vetusta Traditione.

Rectum est, postquam in genere de *Vocatione* diximus, ut & in specie de Vocandi modis & nominatim de prisca Traditione (per quam vocatio communis ante Mosen peracta fuit) agamus distinctiùs.

Gratia fides nititur verbo Dei, ut divino,

2. Fœderis gratiæ propositione divina (sive tali, ut homo audiens dubitare non possit, eam verè divinam esse) Vocationem peragi, liquet. Nam partim amor Dei nisi per verbum gratiæ efficiin homine peccatore non potest: partim non est præcisè necessarium divinitùs denuò indicari, quod natura notum est; gratiæ autem exercendæ modus indice indiget, quia natura notus non est: partim, quia fides non nisi in Deum & in illius nomen resolvi debet (alioqui futura idololatria) ita ut is, qui credit, jure & meritò & in bona conscientia non dubitet, quod credit, à Deo editum & revelatum atque ad se missum esse.

vel immediatè vel mediatè à Deo propositò.

3. Non omnibus locutus est Deus immediatè, ita ut sermo auditus non proveniret ex ore humano vel alius creaturæ intelligentis ministerio non intimaretur: attamen revelatio fieri non potuit, nisi Deus primò loqueretur creaturæ, & saltem ministerio ejus aut voces ipsius Dei aut sententia dicti Dei ad alios perferrentur.

4. Ita invenimus Revelationem partim Immediatam, partim Mediatam.

Revelatio immediata.

5. Revelatio Immediata est ea, quæ fit divina intimatione sine organo aut ministerio Creaturæ. Eaque rursus duplex est. 1. ea, quæ simul habet evidentem demonstrationem Dei testantis in externis signis. 2. ea, quæ non habet talem demonstrationem Dei testantis. *Illam* dico, quæ cum tanta majestate & tam magnifica gloria fit, ut fatendum sit, nisi Deus alii velit cedere gloriam suam, eum, qui cum illa gloria se exhibet & loquitur, Deum esse. *Hanc* innuo, quæ non habet tam evidentia signa, quibus divinitas loquentis statim, etiam sine sermonis & sapientiæ, quæ in illo est, consideratione, manifesta fiat.

6. Deus non potest ita immediatè loqui cum homine, ut homo ipsum videat. Primò, quia Deus invisibilis est. Secundò, quia ea visio, quæ contingit in altera vita, vivo non contingit. Exod. 33:20.

Tamen

Tamen dicitur Deus videri partim in organo assumto, partim in magnifica gloria. Et hæc est quasi visio posteriorum Dei. Exod. 33. vers. 23.

7. Rursus Deus, quomodocunque loquatur, sive immediatè sive mediatè, sive cum gloria divina, sive absque ea, sive videatur in organo assumto, sive non, non potest ita loqui, ut verbum ipsius, quo fœdus suum revelat & hominem vocat, non possit distingui à verbo cujusvis alterius, sive is homo sit, sive spiritus non ex Deo loquens; quin Dei verbum habeat in se notas divinitatis suæ, quæ possint ab animadvertente deprehendi. *Omne verbum Dei divinitatem suam ostendit.*

8. Adam, quum peccasset, audivit vocem Dei ambulantem in horto sive hortum pervadentem. Quum tandem se loquenti stitisset & nuditatem fassus esset, audivit vocem scisitantis, unde nosset, se nudum esse & tegumentis indigere? Ea scisitatio conveniebat homini conscientiam malam habenti, & Creatori ejus. Denique verbum pronunciatum in Serpentem erat tale, quale judici omnium & tamen fideli creatori ipsius hominis congruebat. Erat enim in eo assertio sanctitatis Dei; & demonstratio odii in peccatum & deceptorem; & assertio justitiæ, dum se ostendit peccatum non dimissurum impunitum; & ostensio misericordiæ, dum pollicetur sanctificationem, redemtionemque & justificationem; & assertio potentiæ, dum ostendit, se novam creaturam ex homine posse facere; & assertio potestatis, dum ostendit, se ex filiis mulieris & Adami alios vocasse, ut semen mulieris promissionem habentis & in fœdus Dei assumtæ, alios ut semen Serpentis reliquisse. Et conscientia attestatur homini, si Deus peccatum imputet, neminem coram ipso posse consistere, Psalm. 130: 3. & indigere hominem ea Dei gloria, quòd ipse est Redemtor, Justificator & Sanctificator ac Vitæ dator. Deinde ipsa Dei tolerantia testatur, propositum gratiæ Deo dignum apud Deum esse. Ex iis igitur argumentis patet conscientiæ, verbum id gratiæ non jam esse Deceptoris, quemadmodum verbum, quod ex Serpente audiverat mulier, sed Dei conditoris & gloriam suam vindicantis. *Verbum Dei ad Adamum Deo dignum.*

9. Quod autem Adamus & mulier audivit, id uterque narravit filiis suis. Et id perinde accipiendum fuit filiis, ac si vocem ipsius Dei audivissent. Nam bonitas illius verbi & divinitas omni se conscientiæ approbat, & nemo non videt signum manifestum propositi Dei, nempe tolerantia m ac clementiam ejus. denique parentes *Verbum Dei narratum per Adamum fuit fidem Dei & ad eam obligat.*

filiis

filiis non poterant esse suspecti ne mentirentur, dicentes ea, quæ audiverant, & contra se ipsos testantes, & verbum proponentes, quod solum idoneum est instrumentum sanctificationis ad amandum & timendum Deum.

Traditio per Adamum ficta.

10. Quòd autem patres filiis suis narraverint & exposuerint Dei verbum, clarissimis argumentis constat. Adam, statim atque audivit sermonem Dei, de gratia locutus est. Nam uxori suæ fecit nomen חַוָּה / quod à *vivendo* ductum est. Quid igitur? Censemus ne, illum ita insaniviſse, ut eam *vivam* nuncuparet, quam videbat moribundam? Aut *matrem viventium* appellaret, quam intelligebat parituram cum dolore, & sæpe cum morte? & futuram esse matrem morientium? Attamen Moses dicit rationem: כִּי הִוא הָיְתָה אֵם כָּל- חָי *quia illa facta erat mater omnis viventis.* Tunc quidem, quum id nomen ei imponeret Adam, nondum erat mater ullius viventis. Moses quidem poterat dicere, illam esse matrem omnis viventis, hoc est, omnis hominis, qui vixerat & vivebat. Sed id eodem modo ab Adamo dici non potuit. Neque hæc mens Adami esse potuit, ex illa orituros esse omnes viventes. Parum id erat, nec obscurum aut symbolo indigens, mulierem fore matrem omnium hominum, qui nascituri erant. Nam unde nascerentur, nisi ex illa? Restat alia major significatio, cui etiam verba illa aptissima: nempe, Promissione Dei mulierem esse constitutam matrem non tantùm viventium, sed etiam omnis viventis; hoc est, ei promissum esse semen non tantùm vivificandum, sed etiam vivificans. Nam in duo hæc genera, *quod vivit*, rectè distinguitur. Aliud vivit vivificatum, aliud vivit & vivificat. Innuit igitur Adamus, fœminam factam esse, voluntate & verbo Dei, matrem utriusque generis Viventis, nempe seminis sanctificantis, & sic vivificantis, & seminis sanctificandi, & sic vivificandi. Ad eundem modum, ut Abraham factus est pater multitudinis gentium per promissionem, Genes. 17:4.5. *sies pater multitudinis gentium. patrem multarum gentium do te* vel *posui te.* Quatenus positus, hactenus jam proposito & promissione factus erat pater multitudinis gentium, qui id postmodum futurus erat, nascentibus ei filiis ex multitudine gentium.

11. Adamus igitur, dum fatetur, mulierem factam seu datam matrem omnis viventis, negat se patrem & stirpem seminis victuri. Ipse quidem primitùs ad hoc creatus erat, ut ab ipso omnes filii ipsius hæreditate consequerentur imaginem Dei; sed, quia peccaverat,

verat, intelligit, sibi hunc honorem non deberi, ut sit caput viventium. Ipse autem sine dubio vitam non desperans, quum nec mulier sit, nec videatur semen mulieris esse, quonam erit referendus? Nempe ad semen mulieris, non generandus iterum, ut esset homo, sed beneficio Seminis mulieris & Spiritus ipsius accipiens, ut esset novus homo: atque ita filius Seminis mulieris secundùm generationem aliam: & ipsius mulieris; quia Deo placuit mulieri hoc semen sanctificans & semen sanctificandum promittere. Cujus est enim promissio, ejus filii sunt filii promissionis.

12. Ipsa mulier de spe sua locuta est. Quum enim puerpera facta esset, gratias agens Deo dixit: *Acquisivi virum Iehovam.* Gen. 4:1. Negari non potest, ita verti posse verba matris. quod liquet ex multis locis; in quibus particula אֵת est specificativum. Vide Es. 7:6. 8:2. Ezech. 4:1. 34:23. 1 Reg. 16:31. Deinde אֵת pro מֵאֵת durum est. Neque usitatum est dici אֵת יְהוָה *cum Deo* pro בְּעֶזְרַת יְהוָה *auxilio Dei.* Multò minùs apta sunt Judæorum figmenta: ut, *in societate Dei.* aut, *qui maneat cum Deo.* aut, qui sit קִנְיַן לִיי / aut ut Chaldæus; *coram Domino.* qualia refert Abarbenel. Certè non putandum est, aliquid hîc narrari à Mose, quod nullius momenti sit. Æquum autem erat, ut ostenderet, se memorem auditæ promissionis. Promissio autem ei pollicetur Semen, quod sit VIR, & quidem vincens Satanam, & causam salutis hominum. quæ gloria soli Domino debetur. Erraverit fortasse, quod nesciverit, eum non posse nasci, ut alios homines. Fortasse etiam non erraverit, sed hunc partum interpretata fuerit signum & argumentum Filii hominibus dandi & Pueri, qui ipsis nasciturus erat. Nam unum semen sine altero esse non potest. Quòd autem ad *Semen* promissionis respexerit, in Sethi nomenclatura apparet. At הֶבֶל (non אָבֶל, quod Josephus videtur putasse) *vanitas* appellatus fuit secundus filius; quia hoc est omnis homo. Ita Sethus filium suum אֱנוֹשׁ ægrum & incurabiliter languidum appellavit. Quod omnium vocabulum factum est. Lamech spem aut desiderium suum significavit nomenclatura filii sui Noachi. Vide Gen. 5:29. Clara res est, patres à Semine consolationem exspectasse. *Eva loquuta est de gratia.*

13. Hebel in fide obtulit munus Deo, & Deus respexit ad munus ejus. Hebr. 11:4. Neque enim ea cum opinione accessit ad Deum & ei munus suum obtulit, quasi putaret, illum actum esse justitiam suam aut partem ejus. Quæ sine dubio mens Caïni fuit. *Traditio pervenit ad Habelem fidei haeredem.*

Sed, quod minimum in cultu ipsius esse potuit, suam ipse justitiam abnegavit, professus est, se à divina clementia benedictionem temporalem obtinuisse, ei gratias egit, non certè tantùm propter temporalia bona, sed propter bona meliora, & donum justitiæ. Quod nisi per promissionem cognoscere & nisi per fidem promissionis amplecti non potuit.

Celebratio verbi divini facta sub nativitatem Enoschi.

14. Quum nasceretur Enosch, dicit Scriptura, אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה Gen. 4: 26. *Tunc cœptum est denominari à Iehovah.* Hoc enim inter alia hæc phrasis significat. Vide Es. 44: 4. Quum nasceretur Enosch (erat is annus 103. ætatis Seth, & 235. ætatis Adam) jam inter filios Adami & nepotes cœpit esse diffidium, & aliqui se à Jehovah denominare inceperunt.

Henoch præco justitiæ.

15. Enoch septimus ab Adamo cum Deo ambulavit, & assumtus est, ac mortem non vidit. Gen. 5: 22. 24. Quod Moses dicit *ambulare cum Deo*, id Apostolus explicat per εὐαρεστεῖν τῷ θεῷ, hoc est, *grata facere Deo*, colere Deum (sic verbum εὐαρεστεῖσθαι *coli* Hebr. 13: 16.) & προσέρχεσθαι τῷ θεῷ *accedere ad Deum*, item ζητεῖν τὸν θεὸν *quærere Deum.* Unde efficit, eum *fide* studuisse Deo grata facere: quum id nemo facere possit, nisi credat Deo (&, sine dubio, verbo ipsius) adeò ut ne quidem quis absque fide (quæ est hominis ἀσθένεια & *impotentia*) consideret atque animadvertat, secula verbo Dei esse coaptata, ut non ex apparentibus, quæ videntur, extiterint. Hebr. 11: 3. 5. 6. Judas in Epistola sua v. 14. 15. recitat prophetiam Enochi. Non est putandum, quòd Judas hæc sumserit ex aliquo Apocrypho libro Enochi. qualem librum imprimis Zohar memorat. Neque necesse est dicere, Judam Traditionis ἀγεγράφου verba per Spiritum sanctum approbasse & posteritati commendasse. S. Judas jubet ex eo, quòd Enochus, quem Deus assumsit, dicitur *cum Deo ambulasse*, animadvertere, eum non tantùm pro se quæsivisse Deum, sed etiam alios ab impietate & injustitia deterruisse. neque potuisse ipsum pii viri officio fungi, nisi judicium Domini venturi cum myriadibus angelorum hominibus suæ ætatis intimaret. Quum igitur non potuerit non loqui de judicio Domini superventuro impiis, & ii, de quibus S. Judas loquitur, quosque suis coloribus describit, sint ultimi temporis; conficit, de iis prophetasse Enochum diu ante diluvium, septimum ab Adamo. Enochum enim, quem inter antediluvianos solum ornat hoc elogio Scriptura, quòd vitam egerit servi Dei, coram eo, ut hero suo, ambulantis,

bulantis, judicium ſuperventurum impiis & injuſtis hominibus vaticinatum eſſe: neque alios eſſe, quos Dominus ad judicium veniens oppreſſurus ſit & exſtirpaturus, quàm hoſce, Eccleſiæ Chriſtianæ ſtrumas. Quod dicens S. Judas commonefacit nos, non aliud verbum, nec aliam exſpectationem habuiſſe patres ante diluvium, quàm quod nunc annunciatur. nempe Filium hominis judicaturum eſſe filios ſerpentis. Conſtituta enim inimicitia, & diabolus ſub pedes piorum conterendus eſt. Si itaque Enochus prophetavit (& verò prophetavit; quia vir Dei fuit. quippe coram Deo ambulavit) hoc, quod Deus in ſententia, qua Satanam damnaverat, incluſerat, prædicavit, ut homines ad timendum Deum & ſalutem ejus amplectendam commoveret.

16. Noachus præco juſtitiæ 2 Petr. 2: 5. euangelizavit itidem eum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, ut, tametſi in carne judicarentur ſecundùm homines per diluvium, viverent ſecundùm Deum ſpiritu. 1 Petr. 4: 5. 6. Ideò etiam dicit Petrus, quòd Chriſtus in ſpiritu ſuo, quo vivificatus eſt ipſe mortuus, iverit prædicatum, quum ſemel exſpectaret Dei longanimitas in diebus Noë. 1 Petr. 3: 19. 20. Hæc facilè ex hiſtoria Moſis conficiuntur. Non potuit arcam taciturnus fabricare: imprimis, quum ei indicatum eſſet, longanimitatem Dei exſpectaturam centum & viginti annos. Et habet teſtimonium, quòd fuerit *integer*. Non deſeruit igitur officium prædicationis. Et, quòd *cum Deo ambulaverit*; ut Enoch, ſeque ſervum Deo exhibuerit. Gen. 6: 9. Quid autem prædicaſſe putamus aliud, quàm, quod auditum erat? De quo & infra dicendum, ubi de fide veterum. *Item Noachus*

17. Viguit igitur Traditio ſermonis Gratiæ uſque ad diluvium: ſed & oppugnata fuit. Fuerunt enim, qui cum Jehovah non facerent; fuerunt, qui filiis Dei ſe opponerent; fuerunt inobedientes; fuerunt inter filios Dei, qui domos promiſcuis conjugiis contaminarent; ex quibus conjugiis provenerunt πολιηται, audaces homines, qui omnia ad *nomen ſuum* revocarent, & imperium exercerent in alios prætextu religionis. Plerique nihil niſi malum cogitarunt omnibus diebus, hoc eſt, ἀμεταvόητοι vixerunt. Fuerunt & βίαιοι, *violenti*, homines corporis proceritate & robore nixi. non, quòd procerum eſſe & robuſtum, ſit vitium, ſed quòd tales plerunque ſoleant ſe efferre & aliis ſe formidabiles præbere. Lamechi imprimis digamia notatur, & δυναστεία, & felicitas, & ſui ac copiarum ſua- *Verbum Dei oppugnatum ante diluvium.*

rum fiducia ac contemtus & Dei & judiciorum. Et diversum sermonem fuisse de religione, apparet ex opposito, quòd post diluvium in domo & posteritate Noachi notatur, fuisse unos sermones. Genes. 11. v. 1.

Traditio usque ad structam Babylonem perseveravit. Exinde paulatim depravata religio.

18. Quàm sedulò verbum Dei retinuerint imposterum homines, vix dicere est. Structores Babylonis malo consilio usi à Deo dispersi sunt. Nimrod, quasi Dei causam agens, venatus est homines, &, quos potuit, in unum collegit, qui, secuti consilium generis humani, ut videbatur, in unitate Civitatis sub nomine humano eadem verba retinerent. Gen. 10: 7. 9. 10. Scriptura hinc statim ad vocationem Abrahami descendit. Et Josua testatur c. 24:2. patres Israëlitarum habitantes ultra fluvium, nominatim Terachum patrem Abrahami, coluisse deos alios. Et historia Jacobi testis est, in Labanis domo imagines vocatas fuisse ab ipso deos suos, Gen. 31: 30. 32. 34. Abrahamus, quoquo venit, metuit, ut timor Dei esset ibi. Gen. 22: 11. Veruntamen Melchisedecus reperitur sacerdos Dei altissimi. Gen. 14: 18. Cui utrum se Deus revelaverit ut Abrahamo, non liquet: hoc excepto, quòd Abrahami benedicendi internuncius factus est.

19. Quantumvis autem obscura fuerit retentio verborum Dei in mundo, tamen, quia ipsa dominatio Babylonica non nisi prætento nomine Jehovæ potuit fundari, satis apparet, non in universum ab hominibus periisse verbum Dei, quod Noachus post diluvium prædicaverat. & verisimile est, eo tempore, quo evocatus est Abraham ex sedibus suis, homines passim miscuisse suas adinventiones cultui Dei & Deo creatori cœli ac terræ sacrificasse; ambiguum tamen fuisse, numquid veram pietatem in fide Dei sanctificantis & justificantis possiderent.

20. In Ijobi libro querela est, terram datam esse in manum improbi. Job. 9:24. Tamen, ex amicis ejus apparet, fuisse sapientiæ inquisitores; & ex Jobo, fuisse, qui eam in fide apprehendissent. Et sanè, ubi Ijob ostendit, se in Dei assertoris gratia spem habere, ei spei non contradixerunt amici, qui putabant ipsum humiliandum esse.

Abrahamus prædicator nominis Dei.

21. Quomodo Abrahamus filiis suis vias Dei notificaverit, & fœdus ejus prædicaverit, & palàm nomen ejus professus sit, satis constat ex sacra historia. Cujus fœderis, quoad verba ejus & symbolum, videlicet Circumcisionis, etiam tenaces fuerunt Israëlitæ in Ægypto. Quod vel inde patet, quòd noluerunt fieri unus *populus* cum

Ægy-

Ægyptiis; propter quam causam eos persecutus est Pharao. Ex. 1: 9.

22. Atque hæc de vetustæ Traditionis conservatione sufficiant: cujus, ut facilè ex dictis liquet, mens & divina veritas potuit patere illis, quibus Deus aperuit cor, ut ad eam attenderent, & ei ut Creatori fideli gloriam dare vellent. Eorum autem corda aperuit Deus, quos vocavit, ut Semen mulieris. Quales etiam inter eos ipsos, qui diluvio perierunt, fuisse non desperat Petrus ep. 1. c. 4: 6. Dicit enim, *ideò etiam mortuis* diluvio extinctis *euangelium prædicatum esse*, hoc est, verbum gratiæ & justitiæ fuisse annunciatum, ut resipiscerent, *ut judicarentur quidem secundùm homines carne, viverent autem secundùm Deum* & illius potentiam ac gratiam *spiritu.* *Traditio quibus salutaris?*

LOCUS DECIMUS SEXTUS
DE
INITIO SANCTIFICATIONIS.

CAPUT XLIV.

De Regeneratione.

Summa verbi gratiæ comprehenditur hoc verbo: *Ego Iehova sanctifico vos.* Exod. 31: 13. Adeò ut in ἁγιασμῷ *sanctificatione* totum beneficium Dei videatur contineri. *Sanctificatio latè dicta*

2. Et clarum est, fundamentale beneficium, quod est ἀπολύτρωσις *Redemtio*, in ea voce cumprimis significari. Nam Hebr. 2. v. 11. dum dicit Apostolus, *Sanctificans &, qui sanctificantur, ex uno sunt omnes* sive utrique, significat maximè, Redemtorem & eos, qui redimuntur, fratres esse. Ita Hebr. 10: 14. dum dicit, *Vna oblatione consummavit in perpetuum, qui sanctificantur*, significat, Per oblationem sacrificii Christi consummatè purificari & à conscientia mala liberari eos, qui hactenus sub spe legaliter purificabantur, sive *sanctificabantur ad carnis puritatem.* Hebr. 9: 13. Meretur verò ἀπολύτρωσις *Redemtio* præcipuè appellari ἁγιασμὸς *Sanctificatio*, quia sine ea non datur fœdus cum Deo & communio cum ipso. Ideò Psalm. 50: 5. dicitur, *Pios* sive *Studiosos Dei ferire fœdus cum Deo super Sacrificio-* *comprehendit Redemtionem*

Quod adeò verum est, ut non possimus facere ὁμολογίαν *adstipulationem*, nisi in verbum eamque stipulationem, quam Christus ut *Apostolus & Sacerdos* ὁμολογίας *adstipulationis* & confœderationis proponit. Hebr. 3: 1. Imò, quia ἀπολύτρωσις *Redemtio* est causa nostræ *regenerationis*. Joh. 3: 5. Nam *aqua*, ex qua, hoc est, cujus virtute renascimur per *spiritum*, ut *videamus regnum Dei*, est inculpatissima Christi *obedientia usque ad mortem, mortem autem crucis*. quæ & in se *munda* est & *mundandi* facultatem habet: ut aqua. De qua *aqua pura* loquitur Paulus Hebr. 10: 23. Quod autem est causa regenerationis, id est causa sanctificationis. Nam *regeneratio*, qua novi homines simus, est initium sanctificationis, quæ in nobis ipsis subjectivè agitur.

& Iustificationem,

3. Neque quisquam dubitabit, an *Iustificatio* sit *sanctificatio* quædam; quum legalis purificatio dicatur uno modo *sanctificatio*. Nam, qui jus habent accedendi ad Deum, quum immundi non sint, *sancti* utique sunt. Quæ etiam est causa, quare ἅγιοι *sancti* vocentur, quibus peccata remissa sunt. Qua etiam de causa Redemtio sanctificatio quædam est, quia illius fructus est, quòd non imputantur peccata, neque peccator pro impuro rejicitur à Deo.

& renovationem ad imaginem Dei.

4. Sed est tamen & alia *sanctificatio*, quæ in ipso peccatore peragitur, ut paulò antè innuimus; qua homo fit similis Deo, qui sanctus & ab omni impuritate ac vilitate remotus est, & habet, quod Deus probet, accipiat, in quo habeat חֵפֶץ *voluptatem*, quod laudet, cui attestetur, in quo potentiam gratiæ ad gloriam suam ostendat (quod הִתְפָּאֵר dicitur) quodque pro suo agnoscat.

Renovationis necessitas.

5. Ea autem *Sanctificatio* (quæ est Renovatio & peccatoris ad similitudinem Dei reparatio) summopere est necessaria. Nam sine ea nullo modo Deus *sanctificator noster* esse potest. Quippe, si non renovaremur, frustra esset redemtio, & justitia non esset nostra, & communione Dei careremus, neque in Christo essemus, neque in nobis Deus, atque ad Deum minimè accedere nobis liceret. 1 Joh. 1. vers. 6. 7. *Si dicamus, nos habere communionem cum ipso, & in tenebris ambulemus, mentimur & non facimus veritatem. Si verò in luce ambulemus, ut ipse est in luce, communionem habemus invicem & sanguis Iesu Christi filii ipsius purificat nos ab omni peccato.*

Sanctificatio ab initio procedit ad consummationem.

6. Sed ea *Sanctificatio*, quæ est imaginis Dei reparatio, habet initium, profectum & consummationem. Neque enim statim perfecta est. Quod testantur piorum & sanctorum confessiones, qui indicant

dicant peccata sua, & se peccatores agnoscunt & veniam rogant. Tum formula, quam Christus nobis præscripsit; qua qui utuntur, petunt debita sua remitti. Tum, quòd & Apostolus dicit, nos in multis offendere omnes. Jacob. 3: 1. Atque id est apud omnes homines in confesso, nullum sanctum statim eò pervenire, ut careat omni peccato. Neque etiam dubium est, in statu gloriæ esse consummationem sanctificationis. Numquid verò in hac vita alicui obtingat consummatio, alio loco explicandum est.

7. Initium sanctificationis hujus est *Regeneratio*. ut paulò antè posuimus. *Regeneratio* ἀναγέννησις dicitur q.d. δευτέρα γέννησις, *secunda generatio*. ex altero generante; & παλιγγενεσία Tit. 3: 5. q. d. *iteratus exortus*, nova nativitas. Hoc vocabulum etiam dicitur de resurrectione mortuorum, Matth. 19: 28. Regeneratio *initium sanctificationis.*

8. Quia id, quod primum est in homine, qui ex Adamo, vel, ut Scriptura loquitur, *ex muliere* nascitur, non est tale, ut conveniat regno cœlorum, ideò abolendum est. Ideò vocatur ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος *vetus homo*. qui *cum Christo crucifixus est ad abolitionem corporis peccati*. Rom. 6. v. 6. hoc est, cujus abolitio, proficiens usque ad abolitionem corporis, quod nos tentat per concupiscentias suas, Rom. 6: 12. & in quo peccamus, Christi crucifixione procurata est; ita ut ex ea sequatur. Requiritur igitur *novus homo*, qui hæres fiat regni Dei, & id videat ac cognoscat. Eph. 4: 24. Col. 3: 10. *qua fit* novus homo.

9. Ut verò ille *vetus* est ὁ ἔξω ἄνθρωπος *homo exterior*, habens metropolin & arcem suam in *carne* sive *membris* corporis, 2 Cor. 4: 16. Rom. 7: 5. 27. Ita *novus homo* est ὁ ἔσω, vel ὁ ἔσω θεν, ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος *interior*, *occultus homo cordis*: habens suam arcem & fontem novitatis in corde, sive τῷ νοΐ *mente*, Rom. 7: 22. 23. 2 Cor. 4. vers. 16. 1 Petr. 3: 4.

10. Quæ *cordis* & *spiritus*, sive judicii & voluntatis, necessaria *novitas* etiam in Mose & Prophetis indigitata est; ut Deut. 30: 6. *circumcidet cor tuum*. Plus quidem ibi significat, quàm regenerationem, sed tamen eam significat. & Ezech. 11: 19. *Cor unum & spiritum novum ponam in medio vestri*. Ezech. 36: 26. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri*. Jer. 4: 3. ubi per parabolam *novalis* indicatur. & v. 4. ubi significatur per *ablationem præputii cordis*. confer Deut. 10: 16.

11. Et hæc mutatio quoque dicitur cordis in vacuum hominem introductio, & nativitati comparatur Job. 11: 12.

12. Ea-

Regenerationis principia duo.

12. Eaque duplici principio assignatur; *aquis puris*, quæ impuram non possunt, quibus homo lavetur ab impuritatibus suis, sive rei alicui puræ vim extinguendi reatum & peccatorem purificandi habenti, hoc est, τῷ δικαιώματι, videlicet obedientiæ vim peccata expiandi & meritum justitiæ habenti, & *spiritu* Dei in medio ipsius posito. Ezech. 36: 25. 26. 27. Unde meritò Nicodemus increpitus fuit à Domino, quòd, quum doctor Israëlis esset, id ignoraret. Joh. 3. v. 10. Neque enim possumus dubitare, quin Christus duo illa significaverit, id, quod purificat conscientiam, & id, quod purificat cor sive renovat. quia neutrum sine altero est, & utrumque est causa regenerationis, & de utroque in sermone suo ita agit, ut renovationem hominis ad eas causas distinctas referat, & nulla præterea aqua, quæ distinguatur à Spiritu sancto, est causa regenerationis.

Cur renovatio dicatur Regeneratio?

13. Neque mirum est, si dicatur ἀναγέννησις *nova generatio*, quum ex ea homo dicatur *Filius Dei vivi.* Hos. 1: 10. vel 2: 1. & ex ea Deus *Pater noster* audire velit. Es. 63: 16. & Deus sibi *generationem* hanc vendicet. Es. 66: 9. Alioqui notum est, vocari eos, qui fiunt novi, opus Dei, plantationemque ipsius. Es. 60: 21. Confer Es. 29: 23. *natos suos, opus manum mearum.* Es. 43: 7. *Omnem nuncupatum de nomine meo: & quem ad gloriam meam creavi, formavi, etiam feci.* & 21. *Populus, quem formavi mihi, gloriationem meam narrabunt.*

14. Nec injuria magis *regenerationis*, quàm alio vocabulo, dicitur, quum sit *ex Deo generatio* Joh. 1: 13. & quidem ex semine ipsius, hoc est, spiritu Dei in ipsis posito, qui eos à vetustate corruptionis ad novitatem, qua Deus glorificetur, per verbum gratiæ immutat & in ipsis manet id perpetuò inscribens cordibus eorum, & faciens, ut ejus non obliviscantur. 1 Joh. 3: 9.

15. Generatio hæc non habet originem à sanguine humano. Joh. 1: 13. Quantumvis enim etiam *semen mulieris* & *Abrahami filii* dicantur, qui sunt filii Dei, id tamen non est à mulieris aut Abrahami fœcunditate aut sanguine: sed 1. à divina promissione: qua ipsis dati sunt filii, Gal. 4: 28. Rom. 4: 17. quam ipsi fide sua ratificaverunt & irrevocabilem fecerunt. 2. à fidei exemplo, tanquam semine. Rom. 4: 11. 12. Quem locum una cum Abrahamo habent omnes fideles in paternitate filiorum Dei, quorum proventum sperant propter promissionem Dei, & quibus fide sua & bonis operibus prælucent. Es. 56: 3. 5. 59: 21. Habent enim aliquid singuli pii, quod in regeneratione aliorum fidelium est quasi semen. nempe

pe Confessionem verbi Dei & spei suæ in omni honestate, charitate, patientia. Unde Apostolus dicit, Se parturire Galatas, Gal. 4. v. 19. &, qui alios ad Christum ducunt, patres vocat 1 Cor. 4: 15. Et Ecclesia præcedens eorum, qui sequuntur, mater est. Nam verbum, per quod homines carnales regenerantur, ut fiant filii Dei, est in ore piorum; & ii suadent hominibus in nomine Dei, ut reconcilientur Deo. 2 Cor. 5: 20.

16. Verbum autem, quod est semen regenerationis, est verbum Euangelii sive de Gratia. Nam per id ostenditur Reconciliatio: citra cujus cognitionem & fidem non potest peccator Deum amare vel glorificare. Omne verbum, quantumvis sit verum & sapiens, si peccatorem non possit adducere ad amandum Deum, manet litera, & peccatorem occidit, eumque ad peccandum irritat. 2 Cor. 3: 6. Rom. 5: 20. 7: 8. Peccatum pestilentissimum, quod per legem in peccatore efficitur, est odium Dei, & sanctitatis ejus, & judicii ipsius. Quare verbum de Gratia est propriè λόγος ἔμφυτος, *sermo, qui implantatur*, qui *inscribitur cordi*, qui *convertit animas*, vel *eas restituit & recreat.* Jac. 1: 21. Jer. 31: 33. Psalm. 19: 8. Quo audito & recepto, recipitur omnis sermo Dei & efficitur τὸ συνήδεσθαι τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ *condelectari legi Dei.* Rom. 7: 22. Deinde, qui ei sermoni credit, is Dei nomen & virtutes ejus agnoscit, eumque glorificat. *Quod Verbum semen regenerationis?*

17. Hoc verbum est *Semen*, quatenus in eo proponitur, quod de Deo credendum est, quoque credito ipse glorificatur, & per quod movetur homo ad amandum Deum & ei obediendum, atque ita, dum mutatur ejus affectus erga Deum, novus fit. *Quare id Semen dicatur?*

18. Quanquam autem tale sit hoc verbum, ut peccatori ostendat Deum amabilem, tamen non *recipitur* ab *animali homine*, h. e. eo, qui spiritu Dei caret, & nihil habet nisi *animam*, qua vivat & sapiat: imò non potest ab eo *cognosci*, quia non nisi *spiritualiter dijudicatur*, hoc est, non examinatur & ad considerationem revocatur, nisi per Spiritum sanctum. 1 Cor. 2: 14. Atque adeò est multis *odor mortis ad mortem.* 2 Cor. 2: 16. *quorum mentes Deus hujus mundi excæcavit, ne radiet ipsis splendor Euangelii gloriæ Christi.* 2 Cor. 4: 4. Semen *spirituale verbi non recipitur,*

19. Ex his palam est, non sufficere ad regenerationem hominis *verbum bonum* auribus oblatum & inculcatum, imò etiam cum aliquo gaudio auditum, Hebr. 6: 5. sed revera requiri ad eam *Creationem novi cordis & novi spiritus*, hoc est, novæ & sanctæ cogitationis *nisi per potentiam Dei: atque ita regeneratio est* nova creatio.

ac voluntatis. Ezech. 36: 26. Psalm. 51: 12. Atque hinc dicitur Deus *resipiscentiam dare*, Actor. 11: 18. & *novus homo* dicitur *creatus*. Eph. 2: 10. 4: 24. Col. 3: 10. Confer § 13. Imò regeneratio vocatur ζωοποίησις *vivificatio*, & quidem ex morte in præputio carnis, Col. 2: 13. Igitur fides, amor & timor Dei attribuuntur Spiritui, ut effecta, qui ab iis donis *Spiritus fidei, amoris & timoris Dei* appellatur. 1 Cor. 12: 9. 2 Cor. 4: 13. 2 Tim. 1: 17. Es. 11: 2. Zach. 12. v. 10. Unde &, quando incipimus credere, amare, dicimur Spiritum gratiæ & sanctificationis accepisse. Scilicet, quemadmodum generatio hominis non fit sine creatione, atque ita idem homo, qui parentum generatione productus est, Dei creatione est & formatus est: ita cum supernaturali generatione sive nova generatione creatio concurrit. Et quemadmodum Maritus matris Ecclesiæ, qui eam imprægnat, hoc est, semen filiorum Dei ipsi committit, est & factor ejus; ita, quorum Pater est Deus, eorundem Creator est. Es. 54. v. 5. 66: 9. Adi & Psalm. 95: 6. 7. 100: 3.

Quum Deus renovet hominem, quomodo homini tribuatur seipsum renovare?

20. Nec ex eo, quòd jubemur *Circumcidere corda nostra*; Deut. 10. v. 16. Jer. 4: 4. efficitur, ut non sit *Circumcisio cordis* opus gratiæ & potentiæ divinæ, secundùm promissionem. Quum Deus *circumcidit corda*, facit, ut diligamus ipsum. Qui autem diligit Deum, *circumcidit cor suum*, deponendo & arcendo malas cogitationes & concupiscentias. Deus autem circumcidit corda interveniente mandato dilectionis. Quare, dum mandat, hoc facit, quod facere eum necesse erat, qui circumcidit corda. Ut autem sine verbo gratiæ id fieri non potest, ita nec sine Spiritu. Confer Ezech. 18: 31. *Facite vobis cor novum & spiritum novum*, hoc est, date operam, ut habeatis novas cogitationes & novos affectus per gratiam meam.

An dentur dispositiones ad regenerationem?

21. Quanquam autem in iis, quos Deus regenerare vult, in antecessum quædam operetur Deus multis modis, quæ deinde, quum hora salutis adest, fiunt utilia & fructuosa in eo, qui regeneratur; tamen neque ulla dispositio ad regenerationem, nedum congruentia in homine, qui necdum regenitus est, agnosci potest. Homo enim in statu peccati non est congruus divinæ gratiæ. Sola enim potentia Dei & jus Mediatoris est fons regenerationis. Ita, quòd hæredes salutis conservantur, ne in ea peccata incidant, quæ Deus non remittit, non est dispositio ad regenerationem, sed amolitio impedimenti regenerationis.

An fiat rene-

22. Neque fit regeneratio per gratiam sufficientem, quam quidam

dam dicunt posse esse non efficacem; quasi ex parte Dei nihil amplius fiat in iis, qui salvantur, quàm in iis, qui pereunt. Multa sunt, quæ sufficiunt ad damnationem, quæ non sufficerent ad salutem. *Gratia*, quæ *sufficit*, 2 Cor. 12: 9. est ea, quæ efficit. Ex Deo sumus in Christo. 1 Cor. 1: 30. per Deum sumus vocati in communionem filii ipsius, 2 Cor. 1: 9. neque ullo modo possumus gloriari in nobis. ib. v. 31. Alioqui vis nostra esset Deus noster. Habac. 1: 11. Nam, quod nos vivificat, est Deus noster. *vatio per gratiam sufficientem?*

23. Quum verò Deus dicit, Nihil sibi faciendum fuisse amplius, quàm fecerit, ut vinea fructum ferret, quæ tulit labruscas; Es. 5: 4. id intelligendum est dictum in contentione, quam habet Deus, ut cum vinea, ita cum omni carne: quæ præsumit de suis opibus, & culpam suæ inobedientiæ rejicit in Deum, quasi non fecisset cum ipsis omnia, sed, si hoc vel illud fecisset, officium factura fuisset. Hujus contentionis conclusio est, omne cor esse terram malam, & non posse subjici Deo, nisi mutetur à Deo & fiat terra bona. Scopus autem illius est, ut nos abnegemus, & in timore ac tremore salutem operemur sine murmure. Joh. 6: 43. 44. Phil. 2: 12. 13. 14. Nam, qui à Deo ipso monitus, hominem esse mortuum in peccatis, & nihil boni sine Deo posse cogitare, sibi tamen suæque sapientiæ, vel etiam justitiæ confidit, & non confugit ad Christum, qua excusatione apud Deum utetur, ne videatur dignus judicio? *Objectio.*

24. Est quidem magnum pondus in verbo bono ad hominis conversionem: sed id audivisse non prodest, nisi accedat coruscatio Dei in cordibus ad radiationem cognitionis gloriæ Dei in facie Christi. 2 Cor. 4: 6. hoc est, nisi is, qui lucet in verbo amabilis, etiam in corde luceat ut amans & salvans. *Dei συνεργία in renovatione.*

25. Opus est enim, ut 1. auferat nebulas cordis, falsam sapientiam & concupiscentiam, Psalm. 119: 18. 2. Excitet conscientiam ad id agnoscendum in verbo, quod de gloria Dei notum est naturaliter. 3. Aperiat cor, per dationem timoris sui, ut intromittat verbum auditum, idque consideret, & cum eo, quod de Deo natura notum est, comparet, ut videat, an id, quod de Deo revelatum est, sit Deo dignum, & in operibus Dei testimonium habeat. De qua apertione cordis ad προσοχὴν, σύνεσιν, ἀνάκρισιν, *attentionem, considerationem, examinationem*, vide Actor. 16. vers. 14. Matth. 13: 23. 1 Cor. 2: 14. 3. Infundat amorem sui, ut homo, animad versa Dei erga Ecclesiam maxima & admirabili φιλανθρωπίᾳ καὶ χρηστότητι, dile-

dilectione & bonitate erga homines, doleat propter violationem nominis Dei, se abneget, ad Dei communionem & ejus sensum ac certitudinem habendam anhelet. Quæ nominatur fames & sitis justitiæ. Matth. 5: 6. 4. Excitet ad animadvertendum in verbo Dei, quæ signa sint redemtionis & regenerationis sive communionis Christi; &, quæ sit ἐξουσία *potestas* & libertas sibi tantum bonum vendicandi. nempe, quòd iis, qui cupiunt esse digni Deo redemtore & sanctificatore & justificatore, hoc est, eum Patrem nuncupantibus & invocantibus, auctor fiat Spiritus sanctus, per verbum Scripturæ loquens, affirmandi de se gratiam Dei, & gloriandi in Deo, ut Deo suo. 5. Excitet ad semetipsum explorandum, & dilectionem Dei, velut Patris, coram Deo, & quidem ipso solo conscio, non in apparentia coram hominibus, in se requirendum & ejus intuitum desiderandum. 6. Excitet & confirmet ad propositum perpetuum committendi animam suam Deo in bonis factis. 7. Det lætitiam, maximè ex aliorum bono & salute, ac nominis divini glorificatione. Hisce modis & divinis operationibus *lucet Deus in cordibus, ut in eis radiet cognitio gloriæ Dei.* nempe ut gloria Dei fiat in iis lux, recreans ea & vivificans & lætificans & animans efferensque ad accedendum ad Deum, & efficiens, ut homo in gloria Dei delicietur & indicibili suavitate in ejus cognitione perfundatur.

26. Vix dignum dictu est, quantopere ab hac doctrina abhorreant, qui *gratiam Dei*, quæ est ἐλεος θεοῦ *misericordia Dei*, *per quam regeneramur*, 1 Petr. 1: 3. mutant in donum aliquod, quod volunt esse qualitatem; quam ponunt in hominis potestate; ut, si homo in eam influat, tum ea influat in effectum, quo homo non tantùm sanctus sed & justus sit. Quæ meræ sunt chimæræ. Vide summam nostram doctr. de Fœdere § 237.

Caput XLV.

De Resipiscentia.

Vox μετάνοια conversio, pœnitentia.

Ex his jam facilè intelligi potest, quid sit μετάνοια, *resipiscentia*, ut Lactantius dixit.

2. Reperitur hæc vox posita pro נָחַם, & quidem in hac re. Jerem. 8: 6. *Non est vir* נִחַם *quem pœniteat sui mali, dicendo, quid feci?* Id verbum notat mutationem consilii, recessionem à luctu, aut etiam ab ira vel maleficio. Alioqui pro illo, quod in Euangelio frequenter

quenter dicitur μετάνοια & μετανοεῖν, Syrus ponit verbum תְּוָב & nomen תְּיוּבְתָּא. cui respondet Hebræum שוב satis notum in Codice sacro & תְּשׁוּבָה Rabbinis usitatum. quod est ἐπιστρέφειν, ἐπιστροφή, *conversio, reditus* ad Deum. Latinus interpres *Pœnitentia* voce delectatur. Tertullianus adv. Marcion. 2. c. 24. de *pœnitentia* Dei loquens dicit, *Nam & in Græco sono pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Sed de Dei pœnitentia hîc agendi locus non est.

3. *Pœnitentia* vocabulum quum usurpamus, non debet intelligi quivis dolor, quo quis velut se ipsum punit aut punitur, quum confunditur; sed imprimis mutatio voluntatis in melius, displicentia mali & novus amor boni. *Non quivis dolor est μετάνοια.*

4. Dicitur μετανοεῖν *pœnitentiam agere*, vel potiùs, *resipiscere* etiam ille, qui se peccatorem confitetur & peccata quædam abdicat, & se coram Deo externis signis humiliat; ut de Ninevitis Matth. 12. v. 41. Luc. 11: 32. De quibus non potest dici, quod ad amorem Dei conversi sint; licèt hactenus fuerint prædicatione Jonæ tacti, ut se injustos faterentur & dignos ira Dei & de longanimitate Dei confiderent: & Jonam pro veraci propheta haberent, & sic Deum Israëlis formidarent: quod est illorum, qui convertuntur ad amorem & timorem Dei. Nam, quid in paucis fortasse effectum sit per eam prædicationem, non est attendendum, sed, quid tota civitas fecerit; de qua hæc μετάνοια *conversio* dicitur. *Τὸ μετανοεῖν imperfectè & impropriè alicubi dicitur.*

5. Actor. 8: 22. dicitur μετανοεῖν ἀπὸ κακίας *resipiscere à malitia*, ut maximè de damnatione & desitione peccati dici videatur. confer Prov. 28: 13. *Qui confitetur peccata sua & relinquit, misericordiam adipiscetur.* Ita Actor. 26: 20. *denunciabant* μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν, *pœnitere & converti ad Deum.* Tanquam distincta ponuntur μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν, tamen mox rursus uno vocabulo μετανοίας comprehenduntur. *Μετάνοια integra est à peccato.*

6. Duæ enim in conversione partes sunt, propter duos terminos. Nam, qui convertitur, à malo ad bonum, *à tenebris ad lucem*, à servitute Satanæ ad Deum convertitur. 1 Reg. 8: 35. Es. 59: 20. Jer. 15: 19. Actor. 26: 18. *Duæ conversionis partes.*

7. Eæ partes in Scripturis dicuntur νέκρωσις *mortificatio* vel ἔκδυσις *depositio* vetusti hominis, & ζωοποίησις *vivificatio* vel ἔνδυσις *indutio* novi hominis. Col. 3: 9. *exuentes veterem hominem cum operibus suis: & induentes novum, qui renovatur ad agnitionem juxta imaginem* seu *prout*

convenit imagini ejus, qui eum condidit. Sic Eph. 4: 22. 23. 24. *Deponere vos veterem hominem,* qui est *secundùm priorem conversationem, qui corrumpitur secundùm concupiscentias seductionis. Renovari verò spiritu mentis vestræ, & induere novum hominem, qui secundùm Deum conditus est in justitia & sancto studio veritatis.* Adde Gal. 5: 24. 25.

Ordo & connexio partium conversionis.

8. Sunt eæ partes simul. Quod verò ordinem naturæ attinet, licèt novitas sit posterior vetustate, & in profectu tristitia sit prior lætitia, & in fine sive consummatione prior sit abolitio vetusti hominis, quæ fit per καταργησιν τοῦ σώματος τῆς ἁμαρτίας *abolitionem corporis peccatorum,* hoc est, corporis, cujus concupiscentiæ nos inquietant, & in quo peccamus, Rom. 6: 6. quæ abolitio fit in morte, ut spiritus sit vita, Rom. 8: 10. tamen novitas amoris Dei est causa abolendi vetustatem odii Dei. Non tolluntur tenebræ nisi per lucem; non mors nisi per vitam; non paupertas nisi per divitias; non nuditas nisi per vestitum; non deformitas nisi per pulchritudinem; non vitium nisi per virtutem: ita nec odium nisi per amorem.

Initium conversionis Fides.

9. Ideò necessariò primum id in conversione est, per quod peccator Deum incipit amare. Atqui per fidem, qua recipit testimonium Dei de χρηστότητι *bonitate* ejus, quam exercet in Christo ad justificandum improbum, quia Deo gloriosum est, & confugit ad Salvatorem, primò incipit peccator Deum amare. Fides igitur est conversionis initium.

Timor Domini *fidem includit.*

10. Quæ innuitur in vocabulo *Timoris Iehovæ,* qui dicitur *initium sapientiæ,* imò *summa sapientia, & sapientia.* Prov. 9: 10. 1: 17. Psal. 111. v. 10. Job. 28: 28. imò arca & custodia sapientiæ, scientiæ, salutis, Es. 33: 6. & dicitur *annos addere* Prov. 10: 27. quem *timorem Domini cognoscere* est inter præcipua bona Novi Testamenti. 2 Cor. 5. v. 11.

11. Neque enim est is timor merus horror ob iram Dei, qui non tantùm tormentum habet, sed & est fuga Dei; neque formido accedendi ad Deum propter conscientiam nondum planè purificatam detinens in servitute elementorum mundi; qui tormentum habet, & amorem minuit, quia de lætitia delimat: sed humilitas animi erga magnitudinem Dei, & sanctitatem ejus & misericordiæ divitias; & sollicitudo ac cura trepida (confer Psalm. 2: 11. Hos. 3: 5. 11: 11.) ad apprehendendum & retinendum salutare Dei, & in se semper videndum pignus salutis arrhabonem spiritus.

12. Imprimis in eo est *trepidatio propter verbum Iehovæ,* ut Jehovæ, qui

qui alloquitur peccatorem, ut volens facere cum eo fœdus, & ei ostendit gratiam & veritatem suam, & venit ad homines, ut ipsis verba sua eloqueretur. Es. 66: 2.

13. Inest porrò in conversione displicentia peccati, Psalm. 34. v. 15. 97: 10. odium Satanæ & operum ejus, Genes. 3: 15. luctus propter violationem nominis & gloriæ Dei, Matth. 5: 4. Es. 61: 2. abnegatio propriæ sapientiæ & justitiæ & virium suarum. Es. 55: 7.

14. Ita ex altera parte est in ea condelectatio sive deliciatio in lege Dei, Rom. 7: 22. Psalm. 1: 2. & fames ac sitis justitiæ atque ita servitutis justitiæ ad gloriam Dei; Matth. 5: 6. cum voto, proposito ac studio serio proficiendi ad ἐπίγνωσιν *cognitionem* & *agnitionem*, quæ digna sit imagine creatoris, Col. 3: 10. & ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος *plenitudinem spei*. Hebr. 6: 11.

15. Interim regeniti sæpe faciunt malum, quod nolunt, & sæpe non faciunt bonum, quod volunt. Rom. 7: 19. imò nunquam *faciunt, quod volunt*, Galat. 5: 17. hoc est, nunquam sibi satisfaciunt. quia & præoccupantur, Gal. 6: 1. & cum difficultate luctantur, & multis laqueis circumdati sunt, & nec sciunt, quemadmodum oportet, quid orent. Rom. 8: 26. Ne scilicet putent, se in hoc esse justificatos, quòd sanctificati sunt, sive conversionem à malo esse justitiam suam; & ad gratiam semper confugiant. Estque hæc causa ipsis perpetuò suspirandi, & dilectionem Dei in desiderio perfectæ sanctificationis & ejus statûs, in quo est perfecta sanctificatio, exercendi. Rom. 7. 24. 2 Cor. 5: 1. 2. 3. 4. Matth. 6. v. 10. Phil. 1: 23.

Regeneratio non facit perfectè sanctos.

16. Tamen, qui Christi sunt, &, dum credunt in Christum, carnem suam mortificare inceperunt, jam mortificarunt carnem cum passionibus & concupiscentiis. Galat. cap. 5: 24. Nam in Christo, quem induerunt, habent, propter quod veterem ipsorum hominem aboleri oporteat, Rom. 6: 6. & quare non regnet in iis peccatum, cui mortui sunt. 2 Cor. 5: 15. Gal. 2: 19. 20.

17. Pœnitentia non satisfacit pro peccato: sed est fructus non-imputati peccati.

Pœnitentia non est satisfactio pro peccato.

18. Et pœnitentia à quotidiano peccato non agitur, nisi in confessione peccati apud Deum & apud proximum scandalizatum, & in fiducia intercessionis Christi. 1 Joh. 2: 2.

Pœnitentia à peccato quotidiano.

19. Pœnitentia est ad vitam. Actor. 11: 18. Ez. 18: 21. 23. 31. Neque adeò sera est, dummodò sit vera.

Omnis pœnitentia omni tempore habet ipsem vitæ.

20. Sed peccantes in Spiritum sanctum non possunt renovari ad pœni-

Peccatum in

Spiritum sanctum non emendatur per pœnitentiam.

pœnitentiam, quia pro ipsis non est sacrificium. Hebr. 6: 6. 10: 26. Matth. 12: 32. 1 Joh. 5: 16. Quapropter dolor, qui in ipsis, qui in Spiritum sanctum peccarunt, existere potest & plerunque existit, non est μετάνοια laudata in Scripturis, quæ est ὀπτροφὴ πρὸς θεὸν *conversio ad Deum*; sed desperatio, & *terribilis exspectatio judicii*, Hebr. 10: 27. faciens, ut homo quærat mortem fugientem, hoc est, cupiat per ignorantiam indurari & verbum Dei non audire, & Deum blasphemet, eum accusando apud animum suum vel etiam ore, vel palam vel tectè per doctrinas Deo indecoras & cultus ingratos, quibus animum suum tranquillare student.

Cap. XLVI.

De Fide.

Vocatio fidei donatio.

Vocatio, quæ non est tantùm sollicitatio & invitatio per mandatum fidei & promissionem ei additam contrariamque comminationem; sed cordis ipsius compellatio & commotio; imò (secundùm Testamentum æternum Christo pactum & patribus per promissionem filiorum & hæreditatis gentium notificatum) divina jussio effectus divini in homine: est potens hominis peccatoris adductio ad communionem Dei. Ea communio est in Christo. Per fidem sumus in Christo. Igitur vocatio illa est fidei largitio. Unde & καλεῖν *vocare* & κλῆσις *vocatio* sæpe in Scripturis pro fidei donatione sumitur, & κλητοὶ *vocati* pro fide donatis. Vide Rom. 4: 17. 8. v. 28. 30. 9: 11. 24. 1 Cor. 1: 24. 26. (collato v. 2. 9.) 30. ubi est quasi explicatio per τὸ ἐκ θεοῦ εἶναι ἐν Χριστῷ *ex Deo esse in Christo*. c. 7. v. 17. 18. 20. 21. 22. Gal. 5: 8. Ephes. 1: 18. 19. 1 Thess. 5: 24. 2 Tim. 1: 9. Atque hinc, *qui credunt*, per fidem sibi donatam Christum dono *accepisse* rectè intelliguntur Joh. 1: 12. Et, sanctificationis primum effectum, ac Resipiscentiæ primam partem esse Fidem, cognovimus. De ea igitur specialiùs agendi tempus est.

De voce πίστις. Fides &c.

2. Πίστις, πιστὸς, πιστεύειν, hoc est, *fides*, *fidelis* sive credens, *credere* conjugata se mutuò explicant. Primum πίστις ἕξις, alterum ἕξις ἔχοντος αὐτῆς, tertium πίστις ἐνέργεια sive πρᾶξις imò ἔργον *opus* (sic enim Christus appellat Joh. 6: 29.) significat. Neque ferè opus est, ut ulteriùs ab ὁμωνυμίᾳ liberemus subjectum tractationis hujus. ut quum πίστις *fides* notat τὸ πιστευόμενον *id, quod creditur*; vel πρόσημον πιστὸν sive ἀξιόπιστον *argumentum fide dignum*, in ea phrasi, πίστιν φυλα-

χὴν

χὼν πᾶσι *fide omnibus facta*, hoc est, argumento infallibili omnibus exhibito. Actor. 17:31. Gal. 3:23. 25. *venire* & *revelari fides* dicitur, hoc est, sperata veritas promissionis creditæ, & fides veritatis datæ. Est quidem alicubi etiam πιστὸς λόγος *fidelis sermo* ἀποδοχῆς ἄξιος *receptione dignus*; & persona, quæ verbum verat & credentem non fallit; ineptè tamen facit, qui πιστὸς potiùs speciem τῶν πιστευόντων *credentium* esse vult, quàm nomen. Patet enim in Scriptura, omnes verè πιστεύοντας vocari πιστὸς, id est, πίστιν ἔχοντας, σαν ἱσότιμον πίστιν λαχόντας: & sic ἄπιστον dici ἀπιστοῦντα, πίστιν μὴ ἔχοντα. Eadem omnia Scriptura concedit τοῖς πιστεύουσι *credentibus* & πιστοῖς *fidelibus*. Quanquam iidem per vocabulum hoc declarentur & ἀνυπόκριτοι *non simulati* & βέβαιοι *constantes*: ut & Hebraicè per אֱמוּנִים & נֶאֱמָנִים *fideles*, *constantes*, *fide digni* significari solent. Nam, ut postea demonstrabitur, τὸ πιστὸν εἶναι *fidelem* sive *credentem esse* est & μένειν *maenre*. 1 Joh. 2:5. 6. 14. 27. 3:6. 4:15.

3. In Prophetarum sermonibus אֱמוּנָה, אֱמוּנָה, סֶאֱמֶת conjunguntur. Et perspicuè Hab. 2:4. in illo, צַדִּיק בֶּאֱמוּנָתוֹ יִחְיֶה *justus in fide ipsius vivet*, ἡ πίστις *fides* credentis significatur: quod non tantùm Magistri Ebræi fatentur, & Apostolus confirmat, sed etiam loci paralleli probant: ut Gen. 15:6. Psalm. 2:12. Es. 7:9. 28:16. 53:11. Et sic vox אֱמוּנָה usurpatur 2 Reg. 12:16. אֱמֶת, quod *veritatem* notat, pro fide ponitur Psalm. 51:8. 85:12. quia fides est veritatis divinæ obsignatio, & verum animi judicium de justitia & salute peccatoris; à quo quod dissonat, mendacium est. Perinde igitur est dicere ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς, *veritas vos liberos faciet*. Joh. 8:32. & ἡ πίστις ἐλευθερώσει, *fides liberos faciet*.

4. Ad fidei naturam noscendam facit & etymologia verbi Hebræi הֶאֱמִין. Descendit ab אָמַן, quod propriè est *gestare*. Patet ex parallelis Es. 60:3. & 66:12. item ex Thren. 4:5. & ex derivatis אוֹמֶנֶת, אֹמֶן, אוּמְנוּת. Non malè Cl. Gomarus *firmare* reddidit. Est ergo הֶאֱמִין se rejicere gestandum in alicujus veritatem & potentiam, niti aliquo, se alicui committere. Unde apparet, quomodo non tantùm ad testimonii receptionem, sed & ad πεποίθησιν *fiduciam* significandam adhibeatur; & non tantùm cum dativo, sed & cum præpositione ב, quæ vertitur εἰς, ἐν, ἐπὶ, construatur.

5. Sed ut ordine de fide, qua Christo complantamur ad justitiam & adoptionem filiorum, agamus, ante omnia ejus objectum considerandum est. Aug. 11. de Civ. D. 3. *Si sciri possunt testibus nobis,* *Fidei objectum.*

quæ remota non sunt à sensibus nostris sive interioribus sive etiam exterioribus: profectò ea, quæ remota sunt à sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus eisque credimus, à quorum sensibus remota esse vel fuisse non credimus. Igitur fides primò consideratur ut perceptio veritatis rei à sensibus remotæ; & sic ei propriè objicitur testis, ejusque scientia & veracitas, ipsumque testimonium. Neque negandum est tamen, quod & vulgaris sermo & divinus importat, & *sciri* dici illa, quæ *creduntur*; & *credi*, quæ ex compertis rerum argumentis colliguntur. nempe & eorum, quæ non videntur vel sensibus accipiuntur, sed ex claris ac evidentibus intelliguntur, argumenta notiora & certa principia tanquam obsides sponsoresque sunt; & eorum, quæ rectè creduntur, certitudo eadem est, quæ scientiæ, & fortasse major. Nam in ingenio humano multiplex obscuritas & vacillatio, in satis magni testis receptione nulla titubatio est. Atque adeo perperam facit Episcopius, qui, quoad certitudinem, fidem facit mediam inter scientiam & opinionem. p. 2. op. pag. 272. *Fides ambiguum non habet; aut, si habet, fides non est, sed opinio.* ⟩ *Et, si non habet incertum non magis quam intellectus, habet tamen involutum, quod non intellectus.* Bern. de consid. l. 5. qui fidem, hac parte, definit *voluntariam & certam prælibationem necdum propalata veritatis.* Cum quo consentit, quod Hebr. 11: 1. quasi definitur ἔλεγχος οὐ μὴ βλεπομένων *demonstratio eorum, quæ non videntur.*

Quomodo illa fidei divinæ objiciantur, quæ sciri possunt?

6. Statim hîc se offert quæstio: An & quomodo illa ad fidem, qua creditur Deo, pertineant, quæ, tametsi non pateant sensibus, tamen evidenti & necessaria ratione sciri, etiam sine testis auctoritate, possunt? Respondeo: dupliciter. 1. si rem demonstrabilem etiam Deus suo confirmet testimonio, & demonstrationis viam certitudinemque aperiat. Ita, mundum habere initium, & ratione certa demonstrabile est, & Deo testanti nihilominus credimus, atque etiam ipsam naturalem demonstrationem propter auctoritatem ejus eo firmiùs amplectimur. 2. Si excitati divino testimonio, quod Deus edidit de rebus, quæ non nisi revelatione cognosci possunt, & ad id recipiendum inclinati ex amore veritatis mentem alioqui aversam & hæsitantem & opinionibus obrutam intendimus rerum, quæ cum rebus creditis conjunctæ sunt, vestigationi. Ita πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ *fide animadvertimus, secula aptata esse verbo Dei*, Hebr. 11: 3. Ubi *fides*, ut amor veritatis Deo gloriosæ & nobis salutaris ab ipso re[illegible]latæ, sine dubio causa & ἐν-

δόσιμον

διάνοιαν considerationis sive applicatrix mentis ad τὸ νοῦν τὰ θεῖα ἀόρατα τοῖς ποιήμασι ad animadvertenda per ea, quæ facta sunt & fiunt, Dei invisibilia, Rom. 1: 20. & directrix ejus notatur. Nam fides Deo occulta sua ἀποκαλύπτοντι revelanti inhæresces etiam σώσειν operatur & κόσμον animadversionem circa τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, cognoscibile & cognoscendum Dei, quod est φανερὸν ἐν ἡμῖν, ad Dei sapientiam discendam perfectiùs & mentem ab omni exagitatione & errore liberandam, Rom. 1:19. Qua in re non satisfaciunt Scholastici fidem sic à scientia separantes, quasi nulla copulatio & connexio illas inter esset, & quasi fides sapientiam Dei in testimonio Dei contemplandam longè à se sperneret. Vide Valent. tom. 3. d. 1. q. 1. p. 4. §. 2. Verum est, quod Apostolus dicit 2 Cor. 10: 5. λογισμὸς καθαιροῦντες καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ καὶ αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, ratiocinationes convellentes & omnem altitudinem, quæ se effert contra cognitionem Dei, & captivam facientes omnem cogitationem in obedientiam Christi. Igitur fides vincit sanè ratiocinationes & omnem rationem captivat in obedientiam Christi, sed tamen mentis sobrietatem & lucem & notam naturaliter veritatem non tollit, vel excludit, sed per eam ipsam vincit. Nam Deus sibi non est contrarius. Quæcunque Deus facit, habent suum ordinem & pulchritudinem. In eis, quæ sunt Spiritus Dei, est sapientia & prudentia, & partium analogia apta ad σύγκρισιν comparationem, quam possit instituere docens & discens, & omnia nostra docens ad gloriam creatoris & redemtoris dirigere in regno Dei. Fides est λογικὴ λατρεία rationali cultu, non ἄλογον ratione carens. Habet σώφρονα in τῶν consideratione. Quod in fide fit ac dicitur, decenter & gratiosè, εὐσχημόνως irreprehensibiliter & ἀπροσκόπως sine offensa fit ac dicitur. Doctrina fidei est λογικὸν γάλα rationale lac, & se manifestat ad conscientiam. Qui credunt, in luce ambulant & à gloria in gloriam magis magisque transformantur. Verbum Dei aperit & redarguit cogitationes cordium, facit divisionem spiritûs & animæ, penetrat usque ad medullas, compages & juncturas. Est λόγος ἔμφυτος sermo aptus cordi implantari. Quod ex vero est, sive ex eo consequitur, verum est; & mendacium ex veritate non est, nullo modo ex veritate consequitur, neque ullam cum ea affinitatem habet. Quod sine dubio fieret, si consequentia certa fallere posset. 1 Joh. 2: 21. Non igitur fides interimit rationem, sed excitat; non intricat, sed dirigit; non excæcat mentem, sed il-

lustrat; non premit sed liberat, nimirum à cupiditatibus, erroribus, ignorantiis, temerariis judiciis & opinionibus, & obmurmurationibus cóntra veritatem Dei, tanquam laqueis Satanæ, quibus innodata erat ad faciendam voluntatem ejus. 2 Tim. 2: 25. 26. idque elevando eam supra se ipsam in Deum ad cognoscendum & recipiendum ea, quæ priùs neque nosse poterat nec recipere, quia stultitia ipsi erant, quæ superant omnem γνῶσιν *cognitionem*. Viæ Dei sunt supra vias hominum & cogitationes Dei supra cogitationes hominum; sed non sunt contrariæ nisi viis curvis & cogitationibus pravis.

An consequentia divina revelationis apprehendantur fide?

7. Sed quò referemus consequentias bonas, firmas, necessarias earum veritatum, quæ revelatione cognoscuntur? sive in syllogismo, quo ex concluduntur, utraque præmissarum expressè in verbo Dei contineatur, sive alterutra, altera autem sit naturali ratione scita? numquid ad fidem, an ad scientiam? an ad aliud genus? Hoc est, quod hoc tempore Pontificiorum antesignani inexercitatis objiciunt tanquam μορμολύκιον; quasi, ubi de consequentia verborum Scripturæ disceptatio est, non sit quæstio de fide.

8. Utile est audire Scholasticos. Scotus 3. d. 24. q. 1. n. 14. *Si aliqua ibi tradita probarentur ex aliis, non assentiret eis, quia sic probata: sed cuilibet dicto in Canone assentit non quia probatur modo dicto sed solum propter auctoritatem Dei, ratione cujus assentit immediatè omnibus traditis in Scriptura, non uni propter aliud per syllogisticum discursum.* n. 15. *quia etsi unum posset sequi ex alio, non habet tamen majorem certitudinem de illo quod sequitur, quam de illo ex quo sequitur.* n. 16. *Si exponit per alias scientias, tunc dico, quod conclusio non habet majorem certitudinem, quam altera præmissarum, quæ minus certa est. in omni mixtione certitudo conclusionis est certitudo præmissæ minus certæ. Igitur nec conclusio erit demonstrata generans scientiam, quamvis possit generare habitum alium à fide.* Quem igitur? Scholium dicit: *Habitum naturalem Theologiæ.* n. 20. citat ex Aug. 15. de Trin. c. 17. *Cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tanquam veracissimis testibus, agant orando, quærendo & bene vivendo, ut intelligant, id est, ut, quantum videri potest, videatur mente, quod videtur fide.* ubi Scholium dicit, quod habitus explicandi & defendendi res fidei sit distinctus à fide, sed non sit scientia, nec lumen medium, sed innitatur lumini fidei. De his Durandus in prologo q. 1. n. 48. 49. 51. 52. 53. Hi homines fidem restringunt ad ἀποκαλυπτὸν *revelatum*, & τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *cognoscibile Dei* ab ejus objecto removent.

9. Quod

9. Quod culpandum non est; si tamen fateantur, ea, quæ naturaliter cognoscuntur, posse etiam divino testimonio non tantùm confirmari, sed etiam ostendi hominibus ea negligentibus. quod quum fit, sine dubio fides ea & amplectitur & ad ea in natura rerum animadvertenda excitat. Concedendum ipsis similiter est, quando Deus in verbo suo vel ipse vel per ministros suos spiritu suo præditos argumentatur; tum in primis omnes partes argumentationis fide apprehendi.

10. Sed illud non est concedendum, uno revelato non apprehendi fide, quod inde sequitur; nisi si Deus ipse ostendat id, quod consequitur. Nam id, quod ex revelato consequitur, non nisi fide apprehendi potest. Ipsa autem consequentia naturaliter cognoscitur. Et, quando Deus argumentatur, non tantùm fidei obedientia subjicimus nos eis, quæ Deus dicit: sed etiam conscientia nostra Deo attestatur, quòd ex iis, quæ ipso revelante audiveramus & credideramus, id, quod ipse dicit, inde consequi, revera consequatur; atque ita divinum testimonium sapientiam veram contineat. Quemadmodum verò, quum Deus argumentatur, sapientiam Dei recognoscimus, ita, quando Deus facit, ut attendamus verbo ejus, &, quid ex vero sit, quidque ex vero non sit, percipiamus, atque ita sapientiores fiamus, Dei revelantis mysterium salutis sapientiæ similiter attestamur, neque minùs credimus vero, quod ex vero est, quàm si id Deus ipse indicasset. Conclusio igitur facta ex veritate revelata, propriè ad *scientiam* sanè non pertinet. quia ratio id tenendi non est aliquid natura cognitum.

11. *Naturalem habitum Theologiæ* quum dicunt, videntur significare cognitionem partim fide partim naturali consequentia certam. Partem debiliorem in præmissis vocant certitudinem fidei, quasi non æquè certò debeamus tenere ea, quæ Deo credimus, quàm quæ sensu & ratione comperimus. Hinc occasio Valentiano, præferenti certitudinem fidei (atque ita ex alia hypothesi) partem debiliorem vocandi, quod scitur, & sic conclusionem ex scito & credito infra fidei certitudinem, contra mentem Scoti, projiciendi. Canus lib. 12. c. 3. in fine. *Si ambo syllogismi principia fidei sunt, seu alterum ex fide certum, alterum ex natura evidens, conclusio ad Theologiam pertinebit. Haud secus ejusmodi conclusionis scientia refertur ad fidem, quàm ad habitum principiorum naturales disciplinæ.* Videndus idem l. 6. c. 8. pag. 410.

12. Quæ quamvis ſpinoſè & inutiliter diſputentur, tamen oſtendunt, quam pueriliter ineptiant hodierno tempore illi, qui non permittunt fidelibus argumentari ex ſacris literis, vel ad conſtituendum articulum fidei, vel ad rejiciendum falſa dogmata, ut judicetur, ea tenere eſſe errorem in fide: dicentes, *Fides non eſt diſcurſus: conſequentiæ non ſunt verbum Dei.* Quæ præſtigiæ huc tendunt, ne videamur propter conſcientiam vitare eos, qui in errore verſantur, quos effugimus, nec auctore Scriptura, ut errantes in fide.

13. Ut igitur hoc planiſſimè explicetur, (quanquam & ſupra c. 6. hanc rem attigimus. Sed neceſſe eſt, eandem rem ob connexionem pluries tractari; & ad firmitatem pluries inculcari) animadvertendum eſt, Omnem revelationem fieri ad ſenſum hominis, verbi gratia, auditum; & per verba, quæ homo poteſt intelligere. Neque poteſt dici plena revelatio, niſi, quando aliquis audit, quod Deus loquitur, & intelligit. Nam, ſi Deus tantùm loquatur, & nemo audiat, non poteſt dici facta eſſe revelatio: &, ſi talibus verbis utatur Deus, quæ nemo poſſit intelligere, ſimiliter etiam non erit facta revelatio. Denique, quamdiu quis non intelligit, quæ tamen verba Dei eſſe novit, habet quidem verba, in quibus continetur veritas aliis (intelligentibus ſcilicet) revelata, ſed nondum ei facta eſt revelatio. Ideò illi, qui attendit, qui diſcit, quum diſcit & intelligere incipit, dicitur fieri revelatio. 1 Cor. 14: 30. Non ideò minùs Deus revelat, quia is, cui revelatur, audit verba Dei: quamvis audire verba ſit naturale. Nec minùs ideò revelat, quia non ſtatim ad mentem revelat, ut faciat id cogitare, quod Deus ſolus novit: ſed verbis utitur. Et, quum verba loquitur Deus, per quæ revelat, non ideò non revelat, quia non explicat, quæ ſit poteſtas ſingulorum vocabulorum, vel conjunctorum, vel etiam partium orationis in ejus integritate & ſumma. Satis eſt, quòd Deus revelans ea loquitur, quæ attendenti & prudenter verba conſideranti in toto ſermone (nulla ejus parte refragante) apta nata ſunt ingerere cogitationem eorum, quæ loquens voluit occaſione verborum ſuorum cogitari; & auditorem non relinquere ambiguum, an idem debeat affirmare vel negare. Hoc autem ſine ratiocinatione & comparatione partium orationis, aut aliorum ſermonum, quos idem Deus de eadem re locutus eſt, deprehendi non poteſt. Totum igitur hoc, quod in poteſtate verborum Dei eſt, quodque ea faciunt audientem prudenter cogitare, revelatum

velatum & à Deo dictum censendum est, & fide recipitur.

14. Eamus per exempla. Davidi revelatum fuit, Keïlitas ipsum tradituros. Non putamus, ei eadem opera per eadem verba revelatum esse, debere ipsum fuga sibi consulere? Si David hîc disputasset, utrum error in fide aut incredulitas futura fuerit, manere Keilæ, & ibi mansisset; potuissetne se à culpa inobedientiæ liberare? Quid igitur interest, quo nomine appelletur non receptio ejus, quod ex verbo Dei consequitur, sitne infidelitas necne, si est contumacia & inobedientia? Et, quod certitudinem attinet, nonne æquè certum erat, Davidem sibi debere fuga consulere, quàm certum erat, Keïlitas eum tradituros, si maneret apud eos?

15. Quid? si ad primam revelationem accedamus; nonne, quum Deus dixit, *Quocunque die comedes de hac arbore, morte morieris*, potuit & debuit Adam intelligere, mortem omnem sibi imminere; & imprimis privationem sanctificationis: quia illa est quædam mors, &, qui non sanctificatur, est mortuus in peccatis? Atqui hoc natura notum est. An igitur hoc non pertinet ad revelationem, eam mortem secuturam ex esu hujus arboris, quia natura notum est, hanc quandam mortem esse? Item, non sine morte posse Adamum habere communionem cum Deo? Item, Non sine morte alterius Adami? Hoc enim naturaliter ex lapsu & inobedientia & verbo Dei consequitur.

16. Ita, quum Deus dixit, *Semen contriturum esse caput Serpentis*, non simul videbitur iisdem verbis significasse & dixisse, Semen aliquod fore divinam personam? quia nempe gloria hæc non potest à Deo alienari, &, qui ponit inimicitiam sive est causa sanctificationis, eum ipsum quoque oportet esse causam communionis peccatoris cum Deo, & consequenter justitiæ ejus. quæ sana ratio dictat & conscientia, quam habemus de Deo & ipsius gloria ac prærogativa, hoc testatur.

17. Servator Matth. 22: 29. Sadducæos redarguit, ut πλανωμένους *errantes* & μὴ εἰδότας τὰς γραφὰς *ignaros Scripturarum*, quòd resurrectionem carnis, demonstrabilem ex Scripturis, ignorarent. imò illud, *Ego Deus Abrahami*, asseverat esse *dictum de resurrectione mortuorum*. vers. 31. Apostolus Gal. 4: 21. negat, eos, qui libertatem Christianam repellebant, *legem audire*.

18. Impudenter responsatur, demonstrationes Christi & Apostolorum non obligasse fidem nisi propter ipsorum auctoritatem

super-

supernaturalem. Nam, præterquam quòd hac ratione Christi & Apostolorum auctoritas supernatutalis immane quantum labefactatur, si negetur, Christi doctrinam demonstrationis ex Veteri Testamento potentia conscientiam obligasse, etiam dicendum esset, Christum malè corripuisse Sadducæos, & eos non fuisse convictos de credendi debito, & Pharisæos non sapientiam Christi sed auctoritatem miratos fuisse. Fides non est discursus; sed nec auditus, nec lectio, nec Grammatica, nec Rhetorica, nec ratio: attamen fides est ex auditu, lectione, intentione, ut cum Augustino loquar, *sensuum interiorum*, & sic λογιζωμ̃.

19. Quid est magis irrationale, quàm dicere, Deum aliquid revelantem non tamen videri id revelasse, sine quo id ipsum esse non potest? sive in quo essentia & veritas ejus, quod revelatum est, consistit? &, quando de Dei opere sermo est, sine quo Dei opus non habet laudem sapientiæ? Dummodò id evidenter cognoscamus se ita habere, hoc est, ejus consequentiæ conscientiam testem & approbatricem habeamus: non autem nobis ipsis consequentias fingamus, quæ necessariæ non sunt.

Fides solum Deum testem respicit.

20. Dixeramus, Fidem respicere testem & veracitatem ac scientiam ejus, denique testimonium. Unde patet, fidem illam, qua recipimus veritatem salutarem, non posse ad alium testem respicere, quàm ad eum, in cujus manu est vita & mors, & qui novit ac vidit eum. Homini certè fides propriè haberi non potest, qui de suo loquens est mendax, &, etiamsi vera ac divina loquatur, ex terra, ut minister & discipulus, loquitur Joh. 3: 31. neque Angelo omni, quia est & angelus tenebrarum; ne angelis lucis quidem, nisi quatenus structura lucis per ipsos, ut servos & missos, nobis administratur. Deus, apud quem solum sapientia est, qui habet omnia in manu, cujus est gratia & veritas; &, qui Patrem & consilia ipsius vidit & audivit, ac profunditates ejus scrutatur, Filius & Spiritus sanctus tres sunt, qui testantur, & in quorum nomen credimus.

Fides non spectat modum proponendi, sed argumenta divinitatis verbi.

21. Divinum verò testimonium recipit Fides, quocunque modo id fuerit propositum & intimatum, & quocunque medio sive argumento nobis innotescat verbi divinitas. Nam cognoscitur Deus non uno modo locutus esse. Hebr. 1: 1. &, *priùs per Prophetas, deinde per se ipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, qua canonica nominatur, eminentissima auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec*

per

per nos ipsos nosse idonei sumus. Augustin. 11. de Civ. Dei. 3. similia Enchir. ad Laur. c. 4.

22. De sermone, quem audiverunt primi parentes, & de ejus repetitione ac traditione superiùs egimus. Inter omnes Christianos duo saltem sunt ὁμολογούμενα & extra dubitationem posita. 1. quòd is, qui Scripturæ credit, Deo credat. 2. quòd verbum sive lex Dei, quæ sine dubio est *lex justitiæ fidei*, secundùm promissionem Dei, quæ est Jer. 31. Hebr. 8. sit posita in medio omnium & in omnium ore & cogitatione versetur; ita ut non nisi à barbaris, nescientibus, quid in mundo actum sit, aut homines fugientibus ignorari possit.

23. Cæterum, qui *legem Dei* in ore habent, non possunt dicere, Deus locutus est ad nos; sed tantùm, Patres nostri narraverunt nobis, se hoc à parentibus suis accepisse, quod & ii dixerint, se cùm à patribus audivisse, tum in libris Prophetarum & Apostolorum legisse; in quibus idem & nos legimus.

24. Quanquam igitur sine majoribus (sive illi fideles fuerint, sive hypocritæ aut hæretici) neque libros illos habeamus, neque verba legis justitiæ & fœderis Dei audiverimus; tamen fides nostra non fertur in auctoritatem humanam vel unius vel multorum.

25. Quantumvis enim non possimus dubitare, hoc multos legisse, quod multi ubique testantur se legisse; & hoc multos audivisse, quod multi ubique testantur se audivisse; atque hactenus auctoritas testium irrefragabilium ipsis conveniat: tamen neque propter nomen, sententiam judiciumve aut jussionem eorum, qui ea nobis scripta tradiderunt, quæ ab omnibus legebantur, quum ea nobis traderent; neque eorum, qui nobis narraverunt, quam legem justitiæ à majoribus audiverint; credimus, ea scripta & eam legem divinam esse: utut divina esse non possent, si non ita à multis lecta & narrata traditaque fuissent; propterea, quia tot seculis antè à Deo & Christo dicta & per indubitatos Dei & Christi ministros tradita non nisi per patres ad nos pervenire potuerunt; & ipsa Scriptura mendacii rea futura fuisset, si non, quemadmodum factum & in ea prædictum est, plurimi fuissent, qui legissent, descripsissent, pronunciassent, seque legisse & audivisse, filiis suis & posteris nobis narrassent & indicassent. Quod ut fieret, divinitas hujus Scripturæ & hujus legis & divina per eam legem ἐνέργεια in mundo effecit: quæ tandem coëgit homines, si vellent boni viri haberi, ea scripta

Notitia est fides.

esse fidem. Nam potest quis nosse, quid Alcoranus & Talmud tradant, nec tamen iis credere. Judæi intelligebant, quæ Christus testabatur, sed non credebant. Catechesis nostra fidem dicit non *notitiam*, sed *certam notitiam*, sive cognitionem, qua quis certus sit & non dubitat & *firmiter assentitur*. Sed de assensu postea.

Quarum veritatum notitia requiratur ad fidem? Fides implicita.

33. Nunc, quum fides *assensum* dicere noscatur, quomodo fidelis verbo Dei & quibus veritatibus assentiatur, ut notis? quæritur. Pontificii obtrudunt hîc nobis *fidem* quandam *implicitam*, & Carbonarii, (de quo est apud Hosium 3. de auct. Script. folio 261. ed. Stelsianæ) qua quis inducit animum credere, quod credit Ecclesia, quæ nihil aliud est, quam voluntaria animi sui deditio in obsequium Papæ sine ullo examine eorum, quæ is præcipit, ad normam Scripturæ: imò, ut clariùs loquar, nihil est, nisi eligere, loqui & facere, quæ Papa cum sibi obedienti multitudine loquitur & facit. πίστιν ὀνομάζουσι, verba Theodoreti, τὴν ἀβασάνιστον ὑπὸ ἀναπόδεικτος καὶ ἀφάτοις συγκατάθεσιν. *Fidem nominant assensionem* sive approbationem *inexploratam rerum non demonstratarum & non certarum.* Hanc nos non *fidem* sed *defectionem* interpretamur, secundùm testimonium Apostolorum 1 Tim. 4: 1. 2. 3. 2 Thess. 2: 10. 11. 12. 2 Tim. 4: 3. 4. Apoc. 13: 16. 20: 4. Solet Scriptura vocare *filios fornicationum*, qui suam fidem substringunt hominibus.

34. Interim cum Calvino Inst. 3: 2. 4. 5. agnoscimus, fidem nostram in multis esse implicatam, & *fidem implicitam* posse vocari *fidei præparationem.* Nimirum sunt & in pueris & rudibus, dummodo conscientiam audire possint, fidei igniculi, quibus, quum audiunt sermonem Euangelii de Christo propter peccata nostra dato & propter justitiam nostram excitato, inardescunt ad desiderium cognoscendi de ea doctrina, & ut eam, ceu rationale lac, appetant, &, tanquam verbum Dei Scripturæ auctoritate roboratum, paulatim uberiùs hauriant. In quibus est præparatio animi 1. ad credendum & quærendum omne verbum Dei & sic sortem habendi cum sanctis, sive perveniendi ad φρόνησιν δικαίων *sensum & prudentiam justorum.* Neque enim, quod nobis Papistæ imputant, contemnimus Ecclesiam & communionem sanctorum; sed distinguimus fidem, qua credimus Ecclesiam, à fide in Ecclesiam; fidem Ecclesiæ à legislatione Papæ & cæca obedientia hypocritarum. Nam φρόνησις δικαίων *prudentia justorum* non nisi in verbo Dei, ut in typo suo, reperitur. 2. post πίστιν καὶ τῶν ἱερῶν γραμμάτων *certioratio-*

nem

nem de sacris literis ad credendum Scripturæ, tanquam verbo Dei, in omnibus per eam revelatis; & ea indagandum & scrutandum pro viribus. in summa, *docilitas* sub Dei magisterio *cum desiderio proficiendi.* Porrò inter omnes convenit, fidem vix in ullo homine explicitè & distinctè attingere & amplecti omne, quod revelatum & in se credibile est. Omnes sumus μαθηταὶ *discipuli* & ad πλήρωσιν *perfectionem* non sine difficultate & suspiriis contendimus, paulatim οἰκοδομούμενοι *ædificati* & αὐξανόμενοι εἰς ἐπίγνωσιν θεοῦ *crescentes ad agnitionem Dei*, Col. 1: 10. *donec perveniamus omnes ad unitatem fidei & cognitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ complementi Christi.* Eph. 4: 13. Col. 1: 19. 3: 10.

35. De eo etiam convenit, neminem posse fidelem judicari, qui non aliquid explicitè & distinctè crediderit; & proinde esse aliquid, quod sine damno salutis ignorari non possit: plura verò ad σοφίαν *sapientiam*, quæ est ἐν τελείοις *in adultis & provectis*, requiri; imprimis *viro Dei*, ut sit ad omne opus bonum, nempe διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παιδείαν, *institutionem, redargutionem, correctionem, disciplinam*, perfectè instructus, esse multorum necessariam cognitionem: denique multiplicem eruditionem, observationem, experientiam ad omnia Scripturarum dicta plenè solidèque explicanda requiri; in qua parte Ecclesiam profecturam magis magisque, ipsæ Scripturæ prænunciant. Daniel. 12: 4. 9. *Aliquid necessarium cognitu.*

36. Planum verò est, hoc ipsum, quod nescire non oportet Christianum, esse id, quod ex toto corde creditum etiam justificat & salvat. Quod Augustinus Enchir. cap. 4. & 5. & Catech. q. 67. cum Scripturâ *fundamentum* vocat: cui nimirum inædificatur omnis veritas in Scripturis patefacta, & ad quod, tanquam centrum, collineat; in quo homo per fidem inædificatus firmum & illabefactabilem statum habet; ut τεθεμελιωμένος καὶ ἐρριζωμένος τῇ πίστει *fundatus & radicatus fide*; & citra quod omnibus aliis, si fortè, assentiens potest dici ῥίζαν μὴ ἔχειν *radicem non habere.* Sine dubio autem fundamentum id constituunt verba fœderis, quæ fide obsignans homo peccator in fœdere & amicitia Dei collocatur. De hoc *fundamento* supra egimus singulari capite, quod est VII.

37. Docuimus etiam supra cap. VI. § 55. cum Augustino, necessaria in apertis verbi Dei contineri. Hinc quidam cavillantur. Si necessaria apertè docentur, Ergo, quæ controversa sunt, necessaria non sunt, quippe quæ interpretatione indigeant. Ad quod dicimus, *Contorsio verbi Dei non facit, ut verbum, quod contorquetur, sit non necessarium cognitu.*

legere, tradere, & ea verba fœderis Dei ac legis justitiæ narrare atque ex præcedentibus à se audita testari.

26. Quum igitur ex his apertum sit, quòd is, qui illa verba fœderis & legis justitiæ & illa scripta recipit, certus esse possit, se verba Dei recipere; quia sic scribi & narrari non potuissent, nisi ab initio tradita fuissent eo modo, quo tradita esse leguntur; qui divinus est: apertum etiam est, fidem nostram non requirere, ut illa geri videamus, quæ gesta legimus, aut illo modo audiamus, quemadmodum primos Dei auditores illa audiverunt, quæ legimus audita. Et, quum nemo sit, qui ea viderit & sic audiverit, etiam nullus est testis nobis nominandus, cujus auctoritas nobis priùs sit cognita, quàm divinitas eorum verborum, quæ legimus.

27. Quæ tamen & ipsa habent characterem divinitatis in se; eumque tam evidentem, ut dubitare non possimus, ea à Deo proveniſſe. quia ostendunt, quomodo Deus à peccatore amari possit & glorificari per gratiarum actionem.

28. Qui character non potest latere eum, qui credit. Nam, qui credit, amat. Nemo autem amat, quod non amabile agnoscit. Et, qui bonam conscientiam habere studet, advertit, an verbum, quod recipit, id dicat de Deo & nobis & operibus Dei, quod & Deo dignum & in nobis ac operibus Dei verum novimus.

29. Qui autem contendunt, necessarium esse aliquod nomen & auctoritatem aliquam priùs notam, magna injuria Deum & Spiritum ejus afficiunt. Negant enim, Deum potuisse aut voluisse nos erudire ipsum per se, sic ut sua verba sint id, quod credamus, & per quod sapientes efficiamur ad salutem, & ipsius Dei auctoritas ac nomen solum sit ratio ea verba suscipiendi: atque ita nos liberos facere à jugo humano. Iidem blasphemant verbum Dei, quod negant suis radiis lucere in conscientiis.

An fidei divinæ objectum sit verum?

30. Etiam illam quæstionem excudit seriorum temporum importunitas; An, quicquid est fidei divinæ objectum, sit verum? Ad quam respondemus simpliciter, Fidem sine veritate objecti stare non posse, atque errorem, judiciique mendacium esse; &, fidei divinæ posse subesse falsum, dicere, id esse Deum mendacii insimulare (quod est peccatum non credentis. 1 Joh. 5: 10.) idque in confesso esse etiam apud eos, qui cum collegis de hac quæstione aliquando disputarunt, quum interim faterentur, quod revera esset fidei divinæ, minimè falsum esse. Quid igitur? An, *quod est de fide persua-*

persuasine nostra, non rei veritate, tenemur credere, tanquam si de fide esset revera? Neutiquam. Nam nemo tenetur credere errori suo; imò errans errando peccat.

31. Quum multa videantur esse, quæ in Scriptura, certissimo instrumento divinæ revelationis, continentur, quomodo fides circa illa omnia versetur, necessariæ & utilissimæ considerationis est. Ante omnia præmuniendum est, fidem præsupponere *notitiam* quandam: nempe ipsius testimonii & testificationis. Scilicet nemo potest credere Mosi, quin ipsi constet, & Deum locutum esse ad populum de Mose ut fideli servo Dei in tota domo ipsius, &, quòd Moses reliquerit libros suos Israëli ut testimonii instrumentum; &, nisi noverit & intelligat, quid in eis libris ad credendum proponatur, sive quæ doctrina in eis contineatur. Mosen igitur fidelem esse & testificationem per ipsum factam esse infallibilem, credimus, quia constat, Deum sic de Mose esse testatum. De Prophetis, D. Jesu & Apostolis credimus, eos esse missos à Deo, quia Deus in Mose & per sua opera πίστιν παρέχε πᾶσι. Sed doctrina illorum non creditur, nisi priùs percipiatur. Aug. de pr. Sanct. c. 2. *Credere nihil aliud est quàm cum assensione cogitare. Nosse* sanè oportet, cui crediderimus & quid crediderimus; &, quod corde credimus, ore confitemur enarrantes virtutes Dei: quod non est ignorantium. Hilar. *Nec enim quisquam, quod non sapit, loquitur, aut, quod loqui non potest, potest credere.* Audio Hilarium frequenter à Pontificiis citatum ex l. 8. de Trin. *Habet non tam veniam, quàm præmium, ignorare, quod* (non *quid*) *credas, quia maximum fidei stipendium est sperare, quæ nescias.* Imò audimus sacram Scripturam dicentem נִפְלָאוֹת *mirabilia legis, & quæ in cor hominis non ascenderunt*, &, *nescimus quid futuri simus.* Neque enim, quæ credimus, comprehendimus & intuemur, qualia sint. Non ambulamus ἐν εἴδει *in specie.* Sed, quemadmodum Deum, ita res Dei quomodocunque attingimus; &, quæ revelata nobis sunt, non penitus ignoramus. Hinc & fides ἐπίγνωσις τ ἀληθείας, & γνῶσις *Cognitio Dei & Christi* Joh. 17:5. & *Christus nobis factus sapientia*, &, qui credunt, *didicisse Christum, & scire omnia* dicuntur: quanquam *ex parte cognoscamus*, δι' ἐσόπτρε *in speculo* ἐν αἰνίγματι *per ænigma.* Si absque scientia credendorum, h. e. testis, regulæ & fundamenti, & sine seria scrutatione sit fides, non potest constare bona conscientia; quam qui repellunt, circa fidem naufragant. 1 Tim. 1: 19.

An & qualis notitia in fide?

32. Fatemur, notitiam dogmatum credendorum non statim esse *Non tamen em-*

Quis notitia est fides.

esse fidem. Nam potest quis nosse, quid Alcoranus & Talmud tradant, nec tamen iis credere. Judæi intelligebant, quæ Christus testabatur, sed non credebant. Catechesis nostra fidem dicit non *notitiam*, sed *certam notitiam*, sive cognitionem, qua quis certus sit & non dubitat & *firmiter assentitur*. Sed de assensu postea.

Quarum veritatum notitia requiratur ad fidem? Fides implicita.

33. Nunc, quum fides *assensum* dicere noscatur, quomodo fidelis verbo Dei & quibus veritatibus assentiatur, ut notis? quæritur. Pontificii obtrudunt hîc nobis *fidem* quandam *implicitam*, & Carbonarii, (de quo est apud Hosium 3. de auct. Script. folio 261. ed. Stelsianæ) qua quis inducit animum credere, quod credit Ecclesia, quæ nihil aliud est, quam voluntaria animi sui deditio in obsequium Papæ sine ullo examine eorum, quæ is præcipit, ad normam Scripturæ: imò, ut clariùs loquar, nihil est, nisi eligere, loqui & facere, quæ Papa cum sibi obedienti multitudine loquitur & facit. πίστιν ὀνομάζουσι, verba Theodoreti, τὴν ἀβασάνιστον ὑπὸ ἀναποδείκτοις καὶ ἀφάτοις συγκατάθεσιν. *Fidem nominant assensionem* sive approbationem *inexploratam rerum non demonstratarum & non certarum.* Hanc nos non *fidem* sed *defectionem* interpretamur, secundùm testimonium Apostolorum 1 Tim. 4: 1. 2. 3. 2 Thess. 2: 10. 11. 12. 2 Tim. 4: 3. 4. Apoc. 13: 16. 20: 4. Solet Scriptura vocare *filios fornicationum*, qui suam fidem substringunt hominibus.

34. Interim cum Calvino Inst. 3: 2. 4. 5. agnoscimus, fidem nostram in multis esse implicatam, & *fidem implicitam* posse vocari *fidei præparationem.* Nimirum sunt & in pueris & rudibus, dummodo conscientiam audire possint, fidei igniculi, quibus, quum audiunt sermonem Euangelii de Christo propter peccata nostra dato & propter justitiam nostram excitato, inardescunt ad desiderium cognoscendi de ea doctrina, & ut eam, ceu rationale lac, appetant, &, tanquam verbum Dei Scripturæ auctoritate roboratum, paulatim uberiùs hauriant. In quibus est præparatio animi 1. ad credendum & quærendum omne verbum Dei & sic sortem habendi cum sanctis, sive perveniendi ad φρόνησιν δικαίων *sensum & prudentiam justorum.* Neque enim, quod nobis Papistæ imputant, contemnimus Ecclesiam & communionem sanctorum; sed distinguimus fidem, qua credimus Ecclesiam, à fide in Ecclesiam; fidem Ecclesiæ à legislatione Papæ & cæca obedientia hypocritarum. Nam φρόνησις δικαίων *prudentia justorum* non nisi in verbo Dei, ut in typo suo, reperitur. 2. post πίστωσιν καὶ τῶν ἱερῶν γεγραμμάτων *certitudinem*

nem de sacris literis ad credendum Scripturæ, tanquam verbo Dei, in omnibus per eam revelatis; & ea indagandum & scrutandum pro viribus in summa, *docilitas* sub Dei magisterio *cum desiderio proficiendi.* Porrò inter omnes convenit, fidem vix in ullo homine explicitè & distinctè attingere & amplecti omne, quod revelatum & in se credibile est. Omnes sumus μαθηταὶ *discipuli* & ad πλήρωσιν *perfectionem* non sine difficultate & suspiriis contendimus, paulatim οἰκοδομούμενοι *ædificati* & αὐξανόμενοι εἰς ἐπίγνωσιν θεοῦ *crescentes ad agnitionem Dei*, Col. 1: 10. *donec perveniamus omnes ad unitatem fidei & cognitionis Filii Dei, in virum perfectum, ad mensuram statura complementi Christi.* Eph. 4: 13. Col. 1: 19. 3: 10.

35. De eo etiam convenit, neminem posse fidelem judicari, qui non aliquid explicitè & distinctè crediderit; & proinde esse aliquid, quod sine damno salutis ignorari non possit: plura verò ad σοφίαν *sapientiam*, quæ est ἐν τελείοις *in adultis & provectis*, requiri; imprimis *viro Dei*, ut sit ad omne opus bonum, nempe διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ἐπανόρθωσιν, παιδείαν, *institutionem, redargutionem, correctionem, disciplinam*, perfectè instructus, esse multorum necessariam cognitionem: denique multiplicem eruditionem, observationem, experientiam ad omnia Scripturarum dicta plenè solidèque explicanda requiri; in qua parte Ecclesiam profecturam magis magisque, ipsæ Scripturæ prænunciant. Daniel. 12: 4. 9. *Aliquid* necessarium *cognitu.*

36. Planum verò est, hoc ipsum, quod nescire non oportet Christianum, esse id, quod ex toto corde creditum etiam justificat & salvat. Quod Augustinus Enchir. cap. 4. & 5. & Catech. q. 67. cum Scripturâ *fundamentum* vocat: cui nimirum inædificatur omnis veritas in Scripturis patefacta, & ad quod, tanquam centrum, collineat; in quo homo per fidem inædificatus firmum & illabefactabilem statum habet; ut τεθεμελιωμένος καὶ ἐρριζωμένος τῇ πίστει *fundatus & radicatus fide*; & citra quod omnibus aliis, si fortè, assentiens potest dici ῥίζαν μὴ ἔχειν *radicem non habere.* Sine dubio autem fundamentum id constituunt verba fœderis, quæ fide obsignans homo peccator in fœdere & amicitia Dei collocatur. De hoc *fundamento* supra egimus singulari capite, quod est VII.

37. Docuimus etiam supra cap. VI. § 55. cum Augustino, necessaria in apertis verbi Dei contineri. Hinc quidam cavillantur. Si necessaria apertè docentur, Ergo, quæ controversa sunt, necessaria non sunt, quippe quæ interpretatione indigeant. Ad quod dicimus, *Contorsio verbi Dei non facit, ut verbum, quod contorquetur, sit non necessarium cognitu.*

cimus, Nec voluisse Deum nec decuisse ita tradere Scripturam, ut omnis hæresis & contorsio Scripturarum statim & iisdem vocibus, quibus eæ invehuntur, tollerentur. Ad fidem enim tradita est, & studium ac timorem Dei exercendum. Timentibus Deum sunt clara & perspicua illa, quæ credunt, & per quæ docentur, licèt & tortores Scripturarum suis ratiocinationibus se ipsos & alios intricent, sæpe etiam fideles non possint artificioſè respondere ad argutias adversariorum & eas ἐξελέγχειν. Ita Nathanaël per majoris argumenti fidem vicit suam ratiocinationem, quam fecerat, Ex Nazareth nihil boni provenire posse; licèt pro tempore eam solvere non posset. Quando fides fundata est, scrupuli à simplicibus tutò rejiciuntur; in quibus solvendis etiam artifices aliquando vel impingunt, vel sudant. Hîc valet illud Aug. contra epist. Fundam. *Turbam non intelligendi vivacitas sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Certum debet esse ei, qui novit, cui credit, & quid credat, nihil posse subsistere divinæ veritati contrarium, licèt difficultatem reperiat in solvendis enucleandisque tricis & laqueis, quos nectit Satanas ad captivandos eos, qui veritatem non amant.

Non sufficit retentio verborum, sensu verborum mutato.

38. Dicunt etiam, si is, qui fundamentum tenet, Christianus est, Ergo Papa, qui id confitetur, Antichristus non est. Nihil hîc reponemus, quo vel ipsis vel aliis, qui pro fratribus obrepere gestiunt, obturemus os, nisi id, quod dicit Augustinus Enchir. cap. 5. *Si diligenter, quæ ad Christum pertinent, cogitentur, nomine tenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.* Non sonus verborum in fide & confessione Christiani est, sed substantia, & valor, & ratio ac divina sapientia. Unde S. Johannes in suis epistolis, præsertim prima, ad illud κριτήριον, tanquam cotem omnis dogmatis, quum mendacium ex veritate non sit, jubet explorari.

Quæ ignorantia condonari possit?

39. Saltem, inquiunt, quando aliis condonatis suos errores, nobis verò similes ad recedendum à nobis imputatis, ostenditis, vos de non necessariis contendere, & sine necessitate schisma facere. Resp. Qui regulam & fundamentum tenent, possunt quædam ignorare, quæ ad exornationem fundamenti faciunt, & in Scriptura continentur; possunt etiam in quibusdam errare sive falsum sine divina auctoritate opinari, non attendentes ad regulam & ad dolos Satanæ. quemadmodum videmus discipulos Christi in multis aberrasse à veritate. Rectè autem Canus lib. 12. c. 11. distinguit *Veritates*

vitates Catholicas, quæ ita ad fidem pertinent, ut, his sublatis, fides quoque ipsa tollatur: ab illis, quibus eversis fides quatitur sed non evertitur. Præterea interest inter ignorationem, quando etiam quis convinci non potest ob quamcunque rationem (nam potest obstare stupor ingenii, ruditas, scrupulositas, cupiditas) & abnegationem præfractam: inter opinationem ut verisimilis & utilis &, ut necessariò tenendi ac credendi. Qui igitur alioqui paratus est credere verbo Dei & non statim ad omnem cognitionem perduci potest, vel ab omnibus opinationibus non statim deduci potest, non propterea confestim damnandus est & vitandus; nisi pateat, ipsum ignorare ipsum fundamentum, vel id, ut & regulam, abnegare; vel etiam opinari id, quod fundamentum manifestè evertit; aut aliam regulam ac fundamentum aliud statuere. Secundum hæc igitur Charitas quidem quosdam miseratur cum discretione, quosdam in timore salvat, ut ex igne raptos; Fidei autem sinceritas & Timor Dei quosdam vitat & fugit & perfectè odit, non minùs quàm tunicam à carne inquinatam. Jud. 22. 23.

40. Porrò, ut de necessariis absolvamus, sunt quædam Scripturæ diversimodè necessaria: alia, ut firmiter teneantur ac minimè ignorentur; alia, ut non abnegentur, licèt ignorari possint; alia, ut ad ædificationem diligenter proponantur; alia ut ingenuo studio ad confirmationem fidei, ad consolationem, ad directionem, ad incrementum renovationis ad imaginem Dei impensè quærantur. Ita & errores quosdam omninò necesse est deponi, ut amorem Dei excludentes, alios saltem paulatim minui & in genere per votum cognoscendi veritatem generale & preces & ἐπιμασίαν *promtitudinem* credendi excludi: imprimis autem necesse est, nullos errores haberi pro fundamento. Hoc enim est hypocritarum & diligentium mendacium, recipientium χάραγμα θηρίου *signaturam Bestiæ.* & de hoc genere rectè etiam Scholastici dicunt, Qui in uno errat, à tota fide infusa & justitia est alienus; nempe sive pervicaciter abneget regulam aut quod regula manifestè dictat; aut statuat, quod fundamentum evertit; sive ponat quodcunque mendacium, quocunque sub colore & fuco, pro fundamento. Hoc enim idolum est.

41. Est autem ea fundamenti natura, ut sine eo nemo fidelis mereatur dici, licèt alia omnia videatur credere. ut Judæi gloriantes in Deo & lege, & Saulus πεπαιδευμένος κατ' ἀκρίβειαν τοῦ πατρώου νόμου ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ θεοῦ *eductus secundum accurationem patriæ legis & zelotes Dei,* Actor. 22: 3. nihilominus, Paulo teste, ἀπιστίας *infide-*

infidelitatis tenentur. 2 Tim. 1: 13. Multi item dicuntur quidem credere ut illi, quibus Christus se non credebat, Joh. 2: 23. 24. & qui diligebant gloriam apud homines magis quàm gloriam Dei, Joh. 12: 42. & qui cum dæmoniis credunt, Deum unum esse, Jac. 2. v. 19. in quibus hæc, quam nos quærimus, fides justificans & salvos faciens non est. Ratio est, quia vel non assentiuntur fundamento; vel, quia nec illi, ut oportet, assentiuntur. Neque enim omnis assensus absolvit fidem justificantem, neque, si absit cognitio & verus assensus ad fundamentum, verus assensus in ullam veritatem esse potest. Nam solus verus assensus in fundamentum est causa assentiendi, ut oportet, cæteris. Propter quam causam etiam meritò *fundamentum* ipsius fidei habetur. Quo putandum est pertinere dictum Salvatoris, Qui habet, ei dabitur; qui non habet, etiam id, quod habet, hoc est, videtur habere, auferetur ab eo. Nam, qui Christum habet, omnia habet; qui eum non habet, nudus est: at, qui Filium non habet, nec Patrem. Christus est ὁμολογίας, qua Deo per fidem astipulamur, ὑποστολῆς; sine Apostolo astipulationis igitur nulla Deo ὁμολογία & astipulatio exhibetur. Hebr. 3: 1. Quare & verbum fundamenti Apostolus vocat δυνάμιν θεοῦ εἰς σωτηρίαν, *potentiam Dei ad salutem*, & διακονίαν πνεύματος *ministerium spiritus*; cætera omnia γράμμα *literam*, quia in se & sine verbo salutis veram fidem non gignunt, sed manent mera *litera*. Ita Christus, etiam docens, est tum ἀρχηγὸς *princeps & auctor* tum τελειωτὴς τῆς πίστεως *consummator fidei*. quia ab illo fides incipit, & se ad omnia θεοπρεπῆ καὶ θεῖα λόγια *Deum decentia & divina oracula* extendit. Ideoque in eis, qui fundamentum non tenet, duplex hypocrisis noscitur, 1. claudicatio. 2. professio assensus veri circa veritatem Dei, qui in ipsis non est.

Fides historica, & miraculorum potest esse sine fide salvifica.

42. Malè igitur incusamur à Pontificiis, quando diligenter fidem veram distinguimus à putativa fide, quæ dicitur de illis, qui *radicem*, veri assensus in fundamentum, *non habentes* fœdus Dei & literam verbi & dogmata Christianæ religionis cum asseveratione in ore habent, vel etiam quasdam particulas Euangelii cum gaudio recipiunt, quam *historicam* & *temporariam* appellamus *fidem*, Apostolus *prophetiam*, γνῶσιν *cognitionem*: vel, qui cum confidentia in nomine Christi miracula faciunt; quam nominamus *fidem* cum Apostolo 1 Cor. 13: 2. ad miracula eam restringente.

43. Quod quum irrident Pontificii, ostendunt, se veram fidem igno-

ignorare. Quæ & *γνῶσιν cognitionem* & *προφητείαν intelligentiam & expositionem prophetiæ* & *ἐνεργήματα δυνάμεων operationes virtutum* potest habere, nempe secundùm distributionem Spiritus sancti; sed & aliud quid peculiare obtinet. Nam illa ex parte cum ignorantia Dei aut hæresi, omnia in hypocrisi haberi possunt. qui interim à Scriptura dicuntur *illuminati, veritatis cognitionem adepti, viam justitiæ cognovisse, sermonem cum gaudio excepisse, donum cœleste*, Christum, *gustasse, participes facti Spiritus sancti, gustasse bonum Dei verbum*, nempe Euangelium, *& virtutes futuri seculi*, hoc est, gaudium justificatorum sub Novo Testamento in quadam similitudine & *φαντασίᾳ* sive apparentia externa: omnia nihilominus citra fidem, ut citra charitatem.

44. Quocirca, ne nobis ipsi imponamus, amplius dicendum est de Fidei intima natura. Sed hoc fine & subjectum ejus noscendum est, ut deinde & actus noscatur. *Cordi* Scriptura assignat fidem. Sunt, qui soli intellectui: neque tamen negant à voluntate imperari. quo dato, hæc quæstio non difficilis est explicatu; si demonstretur, id, quod voluntas agit movendo intellectum ad suum opus, etiam appellari *fidem* vel *credere*; & ostendatur, id, quod agit intellectus, non propriè aut principaliter nos Christo jungere. Hinc efficietur, Fidem non dici unum simplicem habitum, sed quasi aggregatum quid, mutationem totius animæ importans. *Fidei salvificæ Subjectum.*

45. Quid igitur est fides justificans, quæ, ut dictum, totam animam occupat? Profectò est *assensus*, hoc est, judicium animi affirmans veritatem divini dicti. Nam assensus in dictum hominis, ob auctoritatem illius præsumtam & non compertam, vanus est & hinc longè removendus. Sed & cogitur assentiri, qui convincitur esse vera, quæ vera esse nollet. Ita dæmones credunt, Deum esse. Est igitur *voluntarius assensus. ἑκούσιος συγκατάθεσις*, Theodor. *Ἑρμην. α.* Sed potest esse voluntarius assensus circa multas veritates divinas inutilis, vel in ignorante fundamentum (ejusve integritatem & sinceritatem) vel in id negante ac falsum ponente, hoc est, hæretico. In cujus voluntate non Deus & Spiritus ejus, nec virtus, sed concupiscentia regnat. Est igitur *assensus in verbum fœderis, quod Deus facit cum peccatoribus in Christo; & cum illo in revelationis divinæ instrumentum Scripturam; & universaliter omnia revelata cognita ac deinceps cognoscenda, à voluntate sanctificata imperatus.* *Fides assensus in verbum Fœderis gratiæ.*

46. Etiam Scholastici requirunt in voluntate virtutem, quæ *Assensus*

quid à charitate?

moveat intellectum ad tale judicium, quo obsignet veritatem Dei, sed negant esse charitatem. Vide Valentianum tom. 3. ad Thom. d. 1. q. 1. punct. 4. § 1. p. 62. ubi nominat *studiositatem & piam affectionem.* Fortasse hoc volunt notare, quod est חפץ *studium* relatum ad Deum. Quicquid sit, fieri non potest, ut id studium non sit *Amor* quidam; & ut fides non contineatur sub illo præcepto, *Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde*, & in illo contineatur etiam hoc, *Credes Domino Deo tuo ex toto corde.* Certè *amare Dominum*, ut *Deum suum*, est ei, ut auctori fœderis, per sinceram fidem adhærescere. Inde & credentes dicuntur ἠγαπηκέναι τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ Χριστοῦ *dilexisse apparitionem Christi.* 2 Tim. 4: 8. & hypocritæ non excepisse amorem veritatis 2 Thess. 2: 10. Neque aliter esse potest, quum in eo, quod Deus testatur, sit manifestatio gloriæ Dei, atque adeò fides sit amor gloriæ Dei, non tantùm ut veracis in verbo, (quo pacto huc usque in superioribus fidei objectum consideravimus. confer § 5.) sed & virtutes suas per testimonium patefacientis. Sic, qui credit, dicitur *dare gloriam Deo*, Rom. 4: 20. & ἀγαπᾶν τὴν δόξαν αὐτοῦ *diligere gloriam ipsius*, Joh. 12: 43. & sæpe in Scripturis *amare nomen Dei.* ut Psalm. 5: 12. Quid? quòd *fides* est *obedientia.* Rom. 1: 5. & *subjectio*, 2 Cor. 9: 13. & contraria ἀπιστία ἀπείθεια, *incredulitas* est *inobedientia?* Joh. 3: 36. 1 Petr. 2: 8. Nemo autem obedit, nisi qui diligit & dominum & illius dominium atque imperium. *Una charitate veraciter & suaviter obeditur.* inquit August. de bono pers. cap. 16. Id evidentiùs patescit, quando consideramus, in verbo fœderis nobis proponi Salvatorem *Dominum nostrum*, & justitiam ac salutem, quæ est in illo, ad fidem. Fides, quæ est receptio Salvatoris & Domini, justitiam ac salutem donantis, nisi amor esse non potest. Fides invocat, quærit, pulsat. Ench. c. 117. Fide accedimus ad Christum. August. 29. in Joh. *Credere in Deum est credendo amare, in eum ire & membris ejus incorporari. Fides est cognitio, per quam non quærendo volitamus, sed inhærendo Deum diligimus.* 8. de Trin. cap. 3. *Pia affectio* nil nisi charitas est. Vide de his Jansenii Aug. de grat. Christ. Salv. l. 5. c. 5. 6. 7.

Quomodo fides à charitate distinguatur?

47. Atqui, inquies, fides à charitate Dei distinguitur. Rectè. Amor Dei, ut se per testimonium offerentis, ad fœdus, distinguitur ab amore omnium attributorum Dei & operum ejus & proximi: & ab ardore, in quem excrescimus, & à tranquilla suavitate, qua in Deo deliciamur. Interim notes, S. Paulum, quando jungit illam

θαυμα-

ἔχωμεν λὸν ξωωγίδα, fidem ſolere ad Deum & charitatem ad ſanctos referre; ſaltem extendere. Epheſ. 1. verſ. 15. Philem. 5.

48. Fides autem etiam in *timore Dei* eſt, quo ſubmittimur Deo & juſtitiæ ejus & ob æſtimationem tum ſanctitatis ejus tum bonitatis magnæ & neceſſariæ ad illius fruitionem trepidamus. Fides *quomodo in* timore Dei?

49. Eſt in fide & *fiducia*, hoc eſt, cordis in Deum & Chriſtum reclinatio, apprehenſio arcis Dei, Eſ. 27: 5. confugere ad Chriſtum, Pſalm. 2: 12. Hebr. 6: 18. denique ſecuritas animi abſque pavore in Deo requieſcentis. Nam בְּטָחָה ſæpius in Scripturis mandata, cui opponitur פַּחַד *pavor*, Eſ. 12. 2. *fides* ipſa eſt. Unde & Abrahamus, quum ei præceptum eſſet, *Noli timere*: addita declaratione divini propoſiti, *Ego clypeus tuus*, & promiſſione ſeminis cum ipſo in ſemine benedicendi, dicitur *credidiſſe*. Fide enim non tantùm veritatem quærimus, ut ſimus eruditiores, ſed ſapientiam, qua vitam & beatitudinem aſſequamur, & tranquillitatem; Deumque non tantùm ut veracem ſed & ut benevolum & potentem, uno verbo remuneratorem quærentium ſe, aſpicimus & accedimus. Imò per fidem aſtipulamur Deo poſtulanti fiduciam & reclinationem in ipſum, ut ſalvatorem. Huic autem ſtipulationi non poſſumus adſtipulari mero aſſenſu in veritatem ſtipulationis, ſed per ipſam fiduciam. Fides *cum* fiducia, *& ſine* timore.

50. Quare, quum *fides* ὁμολογία vocatur, multa ſignificantur. nempe 1. confeſſio veritatis teſtimonii, propter veracitatem teſtis. 2. confeſſio veritatis eorum, quæ Deus dicit de ſeipſo, de ſanctitate ſua & jure ſuo & juſtitia judicii ſui; itemque de homine, quòd is ſit reus, malus, damnatus, impotens, indignus Deo. deque operibus Dei, quòd illa & extent & recta atque Deum decentia ſint: nominatim, quòd longanimitas Dei digna ſit reſipiſcentia, &, quum tempus promiſſionis exhibendæ venit, quòd Deus id fecerit & præſtiterit, quod ad juſtitiam & ſalutem peccatoris oportebat fieri; atque ita *verus* compertus ſit. Joh. 3: 33. *Qui accepit teſtimonium ejus, obſignavit, quòd Deus ſit verus*, hoc eſt, memor juramenti, quo patribus ſe obligaverat, & verbi ſui impletor. 3. confeſſio juris Dei ad exigendam glorificationem ſui & amorem & gratitudinem: atque ita confeſſio *Dominii* Dei in redemtos, tanquam rem ſuam & peculium ac populum ſuum. Quæ confeſſio in eo conſiſtit, ut quis ad Deum dicat, Tu es dominus, Deus meus, rex meus, juſtitia mea (Vide Pſalm. 4: 1. 5: 1. Eſ. 33: 22. Zach. 13: 9. Jer. 23: 6. 33: 16.) atque ita non tantùm *Ne* dicat omnes promiſſiones, ſed etiam ad Ὁμολογία, 1 2 3

eaſdem *Amen* dicat, hoc eſt, eas proſequatur confeſſione & approbatione juris Dei propter beneficia ſua & veritatem ſuam & demonſtrationem virtutum ſuarum exigentis amorem, fiduciam, timorem, glorificationem. Vide 2 Cor. 1: 20. Ubi τὸ ναὶ Να notat affirmationem ejus, quòd verum eſt, & τὸ ἀμὴν notat approbationem & applauſum ad glorificationis exactionem. Quæ eſt quaſi תְּרוּעַת הֵילֵל *ovatio, quâ Rex excipitur.* 4. Αἵρεσις (utor vocabulo Juriſconſultorum) & electio viæ juſtitiæ & Salvatoris ac Domini, imò Patris. Quæ, ut patet, non tantùm in judicio animi, ſed multò magis in affectu conſiſtunt. Unde eſt, quòd cor hominis pro Deo ipſi dicat, *Quærite faciem meam.* Pſalm. 27: 8. &, quòd ὁμολογία, qua Deo fœdus proponenti adſtipulamur & aſſentimur, dicitur ὁμολογία τῆς ἐλπίδος, *confeßio ſpei*, Hebr. 10: 23. Hæc enim non tantùm notat confeſſionem de ſpe noſtra apud homines (confer 1 Petr. 3: 15.) ſed etiam ipſam ſpem, qua Deo jubenti non metuere & omnia maxima à ſe exſpectare obedimus & aſſentimur.

Quomodo fides proficiat?

51. Fidei proficientis fibræ hic aliquantulum diſtinguendæ. Fides ſpectat Deum ſe fœderi offerentem. Id facit Deus oſtendendo ſalvatorem, præcipiendo amplexum illius, promittendo & juſtitiam & vitam recipientibus. Hîc fidei primum opus eſt, convictum in conſcientia, abjecta libenter & cum pudore propria juſtitia, agnita Dei juſtitia, ei ſubmitti, eamque ſitire ac eſurire, hoc eſt, ſeriò deſiderare ſe, propter peccatum alienatum à vita Dei, eſſe ad gloriam Dei per gratuitam juſtificationem, & in ea per ſanctificationem obſignari. In quo includitur judicium animi firmum, quòd ut certo omnes, qui Chriſtum habent, juſtitiam & vitam obtinent, ita & quiſque, verbo Dei ad Chriſtum amplectendum invitatus, ſi eum apprehendat ut rupem ſalutis, certò ſit vitam per ipſum adepturus. Cum qua fame & ſiti, quanquam magnam afferat anguſtiam, compunctionem, contritionemque ſpiritus, tamen ſemper conjuncta eſt reſolutio, qua *animam tuam* Chriſto *ut fido creatori committas*, ad ſalutem; in ἀγαθοποιΐᾳ *boni operatione*, ad celebrationem ejus & ad obſignationem juſtificationis. Hoc eſt *confugere* ad Chriſtum. De quo Pſalm. 2: 12. Hebr. 6: 18.

Fides ſentitur.

52. Quæ animæ immutatio quia non poteſt non ſentiri, ſtatim etiam, quotieſcunque reſpicit promiſſionem (quam vix unquam ex oculis amittit. Nam inde accenditur is ignis. Et, qui facit veritatem, venit ad lucem, ut opera ejus manifeſta fiant; quia in Deo fa-

cta sunt) persentiscit & saltem quasi eminus cor Dei & cœlum sibi apertum videt. Nam ipse spiritus fidei (is ex effecto suo noscitur) est obsignatio in Christum. Eph. 1:3.14. Verùm, in quantum proficit δοκιμὴ per ὑπομονὴν *patientiam* & καρπὸς πνεύματος *fructus Spiritûs* & amorem proximi, minimùm condonantem offensas; in tantum crescit etiam πληροφορία τῆς ἐλπίδος *plenitudo spei* ad καύχησιν *gloriationem* in Deo, ad παῤῥησίαν *fiduciam* & χαρὰν πεπληρωμένην *lætitiam consummatam*. Nam per duas res, quæ transponi non possunt, ii, qui confugerunt, habent validam inhortationem ad apprehendendam & tenendam spem, ut expositam, quæ penetrat in cœlum. Hebr. cap. 6. vers. 18. 19.

53. Multa in his continentur. nempe [1] Perimunt hæc calumniam eorum, qui dicunt, Reformatos statuere Theologiam merè speculativam; aut [2] fidem facere enthusiasticam & quandam persuasionem & inductionem animi, ut nolis dubitare de salute. [3] Tollunt dolum eorum, qui volunt per fidem statim & primò apprehendi intentionem Christi redimentis. quasi non ex fide, qua confugimus ad Christum, spiritus noscatur, ex spiritu electio & sic περιποίησις *acquisitio* nostri, ut hæreditatis & peculii, colligatur. 1 Thess. 1: 4. 5. *Sciatis, fratres dilecti, vestri electionem* factam *à Deo: quia prædicatio nostra non facta est ad vos in sermone tantùm, sed & in potentia & in spiritu sancto, & in certitudine multa.* &c. Eph. 1: 3. 4. 5. 7. 8. 13. 14. 2 Thess. 2: 13. Quod tamen non ea mente dicimus, quasi peccatum putemus, statim Christum ut redemtorem ac dominum suum, & Deum ut patrem, amare atque ita clamare, *Abba, Pater.* Quod qui facit, certissimus esse potest, se non falli neque frustra futurum aut pudefactum iri. Et id facere justum est ac debitum. Nam quid non meretur à nobis Filius Dei ante oculos nostros crucifixus, & Deus eum nobis ostendens, & nos jubens ad filium confugere & in eo se honorare, ac se amare ex toto corde? Nonne enim Deus ita cum homine agens revera cum eo agit, ut pater cum filio? Sed hoc volumus, posse aliquem sibi nimis citò vendicare consolationem Euangelii, nempe, qui Deum non amat, nec timet, & incuriosus est purificationis veterum suorum peccatorum. 2 Petr. 1: 9. qualés sunt, de quibus dicitur Prov. 30: 12. *Generatio est pura in oculis suis & à stercore suo non* est *lota.* Qui dicunt, *Domine, Domine,* & coguntur audire, *Nunquam novi vos.* Matth. cap. 7. vers. 21. 22. 23. Eadem manifestant, [4] quomodo *fide purificentur*

Ποιείσμαζω.

corda, Actor. 15: 9. ab odio Dei & murmuratione ac ratiocinatione adversus testimonium Dei & præcepta pœnitentiæ, & amore peccati & τῇ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾷ *corruptione, quæ est in concupiscentia.* Item, [5] quomodo sine fide nulla virtus in homine possit existere, nulla obedientia, nulla charitas, 1 Tim. 1: 5. & sic fides συνεργῇ τοῖς ἔργοις *cooperetur operibus* & in eis se vivam & fortem ostendat. Jacob. 2: 22. & [6] quomodo, qui non curant bonam conscientiam, circa fidem naufragent. 1 Tim. 1: 19. hoc est, ἀσχωῦσιν αὐτῆς vers. 6. & 6: 21. & ab illa ἐκπλανῶν 6: 10. nimirum ut illam non assequantur. Item, [7] quomodo infrugifera fides esse non possit, sed per charitatem operetur, Gal. 5: 6. & sine operibus, ut corpus sine πνεύματι, hoc est, respiratione, ἄψυχον, mortua sit & nec fidei nomine digna, potiùs umbra fidei, quàm fides, ut membra cadaveris ὁμωνύμως oculus, auris, quæ ὄργανα sunt, nuncupantur; contra per opera noscatur & perficiatur, hoc est, vita & virtus ejus se prodat. Jac. 2: 17. 18. 20. 22. 26. Nam, quomodo amor gloriæ Dei potest esse sine studio erga præcepta ejus, & sitis justitiæ tendens ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος *plenitudinem spei* potest non sollicitè obsignationem Dei custodire?

Fides informis. 54. Evanescit ad hanc lucem spectrum *fidei informis*, quæ tamen dicitur aliquid dispositivè ad justificationem sive adeptionem charitatis conferre: quæ nihil est aliud, quàm vel lætitia carnalis ob quædam audita, vel convictio de veritate auditorum; & excludit gratiam Dei in Christo, quam fides primò per ὁμολογίαν sive astipulationem divinæ ἐπερωτήσεως *stipulationis*; deinde & per ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς θεὸν *restipulationem bonæ conscientiæ in Deum*, & petitionem ac exspectationem boni promissi comprehendit. Charitatem autem crescentem in Deum ac proximum & nos addimus fidei non ad meritum & dignitatem, sed ut fructum. Eam verò fidem, in qua non est vere *pia voluntas*, ut revera cadaver *informe*, abominamur.

Locus Hebr. c. 11. v. 1. 55. Dictis etiam concinit elogium Apostoli, Hebr. 11: 1. ἔστι δὲ πίστις ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων κρᾶγμα οὐ βλεπομένων, *Est autem fides repræsentatio aut pollicitatio eorum, quæ sperantur, & demonstratio eorum, quæ non videntur.* Quippe quæ demonstrat, quæ non videmus, nempe imprimis charitatem illam immensam Dei erga nos in Filio suo, quam Deus per Spiritum suum in cordibus nostris effundit; & facit, ut speratam vitam æternam nobis ipsis ὑφίστασθαι & polliceri

liceri per gloriationem in Deo non dubitemus. Ad quam fidem *instar grani sinapis* est ea, quæ *dicit monti huic, Projice te in mare.* Matth. 17: 20. Multò enim majus est, charitatem Dei & justificationem amplecti, quàm credere, per potentiam Dei posse cœlum & terram commoveri. *Locus Matth. 17: 20. Fides instar grani sinapis.*

56. Certam esse fidem suam credenti, non nisi infideles dubitant: quum Scriptura agnoscat fidei δοκιμιὼ *experientiam* ad ἐλπίδα καυχωμένων καὶ μὴ καταισχύνουσαν *spem gloriantem & non confundentem*, imò ἀπεκδεχομένων *exspectantem.* Rom. 5: 4. 2. 5. 8: 25. (Est autem תִּקְוָה *exspectatio* sive ἀπεκδοχὴ certa persuasio de futuro bono; cui תּוֹחֶלֶת ἐλπὶς, *spes*, addit patientiam moræ, & ἑτοιμασίαν sive præparationem promtitudinemque animi ad id excipiendum) & testimonium Spiritûs ad spiritum nostrum, quòd simus filii Dei, Rom. 8. v. 15. 16. Gal. 4: 6. & ἐξουσίαν τέκνα θεῦ, hoc est, Deum ut patrem compellandi libertatem, Joh. 1: 12. & παῤῥησίαν, 1 Joh. 3: 21. imò jubeat fideles se explorare & tentare, an sint in fide; & miretur, si non seipsos cognoscant, quòd Christus in ipsis sit: idque solis ἀδοκίμοις *non probis* attribuat. 2 Cor. 13: 5. Aug. 13. de Trinit. c. 1. *Homo fidem suam tenet firmissima scientia & certissima, eamque in se videt clamatque conscientia; quia rerum absentium fides est præsens; & rerum, quæ foris sunt, intus est fides; & rerum, quæ non videntur, videtur fides.* Vide Scot. 3. dist. 23. n. 17. qui addit: *Sicut credo, Deum esse trinum & unum, & non scio, nec scire possum illud pro statu isto; sic credo, me habere fidem infusam inclinantem in illud sicut in verum, quod est in se verum.* & dist. 24. n. 12. *inconveniens est ponere tale lumen & tamen latere nos.* Hoc sanè esset tollere discrimen inter veterem novumque hominem, & spiritus impuri & purificantis dictatum & ductum. Spiritus Dei contestificatur spiritui nostro Rom. 8: 16. *Credens de fide sua certus est, cum gloriatione, exspectatione, libertate.*

57. Fidei opponitur non tantùm ἀπιστία *incredulitas*, quæ oritur ex inobedientia, concupiscentia, Dei contemtu, & ἀθεότης, sive ἀγνωσία θεῦ, hoc est, eo affectu impio, ut non curet aut tanti putet Deum habere in agnitione, Rom. 1: 28. & confirmatur ratiocinatione & obmurmuratione, quæ sunt carnalis sapientiæ; sed & *superstitio*. quæ habet speciem religionis & fiduciæ in Deum, sed nihil minùs est. Nam, quod superstitiosus facit aut dicit, est actus odii Dei. Tantummodò enim quærit habere, agere, dicere aliquid, quod Deo imputare possit cum jurgio, veluti σκληρῷ *duro* domino. Matth. 25: 24. Ita *hostes* Dei *ipsi mentiuntur*, Deut. 33: 29. Psalm. 18: 45. *Fidei oppositæ.*

18: 45. 66: 3. 81: 16. quorum est, audito verbo, non quidem amorem veritatis, atque ita Dei recipere (2 Thess. 2: 10.) sed tamen, propter effecta potentiæ divinæ dicere Deo, Tu es Dominus. aut utilitatis causa eligere quædam dicenda & facienda cum fidelibus. Quæ tum non est ὁμολογία, quia ex animo non provenit, & sæpe destituitur cognitione & consideratione; sed tantùm abnegatio odii, quod in ipsis est. In multis etiam est securitas; ut, qui *dicunt se fidem habere*, hoc est, putant se credere, Jacob. 2: 14. & non habent opera, studium bonæ conscientiæ repellentes, 1 Tim. 1: 19. quales naufragium faciunt circa fidem, tanquam circa portum, hoc est, pereunt sine fide; in qua si essent, salvi forent. Tales, audito sermone, statim gaudent, sibi præpropere consolationem vindicantes, & eam cum suis concupiscentiis conjungentes, ut non timeant peccatum. qui nec considerant, nedum intelligant sermonem, & *radicem non habent*, nempe *famem & sitim justitiæ* ut *ejus serri* fiant. quæ est unica radix omnis virtutis & omnis studii ad perfectionem spei. Matth. 13: 20. 21. 23. Hebr. 6: 11.

Parva fides. 58. Est & ὀλιγοπιστία opposita robori fidei aut fidei integræ omnem gratiam & promissionem apprehendenti. Quam Deus condonat suis; qui vellent id esse verum, quod audiunt, & gratiam vehementer sitiunt, sed non audent eam sibi arrogare ac promittere.

Fides διαλογισμῶν. 59. Pestis fidei est τὸ διαλογίζεσθαι & *disceptare*. quod Jacobus tribuit τῷ δίψυχῳ ei, *qui duplicem animum habet*. Jacob. 1: 6. 8. Deliberat enim, an sibi regnum Dei & ejus conditio ac qualitas sit utilis futura. eoque in tantùm vult habere cognitionem veritatis, & ejus confessionem præ se ferre & cum civibus regni Dei participare, in quantum putat hoc suis commodis & consiliis convenire. Hinc quidam reperiuntur סְעִפִים *ambigui* & deliberabundi, Psalm. 119: 113. qui & עֲקֻשִׁים solent appellari. quibus Scriptura attribuit *duplicem viam*. Prov. 28: 6. 18.

Caput XLVII.

De Fide Patrum.

Ex iis, quæ tum de patefactione Testamenti & Traditione prisca, tum de Fide disputavimus, mediocriter intelligi potest, quæ fuerit fides Patrum: sive eam consideres, ut fuit in ipsis; sive consideres ejus fidei, quam habuerunt, objecta.

2. Fuis-

2. Fuisse in ipsis fidem, dubitari non potest, tum, quia verbum Dei habuerunt, quod est ἀξιόπιστον *fide dignum*; tum, quia testatur de quibusdam Scriptura, quòd *crediderint Deo.* ut de Abrahamo Gen. 15: 6. *Et credidit in Iehovah.* Unde de omnibus concludit Apostolus Hebr. 11: 39. eos per fidem testimonium à Deo accepisse. *Patres habuerunt fidem.*

3. Quod de Abrahamo dicitur, id Apostolus interpretatur Rom. 4:17.—21. quòd 1. ἐπ' ἐλπίδι *securè crediderit*, quòd *non fuerit infirmatus fide*, quòd *non disceptaverit per infidelitatem*, quòd *roboratus fuerit fide*, quòd *dederit gloriam Deo*, & *certum habuerit, eum, quod promiserat, etiam posse facere.* Hæc ex verbis Mosis liquent. Nam, quum dixisset ipsi Deus, *Noli metuere*, subjicitur, *Et credidit in Iehovam.* nempe sine metu, sine disceptatione. Et, dum dicitur *credidisse in Iehovam*, significatur, quòd in eum innixus sit & recubuerit, ut veracem & potentem non tantùm ad faciendum sed & ad decenter faciendum. Nam τὸ *posse* in materia gratiæ significat non tantùm sufficientiam ad producendum opus, quale est semen multiplex, sed etiam sufficientiam ad gratiam dignè & cum decentia ac sine ullius virtutis divinæ abnegatione vel obscuratione exhibendam. Quum autem dicitur *credidisse in Iehovah*, quo notatur, ut dixi, quòd se in ipsum rejecerit, significatur, quòd roboratus fuerit fide, quodque fides in ipso fuerit valida eumque robustum fecerit ad vincendum omnes tentationes, ad Deo adhærendum & promissa bona exspectandum. Hoc autem animi robur in ipso esse non potuit, nisi in ipso esset amor gloriæ Dei & nominis ipsius, & desiderium plenum ἀγαλλιάσεως & *alacritatis* (Joh. 8: 56.) ad videndum id, unde omnis benedictio pendet. Cæterum, quòd robur fidei in ipso fuerit, non tantùm inde patet, quòd vocatus à Deo libenter egressus est ex domo patris sui, & idololatriam, quæ in ea exercebatur, reliquit, sed etiam, quòd non dubitavit filium suum unigenitum, quem vi promissionis acceperat, Deo immolare. Et robur fidei ejus eò magis apparet, quòd in tota vita sua vix aliud quicquam vidit de promissionibus Dei, quàm nativitatem Isaaci, filii promissionis, ex Sarah: illud autem, quod potissimum est in promissione, non vidit. nempe Semen, in quo futura erat benedictio gentium. *Elogium fidei Abrahami.*

4. Sed, age, videamus distinctiùs, quid crediderint Patres, quam gloriam Deo dederint, & quid in ipsis robur fidei, & sanctam illam ἀγαλλίασιν effecerit. Nihil autem melius fieri à nobis potest, quàm ut apertis & manifestis ad ea, quæ in Deo recondita ipsis erant, ascendamus. *Objectum fidei Patrum, nominatim Abrahami.*

5. Imprimis credidit Abrahamus, se multiplex habiturum semen: neque sanè modò carnale semen, quale & improbi habent sæpenumero; cujusmodi semen poterat esse Ismaël & posteri ejus, & eorum, qui ex Ketura ipsi nati sunt: sed semen, quod Deo gratum esset, cuique Deus benefaceret. certè quidem corporalibus beneficiis. quale est possessio terræ Canaan (De quo dicitur Gen. 12: 7. *Semini tuo dabo hanc terram*) at non tantùm corporalibus beneficiis, sed etiam spiritualibus: quod inde patet; quia Deus pronunciat, se ipsi & semini ipsius fore Deum, hoc est, (ut id, quod evidentissimum est, ante omnia dicamus) daturum semini ipsius potestatem gloriandi in se, tanquam in Deo suo. Apertum verò est, non licere peccatori Jehovam Deum suum dicere, quamdiu is necesse habet profiteri, se mereri iram, & condemnatum esse ad mortem. Igitur credidit Abraham, se habiturum semen, cui Deus non imputaret peccata. Et verò omnia corporalia beneficia, quæ in peccatorem conferuntur, testantur, apud Deum esse remissionem. Quin etiam manifestum est, Abrahamum credidisse, se habiturum semen, cui benedictio contingeret. Et id cùm apertè dicitur, tum etiam eo, quòd Jehovah se Deum seminis ipsius futurum promittit. Nemo enim potest in Deo gloriari ut Deo suo, qui non eum amet & sibi benedicat in Deo. Amare autem nemo peccator Deum potest, nisi sanctificatus à Deo, & hac benedictione affectus; & sibi benedicere non potest, qui non sciat, se benedictionem, hoc est, veræ beatitudinis addictionem à Deo consecutum esse, eaque re lætetur & exultet.

6. Porrò, qui credit, se benedictum esse, atque ita sibi benedicit, &, se esse patrem benedicendorum ac sibi benedicentium, is etiam credit, dari vitam æternam: quia benedictio non est sine vita, &, quod amittendum est, bonum & benedictio non est. neque enim nostrum est, neque satiat. & benedictio, qua homo possit tantùm gloriari & exultare, omnem miseriam excludit. & eam dari à Deo, ut auctore benedictionis: & dari credentibus; quia illis mentiri non potest: & dari non tantùm in anima, sed etiam in corpore. quia Deus non est mortuorum, sed viventium. Ideò credit, dari resurrectionem mortuorum.

7. Imò, qui credit, se patrem constitutum esse multarum gentium, credit multas gentes esse potentia Dei vivificandas ex morte in peccatis, & novas creaturas efficiendas. Idque eò magis credit, quia

quia credit se patrem illarum constitutum esse : ut fides sua non tantùm sit exemplar fidei illorum, sed etiam ratio sanctificationis illorum. quia Deus promittens sibi fidem adhibenti non potest mentiri.

8. Hæc igitur dum credit, credit etiam, esse justificationem peccatoris. Nam quomodo ad eum perveniet benedictio, qui, quum debitor & reus judicii sit, justificari non potest?

9. Proinde credit, esse redemtionem per obedientiam & perfectam justitiam. Iccircò credit, hominem à Deo constitutum esse Redemtorem & ἀρχηγὸν ac principem auctorem, ut benedictionis & vitæ, ita etiam justitiæ. Et, eum hominem esse semen suum, credidit Abrahamus; quia ipsi dictum est, In semine tuo omnes gentes benedicentur.

10. Neque tamen propterea in alio, quàm in Deo gloriatus est Abraham; neque credidit, in alio, quàm in Deo gloriaturos esse eos, qui sibi pro semine promissi erant: quia credidit, Jehovam sibi fore Deum & clypeum, hoc est, patronum, redemtorem, justitiam. atque ita, credendo, semen suum fore Jehovam, gloriam dedit Deo, quòd is futurus sit sibi & semini suo in Deum, sanctificando, & quòd Sanctus suus sit suus Goël, assertor, Redemtor ac Vindex. Es. 41: 14.

11. Præterea credidit, fore, ut Semen suum, in quo ut ἀρχηγῷ est benedictio, videretur & visum prædicaretur familiis terræ omnibus, ut in eo sibi benedicere possint, & ut per prædicationem illam & potentiam Dei sanctificantis ac meritum Seminis omnes gentes sanctificentur ad fidei obedientiam, & sic justificentur, & justitiæ non minores fructus reportent, quàm quibus ipse Abrahamus gavisus erat.

12. Ex quibus omnibus patet, fidem Abrahami & reliquorum omnium magna ex parte fuisse *spem*. Nam & objectum ejus à potiori parte nominatur ἐπαγγελία *Promissio*. Quo tamen non obstante, fuit revera fides in Deum sive fiducia in Deum, ut veracem testem, bonum & amantem, & in Assertorem ac Vindicem, qui ab initio fuit apud Deum. de quo loquitur Job. c. 19: 25. & Es. 63: 9. & Jacobus Gen. 48: 16.

13. Quanquam autem ii sine dubio sint longè beatiores, qui vident, & audiunt, quod Abrahamus & cæteri patres se speraverunt visuros & audituros (de qua beatitudinis prærogativa infra agen-

dum loco XXII.) tamen hæc, quæ Abrahamus audivit, quæque ipse Deo ipso coram sibi loquente audivit, &, quæ speravit se & posteros suos visuros & audituros, tanta sunt, ut in ipso efficere potuerint ingentem ἀγαλλίασιν ad videndum & audiendum, quæ videnda & audienda promittebantur; & amorem Dei sincerum; & timorem ipsius serium ad integritatem in bona conscientia conservandam & coram Deo ambulandum, & robur fidei magnum, quo vinceret omnes tentationes & adversitates.

LOCUS DECIMUS SEPTIMUS

DE

Justitia, nominatim Patrum ante Legem, ejusque signaculis.

Caput XLVIII.

De Iustitia fidei.

Pondus quæstionis de justitia.

Omnia, quæ in verbo Dei traduntur, eò spectant, *ut justus agnoscatur Deus & justificans*, Rom. 3: 26. sive ut homo, qui non potest constituere *justitiam suam*, obtineat *justitiam Dei*. Rom. 10:3. ad quam primò quærendam instigat Salvator Matth. 6: 33. *Quærite primò regnum Dei*, ut Deum regem & cognoscatis & habeatis, per fidei resipiscentiam, *& justitiam ejus*, Dei. *Regnum enim Dei est justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Rom. 14: 17.

2. Maximi momenti est hic locus: quippe quum regnum Dei absque justitiæ hujus quæstione obtineri non possit: & Ecclesiæ seriò sit à Deo & promissum & edictum, *In justitia constabilieris*. Es. 54: 14. Et horribile exemplum judicii Judæorum suam justitiam constabilire quærentium, & justitiæ Dei se non subjicientium, Rom. 10. v. 3. nos monet, ut & diligenter quæramus illam, & quamvis non tantùm à Judæis, sed & à Pontificiis & gentibus & hæreticis aliis allatratam omni tempore, firmiter retineamus. Neque hîc magis vocum, quàm sententiarum diversitas est, ut quidam simpli-

simplicioribus persuadent lingua blanda cum corde & corde loquentes.

3. Voces quatuor hîc maximè considerandæ sunt. 1. δίκαιος *justus.* 2. δικαιοσύνη *justitia.* 3. δικαίωμα *justitiæ causa* sive *meritum.* 4. δικαίωσις *justificatio.*

4. *Justum* dicimus dictum factumque, quod καθῆκον *quod oportet,* νόμιμον *legitimum,* ἄμεμπτον καὶ ἀνεπίληπτον *quod culpari & reprehendi non potest,* imò quod καλὸν καὶ ἐπαινετὸν *honestum & laudabile.* In eo *rectitudo* & τὸ εὐπρεπὲς *decentia* spectatur. De persona quum loquimur, *justum* dicimus, 1. in quo nulla labes & macula est, sive consideres dicta, sive facta, sive distributionem eorum, quæ aliis debentur jure, hoc est, ex convenienti decentia. 2. qui jure petit bonum à quoquam, ut v.g. à Deo vitam æternam, præmium obedientiæ. 3. qui injustè accusatur vel impetitur. v. gr. Justus in judicio est, non tantùm, qui rectè litem intentat & petit, sed & à quo malè petitur, quique propterea reatu eximendus est, & à criminatione & impetitione rectè absolvitur. Iustus & justum.

5. *Justitia* vel significat ipsam rectitudinem & decentiam voluntatis, dicti factivè; unde Paulus dicit Tit. 3: 5. ἔργα ἐν δικαιοσύνῃ *opera in justitia,* hoc est, cum debita rectitudine: in specie præcepti, aut judicii ac distributionis, &c. vel rectum dictum factumve; ut Psalm. 11: 7. *Quia justus Iehovah,* צְדָקוֹת *justitias diligit.* vel jus ad petendum bonum, aut ad carendum malo, accusatione, impetitione. Es. 54: 17. *Omne telum,* quod *formatum fuerit contra te, non proficiet, & omnem linguam,* quæ *surget tecum ad judicium, condemnabis. Hæc* est *hæreditas servorum Iehovæ* & צִדְקָתָם *justitia illorum,* hoc est, jus illorum *à me.* Justitia.

6. Δικαίωμα aliquando significat justam & decentem Dei sententiam, sive quod Deus rectè ac decenter judicat, ut Rom. 1: 32. Apoc. 15: 4. aliquando justas præceptiones, vel justa requisita; ut δικαιώμασι λατρείας Hebr. 9: 1. sunt *requisita cultûs.* & v. 10. δικαιώμασι σαρκὸς, *requisitis carnalibus.* Δικαιοῦν enim quandoque significat jure suo postulare & requirere, ut & decenter judicare. Alibi δικαιώματα dicuntur vel rectè facta, vel potiùs justitiæ fructus & testimonia. ut Apoc. 19: 8. Sed hæc nihil ad nostrum institutum. Una supereſt notio, nimirum qua significat opus, quod affert jus petendi mercedem vitæ. Id verò, in nostro negocio, & δικαίωμα (liceat *meritum* appellare) simpliciter dicitur, & ἐκ πολλῶν δικαιωμάτων Δικαίωμα.

μάτων *ex multis lapsibus* sive delictis prosternentibus, & δικαίωμα & νέμω, id, quod lex exigit ad justitiam, sive, quod lex justificat. Rom 5: 16. 18. 8: 4. eique opponitur κρῖμα q. d. *crimen*, i. e. opus judicandum, c. 5. v. 16. (עָוֹן פְּלִילִי dixeris ex Job. 31: 28.) & παράπτωμα *lapsus*. v. 18.

Justificatio. 7. Δικαιῶν *justificare* (unde δικαίωσις *justificatio:* quod dicitur Hebraicè הַצְדִּיק. Nam alienum est quærere de Græcæ vocis notionibus, quæ Hebræo illi non respondent, quum hîc de justificatione in scriptis Veteris Testamenti per illam Hebræam & in Novi Testamenti libris per hanc Græcam indigitata quæratur) significat judicium, quo quis declaratur justus, hoc est, vel rectus, insons, inculpatus, dignus præmio, vel quomodocunque jus habens ad præmium bonumve petendum, vel liberandus ab onere, malo, accusatione, impetitione. Id manifestum est in iis locis, in quibus opponitur לְהַרְשִׁיעַ & similiter מְעַקְּשִׁי (Job. 9: 20.) quæ ut non notant *improbum, nocentem, perversum facere*, ita & alterum, in tali quidem oppositione, non significat *justum facere*, sed quomodocunque justum declarare, definire, pronunciare: amare ut justum, imputare mercedem, nominatim peccatori, aut judicare eum præmio afficiendum: cui affine, justum demonstrare & judicium suum aut amorem suum declarare, cumprimis ipsi justificato, vel aliis, ut illi benedicant. Semel, Danielis 12: 3. significat potiùs operam dare multorum justificationi, divinæ scilicet, multos ad justificationem perducere, quàm multos justificare. Nam de loco, qui est Apocal. 21. v. 11. postea. *Sapientia justificatur à filiis suis* Matth. 11: 19. Luc. 7: 35. hoc est, justitia Sapientiæ à filiis, hæredibus ac consortibus ejus, agnoscitur & asseritur. confer Luc. 7: 29. 30. Christus *justificatus est in spiritu*, 1 Tim. 3: 16. hoc est, ut probaretur & reperiretur testis verax, & is, qui omnem obedientiam implevit, & sarcinam peccatorum nostrorum ita tulit, ut nihil lex ultra poscat, sive perfectus & fidelis Sponsor ac princeps auctor salutis, virtute divinitatis effecit. Deus *justificavit filium* publicè testatum dando, quòd nec mentitus sit, nec peccatum fecerit, & officio Mediatoris satisfecerit. Es. 50: 8. Cum ל dativi signo conjungitur Es. 53. vers. 11. בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים *cognitione sui conciliabit justificationem Justus servus meus multis.* quasi esset הַזָּרָקָה לָהֶם יַעֲשֶׂה / ut sit verbum prægnans: quemadmodum Grammatici amant loqui.

Removentur à 8. Antequam propiùs ad argumenti nostri tractationem accedamus,

damus, ſemovenda quædam ſunt vel ut ὁμολογούμενα vel ut ἀπεξ- *quæſtiones ea, quæ non dubitantur aut aliunde ſunt.*
δόνητα & ad hanc quæſtionem non pertinentia.

9. Primò illud extra controverſiam eſſe debet (quanquam perſæpe falſo ſugillemur à Pontificiis) regenitos, fideles, reſipiſcentes eſſe μετόχους θείας ἁγιότητος *participes divinæ ſanctitatis*, & habere καθαρὰν καρδίαν *cor purum*, & eſſe ἁγνὰς *caſtos*, & μὴ ἁμαρτάνειν *non peccare*, atque adeò eos eſſe ὁσίως καὶ δικαίως ζῆν *pios & juſtè vivere*, & habere δικαιώματα *juſtitiæ documenta*. quemadmodum & *recti* nuncupantur. eorumque *rectitudinem* poſſe *juſtitiam* appellari; fortaſſis etiam in Scriptura dici (neque enim hoc quæritur) ipſos quoque ratione impetitionis humanæ נְקִיִּם *innocentes* & צַדִּיקִים *juſtos* nominari; qui tamen ſunt ἁμαρτωλοὶ *peccatores*, ſi quæratur de juſtitia apud Deum. Concedimus liberali manu, nullum eſſe δικαιούμενον *juſtificatum*, qui non ſit ἡγιασμένος *ſanctificatus*. Imò contendimus, ἁγιασμὸν *ſanctificationem* utrumque & regenerationem ſive renovationem & juſtificationem alicubi includere. Atque adeò eſſe aliquod vocabulum in Scripturis, quod utrumque complectatur, nempe beneficium purificationis cordis ſive regenerationis ac ἀνακαινώσεως *renovationis* ad imaginem Dei, & remiſſionis peccati atque acceptationis ad jus filii & hæredis vitæ. Atque id propterea animadvertimus, ut ſimpliciores ſciant, quid ſentiendum ſit de fide & mente Antiquorum Eccleſiæ doctorum, qui de *juſtificatione* implicatiùs aliquando locuti videntur (ita occaſio occultè parata eſt errori pernicioſiſſimo quem hodie Eccleſia Romana fovet) quum tamen rectè ſentirent de peccato, Lege Dei, merito Chriſti & judicio Dei, & in Deo non in ſemetipſis gloriarentur. Quibus abuſus vocabuli condonandus eſt: quanquam neceſſe ſit, hoc tempore cumprimis, diſtinctiùs loqui.

10. Si maximè Pontificii probarent, in Scripturis τὸ δικαιοῦν *juſtificare* ita latè capi, ut ἀνακαίνωσιν *renovationem* amplectatur; tamen beneficia diſtincta *ſanctificationis*, quæ eſt *renovatio*, & *juſtificationis*, à qua ſanctificatio illa diſtinguitur (ut 1 Cor. 6:11.) & quæ etiam aliis nominibus ejus indolem clarè exprimentibus indigitatur, eſſent accuratè diſcriminanda, ut ἔλεγχος Spiritus ſancti *de peccato, juſtitia & judicio*, Joh. 16: 8.—11. integer relinquatur.

11. Igitur, quando de Juſtificatione agitur, non quæritur, An non in illis, qui ſervantur, ſit cor purum & rectum, fides, charitas, voluntas bona & opera bona: neque etiam, an ea ſint juſta, hoc eſt, legiti-

gitima & debita, vel etiam suo modo laudem habeant & Deo sint grata: neque etiam, an per illa homo justificetur aliquo modo? sed quæritur, quid illud sit, unde homo peccator habet titulum & jus expectandi & petendi vitam, & quod Deus sine abnegatione sui pro tali titulo & fundamento ad vitam adjudicandam habet, & sapientissimè ac misericordissimè ordinavit & dedit? De hac quæstione quas veritates ex sacris Scripturis didicimus, ordine proponemus.

Propositio Quæstionis de Justificatione.

Justitia propria.

12. Hominis ad imaginem Dei conditi rectitudo & justitia est, omnia, quæ recta conscientia dictat, quæ in lege morum continentur, fecisse, hoc est, summatim, Amare Deum creatorem ex toto corde, ex tota anima, cogitatione, viribus; & proximum uti se ipsum. nempe in ea perfectione, quam verba hæc ullo modo portendere possunt, sine ulla extenuatione. Quò pertinebat, etiam ea mandata præstare, quæ tanquam Dominus homini imposuerat explorandæ obedientiæ ergò. *Justitia*, inquam, ea fuisset, hoc est, eâ obedientiâ sibi peperisset jus vitam æternam, ut præmium, expectandi & petendi. Non ex condigno, sed ex pacto. Quod Deus cum homine ad imaginem suam condito decenter, prout sapientia & veritas & bonitas ejus ferebat & suadebat, fecit. unde, ut hominis conscientia ipsi dictavit, Amandum & quærendum esse Deum, ita ipsi eadem naturaliter insinuavit, per amorem & obedientiam Deum ut fidelem creatorem inveniri ad fruendum ipso non in bonis terrenis & statu mutabili ac victu carnis & sanguinis, sed in complemento lætitiæ, suavitatis, gloriæ, in visione ipsius, cum certitudine status indemutabilis. Hanc obedientiam appellat Scriptura δικαίωμα *meritum* sive *opus justificans* simpliciter; & δικαίωμα ἔ νόμε, *id, quod lex justificat*: quia illius μόρφωσις *deformatio* in lege exstat. Rom. 5: 16. 18. 8: 3. Atque ideò Ezechiel cap. 20. v. 11. indigitat legem moralem per *Statuta ac judicia Dei, quæ si faciat homo, vivet in eis.* à quibus distinguit δόγματα *placita*, quæ appellat S. Paulus Eph. 2: 15. Col. 2: 14. de quibus dicit, quòd sint *Statuta non bona*, hoc est, incommoda, grave jugum, & in se αἰώφελῆ, *in quibus* scil. *non viverent*. Ezech. 20: 25. Unde confirmatur, quod & per se liquet, & ab Apostolo passim urgetur, Non dari aliud δικαίωμα, hoc est, opus justum constituens sive jus vitæ afferens, nisi obedientiam legis moralis, & amorem Dei ac proximi imagini Dei homini impressæ consentaneum. *Placita* verò, hoc est, leges positivas

Δικαίωμα, meritum.

tivas ad justitiam & vitam nihil conferre, nisi quatenus in illis & per illa demonstratur veri illius & perfectissimi amoris obedientia. Quemadmodum autem Imago Dei alia esse non potest, nisi ea ὁσιότης τ᾽ ἀληθείας, sive sanctitas æternæ veritatis ac sapientiæ lege fundata & nixa, ita nec lex, nec δικαίωμα potest mutari. Hoc ab Apostolo Paulo vocatur passim τὸ ἔργον opus, vel τὰ ἔργα opera; &, qui illud habet, ὁ ἐργαζόμενος qui operatur. De qua *justitia* egimus supra cap. XXII.

Justitia propria peccatoris impossibilis.

13. Postquam peccatum introiit in mundum, impossibile est legi (quatenus illa nihil nisi δικαίωμα describit, & ei vitam addicit, & id non habenti vitam abjudicat & eum exsecratur) ullum hominem justum vitæ petitorem sistere. Quin omnis caro est ὑπόδικος τῷ θεῷ *obnoxia Dei judicio*, omnis homo ἁμαρτωλὸς *peccator*, ἀσεβὴς *impius*, ὑπὸ τὴν ὀργὴν *sub ira* sive υἱὸς ὀργῆς *filius iræ*, κατηραμένος *maledictus*, ἐχθρὸς *inimicus*. ἐ δικαιωθήσεται ἐνώπιον θεῦ πᾶς ζῶν. Psal. 143: 2. neque potest per totam legem à reatu & statu hoc liberari vel justificari, Actor. 14: 39. Idque non tantùm pendet à voluntate Dei, quòd is noluerit hanc vel illam conditionem justificationis eligere, sed à Dei naturali decoro, qui se ipse &, quod convenit imagini suæ, abnegare, neque ei, quod ab imagine sua dissidet, laudare ac æstimare, imò non abominari non potest: & à carnis impotentia, quæ Deo & legi illius se subjicere non potest; & à Legis, peccato iram & mortem irrogantis, immobilitate. De quo egimus c. XXXI.

Possibilis justificatio per justitiam non suam.

14. Quum igitur τὸ ἀδύνατον τ᾽ νόμυ cum Apostolo asserverimus, nempe, impossibile esse, ut peccator re aut opere aliquo, quæ in ipso sint, justum esse apud Deum, sive jus habere ad præmium obedientiæ petendum, consequens est, ut demonstremus, Possibile esse, peccatorem justificari justitia non sua. Id verò possibile ut sit, non provenit ex ulla potentia aut abundantia creaturæ, sed ex *divitiis Dei*. Est igitur possibile, peccatorem justificari aliena justitia, si sit, qui sacerdos fieri possit & idoneum ac glorioſum Deo sacrificium offerre pro peccatore eumque eo sacrificio reconciliare Deo. Sacrificia etiam gentes obtulerunt, quibus putarunt expiari peccata. Quæ non habuissent gentes, nisi & Noachus & antea patres sacrificia Deo obtulissent. Et ante legem Abrahamus sacrificium Deo obtulit. Deus deinde etiam per Mosen imperavit sacrificia pro peccatis offerri. Et Psalm. 50: 5. docet Propheta, Cum Deo fœdus fieri à piis ejus sive studiosis illius super sacrificio. At

in eodem Psalmo sacrificia pecuina reprobantur, ut & Psalmo 51. vers. 17. & antea Psalm. 40: 7. Idoneum sacrificium, quo Deus delectari possit, est *sacrificium justitiæ*, Psalm. 51: 20. hoc est, obedientia, quæ secundùm legem jus vitæ petendæ parit: quaque præstita, Deum decet & peccata condonare, & vitam æternam donare. Hoc autem sacrificium Deo offerri non potest, nisi ab eo, cui & salvandi possint donari. Si autem exstet sacerdos, qui dominus salvandorum nominari & esse possit, & cujus peculium & membra censeri possint; & ab eo sacrificium amoris justi & deprecationum pro miseris offeratur, & is gloriam sanctitatis Dei asserat enormia patiendo, dictat conscientia, talem sacerdotem & deprecatorem posse exaudiri. Nam Lex & conscientia dicit, Quo Deus glorificatur, id rectè & decenter posse fieri: & sacerdotem obedientem & tentatum, qui tantæ dignitatis sit, posse petere mercedem operis sui; quæ alia esse non potest, quàm salvatio pereuntium, pro quibus oravit, & donatio hæreditatis: & sacerdotem talem glorificari ὁμολογίᾳ & πίστει; & eam non posse esse inutilem ei, qui eam habuerit (quia secundùm veritatem est) quin ejus sit & peculium & confœderatus. Et à tali sacerdote, quemadmodum secundùm legem diligi potest miser peccator, ita etiam posse eidem, pro quo legitimè intercesserit, spiritum suum impertiri, (Deo scilicet sanctificato) atque ita eum sibi unire, ejusque caput fieri, & eum membrum suum facere.

15. Quum igitur talis גואל *vindex* atque assertor ab æterno exstiterit, & sacerdos, Salvator ac Dominus statim post peccatum nominatus sit, in eo justitiam esse, & δικαίωμα, & ἱλασμὸν *expiationem*, & καταλλαγὴν *reconciliationem*, certum est.

16. Igitur, quorum hoc est δικαίωμα, ii per legem legi moriuntur, & in iis impletur τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου. Gal. 2: 19. *Ego per legem legi mortuus sum.* Rom. 8: 4. *ut justitia legis impleatur in nobis*, sive ut in nobis ad plenum sit, per κοινωνίαν, quod lex justitiæ causâ & ad vitam addicendam exigit. Nempe quia per Christi obedientiam & mortem peccatum condemnatur, ut condemnare non possit; exsecratio tollitur & justitia ac vita sive *salus* (quæ utrumque amplectitur: justam & decoram Deo ablationem iræ & pœnarum, largitionemque vitæ ac beatitudinis) adducitur. Lex non potest condemnare eum, qui in Filio est, & qui ejus habet δικαίωμα: lex non potest non eundem pro filio Dei acceptare, & illi obedientiæ, quam

in

in Redemtore obtinet, vitæ mercedem imputare. Rom. 8: 1. *Nulla est damnatio iis, qui sunt in Christo Iesu.* v. 3. *peccatum damnavit in carne, ut jus legis impleretur in nobis.* v. 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat.* v. 34. *Quis condemnans? Christus, qui mortuus est; imo excitatus, qui & est ad dextram Dei, & intercedit pro nobis.* v. 31. 32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum: Quomodo non cum ipso nobis largietur omnia?* 1 Joh. 5: 12. *Qui habet filium, vitam habet.*

17. Δικαίωμα Filii, & jus per obedientiam partum est χάρισμα, est δώρημα *gratiosa donatio.* Rom. 5: 16. Quibus Filius donatur, iisdem donatur ejus justitia: hoc est, illis donatur, quod Christus sua obedientia impetravit. Neque enim donatur illis divina ipsius justitia. Quippe obedientia legis opus erat. Qua opus non fuisset, si divina justitia & dignitas donari peccatori potuisset.

18. Distinctio hic est, quoad statum eorum, qui Christo donati sunt. Quamdiu in statu peccati sunt, sub ira sunt, hoc est, ea ipsorum conditio est, ut, in illa perseverantes, non nisi iram experiri possint. Interim, qui sunt electi Dei, & Christo dati sunt, quorumque adeo peccata, in se conjecta, tulit, iis Deus *non imputat peccata ipsorum.* 2 Cor. 5: 19. Quod si faceret, utique non & beneficiis invitaret, & vocaret verbo, & Spiritum regenerationis illis largiretur. Nec tamen in eo statu, ideò quòd decrevit cum illis agere non tanquam cum filiis Adami, & secundùm meritum ipsorum, sed, secundùm Testamentum gratiæ in Filio redemtore, tanquam cum redemtis, secundùm meritum Filii, *justi* vocantur aut sunt. Neque dum enim Christi μέτοχοι γεγόναμεν *participes facti sunt.* ut est Hebr. 3: 14. Sed tum demum, quando Christum accipiunt & ipsi inseruntur sive inveniuntur in ipso, ipsis donatur & δικαίωμα Christi. *A communione Filii pendet justificatio.*

19. Inseruntur salvandi Christo per fidem, quam nuper descripsimus. Ita in Christo sunt, 1 Cor. 1: 30. Eph. 3: 17. membra ejus sunt, 1 Cor. 12: 12. 13. 27. Eph. 1: 22. 23. sponsa ipsius sunt, Joh. 3: 29. 2 Cor. 11: 2. Hos. 2: 21. Es. 54: 5. domus ipsius sunt, Hebr. 3: 6. populus ipsius sunt, Zach. 13: 9. Tit. 2: 14. Christus est in ipsis, Gal. 2: 20. Christum accipiunt, Joh. 1: 12. 3: 16. 6: 32. participes Christi fiunt; Hebr. 3: 16. habent communionem cum ipso, 1 Cor. 10: 16. In Christi igitur communione fidelibus datur ipsius δικαίωμα, & in ipsis impletur τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου. Ita *fit illis Christus justitia.* 1 Cor. 1: 30. Ita *fiunt justitia Dei in ipso,* 2 Cor. 5: 21.

20. Igitur justificatio assignatur fidei, non ut operi bono & implemento legis, aut conditioni ex multis conditionibus possibilibus à Deo electæ κατὰ δόγμα *ex placito*, aut ut fœtæ operibus novæ obedientiæ, sed ut medio communionis Christi. Phil. 3: 9. Ideoque & *soli fidei* justificatio assignatur, non ut δικαίωμα *merito* (hoc enim est ὑπακοὴ τοῦ Χριστοῦ *Christi obedientia*) Rom. 5: 18. 19. sed 1. ut soli medio communionis Christi. Per fidem enim in Christo sumus, quia est primum opus Spiritus regenerantis, quo baptisamur in idem corpus. 1 Cor. 12: 13. 2. quia est ὁμολογία sive adstipulatio ad Dei stipulationem, qua fœdus & amicitia contrahitur, & Deo desponsamur. 3. quia est promissionis acceptatio, eam faciens irrevocabilem. Quum enim justitia Dei porrigatur in verbo esurienda, sitienda; & arx Dei apprehendenda: per fidem, qua sitimus & esurimus justitiam & arcem Dei apprehendimus, Christus fit noster & justitia ejus.

Per solam fidem justificamur.

21. Per solam fidem nos justificari, docemur, ubicunque docemur per fidem justificari, imò vivere: & ubicunque cum fide vita æterna & communio Christi conjungitur. Nam, si aliquid antecedens fidem justificaret (atqui nihil antecedit fidem, nisi servitus peccati) vel consequens fidem (fructus enim fidei est charitas) demum justificaret, fidei justitia & vita non posset assignari. Magis id patet ex iis testimoniis, in quibus fides & ἔργα & νόμου *opera legis* opponuntur; adeò ut dicatur μὴ ἐργαζομένοις *non operantibus* imputari justitia. Rom. 4: 5. *Ei autem, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua in justitiam.* Qui locus insignis est. Neque enim tantùm opponit *fidem* & *opera*, quemadmodum alibi *opus* & *gratiam*, Rom. 11: 6. ut auctoritate Apostoli liceat nobis affirmare, nos sola fide justificari: sed etiam veritatem illius oppositionis & justificationis ex sola fide demonstrat. Argumentatur enim ab eo, quòd *Abrahamo fides est imputata ad justitiam.* Gen. 15. vers. 6. Ex quo dicto duo conficit. 1. quòd ea fides, quæ imputatur ad justitiam, sit fides in eum, qui justificat impium, condemnatum. 2. quòd is justificetur sine operibus & merito ullo suo. Nam 1. fides, quæ justificat, non potest esse id animi atque conscientiæ judicium, quo firmiter teneo, qui fecerit bona, quæ ad imaginem Dei requiruntur, victurum in illis. Quippe hoc judicium non propriè est fides; sed cognitio naturalis: nisi accedat testimonium Dei. atqui Abrahamo de ea re non est locutus Deus. Deinde hoc judi-

judicium potest esse sui damnatio: & est revera damnatio sui in peccatore. Præterea, quia ea facere demum justificat; ergo id tenere non justificat. Et tantum abest, ut id scire ac tenere in peccatore sit causa justificationis, ut hominem à sanctificatione longiùs removeat. Nam tale verbum & talis notitia in peccatore nihil operatur, nisi odium Dei & fugam. 2. si fingamus, esse fidem verbi divini, quo Deus declaraverit, eum, qui fecerit certa placita, in iis victurum: concedo quidem, hanc *fidem* dici posse; sed nego, eam justificare. quia, antequam quis ea placita fecerit, non justificat. Et, quia placita feciſse demum justificat, ea fides non justificat. Quæ etiam non facientem condemnat. Accedit, quòd divinæ naturæ repugnet justificatio peccatoris ex placito sive opere quovis per beneplacitum imperato. Et lex placitorum, quæ fuit, abrogata est, non certè ut nova introduceretur: & sic impossibile fuisset Veteribus salvari, quibus lex moralis integra cum commemoratione execrationis proposita fuit: denique legem moralem Deus non potest abolere & amovere à negocio justificationis nostri, æquè atque non potest abnegare, se hominem cum imagine sua condidisse. Quando igitur Apostolus à justificatione removet opera, non tantùm removet perfectam obedientiam propter impossibilitatem, nec tantùm opera ritualia & servilia propter inutilitatem, sed etiam omnia opera novæ obedientiæ; quia ea non possunt esse δικαίωμα νόμου. Quod si ulla opera novitatis pars justitiæ, jus vitæ afferentis, essent, utique & obedientia legis ceremonialis pars justitiæ esset. Ita negari non posset, eam divino placito ad justificandum (quippe qua proponeretur ut conditio justitiæ) datam esse. Superest igitur, si *fides justificat*, eam esse *fidem* verbi de condonatione peccatorum & donatione justitiæ, & ad hanc justificationem non requiri opus nostrum, sive sit exequutio dogmatis, sive patratio operum, quæ qui facit in eis vivit, sive partis illorum præstatio. Hæc est argumentatio Apostoli, cujus & sensus est evidens in verbis Apostoli, & ratio minimè obscura. Adde ad hæc, quod Apostolus dicit Rom. 1: 16. *Justitiam Dei esse ex fide in fidem*, hoc est, nos ita ex fide justificari, ut fides fidei succenturietur, non verò opera. nempe ut per eandem fidem justitiam retineamus & spem vitæ æternæ amplectamur.

22. Fides igitur justificat, quia Christo conjungit, *qui in nobis accipit dona*, Psalm. 68: 19. quæ per suam obedientiam impetravit, nem- *Quomodo Deus in tempore justificet?*

nempe sanctificationem nostri & glorificationem. Deus justificat credentes, hoc est, amat illos, ut peccati pœnam illis imponere nolit, & ut illis vitam æternam, quæ est μισθὸς sive merces obedientiæ, certò dare velit. Quæ quidem voluntas nova non est (nam in Deo nulla voluntas nova est) sed est ejus amoris, per quem in Christo, primogenito multorum fratrum & capite, ut membra ei data & in tempore conjungenda, electi sumus ante jacta mundi fundamenta, nova denominatio accedens à conjunctione nostri cum ipso realiter facta. Ex quo perspicuum est, quomodo non possit integra retineri doctrina justificationis, ubi vacillat doctrina electionis.

Justificatio omninò gratuita.

23. Homo justificatur ut ἀσεβὴς *impius*, *condemnatus*, Rom. 4: 5. sed ἐκλεκτὸς *electus*, λυτρωθεὶς καὶ καταλλαγεὶς *redemtus & reconciliatus* & μέλος Χριστοῦ *membrum Christi* sive ἔχων τὸν υἱὸν *habens filium*. Ut ἀσεβὴς, hoc est, peccator & damnabilis in se. Nam & peccatum habet & ἀποδικος est sive ἀπὸ κατ' ἔργον, si in se spectetur. Ut *electus*, quia peccata ipsius, per electionem in Christo sponsore, Christo imposita sunt; ut *redemtus*, quia Christus pro ipso satisfecit sive ipsum ἐξηγόρασατο; ut καταλλαγεὶς, quia Deus propter Christi satisfactionem ei non imputat peccata; ut *Christum habens*, atque ita in ipso habens justitiam legis. Ita cognoscitur, justificationem esse merè ἐκ χάριτος & fieri δωρεὰν, quia nihil est nisi donatio meriti Christi. Adeò ut in hoc negocio tria illa conveniant, 1. peccatum hominis reddens ipsum damnabilem & filium iræ. 2. Christi ἱλασμὸς solus peccato opponendus & ad vitæ addictionem sufficiens. 3. Christi donatio & acceptio sive μετοχὴ.

24. Atque ita evidens est illud μίγμα veritatis & falsitatis, quod est in Papatu: ubi quidem conceditur & jactatur δικαίωμα sive meritum Christi; sed ita, ut homo peccator nihilominus partim per sacramenta, & sacrificium Missæ, partim per habitum infusum, partim per satisfactiones temporales in terra vel in purgatorio, partim per merita propria, partim per merita aliorum hominum sit justus, hoc est, liber à reatu peccati fiat, & jus vitæ assequatur. Quæ sunt ἀσύστατα. Neque enim Christi obedientia est ἱλασμὸς & δικαίωμα, *expiatio* & *meritum*, si, illo non obstante, homo est ἁμαρτωλὸς *peccator* sive reus. Gal. 2: 17. Est autem ἁμαρτωλὸς, si indiget alio ἱλασμῷ καὶ δικαιώματι. Neque aliud potest esse vel ἱλαστήριον vel δικαίωμα. Neque etiam Christi obedientia & mors facit, ut ista omnia

vim

vim ἱλαστηρίου & δικαιώματος, quam natura sua non habent, q. rescis- & concerpta Lege Dei, accipiant.

25. Simul apparet, quæ sit vera *imputatio justitiæ* sive *imputatio fidei in justitiam*: nempe judicium Dei justum, quòd illi, qui credunt in Christum & in eo sunt, propter justitiam Christi capitis & filii, & in judicium non venire, & ut fili adoptivi ac hæredes vitam æternam, quæ à lege merces obedientiæ proponitur, consequi dono Dei debeant, tanquam si eam obedientiam patrassent & nullum peccatum commisissent. Quod judicium neque mendacii neque injustitiæ arcessi potest; quippe verum est, quod Deus judicat, eos, qui credunt, esse in Filio, & omnis juris ipsius, ut fratris primogeniti, esse compotes: & justum est, ut Deus justificet Filium Sponsorem, Sacerdotem, Mediatorem, & ei tribuat פְּעֻלָּתוֹ *opera precium suum*, atque omnes petitiones cordis ejus impleat: atque adeò Deus demonstratur justus, dum justificat peccatorem ex fide: ad gloriam sapientiæ, justitiæ, potentiæ, veritatis & gratiæ. Qua gloria antevertit omnem hominis gloriationem, imò excludit; ut, quicunque gloriatur & sibi benedicit, glorietur & sibi benedicat in Domino: neque ullus possit verè dicere, *in nomine meo glorificabitur Dominus*. Es. 66: 5. *Imputatio justitia, & fidei ad justitiam quid?*

26. Quamobrem impossibile est, ut hæc phrasis, *Fidem reputari in justitiam*, eum sensum habeat, Fidem (eam, qua creditur omni verbo Dei, qualecunque id esse fingatur, hoc est, sive præsupponatur Christus traditus ut satisfactionem præstans, sive id non præsupponatur, sed tantùm traditus ut dictator præceptorum, quæ qui fecerit quomodocunque ab ipso consequatur vitam æternam) aut solam aut ut fœtam operibus novæ obedientiæ à Deo reputari pro δικαιώματι, hoc est, pro opere, cui merces vitæ novo pacto (veteri lege lacerata) annectatur. Neque enim lex cassari potest, ut aliud fiat δικαίωμα, quàm quod ipsa præcipit; neque aliter legi mori possumus, ut vivamus Deo, quàm per legem; &, si hoc possibile esset, frustra Christus mortuus esset; & si talem justificationem admitteret Deus, se & Filium suum abnegaret; atque ita non posset fides operi opponi; denique esset gloriatio non in Deo, saltem non merè in Deo, sed in nobis quoque, imò in nobis tantùm, quia non tantùm in Deo. Per nos enim staret & factum nostrum, ut essemus justi, non per donum Dei.

27. Quemadmodum *ei, qui non operatur*, (hoc est, qui opus lege præce-

præceptum non potest probare à se factum) *justitia reputatur*, quam ex se non habet: ita *fides reputatur in justitiam* non habenti sua opera, tanquam per eam habenti justitiam capitis sui: ut, à quo non potest liberari titulo satisfactionis suæ, ab eo liberetur titulo satisfactionis alienæ, &, quod non poterat expectare titulo operationis, expectet titulo communionis cum eo, cujus est regnum cœlorum titulo filiationis & titulo obedientiæ: illo, ut glorificet suum corpus; hoc, ut & conglorificet sua membra. Phrasis est ducta à Mercatoribus & Rationalibus. Deus in una pagina habet scriptum reatum nostrum & impotentiam obediendi, ut damnemur: in altera Christi δικαίωμα & fidem, qua in Christo sumus, hoc est, Christum dono acceptum, ut non modò absolvamur, sed & vitam hæreditemus.

28. Atqui, inquiunt, nusquam legitur, Christi justitiam nobis imputari. Resp. Legitur, quod plus est, eam nobis donari, Rom. 5: 15. 16. 17. ut nos fiamus justitia Dei in Christo, 2 Cor. 5: 21. qui factus est nobis justitia, 1 Cor. 1: 30. nos aspergi sanguine Christi, 1 Petr. 1: 2. in eo lavari, 1 Cor. 6: 11. purificari, Apocal. 7: 14. Hebr. 1: 3. 1 Joh. 1: 7. In ipso χαριτόω, Eph. 1: 6. Et, nos, qui sumus injusti, reputari justos ex fide, quia per fidei donationem donatum habemus & Christum & justitiam ejus.

Dei justitia. 29. Hæc justitia, cui adducendæ Filius servi conditionem subiit, vocatur *Dei justitia*, tum ab Apostolo, ut Rom. 1: 17. 3: 22. tum à Prophetis. ut Psalm. 50: 10. 36: 6. 40: 11. 50: 6. 85: 11. 97: 6. 119: 141. & imprimis 143: 1. 11. & Es. 56: 1. Pro eodem venit *justitia nostra à Deo*. Es. 54: 17. Quem imitatur Apostolus Philip. c. 3. v. 9. *Et inveniar in ipso non habens meam justitiam, quæ est ex lege* (dicente, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, Rom. 10: 5.) *sed eam, quæ est per fidem Christi, justitiam ex Deo ad fidem*, hoc est, jus quod à Deo datur, & cujus causa est Deus ipse, quod accipitur per communionem cum Christo ad hoc, ut credamus porrò & in fide Filii Dei vivamus. Gal. 2: 20. Inde dicitur *Deus justitiæ noster*. Psalm. 4: 2. &, *Deum* esse *justitiam nostram*. Jer. 23: 5. 6. 33: 15. 16. &, *nos justificari in ipso*. Es. 45: 25.

30. In quibus apparet ratio hujus appellationis, 1. Quia est jus à Deo donatum. 2. Quia Deus ipse præstat ὑπακοὴν *obedientiam* Filii, quæ potest esse meritum vitæ. 3. Quia in communione Dei hoc jus obtinetur. Addit autem Apostolus Rom. 3: 25. 26. etiam aliam causam. nempe, quia ea sola cum gloria Dei ad excludendam

dam omnem gloriationem hominis conjuncta est: & Deus per *propositionem Filii tanquam ἱλαστηρίου* ejus, in quo Deus placatus invenitur, tum demonstrat justitiam suam, quatenus illius demonstrationem requirebat præteritio ac dissimulatio antè factorum peccatorum in tolerantia Dei; tum ostendit justitiam & decentiam suam, quæ est in eo, quòd justificat impium, qui est in Christo Jesu. Testatur enim decentiam ordinationis Filii in Mediatorem. Nempe quòd sit simul *πιστὸς κτίστης fidelis creator*, simul vindex legis suæ & imaginis suæ, suæque sanctitatis ac nominis; quòd non potuerit sine sacrificio peccata remittere, neque sine merito vitam, in præmium obedientiæ semel propositam, dare. Qua re comperitur *νομοθέτης ἄμεμπτος καὶ ἀδιάφθορος legislator sine querela & sine conniventia.* Item ostendit decentiam glorificationis Filii in datione hæreditatis. Pater enim Filium & dignitatem ac meritum ejus abnegare non potest.

31. Quod Psalm. 106: 30. 31. dicitur, Pinchaso reputatum esse ad justitiam, quòd surrexit & judicium exercuit; id intelligendum est secundùm analogiam ejus, quod dictum est de Abrahamo. Gen. 15: 6. *Credidit Abraham Deo, & reputavit hoc ei justitiam.* Ut enim in rationibus Dei (Psalm. 56: 9.) annotatur *fides*, ut primum opus Spiritus Christi, quo baptisamur in unum corpus, & ratificatio promissionis & responsio ad Christum sibi nos desponsantem; ita actus fidei, ut fructus justitiæ, q. accepto refertur.

32. Hæc justificatio non evertit, sed confirmat unicam formam justificationis, quæ in eo est, quòd per fidem habemus Christum, ut *ἱλαστήριον*, hoc est, non tantùm propitiatorium sive placamentum, sed etiam eum, in quo Deus est, & præsto est accedentibus ad se. ut super כַּפֹּרֶת *ἱλαστηρίῳ*, quod arcam operiebat in sancto sanctorum, Deus dicebatur in Israële habitare.

33. Justificatio illa complectitur & condonationem peccati & addictionem hæreditatis. Id Apostolus probat Rom. 4: 6. inde, quòd is, cui Deus non imputat peccata, *μακαρίζει*, *beatus prædicatur.* Si *μακαριότης beatitudo* cum remissione peccatorum connexa est, utique hæreditas vitæ. Sine ea enim nemo beatus. Apostolo perinde est dicere *δεδικαιωμένον justificatum* & *μακάριον beatum.* Et ex fide, non ex operibus, esse, probat eodem *μακαρισμῷ beatitudinis elogio.* Statim enim cum remissione peccati connectitur *μακαριότης beatitudo.* Sed, remissionem peccati non esse ex opere, Apostolus,

Justificatio est datio filiationis & addictio hæreditatis.

lus, ut ex terminis clarum, præsupponit. Frustra igitur laborant tortores Scripturarum in veritate Euangelicæ justificationis eludenda, quæ Christo assignat, non tantùm aversionem pœnæ sed & impetrationem hæreditatis. Ita ut Christum induisse nobis sufficiat ad utrumque, nempe liberationem ab ira, & acceptionem hæreditatis. Qui Filium habet, etiam hæreditatem habet.

An habitus sit justitia?

34. Sunt, qui dicunt, infundi hominibus habitum, qui & reatum tollat, & justum faciat, hoc est, jus vitæ æternæ conciliet. Sed firmiter tenendum est, Legem non justificare ex habitu, sed ex operibus. Alioqui enim & Adamus in rectitudine sua jam potuisset gloriari de jure ad præmium petendum. Deinde, etiamsi homo in regeneratione acciperet perfectissimam sanctitatem, qualem accipiemus ἐν παλιγγενεσίᾳ corporis nostri, nihilominus citra superbiam & contumeliam Dei & abjectionem Legis ipsius & extenuationem necessariæ satisfactionis Christi dici non posset, Eam novitatem obedientiæ esse causam nostræ justificationis, hoc est, abolitionem reatûs & meritum gloriæ. Atqui initia tantùm sanctificationis in nobis hîc sunt, & lucta relicta est adversum carnem, hoc est, reliquias concupiscentiæ, cum qua nascimur; quæ licèt non dominetur ampliùs, tamen & sæpe facit, ut faciamus malum, quod nolumus; & ut non faciamus bonum, quod volumus, &, quod facimus, non faciamus, ὡς δεῖ *ut oportet*. Quæ ipsæ reliquiæ (sapienti consilio Dei) vel ad hoc superstitant, ut elidatur superbia eorum, qui cum Pharisæo, Luc. 18. in suis factis gloriantur, & putant, se beneficium collocare Deo & de eo bene mereri, qui non possunt pro acceptis Deo digna & debita officia reddere. Joël. 3: 9. vel 4.

Objectio, 1. de peccato tecto.

35. Nec est, quod calumnientur nos, quasi Justificatos faciamus similes sepulchris dealbatis, dum operibus ipsorum perfectionem negamus, & peccata in iis superstitare fatemur. Meliora sanè sunt minima renatorum opera, quàm maxima irregenitorum; nempe quia *in spiritu illorum non est dolus*. Psalm. 32: 2. Sed non ideò justitia sunt: quod si præsumerent, & doli & sacrilegii rei forent. Sinceritas est Deo confidere, eum amare & gloriam ejus, & in eo lætari; interim agnoscere defectus suos & pravitates, & veniam deprecari quotidie dum præsto est, & imber aquarum timetur: cum eodem Psalte v. 5. 6. 10. 11. Quod monet Johannes 1 epist. c. 1: 8. 9. 10. Præcipit enim 1. ut confiteamur semper peccata. 2. ut nunquam dicamus, vel, non habere nos peccatum, sive peccatum & condonandum

nandum nihil in nobis esse; vel, nos non peccasse, hoc est, actus nostros sine peccato aut defectu pravitateve esse. Id enim si faciamus, dicit, nos esse mendaces, nec veritatem in nobis esse; imò Deum mendacem facere.

36. Placent Deo nihilominus etiam in imperfectione sua Renati; & εὐάρεστοι εἶναι φιλοπμεῖνται *placere studeant* & εὐαρεστεῖσθαι *grata atque accepta faciunt.* 2 Cor. 5: 9. Hebr. 11: 5. 6. dum ambulant coram Deo. Nempe ἄξιοι *digni* sunt Christo salvatore & Deo justificatore per gratitudinem & καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ θεῷ *fructum labiorum confitentium Deo* ad gloriam ipsius: & vis Spiritus vitæ Christi in ipsis, dum mortificant carnem, & patiuntur cum Christo, & amant fratres suos (certè ad condonationem offensarum usque) demonstratur. Qui sunt fructus justitiæ. Ita εὐπρόσδεκτος αὐτῶν ἡ προσφορὰ ἡγιασμένη ἐν πνεύματι ἁγίῳ *accepta est ipsorum oblatio sanctificata in Spiritu sancto.* Rom. 15: 16. Per quos Deus glorificatur, qui Deum celebrant, in quibus vult הִתְפָּאֵר *se condecorare*, ut *opera manuum suarum* (Es. 60: 21.) ii displicere Deo non possunt, & eorum opus est ipsi רָצוֹן & δόξα & *sacrificium justitiæ.* Psalm. 4: 6. Deut. 33: 19. Psalm. 50: 23. *Obj. 2. de complacentia.*

37. Is, qui credidit Deo, cui sua fides imputatur ad justitiam, justificatur etiam per absolutionem conscientiæ, dum effunditur charitas Dei in corde ipsius, hoc est, homini in corde & conscientia notificatur, ut sentiat, se amari à Deo & justum judicari. Id fit per Spiritum sanctum, qui ipsis datus est. Dum enim Deum amabilem cognoscunt; & eum amant & in amore vivunt & agunt; vident, se amari à Deo, & se non priores amare, sed redamare: atque ita suæ justificationis declarationem q. vocibus Spiritûs sancti, (qui ipsorum desideriis etiam & gemitibus loquitur & apud Deum intercedit) & pignus argumentumque accipiunt. Justificatio fit per arrhabonem Spiritus & δοκιμὴ τῆς πίστεως & fidei non mortuæ fructus opera tanquam per τεκμήρια *documenta & argumenta.* Ita non fides, quæ sola est, justificat; sed & opera; ut impleatur sermo dictus de Abrahamo, cui fides reputata in justitiam, in quovis credente: neutiquam autem per aliam justificationem rescindatur. *Justificatio altera justificati.*

38. Hac mente dicit Jacobus cap. 2: 25. *Videtis igitur, quòd ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm.* Cujus dicti sana & plana explicatio hæc est, Justificationem quidem esse ex fide, nempe imputationem fidei ad justitiam (quod affirmat v. 23.) sed eam justifi-

cationem non esse solam, verùm eam comitari aliam justificationem ex operibus; quæ non sit imputatio justitiæ, sed justitiæ per fidem imputatæ declaratio & demonstratio tum ad conscientiam justificati, tum ad glorificationem gratiæ Dei apud homines. Quemadmodum etiam homo judex non tantùm justificat justum privatim apud se statuendo; sed etiam sententiam in auditorio publicè pronunciando. Ita aliquando coram omnibus hominibus & angelis dilecti Dei justificabuntur.

39. Quam S. Jacobi mentem esse, ut clariùs cognoscatur, non deterius erit, ipsius verba paulò accuratiùs expendere. Dicit v. 14. quòd fides non possit eum salvare, qui dicit & apud semet statuit, se fidem habere, & opera non habet. Cave hîc erres. Non negat S. Jacobus πίστιν σώζειν *fidem salvare*, (contrarium enim per totam epistolam docet, & vel per hoc ostendit, quòd per petitionem in fide affirmat à Deo impetrari sapientiam, c. 1: 5. 6.) sed negat, ei, qui dicit, se fidem habere & opera non habet, dici posse, ἡ πίστις σε σέσωκέ σε *fides tua salvum te fecit*. Deinde ἔργα *opera* non intelligit ἔργα ἐξ νόμε, hoc est, quæ lex præcipit ad justitiæ constitutionem; juxta illud: *Qui fecerit ea, vivet in eis*, (quæ S. Paulus semper τῇ πίστει *fidei* opponit, adeò ut fides ea excludat & abneget) sed ἔργα ἀγαθὰ, ἃ προητοίμασεν ὁ θεὸς ἵνα περιπατῶμεν ἐν αὐτοῖς, ἐφ' οἷς ἐκτίσθημεν ἐν Χριστῷ Ιησε *opera bona, quæ antè præparavit Deus ut ambulemus in illis; propter quæ conditi sumus in Christo Jesu*. Eph. 2: 10. Neque iis operibus tribuit τὸ σώζειν ἡμᾶς *salvare nos*, ut πίστις σώζει *fides salvat* vel χάρις *gratia*. Probat porrò, *fidem, si opera non habeat, mortuam esse*, hoc est, non esse illam fidem, quæ salvat. Probat id 1. similitudine, quæ est inter eum, qui verbis testatur charitatem erga proximum & non factis, quum potest. v. 15. 16. 17. Nam πίστις *fides* est actus charitatis erga Deum & spectat gloriam Dei & remunerationem. Quæ non potest non redundare in ἔλεος *misericordiam* & ἔργα *opera*, quibus Deus glorificetur & spes confirmetur ac solidetur. 2. eo, quòd fides factis ostendatur, non dictis. v. 18. 3. quòd credens articulos fidei (ut, *Deum unum esse*) & non habens opera, non sit melior dæmonibus: v. 19. 4. quòd, qui ex fide justificati sunt, ex operibus justificati sunt, ut Abraham, exemplar justificationis Judæorum, & Raab, exemplum alienigenarum. v. 20. 25. In his observo. (*a*.) Hominem, qui admittit verba articulorum fidei & opera non habet, vocat ἄνθρωπον κενὸν *hominem vacuum* & vanum. Non potest ad illum refer-

referri, *Habenti dabitur.* Fides enim, qua habetur Christus, non est in ipso: quia vita Christi non est in ipso, atque adeò spiritu Christi destituitur. Ergo nec ipsius est. Rom. c. 8: 9. Ergo fides circa articulos est tantùm convictio, vel error judicii copulantis justitiam cum notitia talium veritatum & illarum asseveratione, & voluntas mentiendi Deo. (*b*) Abrahami opera refert ad fidem duobus modis. quòd *fides iis cooperata sit*, hoc est, quòd fuerint fidei fructus, & ex ea provenerint. &, quòd *fides ex operibus ἐπληρώθη*, hoc est, demonstrata fuerit vera, viva & ingenua fides, definitionem vocabuli habens, non solum vocabulum præferens. (*c*) *Justificationem Abrahami ex operibus* explicat per *Impletam fuisse Scripturam: Credidit Abraham Deo & reputatum ei fuit ad justitiam.* Quo intelligimus, S. Jacobum non accepisse vocabulum *justificandi* sensu sanctificandi (ut Papistæ) neque sensu *imputandi justitiam* (ut frequenter S. Paulus) sed sensu certiorandi de justitia imputata. Et sic usurpatur etiam Apoc. 22: 11. *ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι Justus justificetur adhuc.* Quod distinguendum ab altero: *ὁ ἅγιος ἁγιασθήτω ἔτι Sanctus sanctificetur adhuc.* Et sanè vox *δικαίωσις Justificatio* in pleno significatu non tantùm significat Amorem Dei erga nos ut membra Christi, sed etiam absolutionem conscientiæ & pacationem cordis. Rom. 5: 1. &c. Atque ita Paulus Abrahamum ex operibus non negat justificatum, sed dicit Rom. 4: 2. *Siquidem* (hoc est *Tametsi*) *Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non ad Deum.* Est justificatio ex operibus, quæ dat gloriationem in *ὀφλήμασι debito*, Rom. 3: 27. 4: 4. est, quæ hanc excludit, & dat gloriationem in Deo. Manifestum autem est, *τὸ ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι ex operibus justificari* aliter dici, atque *ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι ex fide justificari.* Hoc enim significat, *πίστιν λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην fidem imputari ad justitiam:* illud autem non significat *ἔργα λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην opera imputari ad justitiam*, sed *πληροῦσθαι τὴν γραφὴν τὴν λέγουσαν ὅτι πίστις ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην impleri Scripturam, quæ dicit, Fidem imputatam fuisse ad justitiam.* Si Abrahamo opera sunt imputata ad justitiam, rescissa est Scriptura, fidem reputari ad justitiam, dicens. 5. opera ad nomen *Amici Dei* astruendum fecisse, ostendit. Denique 6. utitur similitudine corporis, quod mortuum & *ἄψυχον inanimum* comperitur, si sit absque *πνεύματι spiritu*, hoc est, *πνοῇ respiratione* & sic *κινήσει motu.* Ita concludit, fidem sine operibus esse mortuam, hoc est, spiritu suo & vigore destitutam. Apage, ut dicamus, opera esse fidei ani-

mam aut formam, vel ad esse, nedum ad mereri. *Fidem mortuam* vult intelligi ὁμωνύμως esse fidem, ut *corpus* sive ὄργανα ὁμωνύμως dicuntur τὰ ἄψυχα, v. g. oculus, auris, pes, manus, lingua, &c.

Justificatio secunda sive justificati augmentum habet.

40. Ea justificatio hominis, qua Deus tranquillat conscientiam, crescit indies cum novitate & spe. Apoc. 22: 11, & turbata per peccatum per tristitiam secundùm Deum retinetur & reficitur. 2 Corinth. 7: 10.

Justificati liberi.

41. Justificati liberantur à lege peccati & mortis, omnes hactenus, ut peccatum non dominetur eis, & in judicium non veniant: quod fit per legem Spiritus vitæ in Christo, hoc est, vim ac potentiam meriti Christi, propter quod jus habet nos postulandi ceu hæreditatem emtam, & per Spiritum suum nos occupandi, qui inscribat Legem Dei cordibus, ut in ipsum credant & ipsi se committant, & coram ipso ambulent: non ut de Deo mereantur, sed ut gratias ipsi agant, eum glorificent, vocationem suam firmam faciant, ipsi plures filios hæreditatem suam lucrentur, & Diabolo hosti bellum faciant.

Justificationis fructus.

42. Justificatio, tum quatenus est Amor Dei, tum quatenus est declaratio amoris Dei in cordibus nostris, est δικαίωσις ζωῆς *justificatio vitæ*. Rom. 5: 18. & *justus in fide ejus* (*Testis veracis*) *vivit*. Habac. cap. 2: 4. Igitur nec justitia hæc per fidem data amittitur, nec vita: quod fieret, si à fide deficerent vel finaliter vel totaliter. Hæc est *hæreditas servorum Iehovæ & justitia ipsorum à me: dicit Iehovah*. Es. cap. 54. vers. 17.

Fons justificationis.

43. Fons hujus justificationis est *gratia* Dei diligentis nos, Filium dantis, & per Spiritum Filii nos ei inserentis. Hæc autem χάρις causa justificationis laudatur Rom. 5: 15. Ephes. 1: 6. 2: 4. 5. 7. 8. Tit. 2: 11. 3: 4. Hinc in Veteri Testamento sæpe cum *justitia* conjungitur חֶסֶד χάρις. ut Psalm. 143: 11. 12. Psalm. 98: 2. 3. Es. 55: 3. Respondet ea vox Hebraico חֶסֶד, quo Rabbini volunt intelligi תּוֹסֶפֶת חַסְדָּה לְעָנִים מִשּׁוּרַת הַדִּין σωτηρίαν & ἀγαθὸν *abundantiam boni intra lineam juris*. Propriè autem notat studium ingens atque enixum circa personam ad bonum. Aliquando, extra certæ personæ considerationem, studium boni honesti, quod est ὁσιότης. Unde Septuaginta interpretum, ex more Judæorum ἐλεημοσύνων, hujus vocis extensio in significationem propositi ac studii benefaciendi. Respondet etiam vocabulo חֵן / quod significat liberalitatem & voluptatem donandi, sine merito. Zach. 12: 10.

44. Quam

44. Quam *gratiam* vertere in qualitatem homini infusam, eamque facere formam justitiæ, ut facit Bellarminus 2. de Justif. 3. est admodum ineptum. Apostolus Rom. 3:24. quum dicit: *Dum justificamur gratis ipsius gratia per redemtionem, quæ est in Christo Iesu*: satis ostendit, 1. in nobis nihil esse, quod sit causa juris filiorum. 2. gratiam justitiæ donandæ causam esse. 3. justitiam nostram sive jus nostrum à redemtione pendere & provenire. Id autem nostrum fieri per fidem, v. 25. ostendit. quia nempe per fidem in sanguine ejus & fiduciam in eo accedimus ad eum, quem Deus proposuit ἱλαστήριον *propitiatorium*, & in eo Deum placatum & nostrum invenimus. Dicunt, nobis infundi aliquid in baptismo, quod nos gratos faciat: atque id vocant *gratiam gratum facientem*. Sed Scriptura testatur, *fide purificari corda*, Actor. 15:9. & tamen nec fidem, nec inchoatam illam puritatem cordis appellat justitiam nostram aut causam filiationis nostræ ac juris ad vitam; sed docet, fide apprehendi Christum, qui est justitia nostra, & ἱλαστήριον, in quo Deus invenitur. Et, nos χαριτοῦσθαι ἐν τῷ ἠγαπημένῳ *gratia cumulari in illo dilecto*. Ephes. 1:6.

Gratiæ vocabulum explicatione corrumpitur à Pontificiis.

45. Finis justificationis est *laus gloriæ* sive excellentiæ *gratiæ*. Ephes. 1:6. cum agnitione nominis Dei & virtutum ejus. Vide imprimis Rom. 3:23. *Omnes enim peccarunt & indigent gloria Dei* sive *prævertuntur à gloria Dei. dum* nempe *justificantur gratis*. Et notabile est, quòd Scriptura Prophetica docet, novam creationem esse ad gloriam Dei, Es. 43:7. cujus ἰδίωμα & proprium characterem ponit, *Nominari à nomine Iehovæ*: sive *nomen Iehovæ nominare*, Joël. 2:32. vel 3:5. Unde conficitur, Nominationem nominis Jehovæ esse Gloriam Dei, propter quam Deus novam creaturam facit. Item, quòd opus novæ creaturæ dicit *Narrare gloriam* vel *gloriationem Iehovæ*. Es. 43:21. Non profectò gloriari in se ulla ex parte. Et est ea gloriatio Jehovæ, qua se effert supra omnem sapientiam & cogitationem humanam & supra omnem gloriationem omnium deorum, quicunque vel hominibus imposuerunt unquam vel ab iis nominati sunt, quòd ipse *justificet improbum*. Quam gloriam & gloriationem suam negat se ulli homini aut idolo velle concedere. Es. 42:8. 48:11. Eamque ponit in vocatione Servi sui Justi cum justitia, & huc refert omne opus gratiæ suum. Et Psalm. 50:14. 15. unicum nostrum sacrificium dicit Confessionem & invocationem. Clara est definitio v. 23. *Qui sacrificat confessionem* (qua quis confitetur

Finis justificationis.

tur ſacerdotem & ſacrificium ejus, quo mediante Deus fœdus nobiſcum facit, v. 5.) is *me glorificat*, *& ponit* vel *munit viam*, qua *ipſum faciam videre ſalutem Dei*. Non debet nobis igitur *gloria Iehovæ* videri *ignominia*; quaſi vel ea nobis non ſufficiat, vel nobis indignum ſit Deum glorificare & in eo gloriari, & eum *Deum juſtitiæ noſtrum* appellare & invocare. quod eſt nobis *ſacrificia juſtitiæ ſacrificare*. Pſal. 4: 2. 3. 6. Id Eſaias nominat cap. 61: 7. *ignominiam* (ὄνειδος Chriſti) *cantare partem ſuam*. Quare non putandum eſt, ut quidam ſomniant, Deum nobis dediſſe gloriam, ut vitam non tantùm conſequamur velut *hæreditatem*, ſed etiam ut *mercedem* addictam meritis noſtris. Quod eſt συγκλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, & docere, Hominem non indiguiſſe gloria Dei, & non præverti ab illa, & gloriationem non excludi, neque nos in ſolo Deo gloriari, & Deum gloriationem ſuam tradere alteri.

Fides juſtificans reſtauratio imaginis Dei.

46. Quare, ut in fide juſtificante, tanquam cognoſcente & approbante teſtimonium Dei de Chriſto, eſt inſtauratio ſapientiæ per lapſum deperditæ: ita in eadem, tanquam ſitiente juſtitiam, eſt reſtauratio amoris Dei, hoc eſt, glorificationis Dei in ſemetipſo, & quæſtio Dei, ut boni; & ſic ſanctitatis. Atque adeò, qui credit, Deum & Chriſtum juſtificat; contra, qui non credit. Ideoque τὸ *credere* (de vera & viva fide loquimur) eſt *facere opus Dei*, Joh. 6. v. 28. 29. & *juſtitiam operari*. Juſtum eſt enim confiteri peccatum, & confiteri gratiam Dei juſtificantis, & ei gloriam dare.

47. Chriſtus, qui ubique credentes ſalvos fore prædicat, non aliud ſibi voluit in concione, quam in monte habuit Matth. 5: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. quum *beatos* dixit, multas ob cauſas, non alios, quàm fideles (hæredes *juſtitiæ*, v. 10.) quos à cordis habitu, quem in eis fides efficit, deſcribit. Unde intelligere eſt, quid ſit vera fides, & quomodo animatus ſit, qui credit, quemque animi ſtatum & formam habeat.

48. Ἀναθέματα veritati dicta à Concilio Tridentino, dum Papiſtæ id tenent, Eccleſiæ illos faciunt irreconciliabiles. qualia ſunt

Seſſ. 6. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata ... anathema ſit.*

Can. 9. S. Q. D. *Sola fide impium juſtificari .... A. S.*

Can. 10. S. Q. D. *Homines ... per Chriſti juſtitiam, quam nobis meruit, formaliter juſtos eſſe, A. S.*

Can. 11. S. Q. D. *Homines juſtificari ſola imputatione juſtitiæ Chriſti,*

sti, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei. A. S.

Can. 12. S. Q. D. *Fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fidem divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, A. S.*

Can. 24. S. Q. D. *Opera fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, A. S.*

Can. 32. S. Q. D. *Hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verò mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum, A. S.*

Can. 33. S. Q. D. *Per hanc doctrinam Catholicam de justificatione, à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potiùs veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari, A. S.*

CAPUT XLIX.

De Sanctorum perseverantia.

Summaria complexio argumentorum perseverantiæ.

Fides & Deum glorificat, & peccatorem justificat ac salvum facit. Quod non faceret, si non perseveraret ad finem. Quam perseverantiam fidei non superficiariæ, sed veræ & justificantis, docet cum Scriptura & primis Ecclesiæ doctoribus Ecclesia Reformata, non ob fidei virtutem & fortitudinem ac dignitatem, sed [1] ob justitiam, & [2] υἱοθεσίαν *adoptionem* & [3] dominium Redemtoris in nos ejusque regnum in nobis, & [4] adcorporationem nostri cum eo atque [5] κοινωνίαν *communionem*, & [6] gratiam ἀμεταμέλητον Dei, & [7] Spiritus sancti inhabitationem, ejusque [8] donationem in ἀῤῥαβῶνα *pignus* sive σφραγισμὸν *obsignationem* & [9] potentiam Dei conservantis nos per [10] timorem sui & charitatem & preces & στεναγμοὺς etiam ἀλαλήτους (quibus Spiritus sanctus intercedit pro sanctis) & [11] sollicitudinem & paternas castigationes & moderationem tentationum & coërcitionem Satanæ ac mundi.

2. Qui credunt, iis sua fides imputatur ad justitiam. Quæ justitia nihil est aliud, quàm jus nascens ex ὁμολογίᾳ & adstipulatione ad

Perseverantia probatur 1. à justitia.

ad id, quod Deus offerens fœdus obedientibus sibi ostendit. Quod certè est communio cum Deo & vita æterna. Hoc enim ipsum Deus nobis in fœdere offert. Et hinc, ut jam in fine capitis superioris diximus, *justificatio vitæ* dicitur imputatio justitiæ. Rom. 5:18. nempe quia est addictio vitæ & declaratio hæredis vitæ. Qui justi sunt, vi legis justi sunt; quæ est *lex Spiritus vitæ in Christo Iesu.* Rom. 8:2. hoc est, Condemnato peccato, nos Filio Dei adjudicat, ut *vivamus Deo.* Galat. 2: 19. *Iustitia*, quam Christus *adduxit, æterna est.* Dan. 9: 24. *Iustitia tua est justitia in seculum.* Psalm. 119: 141. In justitia status est & firmitas. Es. 54: 14. *In justitia stabilieris*, vel *constabilire*, h. e. stabilitatem in justitia quære. *Iustus est fundamentum seculi.* Prov. 10:25. *Iustitia hæc est servorum Dei ab ipso, ut omnem linguam condemnent, & omne telum contra ipsos factum non prosperetur.* Es. 54:17. Quàm luculenter & fortiter probat Paulus in epistola ad Romanos, fidem verè justificare: & quidem præcipuè illo argumento, quia fides ad salutem & conformitatem cum Christo in gloria adducit, & quia amantibus Deum nihil nocere potest. Totum caput octavum ejus epistolæ id ostendit.

2. ab adoptione. 3. Qui filii sunt, ii hæredes sunt, Rom. 8: 17. Gal. 3: 29. Atqui credentes sunt filii Dei.

3. à jure, dominio & regno Christi. 4. Christo dedit Pater regnum, & populum & hæreditatem. Quam sibi acquisivit precio sanguinis sui. Hæreditas Filii alienari non potest. Quod ei salvandum traditum est, hoc non perdit. Primogenitum ipsum esse oportet in multis fratribus. Jam verò, qui in Christum crediderunt, Christi sunt, Gal. 5: 24. Christum quippe induerunt. Gal. 3: 27. & in ipso sunt. 1 Cor. 1: 30.

4. ab adcorporatione. 5. Atque ita in ipso sunt, ut ipsum habeant caput, & ipsius membra sint. Caput autem est Ecclesiæ super omnia, & corpus suum implet & ei suppeditat vitam, spiritum, sanitatem, vires, Ephes. 1. v. 22. 23. Col. 2: 19. Neque corpus suum abjicit & perire sinit.

5. à communione. 6. Ideò in ipso dicuntur crucifixi, mortui, sepulti, excitati, supra cœlos collocati. Rom. 6. Ephes. 2: 5. 6. Communionem enim cum ipso habent, qui in ipsum credunt, & membra ipsius sunt. 1 Cor. 10: 16. &, qui obediunt, aspersi sunt sanguine Christi. 1 Pet. 1: 2. &, qui communionem habent, eos purificat sanguis Christi à peccatis omnibus. 1 Joh. 1: 7.

6. à gratia præsentia experta. 7. Nam, quos dilexit Christus, eos in perpetuum diligit, Joh. 13: 1. eos postulat hæreditatem suam, Psalm. 2: 1. pro iis intercedit,

dit, Rom. 8: 34. Hebr. 9: 24. 10. 12. Iis Teſtamento dedit regnum, Luc. 22: 29. idque vi Teſtamenti, quo ipſi dati ſunt à Patre, ibid. illis hæreditas data eſt, Hebr. 9: 15. Teſtamentum enim Dei mutari non poteſt. quia eſt conſilium ἀμεταθετον, Hebr. 6: 17. & id morte Teſtatoris firmatum. Hebr. 9: 15. 16. 17. Imò jurat Deus ipſis, ſe iis benedicturum, Hebr. 6: 17. 18. Unde Apoſtolus cum fide & juſtitia conjungit benedictionem omnem ſpiritualem in ſupercœleſtibus, Gal. 3: 9. Epheſ. 1: 3. Gratia quippe Dei & vocatio eſt ſine pœnitentia. Rom. 11: 29. Quæ data eſt ante tempora ſecularia. 1 Tim. 1: 9. ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio.* 2 Theſſ. 2: 13. καθ' πρόθεσιν & *propoſitum*, Rom. 8: 28. Eph. 1: 11. quæ ſunt חֲסָדִים נֶאֱמָנִים ὅσια πιστὰ, *ſtudia permanentia.* Eſ. 55: 3. Act. 13: 34. Cujus gratiæ participes ſunt, qui credunt, & juſtificati ſunt. Nam non niſi electi in Chriſto ante jacta mundi fundamenta participes fiunt ſanctificationis & juſtificationis. Unde & non dubitat Apoſtolus gratias agere pro iis, qui credunt, quòd electi ſint à Deo. Eph. 1: 4. 5. 6. Et, dum pro eis gratias agit, docet ipſos, & præit ipſis, ut ipſi quoque gratias Deo agant de electione ſua. Fides eſt electorum, Tit. 1: 1. Cui enim vult Filius, Patrem notificat. Matth. 11: 27. Et, quos vult, vivificat. Joh. 5: 21. Quæ voluntas eſt dilectio: à qua nos nulla res ſeparare poteſt. Rom. 8: 39. ſed per eum, qui dilexit nos, in omnibus abunde vincimus. ibid. v. 37. Quam voluntatem Chriſtus teſtatur ſua ἱκετηρίᾳ *ſupplicatione*, qua uſus eſt, quum in eo eſſet, ut ſe offerret. Joh. 17: 6. 7. 8. 9. 11. 15. 17. 20. 21. 24. Qui omnes verſus eſſent hîc deſcribendi, niſi brevitati conſulendum eſſet. Sed in illis clarum eſt, Chriſtum eos dicere ſibi datos, qui verbum ejus acceperunt, & tum pro illis, tum pro creditutis impoſterum orare, ut conſerventur à malo, in veritate, ſanctificentur, unum ſint, denique ibi ſint, ubi ipſe, ut videant gloriam ſuam. Adeò ut, quando dicit Pſalm. 16: 1. *Serva me, Deus, & ſupplicationem offert ei, qui ipſum poterat ſervare ex morte* (Hebr. 5: 7.) non magis corpus ſuum morti tradendum, quàm membra ſua, ſibi datos, & credentes in ſe, reſpexiſſe intelligatur. quippe qui ſibi & hæreditatem divina directione in amœnis cecidiſſe teſtatur, Pſalm. 16: 5. 6. & eorum peccata, qui ſibi dati ſunt, ſua vocat. Pſalm. 40: 13. Ideòque electos ſeduci poſſibile negat. Matth. cap. 24. verſ. 24. Quemadmodum etiam negat, Eccleſiæ prævalituras portas inferni, Matth. cap. 16. v. 18. Quod autem de *Eccleſia* dicitur, id pertinet ad ſin-

gulos κλητὸς. Illi enim constituunt τὸν κλῆσιν καὶ τὸν Ἐκκλησίαν.

7. ab inhabitatione Spiritus sancti.

8. Sed non sine causa *regeneratio* nostri adscribitur Spiritui sancto. Jacobus dicit c. 1: 18. *Quum voluisset, generavit nos verbo veritatis.* & Petrus 1 ep. c. 1: 3. *Deus —qui pro multa sua misericordia nos regeneravit.* At nominatim Spiritui sancto adscribitur regeneratio; quia sic regenerat nos, ut nos templum suum faciat, in quo velit habitare, 1 Cor. 3: 16. 6: 19. Et, quum *semen Dei* sit, ex quo gignimur filii Dei, etiam *maneat in nobis.* 1 Joh. 3: 9. Nam, quum ex *aqua*, h. e. Christi purissima obedientia & justitia, sit regeneratio (Joh. 3: 5. 14. 15. 16. 17. Hebr. 10: 22. 23. Ezech. 36: 26. 27. 28.) fiatque per Spiritum Dei, ut Spiritum Filii Dei, necesse est, Spiritum, in quibus semen, valore meriti Filii, factus est, in iis etiam manere.

8. à donatione Spiritus sancti in pignus &c.

9. Enimverò Spiritu sancto fideles unguntur. Unctio autem in ipsis manet. 1 Joh. 2: 27. Nec quicquam expressiùs dici potest, quàm quod Apostolus non semel dicit, fideles Spiritu sancto esse obsignatos, & tanquam arrhabone sive pignore donatos. Ephes. 1: 13. 14. 4: 30. Quàm pulchra sunt illa & ad gloriationem efficacia, quæ idem dicit 2 Cor. 21: 22. *Qui autem stabilit nos vobiscum in Christum & unxit vos, est Deus. Qui & obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris!* Quo dicto testatur quintupliciter fidelium conservationem. 1. quòd Deus eos in Christum inseruerit, & implantaverit. 2. quòd eos, quos Christo inseruit, in eum firmaverit & stabiliat, ut in ipso maneant. 3. quòd eos unxerit, hoc est, reges & sacerdotes fecerit. 4. quòd eos, ut pastor oves suas, notaverit & obsignaverit, ut eos semper curaturus & observaturus. 5. quòd iisdem dederit Spiritum sanctum (cujus opus est fides) pro arrhabone & pignore, ex quo certi sint suæ hæreditatis, & fructûs redemtionis & acquisitionis in peculium. Eph. 1: 10. 4: 30. In illis enim ἀπολύτρωσις *redemtio* significat fructum redemtionis, ut Rom. 8: 23. non aliter, atque ibidem ὑιοθεσία *adoptio*, quæ exspectatur, notat aditionem hæreditatis, ad quam adoptati sumus. His conveniunt, quæ dicit Esaias cap. 59: 21. *Et ego, hoc fœdus meum cum ipsis* (hoc volo tanquam ratum & addictum ab ipsis peti & exspectari) *ait Iehovah: Spiritus meus, qui est super te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent* &c.

9. à potentia Dei.

10. Quemadmodum fides est à potentia Dei, ita ejus conservatio & coronatio ab eadem expectanda est. Nam, unde dependet, eo etiam nititur. Nisi dicamus, Dei potentiam flacceſcere & elangueſcere,

gueſcere, & incaſſum laborare. Epheſ. 1: 18. 19. *Vt ſciamus, quæ ſit ſpes vocationis ipſius — & qua illa excellens magnitudo potentiæ ejus in nos, qui credimus ſecundùm efficientiam efficacitatis roboris ipſius.* Qui credunt, credunt ſecundùm efficientiam potentiæ Dei. In eoſdem exceſſiva magnitudo potentiæ agit, ut ad ſpem vocationis ſuæ perveniant. Rom. 1: 16. *Prædicatio Chriſti eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Eſt inſtrumentum potentiæ Dei, quo ſalvat credentes, hoc eſt, per fidem. 1 Petr. 1: 5. *Qui in potentia Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem, quæ revelanda eſt tempore extremo.* 2 Petr. 1: 3. *Quippe quum omnia vobis divina ipſius potentia donaverit, quæ ad vitam & pietatem faciunt, per cognitionem ejus, qui vocavit vos per gloriam & virtutem.* Divina potentia dat cognitionem vocantis, & in ea aut cum ea dat omnia, quæ ad vitam & pietatem ſunt. Quare etiam fides in potentia Dei gloriatur. Fidei enim eſt dicere, quod eſt Eſ. 12: 2. *Ecce Deus eſt ſalus mea; ſecurus ero, & non pavebo. Nam robur meum & cantus eſt Iah Iehovah: & factus eſt mihi ſaluti.* Quæ gloriatio eſt conſentanea dicto Dei. quod extat Eſ. 45: 24. *Tantùm in Iehovah (de me dixit) juſtitiæ & robur. ad illum accedet* omnis, *& pudefient omnes excandeſcentes in eum. In Iehovah juſtificabuntur & gloriabuntur omne ſemen Iſraëlis.* Et clara eſt Chriſti promiſſio Joh. 10: 27. 28. 29. 30. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do iis, & non peribunt in ſeculum, & non rapiet quis eas ex manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus eſt. & nemo poteſt rapere ex manu patris mei. Ego & pater unum ſumus.*

10. *ab iis, quæ Deus operatur in credentibus.*

11. Illa etiam, quæ in fidelibus operatur Spiritus ſanctus talia ſunt, ut excidere non poſſint, ſed perſeverantiam promittant. Nam imprimis eſt in credentibus timor Dei; qui eſt tanquam arca, qua divina dona continentur & conſervantur. Eſ. 33: 6. Is operatur ſtudium bonæ conſcientiæ. Sine qua fides non habetur. 1 Tim. 1. v. 19. Deinde fides ſine charitate non eſt. Charitas autem quærit Deum & glorificare & habere. Amantibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8: 28. Confugiunt ad Deum. At confugientes ad Deum non pudefiunt, ſed beati ſunt, quia habent validam inſtigationem ad accipiendam ſpem. Pſalm. 2: 12. Hebr. 6: 18. Exſpectant Deum. Qui exſpectant Deum, non pudefiunt. Pſalm. 25: 3. Orant, & exaudiuntur. Nam Deus dat illis ſpiritum precum. Zach. 12: 10. Et, quando neſciunt, quid orent, quemadmodum oportet, στενάζωσι βαρυμένοι, *ingemiſcunt gravati.* 2 Cor. 5: 2. 4.

Rom. 8: 23. Quæ ſuſpiria ſunt q. voces Spiritus ſancti, quas nobis præbet audiendas, ad intelligendum φρόνημα & *ſtudium* ſuum pro nobis, quo interpellat pro nobis apud Deum. Rom. 8: 26. 27. Unde παράκλητος *advocatus* nuncupatur. Joh. 15:26. 16:7. Quod ſanè ad noſtram conſolationem redundat. ut ferè idem ſit, *Advocatum* an *Conſolatorem* voces. Tametſi hoc eſt παράκλητος.

11. *à gubernatione Dei.*

12. Quos Deus ſignavit, illorum non obliviſcitur, eorum viam novit, ſuper eis eſt oculus ipſius. Pſalm. 1:6. 32: 8. ut paſtor oves viſitat & curat, & numerat, & portat. Eſ. 40: 11. Ezech. 34: 10. 11. Pſalm. 23: 1. 2. 3. 4. Ubi Deo paſtori tribuit & *virgam*, qua numerat & regit oves, & *pedum* five *ſcipionem*, quo ſe ſuſtentet, h. e. potentiam, quæ ipſi ſufficit ad ferendas oves ſuas. Fert eas potenti verbo. Hebr. 1:3. Eſ. 46:3. 63:9. ſed & virga ſua caſtigat. 1 Cor. 11:32. Hebr. 12:6. 10. Pſ. 11:5. 94. 12. 13. 1 Petr. 1:6. 7. Tamen interim tentationes moderatur. 1 Cor. 10:13. Thr. 3:31. 32. 33. 34. Satanam verò increpat, conſtringit, profligat & ſub pedibus conterit. Zach. 3: 2. Apoc. 20: 2. 12: 10. Joh. 12: 31. Rom. 16: 20. Neque enim nullam ob cauſam & fruſtra voluit à credentibus appellari & Deus ſuus, & Paſtor, & Pater. Quare ad ſuam πίστιν *fidem* pertinere putat, ſe eum, qui ab eis nominatur, præſtare, ut cognoſcatur & glorificetur πιστὸς *fidelis*, cui rectè & ſalutariter crediderint. 1 Cor. 1: 8. 9. 10: 1. 1 Theſſ. 1: 24. 2 Theſſ. 3: 3. Hebr. 10: 23. 1 Petr. 4: 19. 1 Joh. 1: 9.

13. Atque his & ſimilibus argumentis perſeverantia ſanctorum probatur. Quam & Veteres Chriſtiani agnoverunt. ut Tertullianus, de præſcript. adverſus hæreticos cap. 3. *Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis; nemo major, niſi Chriſtianus; nemo autem Chriſtianus, niſi qui ad finem uſque perſeveraverit.* & mox, *Avolent, quantum volent, paleæ levis fidei quocunque afflatu tentationum, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipſo Domino quidam diſcentium ſcandalizati diverterunt? Nec tamen ceteri quoque diſcedendum à veſtigiis ejus putaverunt: ſed, qui ſcierunt, illum vitæ eſſe verbum, & à Deo veniſſe, perſeveraverunt* &c. Et Cyprianus epiſtola in editione Rigaltii 55. ad Cornelium, quæ eſt 3. in edit. Eraſmi. *Significans ſcilicet & oſtendens, eos, qui à Chriſto receſſerint, culpæ ſuæ perire: Eccleſiam tamen, quæ in Chriſtum credat, &, quæ ſemel id, quod cognoverit, teneat, nunquam ab eo omnino diſcedere: & eos eſſe Eccleſiam, qui in domo Dei permanent: plantationem verò plantatam à Deo patre non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabi-*

ſtabilitate ſolidari, ſed tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari. de quibus & Iohannes in epiſtola ſua dicit: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis. ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Item Paulus monet nos, cùm mali de Eccleſia pereunt, non moveri, nec recedentibus perfidis fidem minui. &c. Idem in epiſt. 49. *Neque enim poteſt perire, niſi quem conſtat eſſe periturum, cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat; Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Qui plantatus non eſt in præceptis Dei patris & monitis; ſolus poterit de Eccleſia ille diſcedere; ſolus Epiſcopus derelictis cum ſchiſmaticis & hæreticis in furore remanere. Cateros verò nobiſcum adunabit Dei patris miſericordia & Chriſti Domini noſtri indulgentia & noſtra patientia.* Auguſtinus 3. de doctrina Chriſtiana cap. 32. *Non enim revera Domini corpus eſt, quod cum illo non erit in æternum.*

14. Sed nos Scripturis contenti ſimus: ex quibus illi hæc didiciſſe debuerunt & didicerunt. Col. 1: 21. 22. 23. *Et vos, qui aliquando eratis abalienati —nunc verò reconciliavit —ut ſiſteret vos ſanctos & irreprehenſibiles & ſine vitio coram ſe: Siquidem maneatis in fide fundati & ſtabiles.* Hebr. 3: 6. *Chriſti ſumus domus, ſi fiduciam & gloriationem ſpei uſque ad finem firmam retinuerimus.* & v. 14. *Participes Chriſti facti ſumus, ſiquidem principium fiduciæ uſque ad finem firmum retinuerimus.* Unde apertè conſequitur, qui non perſeverant in confeſſione & fiducia, eos nunquam factos fuiſſe Chriſti participes: & porrò, Qui participes Chriſti facti ſunt, eos perſeverare. Atqui per veram fidem Chriſti participes ſimus. In eo enim ſumus, qui credimus. Apocalypſis c. 3: 12. *Vincenti* attribuit, *columnam fieri & extra non exire.* & 1 Joh. 2: 10. *Qui diligit fratrem ſuum, in luce manet.* Vera fides eſt illa, quæ operatur per charitatem. Gal. 5: 6. & 1 Joh. 2. v. 27. *Vnctio in vobis manet.* Chriſtus Joh. 4: 14. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in ſeculum.* Vide & Joh. 6: 35. 37. 39. 40.

15. Neque interim negamus, fidem & exagitari & quodammodo cribrari & impugnari & obſcurari, quoad gaudium ſalutis, quando per peccata carnis *Spiritus contriſtatur* Eph. 4: 30. ſed ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος Hebr. 10: 23. hoc eſt, illam aſtipulationem, quæ fomes ſpei eſt, imò, ſpem, quæ eſt aſtipulatio, nunquam abjiciunt fideles, neque Spiritum amittunt, qui pro tempore in ipſis operatur *triſtitiam ſecundùm Deum*, 2 Cor. 7: 10. ut per eam ad *gaudium ſalutis*, Pſalm. 51: 13. recreentur. David, etiamſi in graviſſima peccata incidiſſet, tamen teſtatur, ſibi ſapientiam in occulto notificatam *Fides habet ſuas eclipſes.*

tam esse; & veritatem in præcordiis Deo acceptam non dubitat. *Veritatem* in præcordiis vocans fidem & amorem veritatis. Psalm. 51: 8. Qui etiam adumbrat sanctorum suspiria cum bona conscientia conjuncta, Psalm. 119: 176. *Erravi, ut ovis perdita: quære servum tuum. nam legis tuæ non sum oblitus.*

Ἀποστασία. 16. Qui deficiunt, Servatorem agnitum relinquunt, herum, ad cujus servitia magnis impensis & beneficiis obstricti sunt, & cui parere visi sunt, abnegant; 2 Petr. 2: 1. fœderis ὁμολογίαν externam, quam labiis fecerant, abjiciunt; à fide se longiùs amovent: *à traditо sibi sancto præcepto* recedunt & *revertuntur ad inquinamenta mundi*, quæ *per agnitionem Servatoris effugerant*, & iis *rursus implicantur*, resorbentes, quod evomuerant, canum instar, & *redeunt ad eos, qui in errore versantur*, quos *effugerant*, 2 Petr. 2: 18. 20. 21. 22. atque ita *recedunt de via*, hoc est, non pergunt verum vero, rectum recto, addere, & à mendacio ac injustitia recedere, sed potiùs ea veritate, & iis veris verbis, quæ susceperant, & propter quæ audita gavisi fuerant, relictis, mendacium vel idem, quod damnaverant, vel simile, loquuntur, & ad mala faciendum & veritatem ejusque amatores persequendum desciscunt. Fidem autem, quam non habuerunt leves paleæ, non perdunt; sed nomen & societatem fidelium. Improbi enim non stant in panegyri justorum. Nam Dominus novit viam justorum, & improborum via peribit. Psalm. 1: 5. 6. Ita adimitur ab ipsis, quod non habent, licèt habere videantur. Matth. 13: 12. Luc. 8: 18. quales פושעים *defectores* & בוגדים *fallaces*, *perfidi* in Scripturis nuncupantur. quorum descriptionem vide Psal. 50: 16.—21. Quibus non est mirum adimi, quod habent; nempe cognitionem aliquam, gaudium ex ea, rectè dicta & facta, nomen viventium, *pellem ovium*, quam Tertullianus de præscript. cap. 4. dicit *nominis Christiani extrinsecus superficiem*; & ex libro viventium deleri. non, quòd Deus ex libro suo & Testamento quem deleat, quem ipse scripsit hæredem salutis; sed quòd cum justis non scribantur, Ps. 69: 29. Ezech. 13: 9. & Deus nomina illorum non sumat in os, Ps. 16: 4. eos abneget, 2 Tim. 2: 12. Matth. 7: 23. &, quum ipsi nomina sua scripserint inter fideles, Es. 44: 5. per defectionem inde nomen suum tollant, & se abscindant, Gal. 5: 12. denique Deus inter beneficiarios suos & tolerandos aut vocandos sollicitandosque non amplius ipsos ferat. Exod. 32: 33. sed regnum suum etiam ab ipsis auferat. Matth. 21: 43.

17. Qui

17. Qui perseverantiam negant, tollunt spem, incentivum & nutriculam pietatis; & homines faciunt vel desperare vel saltem cum desperatione semper luctari, vel securè salutem negligere. & necesse habent, fidem perseverantem facere non omninò donum Dei perpetuis votis ambiendum; ne integrum maneat, Qui gloriatur, glorietur in Domino. Denique fides, quæ radicem non habet, & ideò deficere potest, etiamsi ad finem permaneat, non servat. Hypocrisis enim est.

Fructus negatæ perseverantiæ Desperatio, *quæ duplex est:* & pietatis extinctio, & hypocriseos *pro fide commendatio.*

18. Solent quidam objicere dictum Ezechielis c. 18: 24. Quod ut appareat eos non jure facere, quædam ex isto capite distinctiùs annotanda sunt. Imprimis, quod dicit v. 9. *Iustus est; vivendo vivet.* quo significat, *Iustum omninò vitæ hæredem fore,* & à morte ac mortis periculo esse liberum. Eum verò definit *justum, qui vivet, qui fecerit judicium & justitiam.* v. 5. Est autem *judicium*, postquam peccatum intravit in mundum, damnare omnem impietatem & injustitiam, etiam eam, quæ blanditur, ut justitia nostra; falsitatem à veritate, lucem à tenebris distinguere, & fugere omnem coinquinationem. Justum autem est ac debitum peccatori, salutem Dei ac justitiam ejus agnoscere, Deum, qui justificat improbum, justificare & justitiam Dei quærere atque apprehendere. Itaque etiam *justo* attribuit, *non attollere oculos suos ad stercora domus Israël.* v. 6. Sunt autem potissima stercora domûs Israël fiducia in carne, & in propriis factis, tanquam justitia sua. Phil. 3: 3. 6. 7. 8. Sed potiùs *in statutis & judiciis Dei ambulare.* quæ sunt imprimis fidei & charitatis. Fidei, qua Jehovah agnoscitur Deus Israëlis, & sic sanctificator Israëlis, & proinde justitia ejus. Charitatis, quæ est summa præceptorum, quæ qui facit, in eis vivit. Atque idem omninò pronunciat de *improbo* sive ἀσεβεῖ *resipiscente* v. 21. Unde clarum est, etiam *improbum resipiscentem* vocari *justum*, & hæredem *vitæ*. Non potest autem improbus justus vocari, nisi per justificationem. Ergo ejus rectitudo & justitia est credere in Deum, qui improbos justificat. Rom. 4: 5. Quandoquidem igitur hæc consolatio exstat, Peccatorem, qui non peccat amplius, sed à peccatis suis desistit, justum esse, & omninò vitæ hæredem fieri propter justitiam; magnum & forte id incentivum est ad amandum Deum. Sine quo amore Dei nunquam peccator desinit peccare, atque ad justitiam ac vitam nunquam pervenit. Atque idipsum etiam efficit timorem, ne quem decipiat cor suum, & justum se autumet, qui justus non sit, sed peccator & improbus.

Vindicatio capitis 18. *Ezechielis.*

Quippe quia aliud est *facere veritatem*, aliud habere *apparentiam*. Ideò dicit Ezechiel v. 9. *In statutis meis ambulat & judicia mea observat, ut faciat VERITATEM.* Nam, qui veritatem non facit, non revertitur à defectionibus suis & ab improbitate sua, sed peccat adhuc: etiamsi multa, quæ vera sunt, loquatur, & multa externè, quæ bona sunt & mandata, faciat. Ideoque Ezechiel ad resipiscentiam requirit, ut *sibi faciant cor novum & spiritum novum.* v. 31. Neque enim in dictis & factis quibusdam externis consistit bonitas hominis & imago Dei. Quum enim mente constet & corpore, & mens imperare debeat corpori, non in membrorum motu, sed in mentis habitu consistit hominis rectitudo: ut Deum, qui spiritus est, in spiritu suo colat. Joh. 4: 24. & non tantùm ore eum honoret, corde autem ab eo recedat. Es. 29: 13. Quod qui eligit facere, cor duplex habere dicitur. Psalm. 12: 3. Quæ *duplicitas* cum *veritate* pugnat. Nihil enim habet, nisi προφασιν *ostentationem* & jactantiam, Phil. 1: 18. Et tales sunt πρόσκαιροι *temporarii*, qui verbum bonum auditum statim cum gaudio recipiunt, sed aliquando retorrescunt. Quod gaudium carnale est, & non est deliciatio in Deo. Tales igitur sunt illi *justi*, de quibus Ezechiel dicit v. 24. quòd *recedant à justitia sua & faciant injustitiam.* Qui appellantur *justi*, quia *inquinamenta mundi effugerunt in cognitione* Dei, & *justis* connumerati sunt, & nomen suum scripserunt in catalogo populi Dei, ac *nomen habuerunt, quòd viverent, licèt mortui essent.* 2 Petr. 2: 20. Apoc. 3: 1. Nempe quia abrenunciarunt impietati & injustitiæ, & professi sunt amorem Dei ac conversionem à via sua mala, & locuti sunt verba justorum & facta illorum assumserunt (licèt non in vetitate, sed mentientes Deo) justi judicati sunt ab aliis & sibi visi sunt. De quibus quum rectè intelligi possint verba Ezechielis, violentum est, contendere, eos, qui *faciunt veritatem*, posse deficere; & his, qui deficiunt, attribuere, quòd *habuerint radicem & fecerint veritatem.* Quum illis Ezechiel nihil tribuat, nisi *feciſſe* quasdam *justitias*, hoc est, quædam vera dicta & recta facta assumsisse & usurpasse. v. 23. Et eo modo *justi* ab hominibus vulgò appellantur, &, qui verba justorum loquuntur, & opera illorum faciunt, justi habendi sunt secundùm judicium charitatis, quæ omnia sperat. Quare, & hoc in loco deficientem & retrocedentem *justum* appellari, nihil mirum est: quum hîc non de judicio Dei agatur; quemadmodum v. 9. ubi dicitur *Iustus est*: sed de *factis*, quæ quis fecit, & à quibus desciscit; à quibus denominari potuit

potuit & debuit, ut commutatio significaretur. Causa, quam hîc Ezechiel defendit contra Judæos, id ipsum ostendit. Pharisæi se justos putabant: gentes *peccatores* appellabant; & revera peccatores erant. Pharisæi non credunt Euangelio, gentes crediderunt Euangelio. Pharisæi contra gentes ita disputant; Si credentes servarentur, improbitas & impuritas illarum à Deo dissimularetur; & nos, qui legem fecimus, & rectè egimus, nihil lucraremur nostris justitiis, quas fecimus. Ita judicium Dei non esset justum, & viæ ipsius non essent rectæ. Cui murmurationi accommodata est responsio Dei; Resipiscentem esse justum & vivere; ei, qui desecerit à recto faciundo, nihil prodesse omnia recta facta. Et animadvertendum est, Prophetam loqui de murmuratione Judæorum, qua revera utuntur, etiamsi legant hunc textum; quòd eum non rectè legant & intelligant. Confutari autem Judæos per notissima principia, quæ ne ipsi quidem negant. Ita cap. 33: 13. arguuntur, ut confidentes suis rectis factis, & propter ea non timentes injustum facere. Sed non est verè justi, *confidere suis justitiis*, hoc est, rectis factis, sed Dei justitia confidere. & hoc verè est *justitiam facere*. Atqui dices, Si non fecisset injustitiam, vixisset. Nam ita est eodem versu: *Quum dixero de justo*, (malè vertunt Remonstrantes, *ad justum*) *vivendo vivet*; *& ille confisus suæ justitiæ fecerit injustitiam*. Resp. 1. Verba, *Quum dico de justo*, intelligi possunt de genere, ut non indigitetur hic vel ille, qui *justitias fecerit, & eis confidat*. Tum *Et ille*, hoc est, aliquis. Et verò Deus in verbo de justo in genere loquitur; non in specie de hoc vel illo. ut Ezech. 18: 5. Et hoc modo intelligitur, non debere quemquam inflari propter promissionem vitæ, ut *suæ justitiæ confidat*. 2. Si in specie de hoc vel illo accipiendum est, sub conditione accipiendum est; quemadmodum, quod v. 14. c. 33. dicitur, *Quum dixero improbo, Moriendo morieris*, sub conditione accipiendum est. Et quæ tum erit conditio? numquid hæc tantùm, si perseveraveris ista facere, quæ facis? quæ mandavi? quæ præcepi? Non certè. Nam sunt quædam facta membrorum, quæ recta sunt, quæ tamen non vivificant. Deus nunquam dicit ei, qui *in litera* & ἐν φανερῷ *justus est*, & non appellatur cum gentibus ἁμαρτωλὸς (vide Gal. 2: 15) *Si sic manseris, vives*. Sed, si *cor circumcideris*, si *cor novum & spiritum novum tibi paraveris*, si feceris illa *præcepta, quæ qui facit in eis vivit*, si *veritatem feceris*, & ad hoc ab iis, quæ incepisti facere mandata, progressus fueris; *vives*. Et hic est

ſcopus Prophetiæ: ne ſcil. confidant Judæi ſuis rectis factis, quæ facientes diſtinguebantur à gentibus, tanquam חַטָּאִים ἁμαρτωλοῖς, ſed cor novum & ſpiritum novum ſibi parent. Sine quo non eſt ſpes vitæ, etiamſi quis multa bona & mandata dixerit & ſecundùm literam fecerit. Ubi autem eſt cor novum & ſpiritus novus, ibi eſt fides, qua ſtamus, Rom. c. 11. verſ. 20. ibi eſt radix, Matth. c. 13. verſ. 21. ibi eſt gratia, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ Dei. Rom. 5: 2. Sine eo *principium gloriationis* nec eſt, nec proinde *retinetur firmum.* Hebr. 3: 6. 14. Qui autem non retinent, illi nec Chriſti domus unquam fuerunt, nec ipſius participes unquam facti ſunt, nec deſierunt *peccare & improbi* & ἀσεβεῖς eſſe; nec porrò ita vocantur *juſti*, ut ii, *qui ſibi cor novum & ſpiritum novum fecerunt, & veritatem fecerunt*, qui abluti ſunt *aqua munda*, & *ſpiritu Dei* renovati ſunt, ut Deum amarent & in definitionibus ipſius ambularent. Ezech. 36: 25. 26. 27. Unde patet, quàm ſollicitè agendum ſit, & quàm neceſſarium ſit, *cor ſuum* & *animum* ſemper inſpicere, ut in eo inveniamus *ſpiritum Dei*, τὸν ἀρραβῶνα τῆς κληρονομίας *pignus hæreditatis*, & *ſignaculum Dei*; & quidem, ut eum obſervemus lætum ſuper nobis & clamantem, Abba, Pater. Quocirca doctrina de Gratia Conſervante, & Juſtitia afferente hæreditatem, diligenter retinenda eſt; ſed non eſt transferenda ad laſciviam, ut, *quum Deus dicit de juſto*, *Vivet*, confidamus bonis noſtris verbis & factis (Quod non poteſt eſſe ſejunctum à *patratione injuſtitiæ.* Ez. 33: 13.) atque ita incidamus in judicium eorum, qui, audita *adjuratione* & conteſtatione Dei, *ſibi benedicunt*, & *dicunt*, *Pax mihi erit, quum in obſtirmatione cordis mei ambulabo.* Deut. 29: 19. Neque etiam *contriſtemus ſpiritum*, *quo obſignati ſumus*, Eph. 4: 30. hoc eſt, ne ei occaſionem demus contriſtandi nos, ut demum per triſtitiam ſecundùm Deum & per παιδείας ad lætitiam ſpiritûs reducamur. Nam, etiamſi juſti cuſtodiantur à Deo, tamen etiam tentantur, ut appareat, quid ſit in ipſis. 2 Chron. 32: 31. Quare etiam Deus perpetuò orandus eſt, ne nos inducat in talem tentationem, qua noſtra fragilitas demonſtretur.

Cap. L.

De Certitudine ſalutis.

Corda. Poſtquam oſtendimus juſtificationem, quæ eſt ex fide, & perſeverantiam, etiam de *Spe*, in quam fides excreſcit & exſurgit, quæque eſt fructus juſtitiæ, dicendum eſt. 2. Ne-

2. Necesse est autem, eum, qui accedit ad Deum, scire, quòd detur certitudo salutis. Nam [1] alioqui ea certitudo non quæretur; quæ est πληροφορία τῆς ἐλπίδος *plenitudo spei*. Hebr. 6: 11. Et [2] homo non diliget Deum, neque ei gratias aget. Nam, quum homo sibi non potest spondere gratiam & salutem, necessariò odit Deum; quem non potest non considerare ut judicem. Si dicas, Deum amari, in quantum non desperatur gratia & salus: concedere etiam cogeris, in tantùm non amari, in quantum homo dubitare cogitur & nescire, liberatus ne sit ab ira, & an gratiam obtinuerit, eamque in perpetuum possessurus sit. Hacpropter S. Petrus monet, ut *studeamus firmam facere vocationem nostram & electionem*. 2 Petr. 1: 10. hoc est, ut operam demus, quò certam habeamus *vocationem* nostram in Christum, 1 Cor. 1: 9. & *electionem* ad vitam æternam. Ad quod studium etiam cohortatur S. Paulus Hebr. 6: 11. *Necessaria cognitio doctrinæ de certitudine salutis.*

3. Quod studium adeò necessarium est, ut citra illud non habeat homo [3] spem. Nam, ut est Hebr. 3: 6. *Christi domus sumus, si libertatem & gloriationem spei usque ad finem firmam retineamus.* item v. 14. *Participes Christi facti sumus, si principium pollicitationis* aut *gloriationis usque ad finem firmum retineamus.* item Col. 1: 21. 23. *Et vos — reconciliavit — quos sistat sanctos & sine vitio & inculpatos coram se: siquidem adhæreatis fidei fundati & firmi.* Quibus dictis non consolatio & spes à fine suspenditur, sed fides vera & seria à fucata atque opinione fidei & gaudio temporario distinguitur. Quòd scil. hæc facilè nutet & vacillet; illa autem maneat & fructificet. Matth. 13: 23.

4. Quòd si vero id operam non demus, & confirmationem fidei negligamus, id est [4] negligere purificationem peccatorum suorum priscorum. 2 Petr. 1: 9. Quam qui negligit, is nullam spem habere potest. Neque enim sese abluit in sanguine Christi.

5. Adeò verum non est, quòd doctrina de certitudine salutis faciat securos. Contra enim ea doctrina est vera nutricula pietatis: quippe quæ efficit [5] timorem illum Dei, non quo Deum horremus & fugimus, sed quo Deum æstimamus amabilem supra omne amabile & magnum supra omne magnum, eumque & nosse & habere & retinere maximi putamus, & humiliter ac sollicitè eum, ut Deum nostrum, habemus, caventes, ne quid nobis de gratia ipsius in vacuum datum oblatumve sit: & imprimis hoc operam damus, ut lucem faciei ejus, tanquam patris nostri, in cordibus nostris semper habeamus resplendentem. Qui timor non facit dubios & incertos;

neque contristat & consternat: sed est veluti arca, qua salutis ac sapientiæ thesaurus custoditur (Es. 33:6.) & est fiducia invicta & fons vitæ. Prov. 14:26. 27.

Credentes debent esse certi de salute.

6. Quòd autem, qui Deum amant ac timent, & credunt in Christum Filium Dei, possint & debeant certi esse de salute, multis & magnis argumentis patere potest.

7. Ipsa stipulatio Dei, volentis nobiscum fœdus facere, est, *Noli metuere: Ego clypeus tuus: & merces tua magna valde.* Genes. 15:1. Hujus insinuationis sive stipulationis, aut, si mavis, σῶ ἐγγελίας vera ὑπαντὴ est, *Nihil metuere*, neque in præsens neque imposterum: sed Deum pro *clypeo* suo, & sic pro justitia sua habere, & ab eo *maximam mercedem* expectare. nempe ut Deo propter hæc gratias agas, & eum ex corde ames, & in eo glorieris.

8. Quod quum facimus, ὁμολογῦμῶ τῷ θεῷ *consentimus Deo*, & ipsi sacrificium confessionis & gratiarum actionis solvimus. Quod qui facit, & Deum honorat, & munit viam, qua Jehova ipsum videre faciat salutem Dei. Psalm. 50:23.

Objectio imbecillitatis.

9. Et, ne nos terreret nostra imbecillitas, utque Deus ad illam gloriationem spei nos deduceret, etiam cum juramento propositum suum incommutabile nobis indicavit, ut, qui confugiunt, haberent validam instigationem ad arripiendam spem. Hebr. 6:18. Dictum est enim: *Beati, qui confugiunt ad ipsum.* Psalm. 2:12. Confugiunt autem ad Filium, qui certo judicio animi statuunt, in Christo esse justitiam & vitam; ideoque in ipso inveniri desiderant.

10. De quo quidam se consolari non possunt, dum sibi non satisfaciunt, & suam indignitatem divina dignatione sublevari non cogitant. Sed tamen & hi *beati* sunt. Nam, quam esuriunt & sitiunt justitiam, ea satiabuntur. Matth 5:6. & revera jam justi sunt: ac propterea declarantur *Beati*, ut spem expositam arripiant; & cum lætitia ament Salvatorem suum. qui sciunt, *sibi sufficere gratiam Dei, & potentiam Dei in infirmitate consummari.* 2 Cor. 12:9.

11. Neque potest ali er iniri fœdus gratiæ, in quo exigitur fides ad justitiam. Necesse est enim fidem imputari ad justitiam: ubi opus ad mercedis debitionem imputari non potest. Fides autem, quæ imputatur ad justitiam, non est alia, quàm qua quis credit in eum, qui justificat improbum ac damnabilem; & quidem ita in eum credit, ut se ei committat, sciens, se, si credat in eum, justitiam esse adeptum. Rom. 4:5.

12. Sed,

12. Sed, ne dicas, fidem esse rem preciosam; &, non debere hominem præsumere, se esse in fide: jussit etiam Deus confiteri fidem. At non jussit nos mentiri, neque dicere id, quod scire non possumus.

13. Deinde etiam sacramenta proposuit credentibus, imò confugientibus, trepidis, pavidis, sitientibus, esurientibus: & jussit eos fidenter illis uti. Datur igitur sensus fidei: datur libertas profitendi fidem, & in ea gloriandi, ac nomen Dei, ut nostri, & fœdus ejus sigillaque justitiæ assumendi.

14. Neque non sentiunt fidem in se, nisi qui ἀδόκιμοι sunt. 2 Cor. 13: 5. *Annon cognoscitis vosmet ipsi, quòd Iesus Christus in vobis sit? nisi reprobi estis.*

15. Verùm etiam testatus est, quòd, qui crediderint, sint ab ipso *confirmati in Christum & uncti, & obsignati*, & quòd *in cordibus ipsorum arrhabonem Spiritus posuerit.* 2 Cor. 1: 21. 22. *Confirmati in Christum*, hoc est, 1. vocati ad communionem Christi, 1 Cor. 1: 9. ut sint in Christo, 1 Cor. 1: 30. 2. ad perpetuam unionem cum ipso. Unde & μένειν ἐν Χριστῷ & εἶναι ἐν Χριστῷ alternant. 1 Joh. 2: 5. 6. *Uncti* sacerdotes & reges Deo. Apoc. 1: 6. *Obsignati*, ut peculium Dei. Eph. 1: 13. 4: 30. *Arrhabonem Spiritûs posuit in cordibus ipsorum*; quia spiritus fidei & charitatis est pignus nostræ hæreditatis. Ephes. 1: 14. Hæc omnia ostendunt firmitatem & certitudinem salutis. Nam propter eam dicuntur.

16. Igitur & *regenerati sumus ad spem vivam.* 1 Petr. 1: 3. Nam in dono fidei donum spei inest. Quippe fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Hebr. 11: 1. q. d. fiducia sibi pollicendi ea, quæ sperantur. τῇ πίστει ὑφισάμεθα ἡμῖν τὰ ἐλπιζόμενα. *Fide pollicemur nobis ea, quæ sperantur.* Unde veræ fidei in ἐφόδῳ *initio* attribuitur ὑπόστασις καὶ καύχημα ἐλπίδος *pollicitatio & gloriatio spei:* quòd nimirum invenerimus & cognoverimus Salvatorem, & in ipso acquiescamus, ipsumque apprehenderimus sive ad ipsum confugerimus, scientes, confugientibus spem expositam esse ad arripiendum & retinendum.

17. Quòd si porrò causam fidei intueamur, evidens erit certitudo salutis, quam habent fideles. Nam ea est à Spiritu Christi, qui est *spiritus vitæ in Christo*, sive *per quem Christus vivit in nobis.* Rom. 8. v. 2. Gal. 2: 20. Et est fructus meriti Christi. Johan. 3: 5. Ezech. 36: 26. 27. Gal. 2: 19.

18. Neque credentes, sunt sub lege, habente vim maledicendi & in

in servitutem peccato nos addicendi; vel exigendi debitum ad justitiam: sed sub gratia. Rom. 6: 14. & servi justitiæ effecti sunt. ibid. v. 18. hoc est, lege Servatoris ipsis est addicta perseverans sanctificatio, ut fructum justitiæ donatæ ferant.

19. Igitur illi, qui in Christo sunt, hoc est, qui crediderunt in Christum, vincerunt mundum. 1 Joh. 5: 4. *Omne, quod genitum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides vestra.* v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Et fide salvi sunt, Eph. 2: 8. & spe. Rom. 8: 24.

20. Ideò dicitur esse *justitia ex fide in fidem.* Rom. 1: 17. Ex fide enim, qua recipimus testimonium Dei in Christo, & ad Christum confugimus, sumus justi, ut credamus, nos & justitiam à Deo in Christo esse consecutos, & potentia ipsius conservatum iri ad hæreditatem nobis præparatam.

21. Neque dixerit quis, Nos quidem habere spem, sed non *exspectationem.* Nam in spe est exspectatio. Rom. 8: 25. *Si, quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.*

22. Igitur fidelis gloriatur in spe gloriæ Dei, Rom. c. 5: 2. & in Deo ipso, per Dominum suum Jesum Christum. ibid. v. 11.

Certitudo est fidei.

23. Hæc sunt fidei, & nituntur verbo & mandato Dei. Quippe nititur testimonio Spiritus sancti. Cui testanti non credere est eum mendacii arguere: testimonium verò ejus recipere quid est si non credere? De quo testimonio pauca addenda sunt, ut locus, qui est Rom. 8: 16. dextrè intelligatur.

Locus Rom. 8. v. 16. de testimonio Spiritus sancti.

24. Non sine causa revelavit nobis Deus, quòd habeat Spiritum, qui sit Spiritus Filii. Quippe vult nos testimonio ipsius certos fieri de adoptione nostri, quòd simus filii Dei. Idque ut incessanter clamemus, Abba, Pater. in quo clamore ut Dei maxima glorificatio, ita etiam nostra maxima in hac vita beatitudo consistit.

25. Et testatur quidem nobis Spiritus sanctus tum verbo suo tum donis suis. Nam & dona ipsius sunt testimonium φρονήματος, voluntatis ac studii ipsius, quod pro nobis habet. usque ad ipsos gemitus & suspiria nostra. De quo supra.

26. Et Johannes 1 Epist. cap. 5. v. 6. 7. de testimonio Spiritus sancti insigniter loquitur. Primò dicit, καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. *Et Spiritus est, qui testatur, quòd Spiritus sit veritas.*

27. S. Johanni constitutum est probare, quòd, qui genitus est ex

ex Deo, vincat mundum: &, quòd ea sit victoria nostra, quæ vicit mundum, fides nostra. v. 4. Si credere est vincere mundum & mundum jam vicisse, ergo regeniti ex Deo vincunt mundum & à mundo superari non possunt. Ostendit præterea, neminem vincere mundum, nisi qui credit, quòd Jesus sit Filius Dei. v. 5. Fides igitur & vicit, & non vincitur, & sola vincit mundum. Qui non credit, victus est, servus est. 2 Petr. 2: 19. 20. Joh. 8: 32. 36.

28. Porrò, Jesum esse Filium Dei, & consequenter, fidem nostram esse victoriam, quæ vicit mundum, (hoc est, omnes homines, Judæos & gentes, eorumque sapientiam, potentiam, auctoritatem) probat ex eo, quòd *Iesus venit cum aqua & sanguine*, & est *Christus*. *Aqua* significat puritatem obedientiæ, *sanguis* passiones & mortem.

29. Quum autem *Christum* dicit, significat effusionem Spiritûs sancti in nomine ipsius & per ipsum. De quo dicit, quod supra posuimus; *Et spiritus est, qui testatur, quòd spiritus sit veritas*. Spiritus quippe effusus in nomine Christi, & faciens, ut credamus in Christum, testatur, quòd omnia, quæ Spiritus Dei datus in Veteri Testamento prædixit & promisit, sint vera & completa in ipso.

30. Non potest non esse Filius Dei, qui venit cum obedientia & satisfactione & seipsum Deo obtulit sacrificium boni odoris, quum didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: per quem Spiritus sanctus datur, qui mirabiliter & in discipulis operatus est, & in hostibus, ut in Paulo, & gentes convertit ad amandum Deum & ad patiendum pro nomine ejus.

31. Nititur igitur fides nostra in Christum tribus testibus, qui sunt in cœlo, qui mentiri non possunt: Patre; Sermone, de quo locutus est antea Spiritus sanctus, quique nomen Patris patefecit; & Spiritu sancto. Qui tres, ut unum sunt, ita & unum loquuntur; &, ut unum loquuntur, ita unum sunt: ut fides in eos sit fides in unum.

32. Et, quòd fides nostra vicerit mundum ac vincat, etiam certum est; quia fides in Jesum Filium Dei accipit justitiam & vitam in Christo, v. 11. 12. & ea fides est à Spiritu sancto tanquam semine Dei, & ejus datio est à merito & satisfactione Christi.

33. Porrò, ne dicas, Quis ascendet nobis in cœlum & afferet nobis verbum fidei? etiam in terra sunt tres, qui testantur: *spiritus*, qui loquutus est in Veteri Testamento: & *aqua*, sive obedientia Christi perfecta purificans nos à sordibus nostris; & *sanguis*, etiam

fidelium, quem effundunt propter amorem Dei & Christi. *Et hi tres in unum sunt.* vers. 8. Demonstrant enim, quòd Jesus sit Filius Dei, &, quòd, qui credit in eum, vicerit mundum; quia is habet Filium, & in Filio vitam.

34. S. Paulus non magnopere discedit ab illis, quæ dicit S. Johannes, quum ait Rom. 8: 16. *Ipse spiritus contestificatur spiritui nostro, quòd simus filii Dei.* Ut enim S. Johannes unum testem facit *sanguinem*, qui in terra funditur propter Christum, ita S. Paulus unum testem facit *spiritum nostrum.* In quo illa differentia est: quòd *sanguis* testatur etiam aliis, *quòd Iesus sit filius Dei.* Quia scilicet prædictum est, gentes comesuras opima terræ & adoraturas, & coram ipso se incurvaturos descendentes in pulverem, etiam, qui animam suam non tanti fecerit, ut eam vivificet aut in vita hac conservet. Psalm. 22: 30. Certum est enim, eum, in quem credunt gentes, & à quo percipiunt omnes consolationes & benedictiones, quæ Deus populo suo præparaverat, ita ut libenter moriantur, etiam quum vivere possent, esse filium Dei. At spiritus noster nobis testatur, quòd simus filii Dei. Alioqui apud Johannem & Paulum testimonium Spiritus sancti conjungitur cum testimonio *sanguinis & spiritus nostri.*

35. Quod autem dicit Paulus de *contestificatione Spiritus sancti cum spiritu nostro*, id interest ut rectè intelligatur: quia in eo certitudo & gloriatio nostra fundata est, quæ firma est ad finem.

36. Imprimis ponendum est, posse quidem hominem per longanimitatem & clementiam Dei, quam exercet erga omnes, cognoscere, Deum velle uti misericordia, idque modo se digno, & velle amari à peccatore tanquam condonantem peccata. Nam longanimitas & patientia Dei ad resipiscentiam ducit. Rom. 2: 4.

37. Attamen nemo hominum sine revelatione cognoscere potest, quis modus exercendi misericordiam & peccata condonandi & vitam donandi Deo dignus sit. Et homo mortuus in peccato divina patientia & beneficentia abutitur.

38. Deus revelavit, se vitam dedisse hominibus, & eam in Filio suo esse; &, qui Filium habet, vitam habere; nempe eum, qui credit in ipsum. 1 Joh. 5: 10. 11. 12. 13. & sic justificari à se impium, Rom. 4. vers. 15.

39. Cui verbo qui credit, is, secundùm dicta, facit id, quod faciens Filium Dei habet, & filius Dei est. Et, dum credit, nominat Deum

Deum patrem suum. Jer. 3:19. Quippe agnoscit, Deum se revelasse revera amabilem instar patris,& omninò fieri patrem illorum, qui salvantur, quibusque vitæ hæreditas assignata est Testamento. Nam eos à Deo gigni, & iis misericorditer condonari peccata & vitam æternam donari, ut hæreditatem, jure genituræ, & jure insitionis in fratrem primogenitum, & jure domini, qui peculium sibi & populum suo sanguine acquisivit.

40. Et, sive in siti & fame confugiat ad petram salutis, ut misericordiam ipsius imploret: sive inflammetur & exardescat, ut gaudeat illa salute, & conetur Deum, ut omni gratitudine dignum, amare ceu salvatorem suum; quia scilicet bene cogitat, Deum frustra amari & quæri non posse: clamat, Abba, Pater.

41. Quod dum facit, testatur homini spiritus suus, quòd sit filius Dei. Quia 1. sentit, se diligere Deum, ut patrem, atque ita diligendo eum glorificare: &, quæ filii sunt, facere. 2. sentit, Deum sibi patrem factum, & more patris secum agere; quandoquidem sibi innotuerit tam amabilis. 3. Conscientia ipsi testatur de Deo, eum non posse frustra amari & quæri, aut eum, qui ad ipsum cum amore & honore tali accedat, repellere ac destituere. Quippe quia Deus, si amantem ac quærentem se vellet destituere, vellet etiam non amari ac quæri à peccatore, neque salvator peccatoris haberi: quæ esset sui abnegatio.

42. Huic testimonio spiritus nostri sive animæ nostræ (quod in se certum est, quia nititur sensu & conscientia) etiam contestificatur Spiritus sanctus. Non aliud loquens, quàm quod scriptum est; sed ea docens, suggerens, & cordibus inscribens, quæ & ab omnibus audita sunt. Quæ autem scripta sunt, quia à Spiritu Dei dictata sunt, verè testimonium Spiritus sancti sunt.

43. Est porrò in his, quæ scripta sunt, testimonium Spiritus sancti, quo contestificatur spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Quippe Spiritus in Scripturis non tantùm revelat Dei propositum, quo constituit salvare Ecclesiam in Christo; sed etiam jubet peccatores confugere ad Christum & accedere ad Deum cum fiducià tanquam in throno gratiæ sedentem; nec tantùm, sed etiam fidei naturam depingit: nec tantùm, sed etiam μακαρίζει *beatum dicit* omnem, qui confugit ad Christum: nec tantùm, sed etiam jubet fideles seipsos excutere; & docet, esse sensum fidei & amoris Dei in iis, qui credunt; & eos ἰσχυρῶς παρακαλεῖ *valide instigat*, ut arripiant ἐλπί-

δὲ προκειμένην *spem expositam*, eamque teneant; & jubet eos sperare, lætari, gratias agere, in Deo gloriari; affirmans, non esse à carne sitim ac famem justitiæ, & amorem Dei, sed à sua efficacia & vita Christi in ipsis, seque in iis, qui confugiunt, esse, ut donum, quo *uncti* sint in sacerdotes & reges; quo tanquam *sigillo* obsignentur, ut res Dei; quod in ipsis sit, ut *arrhabo*, ut suæ redemtionis sint certi; & spem minimè fallacem habeant gloriæ Dei, in qua glorientur; seque ipsis datum esse *paracletum*, qui pro ipsis interpellet apud Deum, tanquam patrem ipsorum; denique, Sermonem eis, quiipsum acceperunt sive quibus donatus est, nempe credentibus in nomen ipsius, dedisse potestatem & jus se gerendi pro filiis Dei. Johan. cap. 1. vers. 12.

44. Unde consequitur, *certitudinem fidelium* de sua adoptione non tantùm esse λογιζμὸν minimè fallacem, Rom. 6: 11. sed etiam *fidem* testimonii Spiritus sancti in Scripturis revelati.

45. Quare non opus est hîc cum Dionysio Carthusiano per testimonium Spiritûs sancti intelligere consolationem occultam, quæ conjecturaliter & probabiliter fideles faciat certos, quòd sint filii Dei.

46. Patet autem, eos, qui negant certitudinem spei tantam, ut fidelis possit gloriari, eamque gloriationem vocant præsumtionem, injuriam facere Spiritui sancto & testimonium ejus elevare. Quemadmodum etiam facit Cornelius à Lapide, qui dicit, Testimonium Spiritus sancti *in se quidem esse certum, nobis tamen non esse certum; quia*, inquit, *non sumus certi omnino illud esse à Spiritu sancto, non autem à Diabolo.*

48. Ante omnia patet, in quo debeat occupari homo, ut seipsum non negligat aut fallat; nempe ut omnibus momentis habeat testimonium spiritus sui, quòd sit filius Dei, hoc est, bonam conscientiam, se tanquam filium Dei ad Deum, velut ad patrem suum, accedere & in conspectu ipsius ambulare; ut possit percipere contestificationem & consolationem Spiritus sancti (quæ est παράκλησις τῶν γραφῶν *consolatio Scripturarum*, Rom. 15: 4.) quòd filius Dei sit. Ut nempe, quum ipse dixerit ad Deum, *Tu, Iehovah, es receptus & perfugium meum:* tum Spiritus ei respondeat: *Altissimum posuisti habitaculum tuum: non occurret tibi malum.* ut est Psalmo 91: 10.

48. Hujus nostræ expositionis adstipulatorem habemus Theodoretum. λέγει, ὅτι τῇ πνευματικῇ διδασκαλίᾳ πειθόμενοι προσφέρο-

μεν

μὴν τῷ δικαίῳ· ὃ κατηγορούμεθα ἢ τοῦτο ποιοῦντες, ἐπειδὴ κατὰ νόμον θεῖον θρησκεύομεν. *Dicit autem, quòd spirituali doctrinæ obedientes offeramus orationem. Non accusamur autem hoc facientes, quandoquidem secundùm legem divinam agimus.*

49. Cæterum hanc certitudinem vehementer roborat omnium seculorum memoria. In qua nemo reperitur, qui veræ fidei testimonium consecutus sit, qui non ad metam vitæ pervenerit. *In te confisi sunt, & non sunt confusi.* Psalm. 22: 5.

CAP. LI.

De Iustitia Patrum ante Legem.

Iustificatio quæ semper fidem comitetur?

IUstificationem divinam ostendimus significare tum Amorem Dei erga illos, qui sunt in Mediatore, ut justos, & judicium ipsius de ipsis, quòd non debeant venire in judicium condemnationis, sed hæredes vitæ fieri: tum divinam declarationem ac sententiam, qua ipsi cognoscant, se à Deo in Mediatore, ut justos, amari, & hæredes vitæ scribi. Utrumque in justificatione perpetuum est. Nemo justificatur, qui non à Deo ametur velut justus & à Deo consolationem accipiat, quòd sibi vita æterna pro hæreditate addicta sit, quodque jus eam sperandi & petendi habeat.

2. Et, quod quidem attinet amorem Dei, quo credentes prosequitur, & voluntatem ipsius justam eos glorificandi propter Mediatorem, nulla differentia est inter justificatos, qui antè speraverunt in Christum, &, quibus Euangelium prædicatum est.

Prisci justificati.

3. Ideoque etiam, antequam Mediator appareret, remissa illis sunt peccata verè & justitia imputata: si spectes hunc amorem & hoc judicium Dei. Quod de Abrahamo dicit Scriptura, Gen. 15: 6. *Et credidit Abraham Deo, & reputavit hoc ei justitiam.* Unde intelligitur, qua de causa Noachus *justus* nominetur. Gen. 6: 9. *Et Noach vir justus integer extiterat in omnibus generationibus suis*, hoc est, Noachus toto vitæ curriculo inter majores natu adolescens, & inter minores vir ac senior factus se præstiterat *justum*, justa agentem, *integrum*, ex toto corde, atque ita justificatum. Quippe *gratiam invenit in oculis Domini*, v. 8. hoc est, per gratiam Dei & amorem ipsius exemtus fuit communi excidio. Justa verò agere ad justificationem consequendam nihil aliud est, quàm, abnegare propriam justitiam, eamque coram Deo non jactare, neque viribus suis ac consiliis confi-

dere, sed ad Deum peccata remittentem & justificantem confugere, in eum credere, eique gloriam dare: & pro dono justitiæ ei gratias agere & ei servire. Quod & fecit Noach. de quo dicitur, quòd *cum Deo ambulaverit*, hoc est, Deo grata facere studuerit, ejusque negocium gesserit.

4. Neque verò tantùm hunc fructum justitiæ consecuti sunt quidam, ut in plagas Dei corporales non inciderent pro tempore; quemadmodum Noachus cum familia servatus est in diluvio: sed etiam expleto vitæ hujus spacio in gloriam intrarunt. Enochum Deus assumsit & transposuit, ut mortem non videret. Cæterorum animæ in gloriam introductæ sunt. Hebr. 2: 10. 12: 22. 23. Joh. 14: 2. Quod inde patet, quia Deus illorum vocari voluit. Quippe præparaverat ipsis civitatem & patriam; quum præsentem relinquerent & hæreditatem in terra non consequerentur. Quin etiam, postquam diem suum obiissent, Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi appellatus est, ut intelligerentur ejus dono vivere & deinceps corpus vivum ex pulvere recepturi. Hebr. 11. Matth. 22. Qua spe se solatur Ijob cap. 19: 25. 26. 27. Qui etiam in morte spem se habere testatur cap. 13: 15. 16. 27: 8. 9. 19. Quam confirmat Solomo in Proverbiis cap. 11: 4. 6. 7. 12: 28. 14: 32.

Et, tanquam si justitia adducta fuisset, vixerunt in hoc sæculo.

5. Etiam in hac vita Deus nihil imposuit ipsis faciendum tanquam ad expiationem peccati, quo onerarentur & rei atque immundi declararentur. Ita ut hactenus velut justi in hoc sæculo agerent, fermè in eodem statu, in quo sunt, quibus annunciatur Euangelium de justitiâ adductâ.

Caruerunt tamen consolatione de justitia adducta

6. Attamen Euangelium ipsis annunciatum non est, sed tantùm προευηγγελίσθησαν ante Euangelii nunciandi tempus bonis verbis recreati sunt, nempe promissione. Neque potuit eis *Euangelium* annunciari, quia ipsis non potuit indicari, ea facta esse, quæ Deus promiserat; jamque Semen illud, cujus erat conterere caput Serpentis, & ei regnum suum adimere & maledictionem exstinguere, venisse & justitiam ac vitam adduxisse, sive causam perfectam salutis factum esse.

& peccato jam abolito.

7. Evidens autem est, ubi non potest dici, justitiam adductam esse, ibi non posse dici, peccatum totius terræ deletum & abolitum esse. quod Zacharias dicit cap. 3: 9. Deum facturum esse, quum lapidem, qui omnibus propositus erat, suis cælaturis insignem fecisset. Dicit enim, tanquam de futuro, *Et delebo peccatum totius terræ illius*

illim (quasi utraque manu totam terram indigitans hæc loquitur) *uno die.* Quod igitur futurum prænunciabatur, id factum annunciari non potuit. Potuit autem dici, Id necdum factum esse, quod sperare jubebantur: atque adeò, quòd abolendum & delendum erat, adhuc esse in mundo, id est, causam remissionis peccatorum & donationis vitæ æternæ necdum extare.

8. Nemo non videt, hasce phrases se mutuò illustrare; ut, quum peccatum dicatur abolendum & delendum & obliterandum sive expiandum, tantisper, donec id fiat, peccatum esse, extare, manere, pronuncietur. Ut enim, quod deletum est, non amplius est; ita, quod imposterum delendum est, eo usque, dum deleatur & aboleatur, est & manet. Qua phrasi usus est Apostolus Rom. 4: 15. *Vbi non est lex, neque transgressio* scil. est. & cap. 5: 13. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo.* Neutro in loco loquitur Apostolus de peccato sic, ut *esse* ipsi valeat *committi.* Quod si vellet, sibi esset contrarius. Nam c. 4. diceret, peccatum non committi, ubi non est lex. & c. 5. commissum fuisse etiam ante legem. Utrobique enim loquitur de lege non, quæ scripta est in cordibus omnium hominu, sed de lege, quæ publicè pronunciata & promulgata est. Primo loco dicit, Transgressionem, nempe Adami & omnium hominum, non esse amplius, sed abolitam esse & extinctam (nempe per expiationem & remissionem) ubi lex maledictionem commemorans & aliquid propter eam faciendum injungens nulla est. Quippe quum lex iram operetur, intellige in transgressore, hoc est, ei aliquid grave imponat propter reatum, ad ejus exprobrationem. Ergo, ubi lex introduci potuit, ibi locus fuit iræ, quam operaretur lex; & ibi fuit transgressio, & extincta non fuit. Sic cap. 5: 13. dicit, *Vsque ad legem peccatum* Adami & filiorum ejus *erat in mundo,* extinctum verò & abolitum nondum erat, sed adhuc desiderabat expiationem & antiquationem.

9. Quod igitur attinet eam Justificationem, quæ est conscientiæ absolutio, & consummatio, sive consolatio de justitiæ causa jam extante, & principe salutis jam consummato, ea ante legem non fuit. Nam sic etiam transgressio, peccatum & reatus non fuisset: imò nec Christus, semen illud promissum, fuisset amplius exspectandus.

10. Quoad hoc igitur dicit Apostolus, *non fuisse imputatum peccatum.* Rom. 5: 13. hoc est, Non fuisse ejus habitam rationem: quippe

pe nullum ὀνείδισμὸν & προσπώματος *nullam exprobrationem lapsus*, ut Athanasius loquitur, fuisse factam: licèt illud exprobrari & commemorari & *ira* aliqua etiam justis ex fide imponi posset.

Justificatio illorum fuit ut πάρεσις peccatorum.

11. Quæ phrasis Apostoli comparanda est cum altera, qua idem utitur. Rom. 3: 25. dicit, Deum circa illa peccata, quæ facta sunt antè, quàm scilicet proponeretur propitiatorium Christus, in Dei tolerantia, usum fuisse πάρεσι, hoc est, prætermissione & dissimulatione. Non puto, quemquam non animadvertere discrimen inter παρεῖναι *prætermittere*, *præterire sinere*, & ἀφιέναι *remittere*, condonare. Is, cui debetur pecunia, potest habere animum non exigendi debitum, atque ita eum, qui debendi reus est, sinere ita abire sine compellatione; neque tamen dicitur ἀφιέναι *remittere* debitum, nisi quum chirographum concerpit, idque tradit creditori, eique dicit, *Accepi, non pignerabo.* Quod quum fecit, ne compellandi quidem jus sibi reservat. Deus toto illo tempore, ex quo ingressum est peccatum in mundum, quum nulla adhuc extaret satisfactio, habuit quidem animum *exigendi peccatum nostrum* à Christo, Es. 53: 7. sed non habuit voluntatem id exigendi à muliere & electo ejus semine. &, quum id punire posset (quemadmodum id revera punivit in infidelibus gratiæ contemtoribus ac fœdifragis, omnibusque, quos in viis suis abire sivit) tamen non punivit. Sed tamen etiam toto illo tempore usque ad Christum ne credentes quidem absolvit & sic justos declaravit, ut satisfactio exigi non posset. In ea tamen πάρεσι & *prætermissione* hæc differentia est, quòd ante legem peccatum non fuit ἐλλογούμενον *reputatum* vel imputatum; nempe isto modo, quo sponsorem habentibus & in animo Dei justificatis & ad spem hæreditatis vocatis imputari poterat. Poterat enim illis imputari promulgando legem, quæ iram operaretur. Quemadmodum creditor, qui non habet animum exigendi debitum, potest tamen vel silere omninò, vel interim compellare debitorem & eum cogere confiteri debitum. Et de illo quidem loco Apostoli & de πάρεσι *prætermissione* pluribus egimus in Summa fœderis § 339. & 353. neque nunc valde opus est, ut multis de ea agamus hoc loco: imprimis quum rursus de hac re nobis dicendum sit, ubi de œconomia legali & justificatione Euangelica, si Deus volet, dicemus. Tantùm id considerandum putavimus, an, posito, quòd priori tempori πάρεσις *prætermissio* peccatorum, quæ tunc fiebant, ab Apostolo attribuatur, id rectè videamur sic ad captum lectoris explicare

care (nam de re ipsa non potest esse dissensio) si dicamus, πάρεσιν *fuisse respectu Christi, adhuc puniendi*, ἄφεσιν verò *respectu ipsorum fidelium. quibus nullum fuit κατάκριμα.* Quod quidem mihi non videtur. 1. quia πάρεσις non significat dilationem pœnæ. Apostolus enim dicit πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων *omissionem antè factorum peccatorum in tolerantia Dei.* quæ sine dubio est non-punitio peccatorum, quæ priori tempore fiebant. Non punitio autem dicitur respectu illorum, qui non sunt puniti. 2. quia, dum differtur exactio peccati à Christo, revera omittuntur & non puniuntur ii, quorum peccata à Christo exigenda erant; & quidem omittuntur sine punitione, quæ tum fieret. Natura igitur relatorum postulat, ut, si πάρεσις fuit exercita circa Filium Dei, ut Sponsorem, necessariò etiam fuerit exercita circa fideles. 3. quia eorum respectu πάρεσις facta dicitur, quorum respectu dicitur non ἐλλογεῖν *imputari*, aut contra ἐλλογεῖν *imputari* peccatum, *lege iram operante.* 4. quia ἄφεσις *remissio* plus significat, quàm per Sponsorem destinare reconciliationem. nempe reconciliationem annunciare. Unde Apostolus ex ἀφέσει *remissione* concludit, non amplius requiri victimam pro peccato. Hebr. 10: 18. Ex quo loco clarissimum est, esse quandam ἄφεσιν *remissionem*, quæ non possit dici facta, quamdiu victimæ pro peccatis offerebantur, & Christi satisfactio adhuc requirebatur. 5. quia Apostolus in dicto loco Rom. 3: 25. ostendit, quòd Deus justitiam illius παρέσεως & prætermissionis peccatorum antè factorum demonstraverit Christum proponendo ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius. Atqui Christi sanguis non benè dicitur fusus ad demonstrandam justitiam Dei, differentis punire Sponsorem sive peccatum nostrum ab ipso exigere. Sed bene dicitur, fusione sanguinis Christi demonstratum esse, quòd justè Deus non puniverit peccatum antecedentium seculorum in fidelibus, quia illud statuerat exigere à Filio dilectionis suo & eum propitiatorium proponere. 6. quia non satis congruum est, ἄφεσιν dici respectu Christi. Atqui, si πάρεσις respectu Christi dicitur, etiam ἄφεσις, quæ πάρεσιν excipit & sequitur, respectu Christi dicetur. Nam Jeremias promittit ἄφεσιν ut bonum Novi Testamenti. Jam quis non videt, non posse respectu Christi, à quo peccatum nostrum exactum est, *remissionem* dici, qui debuit justificari, ut fidelis sacerdos: & eam ubique respectu fidelium dici? Ergo quoque πάρεσις respectu fidelium accipienda est, non respectu Christi.

Quæ πάρεσις tamen fuit justa.

12. Fideles igitur prisci egerunt tanquam sub Deo παρέσις ipsorum peccata eaque dissimulante & ad ea connivente: quippe quum nihil extaret, quo Deus ea remittens & ipsos non puniens ipsisque nullam partem iræ imponens sanctus & justus demonstraretur. Sed, quum ea πάρεσις etiam *justificatio* vocaretur (Nam, ut diximus, Noach *justus* appellatus fuit, & Abrahamo Deus *imputavit justitiam*) fidei fuit justitiam hujus παρέσεως & non-punitionis animadvertere: nempe, quòd ea fieret efficacia & virtute Angeli Testamenti eos suos vindicantis, pro iis interpellantis, & bonitate ac gratia sua illos portantis. Mal. 3: 1. Gen. 48: 16. Job. 33: 23.24. Es. 63: 9. Atque ita non-puniendo ipsos eosque in gloriam introducendo minimè abnegaret seipsum & justitiam suam. Quare etiam imposterum oportuit propter hanc πάρεσιν demonstrandæ justitiæ causa Christum *proponi ἱλαστήριον propitiatorium*. Rom. 3: 25.

Prisci in fide Christi justificati.

13. Unde ὀφθαλμοφανῶς apparet, Priscos non fuisse justificatos nisi in fide Christi, quem crediderunt esse apud Deum mediatorem Testamenti, Dominum & Vindicem suum, qui pro ipsis interpellaret, quique olim appariturus esset ad λύτρον sufficiens pro ipsis dandum & omnia munia Salvatoris & Sacerdotis implendum, atque ita justificandum & adducendum & annunciandum. Quod videre & audire unicè desiderabant. quemadmodum de Abrahamo dicitur Joh. 8: 56. *Abraham pater vester ἠγαλλιάσατο alacritate gaudii elatus ad hoc anhelavit, ut videret diem meum*, hoc est, tempus apparitionis meæ. Confer Matth. 13: 17.

14. Præterea & hoc liquidissimè liquet, priscos fideles nulla pœna post mortem fuisse affectos. Nam Deus non reputabat peccatum, & πάρεσιν exercebat: quæ est non-punitio. Quid igitur in mentem illis venit, qui dicunt, illos in limbum gehennæ vel etiam in ignem detrusos fuisse? Essetne hoc παρέναι?

CAPUT LII.

De Sacramentis Fœderis gratiæ.

Deus non tantùm verbo voluit fœdus gratiæ homini offerre, sive eum ad pacem & amicitiam & jus exspectandæ hæreditatis vocare, sed etiam signis voluit fideles certos facere de fœdere & ejus bonis.

Sacramenta

2. Ea signa vulgo *Sacramenta* nuncupamus. quæ vox à Græcis mana-

manavit: qui eadem vocant μυστήρια. Μυστήριον autem à Latino *sacramentum* reddi solet. Vide 1 Tim. 3: 16. *Magnum est pietatis sacramentum.* Eph. 3: 5. *secundùm revelationem notum mihi factum est sacramentum.* Eph. 5: 32. *Sacramentum hoc magnum est.* Col. 1: 27. *Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus.* Adde Dan. 2: 18. 30. Tob. 12: 6. Adeò non est necesse hîc attendere eam significationem, quam habet, quum dicimus *sacramento contendere*, vel *sacramento dicere*, vel, ut Tertullianus dicit, *in sacramenti verba respondere*: & similibus phrasibus. licet, quæ occasione hujus æquivocationis à quibusdam de Sacramentis dicta sunt, rei conveniant. Μυστήριον (propriè quod inter μύστας & μεμυημένους cognitum apud alios siletur) arcanum sive secretum in Scripturis significat. id, quod est Hebræis סוד, Chaldæis רָז. Ita appellantur eæ res, quas Deus Ecclesiæ ullo tempore revelavit. Eæ autem sic appellantur tum respectu ignorationis revelationem præcedentis, vel quia naturaliter cognosci non possunt, vel quia sensim apud Ecclesiam inclaruere, verbis clarioribus, vel denique rebus consilium Dei denudantibus (ante quarum exhibitionem pleraque imperfectiùs, quoad modum rei, proposita sunt) tum respectu distantiæ πίστως & εἴδους, in rebus spiritualibus. Μυστήρια.

3. Potuerunt Græci scriptores, dum sacra symbola μυστήρια dictitarunt, respicere ad Græcanica sacra, quæ ferè multiplicibus ritibus nescio quid significantibus constabant; probabilius tamen est (quod & sanctius) eos signa sacra ut partem mysteriorum sive rerum divinitus traditarum communi vocabulo denotasse; aut nomen res spirituales oculisque minimè subjectas fideique propositas potissimùm designans accommodasse symbolis eas significantibus & earum loco ad tempus Ecclesiæ traditis. Nam, quæ remota à sensibus nostris in verbo docemur, & fide amplectimur, ea in symbolis suo modo cernimus & tenemus. quemadmodum etiam *sacramentum* dicitur arcanum per signa adumbratum Apocal. 1: 20. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea.* Apoc. 17: 7. *dicam tibi sacramentum mulieris.* Notum est autem, solere signum nomine rei significatæ appellari.

4. De nomine *sacramenti* ut conqueramur, intempestivum est; postquam id invaluit. Præstitisset tamen nomenclaturam Scripturæ retinere. Ea appellat *signa fœderis*, ut Gen. 9: 12. 13. 17: 11. quod perinde est, atque si diceret, testimonia & pignora amicitiæ Dei. Unde &

Paulus Rom. 4: 11. ea appellat *sigilla justitiæ fidei.* Nam, quod de uno signo dicit, id de omnibus similibus signis dici à nobis debet. Petrus 1 epist. c. 3: 21. appellat baptismum (signum aliquod fœderis) ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως εἰς θεὸν, hoc est, firmamentum animi sibi bene de fide, de amore & timore Dei conscii, ad fiduciam interrogandi & conveniendi Deum, tanquam Deum suum, & in eo gloriandi. In quo loco distinguendum est ἐπερώτημα ab ἐπερωτήσει. Illud enim firmamentum datum ad libertatem stipulandi, hoc stipulationis actum significat. Dicuntur etiam *signa* simpliciter, sed quæ Deus videns, velut notam suorum filiorum, eos, qui eis signis utuntur in fide, curet & eis parcat. Exod. 12: 13. *Et erit sanguis ille vobis in signum in domibus, in quibus vos eritis; & videbo sanguinem, & prætеribo vos, & non erit in vobis plaga.* Item signa divini beneficii. ut Exod. 31: 13. *Sabbata mea observabitis. Nam signum hoc est inter me & vos per generationes vestras, ad cognoscendum, quòd ego Iehovah sanctifico vos.* Sic Ezech. 20: 12.

Sacramenta quid?

5. Ex se sunt res terrestres, στοιχεῖα τοῦ κόσμου, habentes analogiam cum re aliqua cœlesti, à qua pendent benedictiones Dei. Quam rem cœlestem ob oculos ponere apta sunt ad considerationis incentivum, intelligentiæ compendiosam claritatem, & memoriæ adjumentum. Unde rectè Augustinus, *Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent.* ad Bonif. ep. 23. Si enim omnino destituerentur convenientia & similitudine, non possent esse sacra symbola sive signa. Nam sacramenta in specie vocant sacra signa.

Analogia non facit sacramentum, sine verbo.

6. Neque tamen per analogiam illam sunt sacramenta: nisi accedat verbum. Quum enim illa *mundi elementa*, aut *elementa terrestria* (ut loquitur Paulus Gal. 4: 3. 9.) sunt ἐν ῥήματι *in verbo* (Ephes. 5: 26.) nempe Dei, & ei includuntur, sive per illud traduntur, tum fiunt *sacramenta* sive *res sacra*, & nominatim sacra signa spiritualis & invisibilis rei (qualis est confœderatio & communio cum Deo, & illius causæ ac effecta) τοῦ μυστηρίου τῆς εὐσεβείας *sacramenti pietatis* (1 Tim. 3: 16.) τῆς καινῆς *Testamenti.* Luc. 22: 20. Unde illud Augustini celebre dictum: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Hoc verbum est *vocatio cœlestis*, quam Irenæus etiam *rem cœlestem* nominat; ex qua *re cœlesti* & terrestri dicit sacramenta, nominatim Eucharistiam, constare. lib. 4. cap. 34. *Qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia,*

ex

ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. nempe terrestri elemento & vocatione cœlesti.

7. Verbum, quod facit elementum esse sacramentum, non est id verbum, quo mysterium pietatis explicatur; etiamsi in ea explicatione usurpetur parabola sumta à re exteriore, aut res spiritualis per ænigma in metaphora indicetur: ut quum dicitur, *Caro mea revera est cibus*: aut, *Nemo potest intrare in regnum cœlorum, nisi regeneretur ex aqua*: aut, *Hic est, qui venit in aqua*, & sim. Nam id verbum non facit panem sacramentum, aut aquam; sed tantùm analogiam panis & aquæ cum re spirituali αἰνίττεσθαι. Sine tamen hoc verbo nullus est usus sacramenti. Nam ad illius commemorationem, quod per verbum proponitur, & applicationem boni in eo propositi, sacramentum institutum est: &, absque eo verbo esset, nihil sacramenta significarent, nihil nobis facerent in mentem venire, nullius rei annunciatio essent, nihil obsignarent. Sed elementum verbo annexum fit *visibile verbum*: ut dicit Augustinus. Quare infelices fuerunt Judæi servientes signis, vel non ut signis, vel nescientes quid significarent, quum verbum Dei, per quod viverent, non maneret in ipsis. De qua re August. de doctr. Christ. 3. 9. *Quale verbum requiratur ad sacramentum?*

8. Verbum, quo elementum seu *species* visibilis (ita enim veteres Latini appellabant ipsa terrena sacramentorum corpora) mutatur in sacramentum, est id, quo Auctor fœderis vice rei spiritualis, cœlestis, invisibilis tanquam sigillum, arram & pignus *substituit* rem terrenam, corpoream, visibilem, natura aliquo modo analogam; & pro *signo fœderis* tradit; jubetque in fide ac dignè tanquam signum fœderis recipi. Hoc verbum est *vocatio Dei* Irenæo: & hæc *mutatio*, quæ per illud fit, à Scriptoribus Græcis appellari consuevit μετασυνχειωζις, μετασποιζις, μεταρρυθμιζις. quorum primum vocabulum Latinè dicitur *transelementatio*, vel, (ut credibile est priores innoxiè locutos) *transsubstantiatio*. quia substantia pro substantia substituitur, ejusque vicaria fit. Quam vocem non intelligentes posteriores mira de conversione reali substantiæ unius in alteram sunt nugati. Igitur verbo declarationis divinæ & mandati fit, ut res terrena non quidem desinat hoc esse quod est (si enim id esse desineret, periret analogia, & sacramentum sive sacrum signum amplius esse non posset) sed incipiat esse res *spiritualis*, 1 Cor. 10: 3. 4. hoc est, signum πνευματικοῦ & δηλωτικὸς τῶ *spiritus aliquid significantis*, Hebr. 9: 8. & accipiant novam nomenclaturam, nimirum.

rum rei spiritualis significatæ, à cujus communione justitia & vita æterna pendet. August. ad Bonif. ep. 23. *Sacramenta ex similitudine plerunque ipsarum rerum nomina accipiunt.* ut, verbi causa, quemadmodum corpus Christi revera est cibus sive panis, hoc est, per fidem manducatur, sive assumitur, ut credens ejus particeps sit; ita panis fiat corpus Domini, hoc est, ejus loco & vice nobis detur ad certitudinem illius κοινωνίας sive participationis, quam habemus per fidem; ut liceat nobis in fide de ea gloriari & Deo gratias agere.

Actio ceremonialis in sacramento.

9. Ad elementum terrestre pertinet etiam actio ritualis, qua id ad ampliorem significationem certo modo tractatur. Ita in baptismo non tantùm est aqua, sed & ablutio sive aspersio; in Cœna panis & ejus fractio ac comesio; vinum & ejus bibitio, &c. Omninò autem signum, quantum est, visibile esse oportet. Nam alioqui signum esse non potest: quod quidem à verbo distinguatur.

10. Quia Auctor fœderis non semper immediatè symbolum tradit, sed etiam fidelibus utendum commendavit, ad rectum ejus usum requiritur professio sive declaratio eorum, qui administrant & utuntur, se præcepto Auctoris sacramenti fungi velle. Ita in nomine Domini sacrum ritum celebrant. Atque ea est recta intentio tum ministri tum utentium, quaproponunt facere, non, quod facit Ecclesia (quasi illius sit summa auctoritas) sed quod Dominus jussit facere. Alioqui erit actio sine fide: quæ fides sine cognitione fœderis & cum erronei fundamenti positione nulla esse potest. Quod si tamen in ministro fides, quam profitetur, non sit, aut etiam is oscitanter & alienata mente faciat, quod facit, fidelis utens symbolo secundùm institutionem dominicam, & Christum respiciens ac verbum ejus, fructu sacramenti non fraudatur. Qua in parte Pontificii, virtutem sacramenti alligantes ministri intentioni faciendi quod facit Ecclesia, sacrilegium & committunt & idololatriam: dum gratiam & fœdus Dei alligant voluntati humanæ, & fideles ei subjiciunt tanquam divinæ, & eos privant certitudine consolationis, quòd à Deo acceperint signacula justitiæ.

Sitne hominis dare potestatem sacramenta conficiendi?

11. Et, quamquam per eos, qui vocati sunt ad Ecclesiæ διακονίαν, etiam sacramenta debeant administrari & verba sacræ actioni apta præiri, non tamen est hominis ullius, ne totius quidem Ecclesiæ, cujus est eligere & approbare ministros, etiam potestatem tribuere sacramenta conficiendi. Imò sunt duo retinacula iniquitatis, Concessio potestatis & Intentio potestatem habentis.

12. Sa-

12. Sacramenta in universum sunt signa fœderis inter Deum & homines, hoc est, pignora visibilia divinitus homini data, quibus in bona conscientia fretus, à Deo petere & exspectare possit, quod in pactione fœderis promisit. Quia autem fœdus duplex est, etiam sacramenta variant. Et de sacramento quidem fœderis operum supra actum est cap. 23. *Sacramenta fœderis gemini.*

13. Fœdus gratiæ, præsupponens Testamentum (sive Consilium Dei, Patris & Filii, de hæreditate cœlesti & spirituali gentium danda per fidem iis, quos Pater dedit Filio & pro quibus se sponsorem stitit Filius, ut eos à morte redimeret & regnum eis in se impetraret, per obedientiam suam usque ad mortem crucis) conscisci-tur ex parte Dei præcepto μετανοίας & fidei in Christum Servatorem, cum promissione gloriæ in eodem; ex parte hominis ὁμολογίας & πίστως. quæ, tanquam effectus meriti Christi, & organum unionis cum ipso, eâ obsignatam habentibus conscientiam dat fiduciam sperandi vitæ & mundi hæreditatem in Capite. *Sacramenta fœderis gratiæ accommodata temporum diversitati.*

14. In hoc fœdere distincta sacramenta sunt, accommodata diverso statui Ecclesiæ, κατὰ τὴν οἰκονομίαν τῶν καιρῶν *secundùm administrationem temporum.* Eph. 1:10. Antequam enim Christus venisset, fuerunt sacramenta promissioni & *tempori Prophetico* (ut August. loquitur ad Jan. cap. 1.) convenientia, figuræ vaticinantes, σκιαὶ μελλόντων *umbræ futurorum*, Col. 2: 17. nempe partim *ante legem*, quum *peccatum erat* quidem (necdum expiatum) *sed non imputabatur*, sive, cùm ejus ratio non habebatur, Rom. 5: 13. quando Ecclesia habebat aliquam libertatem, Gal. 4: 23. 31. puta *sacrificia* liberæ usurpationis; quibus adjuncta est in diebus Noë *aqua diluvii*, 1 Petr. 3. vers. 20. 21. &, cum promissione non inducendi iterum diluvii, in signum tolerantiæ & misericordiæ, (Es. 54:9.) iris. Gen. 9:13. 14. 15. 16. 17. 18. denique cum appropriatione promissionis ad semen Abrahami *Circumcisio*. Gen. 17. quam Bellarminus ineptè vocat Sacramentum legis naturæ. Non enim est sacramentum illius legis, quæ unicuique homini naturâ nota est; nempe ejus, quæ dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Quanquam ὕστερον loquutionem non bonam possimus bene interpretari: nempe, quòd fuerit sacramentum legis fidei sive potiùs fœderis Dei, quo justitia ex fide accipitur; cui nulla fuit adjuncta νομοθεσία καὶ δογμάτων *legislatio de placitis.* Legem autem fidei & μετανοίας *resipiscentiæ* commendat unicuique conscientia, audita indicatione divini Testamenti.

15. Na-

Differentia sacramentorum. 15. Natura omnium sacramentorum eadem est, & scopus idem. 1 Cor. 10: 1. 2. 3. 4. nisi quòd posteriora plus claritatis habent, & sunt πλήρωσις, & adjuvant *spem meliorem, per quam approximamus Deo.* Hebr. 7: 19.

Sacramenta quadam quomodo dicantur ἱλασμοί. 16. Quanquam autem & priorum quædam, ut sacrificia certa, ἱλασμοὶ *expiationes* vocitarentur, vis tamen ad peccata abolenda in illis nulla fuit; sed partim præbuêre conscientiæ fidelium consolationem de remissione peccati ad spem gloriæ in posterum propter Filii Dei interces sionem & virtutem sacrificii futuri; partim in præsens, tanquam signacula fœderis, eos sanctificabant ad carnis puritatem, ut in terra illa & externorum sacrorum participatione tolerarentur. Hebr. 9: 13.

Sacramenta Novi Testamenti non sunt causæ sanctificationis aut justificationis. 17. Similiter & Novi Testamenti sacramenta nec sunt causæ sanctificationis aut justificationis; nec conditiones ejus: sed sunt signa fœderis per gratiam Spiritus sancti partim invitantia ad fidem, qua confugimus ad Christum, & eam moraliter operantia ad communionem cum ipso; quatenus cum verbo sunt apud Ecclesiam & docent, in quo nomine oporteat salvari: partim in fide post explorationem sui utentibus, cum verbo consolationis ad singulos fideles, quod in Scriptura extat, pro Deo ipsis respondente conscientia ipsorum, Psalm. 27: 8. 1 Joh. 3: 21. Rom. 5: 5. fiunt efficax adminiculum spei, expectantis à Deo coronam vitæ in Christo. Atque hoc modo dicuntur σώζειν *salvare*, quia sunt ἐπερωτήματα & præbent stipulationem de salute. Itaque, ubi Deus sacramenta non dat, & fidem dat, nihil deest ad salutem, non contemnenti. Nam sacramenta Novi Testamenti non minuunt libertatem, sed adjuvant.

Opus operatum. 18. Revera igitur sunt *sigilla justitiæ fidei:* neque habent efficaciam, nisi objectivam & moralem, hoc est, vim significandi, commemorandi, certiorandi, &, propter veritatem Dei, sistendi bona spiritualia promissa. qui autem dicunt, sacramenta qualiacunque *ex opere operato* sanctificare, sive putent, virtutem creatam indi sacramentis, per quam ceu per causam instrumentalem dispositivam conferatur gratia; sive motum imprimi; sive divinam virtutem assistere, quæ operetur effectum ad prolationem verborum super materia debita; sive etiam ex pacto tanquam conditiones requisitas aut causas morales (ut Becanus vult) adducere gratiæ effectum: Testamentum mutant, & φαρμακείαν in religionem Christianam introducunt, ut existimentur Sacerdotes esse θαυματοργοί.

19. Quum

19. Quum soli fœderis Auctori competat sacramenta instituere, temere fecerunt, qui ad ea addiderunt cerimonias, per quas nescio quid docerent, avocantes populum à meditatione institutionis dominicæ; diabolo dantes ἀφορμὴν religionem in histrioniam & φαρμακείαν convertendi & Ecclesiæ imponendi jugum. Quod imponit Concil. Trid. dum sancit, eas sine peccato omitti non posse. *Cerimoniæ temere ab hominibus adduntur sacramentis.*

20. Habent præterea Sacramenta usum insignem ad 1. confessionem singulorum provocandam. 2. ad contesserandam fraternitatem. 3. ad propagandam doctrinam Christianam, & traditionis illius historiam tum conservandam tum extra dubitationem collocandam. Non enim possunt sacramenta Dei sine verbis institutionis & scriptura, eorum promptuario, celebrari. Ex quibus ipsis Satanæ quisquiliæ, ad ea conspurcanda inventæ, redargui possunt. Ita divina sapientia vincit Satanæ versutiam. 4. ad ostendendum nucleum ejus doctrinæ & fundamentum, in quo omnia concentrantur, sine quo omnia collabascunt & evacuantur. Quare, ut in sancto usu eorum est salutare fidei & invocationis & glorificationis & charitatis & resipiscentiæ exercitium, ita in contemtu & neglectu secuto fœderis divini ἀθέτησις *rejectio*. Impressio characteris indelebilis figmentum est, comparatum ad obscurationem obsignationis per Spiritum Dei. de qua est 2 Cor. 1: 22. *Usus sacramentorum alii.*

CAPUT LIII.

De Sacramentis, quæ fuerunt ante Legem, in specie.

Primum, quod Deus circa sacramenta egit cum Adamo, hoc est, Ex Paradiso eum exegit & aditum ad Arborem vitæ ei intersepsit. ne scilicet manum extenderet ad Arborem Vitæ, & de ea comederet, putans, eam sibi conciliaturam vitam æternam. Nam ironicè locutum esse Deum Genes. 3: 22. & per μίμησιν stultæ cogitationis humanæ, satis clarum est: quemadmodum & illud: *Factus est ut unus ex nobis.* Duobus autem modis poterat homo per stultitiam impelli ad comedendum de arbore vitæ. 1. Si putaret, ex opere operato vitam per illam dari. 2. Si sibi aliquando, operibus nonnullis quomodolibet factis, justitiam ex iis arrogaret, & sacramentum justitiæ operum invaderet; aut, Deum justificare peccatorem ex operibus, crederet. Nam Arbor Vitæ non poterat separari ab eo Verbo, quod primitus audivit Adam, & ab ea *Adamus ex Paradiso ejectus.*

conditione vitæ, quæ Adamo primitùs lata est. Quanquàm alioqui potuerit & paradisus peccatori pro pignore vitæ assignari, & Arbor vitæ ut symbolum Christi, qui vocatur *Arbor vitæ, quæ est in paradiso Dei*, Apoc. 2: 7. Sed, quia paradisus cum Arbore vitæ in statu rectitudinis sub lege operum jam sacramenti aut pignoris munere functus erat, non voluit Deus confusione sacramentorum aut ejusdem sacramenti ad alium usum vocatione σκῆφασιν aut occasionem præbere confundendi fœdera: sed potiùs adimendo id pignus & symbolum ostendere, ex alio fœdere vitam ac justitiam quærendam exspectandâmque esse. Quare & gratiæ ac bonitatis Dei, peccatori viam monstrantis, fuit, Adamum ab illa via, interposito gladio Cherubi, arcere. In quem impegerunt Judæi quærentes legem justitiæ, quam non invenerunt; quia per opera & non per fidem. Rom. 9: 31. Qui, auditâ adjuratione, non cogitarunt de cordis sui pravitate, sed sibi benedictionem vindicarunt pacemque promiserunt sequentes cogitationes cordis sui. Deut. 29. v. 19. Omnes homines absterret ab illa via justitiæ insistenda maledictio, quæ consequitur peccatum & proposita est non manenti in fœdere Dei. Gal. 3: 10. Ira Dei gladius vocatur ab Ijobo cap. 19: 29.

Oblatio Caïni & Abelis.

2. Deinde oblationes offerri cœptæ sunt. Cajin & Hebel uterque obtulit מִנְחָה δῶρον. Gen. 4: 3. 4. Et legitur Noachus de omni animali puro holocausta in altari obruliſſe. Gen. 8: 13. Non fuisse eam ἐθελοθρησκείαν & voluntarium aut hominis placito constitutum cultum, extra dubium esse debet. Nihil enim tale Deo placet. Qui consilium ab homine non accipit. Sed, quum, suasore naturali lumine, in conspectu Dei precabundi posuissent, Cajin suas fruges & fructus terræ; Hebel autem adipes pecoris; gratias scilicet agentes Deo pro donis suis: Deus ad Habelis donum respexit, hoc est, aliquid fecit, quod & Cajin observare potuit, quo testaretur, sibi munus Habelis, in fide oblatum, gratum esse: quod vix esse aliud potuit, quàm ἐμπυρισμὸς sive inflammatio doni per cœlestem ignem. Psalmus 21: 4. quum dicit, *Recordetur omnium munerum tuorum, & holocaustum tuum incineret*: significat, Id holocaustum à Deo ut gratum accipi, quod misso cœlitus igne consumit. Ita initiavit Deus altare tabernaculi. Levit. 9: 24. & altare à Davide extructum in area Araunæ 1 Chron. 21: 26. Ita respondit Eliæ. 1 Reg. 18. v. 24. 37. 38. Facile autem fuit animadvertere, pecudem puram igne accensam cœlitus habere analogiam carnis per Spiritum & ardo-

ardorem charitatis consumtæ. quæ est Christi charitas & obedientia. ut est Psalm. 69: 10. *Zelus domûstuæ devoravit me.* Quod quum in re ipsa non esset obscurum, non est mirum, Deo id symbolum sic initiante, sanctos, illuminante eos Spiritu sancto, id in fide frequentasse, & holocausta in recordationem promissionis de semine, cui Satanas contriturus esset calcaneum, quodque per charitatem seipsum in calce conterendum exhibiturum esset, coram Deo in altari accendisse. Quod alii multi sine dubio non in fide imitati sunt. Unde sacrificia in omnibus gentibus fuerunt usurpata. Inter Israëlitas, quum educerentur ex Ægypto, fuisse delectos sacerdotes, apparet ex Exod. 19: 22. Et, solitos fuisse offerre tum holocausta, tum pacifica, apparet ex Exod. 20: 21. Tunc nullum adhuc præceptum datum erat de sacrificiis. ut etiam testatur Jeremias c. 7: 22.

3. Diluvium, quo servatus fuit Noachus ipse octavus, inter typos referre cogimur, quia & convenientiam habet cum salvatione, quam ostendit promissio, & S. Petrus ei facit baptisma nostrum ἀντίτυπον, quod significat correspondentem figuram, ad idem tendentem. Quæ extra ordinem gesta sunt vetustis temporibus, & similitudinem habuerunt mysterii per promissionem indicati, in iis ea convenientia animadvertenda fuit. Quæ enim Deus sic facit, ea sine dubio eo fine sic facit, ut fides promissionis confirmetur. Nam non potuit Deus non cogitare de ea convenientia, &, quòd ea cogitationem de mysterio posset commovere, aut frustra velle eam cogitationem in homine excitari. Proinde videtur Deus per illa facta quasi denuò idem loqui, quod verbo indicavit antea. Ergo & nobis in diluvio hæc convenientia cogitanda est. Aquæ mortificantes omnem carnem elevaverunt arcam & eos, qui erant in arca. Mors Christi, quæ est mortificatio carnis, extollit eum ad vitam (nam moriendo consecutus est, ut justificaretur per resuscitationem) & eos, qui in ipso sunt. Et, ut arca Noacho fuit fiducia ad spem vitæ per verbum Dei; ita etiam nostra mors; qua assimilamur Christo morienti, nobis est fiducia ad spem vitæ per verbum fidei. *Diluvium.*

4. Noacho & filiis ejus Deus etiam Arcum, sive Iridem dedit in signum fœderis sive promissionis de non inducendo amplius diluvio. Genes. 9: 14. 15. 16. 17. Et in visionibus quibusdam Iris ostensa est symbolum gratiæ & longanimitatis Dei. Fallor? an colores iridis, ruber, igneus & viridis, significant, per sanguinem *Iris.*

fieri mixturam sanctitatis & misericordiæ, ut utraque manifestata per sanguinem fusum Deum faciat nobis & venerabilem & amabilem ob utramque?

Circumcisio. 5. Abrahamo justificato per fidem Deus dedit *signum Circumcisionis sigillum justitiæ fidei.* Rom. 4: 11. sive, quod idem est, *signum fœderis inter Deum & ipsum:* cujus vi Jehovah futurus erat ipsi & semini ipsius in Deum. Gen. 17: 4. 6. 11. *Patrem multitudinis gentium dote. — Et constituam fœdus meum inter me & inter te & inter semen tuum post te in generationes eorum in fœdus seculi, de eo, quòd futurus sim tibi in Deum & semini tuo post te. — Et circumcidetis carnem præputii vestri: & erit in signum fœderis inter me & inter vos. Et filius octo dierum circumcidetur vobis omnis masculus in generationes vestras.* Renovatæ promissioni novum signum additur. Quod olim de *semine mulieris* dicebatur, id nunc de *semine Abrahami* dicitur. Olim mulier constituta est *mater omnis viventis*, hoc est, Salvatoris & salvandorum: hîc constituitur Abrahamus pater & seminis, in quo est salus, & seminis, quod salutis particeps futurum erat: quod erat partim ex ipsius lumbis oriturum, partim per communionem spiritus filii ipsius Redemtoris unum cum ipso & semine ipsius futurum; quod omne semen ipse visurus erat vi promissionis ipsi factæ, & jure fidei in promissionem; quodque in vestigiis fidei ipsius ambulaturum erat, ita ut exemplum fidei ipsius ipsis esset semen aliquod regenerationis.

6. Ut verò cognoscamus mentem illius Signi, necesse est, etiam alias partes promissionis, quam Abrahamus accepit, non præterire. Nempe promisit Deus Abrahamo, se ipsi, hoc est, semini ipsius carnali, non omnibus ipsius filiis, sed certis, nempe ex Isaaco genitis (qui ne ipsi quidem omnes hujus dignationis hæredes extiterunt) daturum esse terram peregrinationum Abrahami, & tandem aliquando multiplicaturum ipsius semen, velut stellas cœli, quæ ab homine numerari non possunt, & in toto mundo conspiciuntur, ut vid. semen Abrahami conspiciatur similiter in toto mundo, ut sidera cœli conspiciuntur in toto mundo. Quò spectat verbum, quod legitur Gen. 14: 14. 15. 16. *Leva oculos tuos & vide à loco, ubi tu es, versus Aquilonem & meridiem & ortum & ad mare. Nam totam terram, quam tu vides, tibi dabo & semini tuo in seculum. Et ponam semen tuum, ut pulverem terræ, adeò ut, si quis possit numerare pulverem terræ, etiam semen tuum numerandum sit.* Quod tam magnificè dictum in plenitudine sua non fit verum & ratum, nisi quando Abrahami semen totum orbem obtinet.

7. Hoc

7. Hoc suppositio, considerandum est, quid Circumcisio valuerit significare. In universum ablatio particulæ carnis significat ablationem carnis (intellige σαρκικὴν sive ejus statûs, in quo homo *carnalis* est & dicitur) & ejus, quod à carne est. Quæ vocatur ab Apostolo περιτομὴ ἀχειροποίητος *circumcisio non manufacta*, Col. 2:11. Neque nos alio ordine eam Circumcisionem, quæ non fit manu, in specie enumerabimus, quàm quo Apostolus eam enumerat dicto loco. I. Res est homini fideli cum carne contra spiritum concupiscente, sive cum *corpore peccatorum carnis*, hoc est, corporis membris scandalisantibus & irritantibus ad peccata, quæ sunt non Spiritûs id templum suum facientis, sed *carnis*, & reliquiarum vetusti hominis. Ab eo igitur certamine liberari est Circumcisio quædam. Quæ fit, quum deponitur & exuitur corpus peccatorum carnis: nempe in morte. Tunc autem & lucta cessat, & spiritus est vita, propter justitiam. Rom. 8:10. Tunc vivit homo (quoad spiritum sive mentem) Deo, qui etiam post mortem fidelium Deus eorum appellatur. Hic igitur primus ingressus est in gloriam. nempe in consummatione spiritûs. II. Quia tamen corpus tum nihil sentit, sed in pulvere jacet, altera accedit Circumcisio à morte corporis & pulvere, nempe per resuscitationem carnis ad participationem gloriæ. quemadmodum & Christus resurrexit è mortuis. III. Ut autem homo hanc gloriam sperare possit, necesse est eum regenerari. 1 Petr. 1:3. *Qui regeneravit nos in spem vivam.* Hanc Apostolus vocat *vivificationem ex morte in delictis & præputio carnis.* Colos. 2:13. Hæc circumcisio fit per Spiritum Dei. Et, qui hujus circumcisionis participes sunt, arrhabonem Spiritus in se habent. Nempe, qui per fidem & amorem Dei corda sua circumciderant, iis hoc sacramento obsignabatur, Deum per Spiritum suum ipsorum corda circumcidisse. Abrahamo autem, ut patri, etiam circumcisio cordis filiorum promissionis & eorundem vivificatio ex morte delictorum ac præputio carnis obsignabatur. IV. Cum regeneratione autem sive dono fidei etiam justitia & condonatio peccati accipitur. V. Quandoquidem Abrahamo non fuit datum videre diem Christi, quamdiu in carne ambulavit, atque ita reatus aboliti annunciationem audire non potuit; & futurum erat, ut semen ejus subjiceretur legi præcepti carnalis: necesse fuit in Circumcisione etiam intelligi abolitionem reatus per sanguinem Christi, & liberationem à jugo præcepti carnalis & servitute, atque ita principibus & potestatem

Circumcisio dignoscitur.

habentibus, qui semen Abrahami erant servituti subjecturi. De qua Circumcisione agit Apostolus Col. 2. v. 14. 15. Et eam potissimùm innuit Moses Deut. 30: 6. *Et circumcidet Dominus cor tuum & cor seminis tui, ad diligendum.* q. d. Postquam illa evenerint, tum denique dabit vobis quandam Circumcisionem cordis, quam usque ad illud tempus non dederit. nempe dabit vobis Spiritum adoptionis filiorum per fidem (Gal. 3: 14.) Euangelii de redemtione facta, peccato & reatu abolito, justitia adducta, pace facta, jugo sublato, libertate impetrata, hæreditate gentium acquisita & emta. Cui enim Spiritus fidem Euangelii dat, eum facit filium, & appellat filium, & à servitute revocat, & lætitia implet, ad amandum ἀφόβως sine timore. Spiritus enim eam fidem operans est *Spiritus gratiæ*, Zach. 12: 10. & υἱοθεσίας *filiationis*. Hos. 2: 1. Et hæc Circumcisio omnis intelligitur in promissione, qua dixit, *Fiam tibi in Deum.* pro quo aliâs dicit, *Ego sanctifico te.* Exod. 31: 13. Lev. 22: 32. quod non tantùm ad præsens spectat, sed & ad futurum tempus, ut res ipsa indicat. q. d. Ego, qui jam te regeneravi & sanctitatis meæ participem feci, etiam sum justitia tua, & aliquando hoc faciam, quod fieri necesse est, ut reatus aboleatur, justitia prædicetur, maledictio omnis cesset, benedictio omnis impetretur: denique te implebo ut sancta voluntate ita summa lætitia in vita & gloria. *Ego* quippe sum *clypeus tuus*, & *merces tua est magna valde.* Gen. 15: 1.

Pueri cur circumcidendi?

8. Hoc signum voluit Deus etiam à pueris gestari. Hoc est, Deus voluit, ut parentes circumciderent infantes suos. Nempe, quia habebant promissionem de semine suo (quòd Jehovah illi futurus esset in Deum) voluit Deus, ut in corpore seminis sui acciperent hoc signum, ut ostenderent, quam spem haberent de semine suo; & à quo benedictionem ejus exspectarent; & spes illorum de iis ipsis confirmaretur. Non quidem ita, ut absolutè certi esse possent, singulos de semine futuros benedictionis hæredes (Nam & Abrahamo non est datum, ut sciret, an Ismaël victurus esset coram Deo: quanquam is circumcidendus fuit. Gen. 17: 18. 19. 20. 21. 23.) sed tamen, quòd 1. certi esse possent de seminis salute, si moreretur ante tempus, quo fœdus Dei rejicere posset. 2. certam spem haberent, se visuros esse semen, sive ex lumbis suis, sive per exemplar fidei & vim promissionis.

Octavo die cur facienda circumcisio?

9. Circumcisio in parvulis debuit fieri octavo die. nempe octavus dies nativitatis, quo homo à Sole conspiceretur, substitutus est in

in ſpirituali δηλώσει ad notandum diem primum ſequentis ſeptimanæ. Ut intelligeretur, eam circumciſionem, qua conſcientia peccatoris purificaretur & abſolveretur à reatu, futuram primo die ſeptimanæ. Ea facta eſt per reſuſcitationem Chriſti ex mortuis. Rom. cap. 4. verſ. 25. *Reſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtri.*

LOCUS DECIMUS OCTAVUS
DE
Conſilio aſſumendi filios Iſraëlis in populum, omiſſis gentibus, & ejus executione.

CAP. LIV.
De Veteri Teſtamento.

Iam ſupra cap. 36. *conſilium* Dei *de duplici Oeconomia* breviter expoſuimus. Hic locus poſtulat quandam ibi dictorum enucleationem & ampliorem declarationem eorum, quæ ibi breviùs tractata ſunt.

2. Promiſit Deus Abrahamo inter cætera, ſe ipſius ſemini daturum terram peregrinationis ejus; nempe terram Canaan. Gen. 12. v. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Vide & Gen. 15: 7. 18. 19. 20. 21. 17: 8. Ea promiſſio hoc vocabulo indicatur Gen. 15: 18. *Iehovah pepigit fœdus, quòd illi daturus eſſet.* Quo ſignificatur, Deum id addixiſſe Abrahamo, ut id, tanquam ex fœdere & pacto, expectare & petere poſſet. Notum autem eſt, ſolere Scripturam Novi Teſtamenti talem declarationem propoſiti à nulla conditione ſuſpenſi & addictionem boni vocare Διαθήκην *Teſtamentum.* nempe, quia Propoſitum tale Teſtamenti ſimilitudinem habet. Unde & Apoſtolus Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ θεοῦ εἰς Χριστὸν *Teſtamentum antè ratificatum à Deo in Chriſtum* nominat conſilium benedicendi gentes in ſemine

Origo Veteris Teſtamenti.

Teſtamentum.

semine Abrahami, atque ita per fidem in Christum justificandi. Gal. 3: 15. 16. 17. collato v. 8. Quod consilium per *promissionem* & fidem Abrahami, & circumcisionis signaculum transiit in firmitatem fœderis, & ratificatum fuit: præterquam quod in seipso immutabile erat.

3. Ergo etiam *Testamentum* appellat voluntatem & propositum, qua constituit filiis quibusdam Abrahami, ut populo suo, dandi hæreditatem terræ Canaan, velut terræ suæ. Nam hoc est, quod *Vetus Testamentum* appellatur passim. *Vetus*, quum aliud ei successisset *Novum*: *Prius*, quatenus *secundum* aliquod est, quod posteriùs exsecutionem habet. Quæ distinctio divini Testamenti non significat mutationem divini propositi, sed duas partes unius consilii de filiis Abrahami. Quas partes alicubi conjungit Scriptura, ut Gen. 17: 8. *Et dabo tibi & semini tuo terram peregrinationum tuarum, &* (q.d. tunc) *fiam ipsis in Deum*, hoc est, tunc faciam id, quod necesse est fieri, ut me Deum suum, justificatorem & glorificatorem suum, cum gloria mea nominare possint; & ipsi me nominabunt Deum suum, & alios deos non nominabunt, & dabo illis hæreditatem mundi, ut tibi dixi, *Patrem multitudinis gentium do te*. Hoc *illis* præstabo, ut id videant & factum audiant. Et sic Deut. 30: 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Et fiet, quum evenerint tibi omnia illa, benedictiones & maledictiones, revocabis ad animum tuum in omnibus gentibus — & reverteris ad Iehovam — & restituet Iehovah jacturas tuas — & deducet te in terram — & hæreditabis eam, — & circumcidet cor tuum.* Quod repetit & explicat Jeremias cap. 3: 16. *Et fiet, quum multiplicabimini & fructificabitis in terra, in diebus illis, ait Iehovah, non dicent amplius, Arca fœderis Iehovæ, neque ascendet in cor, neque recordabuntur eam, neque desiderabunt, neque fiet ampliùs. In illo tempore vocabunt Hierosolymam Solium Iehovæ, & congregabuntur ad eam omnes gentes ad nomen Iehovæ Hierosolymam, neque ibunt ampliùs post firmitatem cordis sui mali.* Ex quibus liquet, duas esse partes consilii Dei de filiis Israël, quas & Apostolus vocat δύο Διαθήκας *duo Testamenta* Gal. 4: 24. & primam partem, quæ priùs exsecutioni mandatur, posse vocari *prius Testamentum*, alteram verò *Testamentum alterum*, &, quum ejus agendi tempus venit, *novum*. Quæ vocabula, quum in sermone Apostolico sint frequentia, aliter accipi non possunt, quàm vox Διαθήκη vulgò non modò apud Græcos, sed etiam apud Judæos intelligebatur. Iis enim familiare est בְּרִית *diatiki*, significans *Testamentum*. quod definiunt; verbum,

de

de quo dicitur, יְהִי־כֵן אָמֵן *Hoc ſtet, ratum ſit & fiat.*

4. Quod igitur prius Teſtamentum attinet, id eſt propoſitum Dei, quo conſtituit filios Iſraëlis eductos è medio populi, nempe ex Ægypto, idque valida manu & cum multis ſignis, introducere in terram Cananæorum, eamque ipſis pro hæreditate attribuere. Ita declarat Abrahamo, Gen. 15: 13. 14. 15. 16. *Pro certo habeas, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua. & ſervient illis, & ſuppriment eos, ad quadringentos annos. Atque etiam ego gentem, cui ſervient, judicabo; & poſtea exibunt cum poſſeßione multa. Et tu venies ad patres tuos in pace, ſepelieris in canicie bona. & ætate quarta revertentur huc: quia non conſummata eſt pravitas Amorræorum uſque hactenus.* *Veteris Teſtamenti explicatio.*

5. Eam autem terram voluit Deus conſiderari ut terram ſuam, terramque adeò ſanctam, in qua ipſe habitare propoſuerit & ſe manifeſtare ipſis ut populo ſuo. Ita dicit Exod. 19: 4. *Vos vidiſtis, quod feci Ægyptiis, & quòd vos tulerim in alis aquilinis, & deduxerim vos ad me.* Et populus id recognoſcit Exod. 15: 13. *Duxiſti per gratiam tuam populum, quem vindicaſti, egiſti robore tuo ad habitaculum ſanctum tuum.* Terram, in quam ducebantur per mare rubrum, vocant *habitaculum ſanctum Dei.* Et ita Hoſ. 9: 3. ea terra vocatur *terra Iehovæ.* Et Amoſ. 7: 17. *Terra impura* dicitur, quæ non eſt terra Iſraëlis. Ratio autem, quare Deus eam terram hoc nomine dignatus ſit, probè conſideranda eſt. Non poteſt negari, eam vocari *hæreditatem populi.* Atqui nulla terra poteſt haberi pro vera hæreditate populi Dei & filiorum ejus. Si nihil aliud habent exſpectandum à Deo patre ſuo, quàm agellum aliquem; quid habent præ plurimis gentibus? & quid habent pauperes populi Dei? Hæreditas eſt inalienabilis. Hæreditas populi Dei eſt Deus ipſe. Jerem. 10: 16. *Non ut hi pars Iacobi, ſed formator omnium eſt.* Ideò & hæreditas populi dicitur habitaculum Dei, & terra ſancta. Non convenit populo Dei habere hæreditatem vacuam Deo. Atque ideò Deus voluit in medio illorum tabernaculum & domum habere. Sed, quemadmodum Deus non habitat in domibus manu factis, ita quoque terra nulla ipſius locus aut manſio eſt: qui cœlum & terram replet. Significat igitur ea terra ſine dubio, paratum eſſe Iſraëli locum, ubi Deum videant; eo nempe modo, quemadmodum in corpore & à vivente videri non poteſt; ſine cujus viſionis tamen deſiderio homo, qui non vanitatem diligit, eſſe non poteſt. Sed, quia fieri non poterat, ut peccator accederet ad Deum, nedum videret ipſum &

ipso frueretur, nisi facta pace, & justitia parata, oportuit Deum etiam in hoc seculo in medio ipsorum in terra manifestari, ut fratrem & servum, subjectum legi, ut jus accedendi ad Deum & hæreditatem beatæ illius visionis ab illo consequerentur. Erat ergo Deus & Filium suum missurus ad ipsos in ea terra positos, & eum unctarus in medio ipsorum regem & dominum, effuso Spiritu sancto. Hoc modo vidimus dictum à Jeremia cap. 3: 19. *Fore Hierosolymam solium gloriæ.* Significavit id & Deus d. l. Exod. 19: 5. 6. *Tuli vos in alis aquilinis, & deduxi ad me.* ad illum locum, ubi jam constitui vobiscum loqui, & imposterum vobiscum habitare, & me vobis familiarem reddere & vos mihi unire. *Et nunc, si auscultabitis voci meæ & observaveritis fœdus meum, fietis mihi peculium ex omnibus populis. nam mea est tota terra; & vos eritis mihi regnum sacerdotum* accedentium ad me cum grato sacrificio *& gens sancta*, sanctificata scilicet à me sanctificatore vestro. quomodo autem eos sanctificaturus esset, multis edocuit ipsos.

Deus voluit loqui cum populo.

5. Quum igitur decrevisset Deus, eam gentem habere in terra tanquam populum suum, cujus scilicet ipse rex esset; conveniens erat, ut simul voluerit cum eo populo agere, quemadmodum consentaneum est regem cum populo suo agere. Voluit igitur q. comitium cum ipsis agere, ipsos propria voce alloqui, & se ipsis quodammodo spectandum præbere.

Verba fœderis. nempe Decem verba.

6. Verba autem, quæ ad ipsos propria voce loqui voluit, sunt *verba fœderis*. Nam decem verba *fœdus Dei* nominantur. Vide Jer. 31: 32. item Exod. 24: 7. 12. 34: 6. 7. 27. Exod. 31: 18. 32: 15. 34: 29. Deut. 9: 9. 11. 15. Exod. 34: 28. Deut. 4: 13. Deut. 9: 9. 1 Reg. 8: 9. 2 Chron. 5: 10. Deut. 5: 1. 2. 3. Quæ pluribus exequimur in Summa fœderis § 338. additione XXII. in editione tertia.

Decalogi sententia. Indicat animum & propositum Dei.

7. Verba, inquam, quæ Deus ad populum ipse locutus est, declarant 1. animum Dei & propositum. quod significatur, quum dicit, *Ego sum Iehovah Deus tuus.* quod quinquies in Decalogo dicitur. Non potest autem fieri, ut eo nomine prælato non revocaretur in mentem Israëli promissio, quam Deus Abrahamo fecerat Genes. 17: 7. se futurum ipsi & semini ejus in Deum. Quod ad peccatorem dictum, ut jam monuimus, significat, Deum, non obstante peccato & reatu, ipsis daturum, ut se Deum suum nominare, & in se gloriari possint ac sibi ipsis benedicere. Vide Deut. 10: 10. *Ipse gloriatio*

riatio tua & ipse Deus tuus. Es. 45:25. *In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Es. 65:16. *Qui sibi benedicet in terra, sibi benedicet in Deo Amen.* Gen. 22:19. *Et sibi benedicent in semine tuo omnes gentes terræ.* Perspicuum est, in hoc proposito omnem *gratiam* contineri. Cujus mentio fit Exod. 20:4. *Et faciens gratiam*, h.e. exercens studium amoris. Hujus verò animi ac propositi sui certum signum, argumentum ac πκμήριον addit, quum dicit, *Qui te eduxi ex Ægypto domo servorum.* Quod non tantùm ingens beneficium est, sed etiam cum demonstratione potentiæ & gratiæ & veritatis erat effectum. juxta illud, quod antè dictum erat Abrahamo Genes. 15:13. 14. Quinetiam ostendit, se paratum jam ipsis dare terram patribus promissam & juramento addictam. Exod. 20:11. Denique promittit ævum longum & felix in ea terra. *Promissio terræ danda*

8. Quæ promissio sanè effecit necessariò in Israëlitis, ut & terram illam diligerent, & vitam longam pro singulari benedictione haberent, pacemque & incolumitatem & bonam valetudinem adamarent. Quippe illa ipsis data sunt fœderali sponsione. Unde consequitur, eos supra vulgarem modum debuisse horrere afflictiones, miserias hujus vitæ & mortem corporis; quæ Deus Adamo etiam credenti & justificato expectanda proposuerat. Genes. 3:16. 17. 18. 19. Is *timor mortis* vocatur Hebr. 2:15. Unde & spiritus, qui ipsis datus fuit, *spiritus timoris* appellatur. 2 Tim. 1:7. Nam is efficiebat, ut mortem & afflictiones ultra vulgarem modum necessariò timerent. Sed ea formido etiam aliis præceptis exasperata fuit. ut deinde dicemus. *efficit timorem mortis.*

9. Satis autem clarum est, non potuisse videri Israëlitis, bonum suum, quod à Jehovah Deo suo exspectandum haberent, in ea terra & in vitæ terrestris spaciis includi. Nam 1. conscientia dictat, ampliùs sperandum esse à Deo suo, quàm quod etiam improbi in hac terra possidere possunt. 2. Naturalis appetitus non satiatur bonis hujus terræ. 3. Non est rectum & Dei naturæ conveniens, ut non ipse melior habeatur omnibus, quæ in vita temporali possunt accidere suavia. 4. Nulla terra meretur vel terra Dei aut hæreditas populi Dei appellari. 5. Frustra fuissent, qui periclitantes de hac vita & hæreditate terrena animam suam libenter profuderunt propter amorem Dei. 6. Iniquum esset judicium, quando sæpe amantes Deum propter errata sua in mortem corporis & graves afflictiones conjecti sunt, si illi ob errores ita graviter puniti sint, *Terra pignoris data.*

ut fidei ac ſpei ſuæ fructu carere coacti ſint: contra oſores Dei feliciter ætatem tranſegerint, & nihil durum patiantur. 7. Patres habuerunt promiſſionem mercedis magnæ, quantam ſcilicet animo concipere poſſent; & tamen in terra ne veſtigium quidem pedis poſſederunt. 8. Deus eſt Deus ſpirituum, & non tantùm corporis. 9. Quod à peccato provenit, non poteſt nocere iis, qui Deum amant, aut felicitatem illorum abrumpere, aut etiam iis imponi, ut id in perpetuum ferant. Atqui mors à peccato eſt. 10. Non minus eſt bonum, quod Deus offert fidelibus, quàm quod debuit exſpectare hòmo rectus.

Stipulatio fœderalis Decalogi.

10. Porrò *ſecundò* eſt in Decalogo ſtipulatio fœderalis eadem, qua Deus etiam cum Veteribus antea convenerat & fœdus fecerat: nempe fidei, quæ per charitatem eſſet operoſa. Gal. 5: 6. ſive pœnitentiæ, cujus initium eſt fides. Matth. 3: 2. 4: 17. Marc. 1: 15. *Reſipiſcite & credite.* Idque inde apparet, 1. Quòd Deus, quum propoſuiſſet patribus verbum gratiæ, quod fidem merebatur; & ex fide eos juſtos reputaret: ab ipſis poſtulavit, ut *eſſent integri, & ambularent coram ſe.* Gen. 17: 1. quòd nihil aliud eſt, quàm ſi dixiſſet, *Convertimini ad me ex toto corde, amantes, quæ ego amo, fugientes, qua ego odi: & mihi vos miniſtros præſtate.* Tum igitur reliquit conſcientiæ explorandum & examinandum, quid Deo gratum eſſet, & quid ipſi eſſet odioſum. Neque ullum in Decalogo reperitur officium, quod vel in præcepto ſinceritatis & ambulationis coram Deo non contineatur, vel ad fidei confeſſionem non pertineat. Et enim verò, quum tale præceptum præceſſerit, quo Abrahamus juberetur eſſe *integer*, non putandum eſt, in Decalogo ullum præceptum deeſſe aut ullum gradum pietatis non contineri, qui ad integritatem requiritur. Adeò ut inde liqueat, non potuiſſe ullo tempore perfectiora præcepta dari. quemadmodum quidam fingunt. 2. Quòd omnes Prophetæ nihil prædicarunt niſi reſipiſcentiam. Quod teſtatur Zacharias cap. 1: 4. *Ne ſitis, ut patres veſtri, quibus inclamabant prophetæ priores dicendo, Sic dixit Iehovah* Deus *exercituum, Convertimini, agite, à viis veſtris malis, & ſtudiis veſtris malis.* 3. Quòd Jeremias hanc ſummam Decalogi facit c. 7: 22. 23. *Quum educerem eos ex Ægypto hòc verbum præcepi ipſis: Auſcultate mihi, & fiam vobis in Deum, & vos mihi fietis populus, & ambulabitis* vel *ambulate in omni VIA, quam præcipiam vobis, ut bene ſit vobis.* Quod quid aliud ſignificat, quàm Auſcultate & credite mihi dicenti, quòd futurus ſim vobis in Deum, &

vos

vos mihi sitis futuri populus; & in via, quæ est via justitiæ & sanctificationis, quam docebo vos, ambulate? Summatim, Credite, & fidem vestram bonis factis ostendite atque exercete. Et ita David in Psalmo 81: 9. 10. 11. *Audi, populo mi, & conteſtabor te. Iſraël, ſi audies me, non erit in te deus alius, & non adorabis deum peregrinum* (Ego Iehovah Deus tuus, *qui te fecit aſcendere ex AEgypto*) *dilata os tuum & implebo illud*, hoc est, pete à me omnia, quæ ad justitiam, ad vitam, ad pietatem faciunt, & ego illa tibi dabo. Si audies, si credes, me esse Deum tuum, si alium Deum non habebis, tuum erit petere, & meum dare. Sic enim verba conjungi possunt. 4. Quòd ipsa lex hanc stipulationem explicat in eum modum. Vide Deut. 10: 16. 19. 20. 21. Et Mich. 6: 8. & in nobilibus illis sententiis, in quibus officia Decalogo præcepta omnia (si excipias Signum) continentur. quæ exstant Deut. 6: 5. *Diliges Iehovam Deum tuum ex toto corde & ex tota anima & ex omnibus viribus tuis.* Et Levit. 19: 18. *Et diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Nam primo præcepto comprehenditur, quicquid in prima tabula distinctè explicatur; & ratio etiam diligendi proximum: cujus dilectio in altera tabula in partes suas distinguitur. Et, primum præceptum non excludere fidem justificationis gratuitæ, patet, quia ab Israële poscitur, ut diligat Jehovam non tantùm ut creatorem suum, sed etiam ut *Deum ſuum*, hoc est, sanctificatorem & justificatorem suum; juxta promissionem factam Abrahamo. Quare & Christus dicit, *TOTAM legem & PROPHETAS ex iis præceptis pendere.* Matth. 22: 40. Atqui in tota lege etiam verbum gratiæ continetur, & Prophetæ justitiam Dei & regnum ejus prænunciant. 5. Quòd Christus Matth. 5: 20. ubi justitiam regni cœlorum vult commendare, hoc etiam suscipit, ut præcepta quædam Decalogi meliùs interpretetur, quàm Pharisæi fecerant. Atqui non potest ullo modo videri Christus voluisse discipulos, ut regnum cœlorum hæreditent, ad legem operum & justitiam ex operibus constituendam revocare. 6. Quòd idem Christus ad vitam obtinendam eadem præcepta commendat Matt. 19: 17. quemadmodum & Apostoli faciunt, ut Rom. 13: 8. 9. 10. Jacob. 1: 25. 2: 8. 15. ubi præcepta Decalogi vocat *legem regiam*, hoc est, legem regis & Domini nostri Christi; & *legem libertatis*, hoc est, quam exercere oportet liberatos à maledictione & servitute, & quam exercere libertas est. Neque profectò aliud præceptum dedit Christus nobis, nisi ut, quemadmodum ipse dilexit

nos, ita nos invicem diligamus, Joh. 15: 12. Quem sermonem Johannes dicit esse præceptum non novum, sed id, quod auditum est ab initio.

Stipulatio Decalogi non est lex operum.

11. Propter quas causas statuendum est, in Decalogo non esse stipulationem eam, quæ est legis operum, ad justitiam & vitam obtinendam. In quo Judæi cæspitarunt. Sed, in eo fidem & studium bonorum operum exigi: illam, ut per quam justitia obtinetur; hoc, ut quo veritas & sinceritas fidei comprobatur, & experimentum ejus percipitur, & fructus justificationis ad gloriam Dei & sanctificationem & consolationem fidelium de justitia cumulatur.

Explicatio loci Ezech. 20: 11.

12. Neque obstat, quòd de præceptis Decalogi, quæ distinguuntur à Sabbati datione, dicitur, *Qui fecerit ea homo, vivet in eis*, Levit. 18: 5. Ezech. 20: 11. quam Apostolus dicit esse sententiam Legis operum, Rom. 10: 5. Gal. 3: 12. Quamvis enim duæ illæ sententiæ: illa, *Qui fecerit ea homo, vivet in eis*; &, *Justus in fide vivet*: ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως distent; ita, ut, qui in fide justus est, & in fide vivit, nullo modo vivat in factis sive executione illorum præceptorum, & contra: tamen Decalogus, qui indicat ea præcepta, in quibus vivit homo, qui ea fecit, non exigit fecisse opera illorum præceptorum, ut causam justitiæ sive juris petendi vitam pro mercede, sed ostendit, quid agendum sit, & in quo se exercere debeat ille, qui credit Jehovæ ut Deo suo, & justificatus est in fide, ut vitæ Dei particeps sit & sanctificatorem suum Deum gloriari possit.

& Ezech. 18. v. 22. 23.

13. Quo notato, non potest esse obscurum, quomodo Ezechiel dicat de resipiscente cap. 18: 22. 23. *Improbus, quum conversus fuerit ab omnibus peccatis suis — omnes defectiones ejus, quas fecit, non cogitabuntur ei: in justitia sua, quam fecerit, vivet.* Non enim Ezechiel significat, opera hominis, quæ fecerit post conversionem, esse causam juris petendi & exspectandi vitam (Nam injustè faceret, nec converteretur ab omnibus peccatis suis, qui non agnosceret, Deum justificare improbum, aut ex operibus posse justum appellare peccatorem) sed significat, resipiscentem vivere in fide sua, quam ex animo habuerit & exercuerit diligenter. Nam peccator non potest rectè facere, nisi credendo in Deum, qui est sua justitia, faciendo pacem cum Deo apprehendenda arce ipsius Es. 27: 5. sive quærendo non justitiam suam, quæ est ex lege, sed justitiam Dei, quæ est ex fide in fidem. Phil. 3: 9. Quod cum facit, opus Dei facit, Joh. 6: 29. rectè facit, justificat Deum, justificat Sponsorem, justificat legem

Quomodo dicatur resipiscens vivere in justitia sua?

&

& judicium Dei in peccatorem, ſuam juſtitiam abnegat, Dei juſtitiam confitetur eamque celebrat. In hac juſtitia ſive rectitudine vivit, hoc eſt, juſtus in fide vivit, habens jus vitæ exſpectandæ à Deo juſtificante.

14. Cæterum, quod diximus de decem verbis, in quibus Deus ipſe ſemini Iſraëlis, tanquam populo ſuo, ſtipulationem fœderis cum ipſo faciendi cauſa propoſuit, nempe, quòd ea tendant ad fidem atque omnem converſionem ac reſipiſcentiam, id ex tenore ipſorum manifeſtum eſt. Imprimis non dicit, Ego ſum is, qui te creavit ad imaginem ſuam, ſed, Ego ſum Jehovah, qui & poſſum & volo meas divitias per gratiam & miſericordiam exhibere, & quidem tibi, ô Iſraël, quem ex omnibus gentibus aſſumſi; ita ut poſſis in me gloriari, quòd ſim Deus tuus: quemadmodum patribus promiſi. Quo nomine ſuo præmiſſo, in quo continetur, quod de ſe credi vult ad laudem ſuam, quatuor præceptis id agit, ut amor & timor ipſius ſit integer & ſincerus. *Primo* præcepto, ut, quod eſt Dei, non vulgetur & attribuatur non-Jehovæ; & imprimis id, quod Deus volebat peccatorem à ſe exſpectare, & propter quod ab eo ſibi volebat gratias agi, & gloriam dari, non attribuerent ulli, præter verum Deum, qui eos eduxerat ex Ægypto. Hoc eſt primum conſectarium ejus elogii, quo ſe declaraverat *Iehovam Deum Iſraëlis*. Et in hoc quidem, propter hanc radicem, continentur alia: ſed voluit Deus diſtinctè inculcare, quid fugiendum & quid faciendum eſſet populo ſuo. Igitur hîc nullum affirmativum præceptum cogitamus, niſi uni Deo omnem gloriam dandam eſſe; uſque ad abnegationem omnis dei alîus; ne dicerent unquam, *Non-Iehovah fecit hoc.* Deut. 32: 27. aut ullo modo per *ſacrilegium* id alii rei ulli attribuerent, in quo gloria Dei, *per quem & propter quem ſunt omnia*, Hebr. 2: 10. conſiſtit. *Altero*, ut Dei excellentiam recognoſcerent, eumque non redigerent ad vilitatem creaturæ, neque vias ſuas & cogitationes ſuas putarent eſſe vias Dei & cogitationes ipſius. ut eſt Eſ. 55: 7. 8. 9. Nam, quod hîc pro exemplo datur, imaginem non eſſe faciendam, ante quam procumbant, id ad genus ſuum revocandum eſt. Et imaginem quidem facere ullius rei, ut in ea alia res colatur præter Deum Iſraëlis, eſt aperta tranſgreſſio primi præcepti; ſed facere & in veneratione habere imaginem vel tanquam Dei (cujus tamen imago fieri non poteſt) vel alîus rei, quaſi illius veneratio ſit cultus Dei, eſt *commutatio gloriæ Dei in ſimilitudine* rei vilis,

Brevis conſideratio præceptorum Decalogi

Præceptum I.

Præceptum II.

vilis, ut hominis, aliusve animalis. Rom. 1: 23. Rectè quidem, qui declarant hoc præceptum, dicunt, *ne ulla alia ratione eum colamus, quàm qua se in verbo suo coli præcipit:* sed illi non intelligunt, colere Deum in imagine ob solum placitum Dei nefas esse, posse autem id rectè fieri, si Deus id fieri velit. Absit. Sed significant, omnem cultum commentitium esse Deo indignum, & ex verbo ipsius discendum esse, quam gloriam Deo attribuere debeamus; ne, dum nostras cogitationes sequimur, Deum faciamus similem nobis, aut ulli rei, quæ est in mundo, assimilemus. Psalm. 50: 21. Es. 40: 14. 18. 25. Quale est, putare, quòd Deus habitet in templis manufactis, Es. 66: 1. Actor. 7: 48. aut delectetur victimarum carnibus & sanguine. Psalm. 50: 8. —13. Qua mente qui accesserunt ad sanctuarium & victimas suas mactarunt, dicuntur Molochi tentorium tulisse, Amos. 5: 26. Quantumvis enim ea, quæ per Mosen præcepta sunt, dicantur δικαιώματα λατρείας *præcepta cultûs*, tamen non hic fuit cultus, ea facere, sed ea facere cum fide & confessione mysterii significati. quæ mentis & oris confessio est ipse cultus; cui illæ externæ cerimoniæ, ut monimenta & signa, inserviverunt. Quibus uti erat obedientiæ. Tantum abest, ut unquam possit esse verum aut justum aut rectum aut Deo conveniens & ei non displicens, eum colere in imagine ullius rei, aut secundùm consilium carnis. Cæterum justitia hujus præcepti pendet ex elogio isto, *Ego sum Iehovah Deus tuus*, ut necessariò consequens, æquè ac justitia præcepti primi. Et transgressio hujus est etiam transgressio primi. Nam, qui Deum vult colere, ut coli non potest, non illum colit, sed alium. Hoc tamen Deum non impedivit, quo minùs hoc præceptum di-
Præceptum III. stingueret à primo. *Tertio*, ne falsò & non in bona conscientia eum *Deum suum* appellarent, neque nomen ipsius profanarent, tanquam si Deus auctor & approbator mendacii & mali esse posset. Hoc jam præceptum est, ut apparet, magna parte affirmativum. Nam, qui vetat nomen suum præferre in vanitate, temerè & in mendacio; quum dixerit, *Ego sum Deus tuus* (quod & repetitur in hoc præcepto) is postulat, ut in veritate nominetur *Deus ipsorum*. Tamen affirmativum illud etiam distinctiùs proximo præcepto demum explicatur. Nam hoc quidem præcepto declarat, se non dimissurum impunitum eum, qui nomen suum in vanum usurpaverit. Quæ sententia universalis quum sit, significat, 1. Deum non condonare peccatum citra satisfactionem. 2. Nullam esse condonationem paratam ei,

qui

qui per hypocrisin Deo voluerit illudere, Jehovam vocans Deum suum non in veritate, neque in justitia. *Quarto*, ut Deum suum sanctificatorem confiterentur; & spem, quam de reconciliatione & justitiæ adductione habebant, tum omni significatione ostenderent, tum imprimis eo signo, ut septimo quovis die cessarent ab operibus suis: denique quietem, quam illis tunc dabat in terra, tum aliis diebus tum præcipuè Sabbato, &, quam imposterum daturus erat (nam superesse populo dandum sabbatismum ab omni accusatione & siti & labore & conscientia peccati) sanctificarent. Sanctificare autem quietem, tum à Deo datam, tum dandam imposterum, complectitur omnem glorificationem Dei quietem dantis, sanctificationemque partim præstantis, partim in futurum promittentis. In hoc continetur omnis fides, amor & timor Dei, fiducia, spes, deliciatio in opere & verbo Dei, obedientia, celebratio nominis Dei, quæstio Dei, gratiarum actio, abstinentia à peccato, ab opere & via sua. Neque enim in sola ἀργίᾳ est sanctificatio *Sabbati Dei*. Quæ quidem erat sanctificatio literalis & ritualis diei septimi, Sabbati typici; quia erat usurpatio signi, quo cognosci debebat, Jehovam ipsos sanctificare & in posterum sanctificaturum: sed non erat vera sanctificatio Sabbati Dei; quia ad hanc requiritur τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, quod est credere in Deum & Christum, & amare proximum, & se populum Dei sanctum & irreprehensibilem præstare. Quare, si quis audeat quartum præceptum, quatenus simpliciter Sabbatum sanctificandum præcipit, tollere ex numero decem verborum, id verbum tollit, quod potissimam consequentiam exprimit illius elogii & nominis divini, *Ego sum Iehova Deus tuus*. Nam, ut clarum est, cætera præcepta negativa sunt; hoc autem est affirmativum. Quòd si etiam quis existimat, si præcepti hujus pars, de sanctificatione rituali diei septimi per cessationem, abrogata dicatur, præceptum hoc tolli; is dupliciter peccat contra ejus mentem. 1. Quòd nullam aliam intelligit sanctificationem Sabbati Dei, quàm quæ est posita in cessatione ab opere licito ac utili, vel etiam, propter quam dies aliquis ocio transigendus esse videatur. 2. Quòd nullum Sabbatum agnoscit, quo Ecclesia liberetur à scrupulosa & anxia vitatione operis liciti: atque ita Ecclesiam satiatam & compotem exspectationis suæ vult retinere in eadem (quoad hanc partem) servitute umbræ ac figuræ. Porrò, quia Deus diligi non potest, ut honoretur, quæra- *Præceptum IV.*

tur & glorificetur, nisi & proximus ut Dei opus & Deum finem *Tabula secunda.*

habens, & caro nostra aut etiam membrum ejusdem corporis & lucrum nostrum, ametur, sex præceptis indicat, quomodo dilectio proximi sit exercenda, & quæ peccata per eam excludantur. nempe imprimis, ut parentes, quibus vita & cognitio Dei debetur, omni honore afficiantur. Ita enim honoratur Deus, qui nos voluit à parentibus accipere, ut simus, ut nascamur in fœdere, ut verbum Dei audiamus, ut bona Dei in hoc mundo percipiamus. Parentum autem loco sunt illi similiter honorandi, quorum opera vel in seculo tranquillam vitam in omni honestate & pietate agere possumus, qui nos sustentant, qui nos ad cognitionem ejus informant. *Sexto* autem, ut vita & corporis & anima proximi nobis cara sit & commendata studiis nostris: *Septimo*, ut corpora proximi velimus esse incontaminata, neque ad nostræ libidini satisfaciendum expetamus, & matrimoniorum castitatem & sanctitatem custodiamus. *Octavo*, ut proximi bona, quæ ipsis in hoc seculo concessit, non defraudemus, sed sarta tecta esse velimus ac studeamus. *Nono*, ut justitiæ non desit nostra oratio, neque famæ proximi noceamus. *Decimo* denique, ne vel expetamus ullum bonum, quod proximo nostro à Deo attributum est, sed ex animo ejus bonis faveamus & gaudeamus: atque ita concupiscentiam nostram contra omnia præcepta Dei coercere discamus, amando bonitatem Dei in alio homine, qui nobis conjunctus est. Atque in his generibus procul dubio dilectio proximi exercetur. Hæc quum ita sanxisset Deus & suis loquelis edixisset, tum per Mosen etiam addidit præcepta specialia 1. de vitanda idololatria, Exod. 20: 23. 2. de altari & oblationibus. v. 24. 25. 26. ubi addit promissionem, se in omni loco, ubi nomen suum commemorari facturus sit, ad ipsos venturum & ipsis benedicturum. quo significatur, Deum illis præsto futurum, ubicunque nomen ipsius invocaturi sint & celebraturi: quia nempe id facturi sint ipsius gratiâ & ἐνεργείᾳ. 3. de judiciis civilibus. c. 21. 22. v. 1.—19. 4. de charitate exercenda erga peregrinos, v. 20. viduam & pupillum. v. 21. 22. 23. erga pauperes mutuo dando sine usura. v. 24. & pignore, quo carere non possit. v. 25. 26. 5. de honore erga Deum. v. 27. 28. 29. 6. de sanctitate externa observanda in morticinis vitandis. vers. 30. 7. de justitia. cap. 23. v. 1. 2. 3. & charitate etiam hostibus impendenda. v. 4. 5. rursus de justitia. v. 6. 7. 8. denique iterum de peregrinis non opprimendis. v. 9. 8. de anno sabbatico. v. 10. 11. de Sabbato. v. 12. &

Præceptum V.

Præceptum VI.

Præceptum VII.

Præceptum. VIII.

Præceptum IX.

Præceptum X.

Præcepta specialia addita Decalogo.

& non nominandis diis aliis. v. 13. de tribus festis. v. 14. 15. 16. & sacrificiis sine fermento &c. v. 18. de primitiis offerendis. v. 19. 9. de Angeli reverentia, hoc est, de Mediatoris cultu. v. 20. 21. 22. & vitandis idolis gentium subjiciendarum, & fœdere cum illis non faciendo, additis promissionibus. v. 23.—33. Post illa jubetur Moses cum Aharone & duobus filiis & 70. de senioribus accedere, &, Mose solo ad Jehovam accedente, reliqui eminus adorare. c. 24: 1. 2. Quæ cùm Moses narrasset populo, ipsique legem accepissent, v. 3. 4. Moses verba Dei scripsit in libro, & sacrificium obtulit per juvenes, populumque, prælecto libro, & assentientem sanguine aspersit; eum sanguinem *sanguinem fœderis* appellans. v. 5. 6. 7. 8. Quo facto, ascendit Moses cum Aharone & filiis ejus duobus & septuaginta de senioribus; qui viderunt Deum Israëlis sine plaga. v. 9. 10. 11. Tum jubetur Moses ascendere ad accipiendas tabulas lapideas. v. 12.

Fœderis obsignatio per ostensionem Dei Israëlis & sanguinem fœderis.

15. Ex quibus omnibus perspicuum est, merum fœdus gratiæ sive legem fidei & resipiscentiæ fuisse propositum Israëli per Mosen; & nominatim illis fuisse commendatam fidem in Mediatorem & reverentiam ejus. Quòd autem Moses sanguinem sacrificiorum, quo populum aspersit, appellavit *Sanguinem fœderis*, quod Jehovah cum illis faceret, id significat, sanguinem illum esse figuram sanguinis, mediante quo & cujus virtute justitiæ & vitæ ac omnium beneficiorum Dei hæredes futuri erant: qui sanguis esset ratificatio Testamenti Dei & causa pacis ac amicitiæ inter Deum & ipsos: cujus aspersio sive imputatio conscientia purgat ab operibus mortuis. Hoc sacrificium distinguit Psalmus 50. à sacrificiis Israëlitarum, & ejus sanguinem *Sanguinem Testamenti* in proprietate appellat Zacharias cap. 9. vers. 11.

Sanguis fœderis quid?

16. Et verò, quòd oculis videndus ipsis est exhibitus Deus in forma humana, quemadmodum & Esaias atque Ezechiel viderunt in visione spirituali, id palam est ideò factum esse, ut Jehovam Angelum Testamenti inter ipsos habitantem ἐν ἀχήμαλι δόλᾳ exspectarent. Cui etiam Angelo pronunciatio decem verborum singulariter attribuitur. Vide Exod. 3: 2. 4. 6. 8. 10. 12. Deut. 33: 2. 16. Actor. 7: 38. Psalm. 68: 8. 9. 19. Quod supra etiam adstructum. c. 11. §. 30. 31. Et in Commentario epistolæ ad Hebræos c. 12. § 78.

Visio Dei.

17. Hæc verba fuerunt magno cum terrore pronunciata. quem describit Paulus Hebr. 12: 18. 19. 20. 21. Ratio terroris illius adhibendi non fuit, quasi verbum terrificum, nempe legem operum,

Species terrificæ in Decalogo pronunciando quare adhibitæ?

vellet proponere; sed *ad tentandum Israëlem; & ut timor Dei esset coram ipsis, ne peccarent.* Exod. 20:19. *Ad tentandum*, hoc est, 1. ad manifestandum ipsis debilitatem cordis ipsorum, & quàm nullus sit homo & ἱλαδανὸς, ad audiendum verba Dei vivi, nedum ut possit ad eum accedere, tanquam responsurus Deo vocanti ipsum in judicium, vel pro alio intercessurus aut satisfacturus. utque intelligerent, se non decere adire Deum sine angelo faciei oratore. Jerem. 30: 21. *Princeps ejus ex ipso exibit; & admovebo eum, & accedet ad me. Nam quis* est, qui *in fidem suam receperit cor suum, ut accedat ad me?* Hebr. 7: 26. *Talis nos decebat Pontifex.* Es. 63: 9. *Et angelus faciei ejus salvabat eos.* Job. 33: 22. *Si sit apud eum angelus orator.* Qui non est alius Angelus, quàm Angelus Goël, Vindex; Angelus Testamenti. De quo verba facit Deus Exod. 23: 20. 21. Is, qui loquutus est in monte Sinai. 2. Ad manifestandum, quid esset in corde ipsorum, sive an fide in Deum essent præditi, & ad Deum illum sanctum confugere auderent. *Ut timor Dei esset anteipsos*, hoc est, ut cupidiùs amplecterentur fœdus propositum, & festinarent reconciliari cum Deo, & Angelum illum, quem Deus missurus erat ad ipsos non aspernarentur, quando ἐν κενώσει *in exinanitione* ad ipsos esset venturus: cogitantes, qualis olim apparuisset (Phil. 2:6.) & qualis rediturus esset ex cœlis ad judicium in gloria sua & Patris.

Per Angelos *quomodo* data lex?

18. Adfuit etiam illi, ut ἀρχαγέλῳ, principi & domino angelorum (Apoc. 12:7.) exercitus myriadum sanctarum, Deuter. 33: 2. Angeli autem, ut in initio jubilarunt, quum fundaretur terra, ita etiam adfuerunt paranti regnum erigere in mundo & populum dura cervice præditum sibi subjicere & in eo dominari, ut postea in medio ipsius sanctificando Deum sanctificationem Ecclesiæ perficeret.

Præcepta Mosi data in monte.

19. In monte quum esset Moses quadraginta dies & totidem noctes, præcepta dedit ei Deus de arca facienda, in qua reponerentur tabulæ fœderis, cum operculo aureo, & Cherubinis, inter quos Deus se habitaturum & ad Israëlitas locuturum promittebat. Exod. 25: 10. 17. 18. 22. Apertum est, Deum voluisse, ut nihil prius cogitarent Israëlitæ, quàm σκλώσιν *habitationem* divinitatis inter homines. Atqui Deus in templis manu factis non habitat. Neque voluit de se credi, se magis in uno loco præsentem esse, quàm in alio. Et promiserat, se ad ipsos venturum, quocunque in loco commemorari nomen suum facturus esset. Tamen indicare voluit

Σκλώσις.

Israëli,

Israëli, Deum in medio ipsorum versaturum, ut ipsum videant & audiant; & propitium inventum iri ac verba regis & patris loquentem in eo, cui analogum erat propitiatorium aureum arcæ impositum. Cui rei verò analogum dicemus ἱλαστήριον *propitiatorium* arcam cooperiens, si non ei, in quo Deus cognoscitur & nomen ejus & virtutes ejus, & nominatim amor ejus erga peccatores? Nam arca & propitiatorium non possunt nihil significare: & non possunt aliud significare, quàm eum, qui Deum videndum in se exhibet, ut imagine, & in quo Deus est. Qui non est alius, quàm Mediator Testamenti Deus & homo. Aurum enim, quod optimum est, significat; lignum fructum terræ humanitatem. Tabulæ fœderis in medio arcæ positæ significant, in medio mediatoris esse legem Dei ipsi Sponsori dictam, ut eam faciat, & ita procuret, ut lex Dei inscribatur tabulis cordis (quæ lapideam duritiem habent) & Deus cum hominibus communionem habere possit. Cherubini notant symbolicè Ecclesiam electam & redemtam & à Deo sanctificatam. Animalium enim formæ, quæ Cherub componunt, virtutes sanctificatorum notant. τὸ λογικὸν & sapientiam forma humana: tolerantiam bos: ut & pedes bisulci cum μηρυκαζμῷ sive ruminatione notant constantiam cum meditatione atque ita non temerariam: Leo notat fortitudinem: Aquila vel τὸ ὑψιπετὲς vel τὸ παρεῖναι τῷ ὠμῷ. quòd in altum se erigant & cœlestia quærant, & cadaver odorentur, idque appetant. Ecclesiam autem per quatuor animalia significari, docet Apocalypsis cap. 5: 8. 9. 10. Nubes, ex qua Deus loquebatur, notat speciem humilem regni Dei in mundo: quòd id non humano more conspicabile sit, sed ex argumentis, quæ fides observat, in mundo esse noscatur. Commodùm viderunt Deum Israëlis Aharon, duo filii ejus & septuaginta Seniores: admoniti erant omnes, ut Angelo Jehovæ parerent: statim jubetur Moses ante omnia parare arcam cum propitiatorio & Cherubinis, in quibus habitet Deus; symbolum & emblema id semen notans, in quo est benedictio. Hoc enim nomen est breviſſimum arcæ interpretamentum. Et verò sine arca dari inhabitationem, demonstravit Deus sub secundo templo, ubi arca non fuit & tamen Deus se cum verbo & Spiritu suo inter eos stare affirmat, Hagg. 2: 4. 5. & Jeremias c. 3: 16. nullam arcam futuram dicit, & tamen Hierosolymam Solium Domini appellatum iri. v. 17. Deinde mandata dat de mensa, de candelabro, c. 25. de tabernaculo c. 26. de altari,

ἱλαστήριον.

Arca.

Nubes.

Inhabitatio sine arca.

de atrio, de oleo lucernæ, cap. 27. de vestibus Aharonis & filiorum ejus, c. 28. deque eorum initiatione: & jugi sacrificio. c. 29. de altari suffitûs: ejusque anniversaria expiatione: de argento capitationis: de labro: de oleo unctionis sancto: de suffimentis. c. 30. Nominatis deinde artificibus, qui illa omnia facturi erant: præcipit de Sabbato, ejusque finem indicat, nempe ut sit signum inter Deum & ipsos, quòd eos sanctificaret. In quo præcepto, ut eo, quo fidei & spei confessio continetur, desinit. Tum ei tradit tabulas lapideas, in quibus verba testificationis digito Dei scripta erant. Omnia hæc ad gratiam pertinent: neque quicquam detractum est per ea præcepta libertati Israëlitarum. Nam, tametsi Aharon & filii ejus initiandi erant ministerio tabernaculi, nondum prohibita fuit oblatio sacrificiorum in omni loco. Tantùm commemoratio peccati sive reatûs aliqua fuit, quia in Aharonis initiatione jussit *pro peccato* offerri, c. 29: 14. & quotannis jussit pro peccato propitiatorium sacrificium offerri, cujus sanguine altare thymiamatis expiaretur. c. 30: 13. Interim populus vitulum facit: Moses ea causa jubetur descendere, &, quum intercessisset pro populo, descendit, &, viso vitulo, projicit tabulas easque frangit, ac idololatriam per Levitas cæde trium millium expiat. rursusque intercedit. cap. 32. Quumque Deus dixisset, Se non ascensurum in medio Israëlis, humiliato populo, exorat Moses Deum, ut ipse cum populo proficiscatur, c. 33. nempe misso Angelo, de quo locutus erat cap. 23: 20. Quumque ex mandato Dei alias tabulas dolasset, eas in montem sustulit, & audivit nomen Dei, c. 34: 5. 6. 7. quas *vias Dei* appellat Psalmus 103: 7. cum Mose Exod. 33: 14. Etiam Deus vocat *bonitatem suam*, Exod. 33: 19. quam se ostensurum pollicetur, quum Moses sibi peteret demonstrari *gloriam Dei*. v. 18. Magnum sanè id nomen & gloriosum ac cumprimis & amabile & timendum. *Iehovah, Iehovah, Deus misericors & gratiosus, longanimis & multus gratia ac veritate: retinens gratiam millibus, condonans pravitatem & defectionem & peccatum; & non dimittens impunitum, visitans pravitatem patrum in filios filiorum, in tertiam & quartam progeniem.* Quo audito, quum Moses id arripuisset, & orasset Deum, ut vellet cum ipsis proficisci, & ipsis condonare, & ipsos hæreditare, Deus pronunciat, Se omninò facturum esse mirabilia coram populo, & eum visurum opus Dei, quod cum Mose facturus sit, v. 10. & vetat pacisci cum populo terræ, v. 11. 12. 13. 14. 15. 16. ac fusiles deos facere, v. 17.

Præcepta in monte data non prajudicant libertati.

Transgressio populi occasio graviorum præceptorum fœderi addendorum.

v. 17. jubetque pascha celebrari, v. 18. primogenita consecrari, v. 19. 20. Sabbatum observari, v. 21. & festum septimanarum, itemque festum collectionis. v. 22. 23. 24. non mactare super fermento sanguinem sacrificii Dei, v. 25. primitias offerri, non coqui hædum in lacte matris suæ. v. 26. denique ea verba scribi, ut super quibus fœdus cum ipsis pangeret, v. 27. Post quadraginta dies descendit Moses; quum radiat cutis faciei ipsius. v. 29. qui cogitur velum imponere faciei; quia Israëlitæ non ferebant splendorem illum. v. 33. quod tamen removet accedens ad Deum. v. 34. 35. Quod quid significet, docet Apostolus 2 Cor. 3: 13. 14. 15. 16. 17. 18. nempe, nondum datos esse Israëli oculis inconnivis aspicere gloriam Dei; sed eos indigere velamine figurarum. Hebr. 5: 12. Ex illo igitur Moses tabernaculum, ut jussus erat, fecit, c. 35. 36. 37. 38. 39. idque erigit, cap. 40. quod gloria Dei occupat, ibid. v. 34. Deus autem à tabernaculo cum Mose loquens præcepta dat de holocaustis & aliis sacrificiis, & nominatim injungit sacrificium pro peccato & reatu, Lev. 4. & 5. & varia alia δόγματα imperat. quæ recensere non est opus. Quæ summatim complectitur Paulus Hebr. 9: 9. 10.

20. Totus hic sermo Dei ad populum, quem vel ipse pronunciavit in auribus ipsorum, vel per Mosen promulgavit scribendumque curavit, dicitur *Lex*. Joh. 1: 17. Quæ vox est πολύσημος. Nam utraque est lex, lex operum & lex fidei. Et sæpe *lex Dei* nihil aliud significat, quàm legem fidei, qua Deus agit cum peccatore. Sed sermo Mosis à S. Paulo sic appellatur *lex*, ut eam distinguat à lege fidei, quæ adhæresit *promissioni*. Vide Rom. 4: 13. 14. Gal. 3: 17. Quid igitur? An in sermone Dei ad populum & in sermone Mosis non est lex fidei? Absit. Et, rem se ita non habere, jam diu adstruimus. Sed fortasse lex operum una cum lege fidei proponitur Israëli, ut simul ad justitiam vocentur per legem operum, simul per legem fidei, atque ita cogantur vel aliquod vel omnia officia recti hominis facere justitiæ causa, & simul etiam credere in eum, qui non operantem sed injustum justificat. Rom. 4: 5. Quæ sanè ἀσύγκριτα sunt. Et ita lex esset promissioni contraria & eam evacuaret; nempe si illa lex, *Qui fecerit ea, vivet in eis*, ut quæ possit vivificare, sit lata Israëli: aut, si aliquod officium vel opus illi imperatum sit, ut conditio vel causa justitiæ ullo modo. Nam Promissio antè ratificata fuit, & ea fluit ex Testamento, eoque, quod concernit Filium, eumque *Lex.*

eumque hæredem declarat. Dei Testamentum, præsertim, quo Filium hæredem decernit, irritum fieri non potest. Gal. 3:15. 16. 17. 18. 21. Alia igitur ratio est, quare sermo hic pronunciatus ad populum dicatur *Lex*, in *αὐτοδιαθήκῃ Promißionis*, qua nititur *lex fidei*. Nempe, quia in eo sermone aliquid continetur, quod à lege operum, non ut exigente omnem obedientiam ad justitiam ac vitam, sed ut damnante peccatorem, continetur; nempe indicatio lapsus & reatus, qui per lapsum introductus est, necdum expiati: & ei indicationi succenturiata lex injungens multa facere tanquam purificationis causa & ad expiandum reatum, eo fine, ut per ea fieret quotidiana & anniversaria confessio debiti & reatûs. Quæ lex ab Apostolo peculiariter appellatur *lex præcepti carnalis*, Hebr. 7: 16. *lex præceptorum in placitis*, Ephes. 2: 15. quorum placitorum observantia cum editione chirographi comparatur Col. 2: 14. Appellantur etiam ea præcepta *δικαιώμασι λατρείας & δικαιώμασι σαρκὸς statuta cultûs & statuta carnalia*. Hebr. 9: 1. 10. Et, quemadmodum præcepta, quæ imaginis Dei rectitudinem exhibent, dicuntur præcepta bona, quæ qui facit in iis vivit: ita carnalia illa statuta dicuntur non bona, & in quibus non vivunt Israëlitæ. Ezech. 20: 11. 25. planè ut & Apostolus de hac lege dicit, quòd sit *ἀσθενὴς καὶ ἀνωφελὴς imbecilla & inutilis*. Hebr. 7: 18.

21. Apostolus *Legi* attribuit, quòd *operetur iram*. Rom. 4: 15. *quia*, inquit, *ubi non est lex, ibi nec transgressio*. Id explicat cap. 5: 13. *Peccatum non imputatur, quando non est lex*. Hoc enim est *operari iram, imputare peccatum*, sive id *commemorare*, Hebr. 10: 3. & propterea, quòd id deletum, abolitum & expiatum non sit, aliquid grave ac molestum faciendum injungere, tanquam purificationis & expiationis gratiâ, ad confessionem reatûs adhuc manentis. Unde apparet, quid Apostolus in iis locis *legem* vocet: nempe sermonem indicantem, quòd lapsus non sit expiatus, & purificationes typicas ac carnales imperantem. cujus sermonis fundamentum est *lex operum*, & ei annexa *maledictio*, quæ flagitat expiationem & satisfactionem sive sacrificium.

Lex ponit sub maledictione.

22. Rursus Apostolus dicit Gal. 3: 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt*. Idque inde probat, quia *scriptum est: Maledictus, qui non manet* &c. Tum v. 13. dicit, *Christus nos liberavit à maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Scriptum est enim: Maledictus pendens de ligno*. Ita cap. 4: 4. 5. *Misit Deus filium suum, qui factus*

est

est sub legem, ut eos, qui sub lege erant, in libertatem emeret: Unde patet, Apostolum non tantùm eos, qui extra Christum & fœdus gratiæ sunt, sub maledictione ponere, sed etiam omnes sanctos, qui sub lege Mosis fuerunt usque ad Christi mortem. quia Christus in cruce etiam hoc tulit, quod lex imponebat omnibus. Igitur τὸ *qui ex operibus legis sunt*, non modò sic explicamus, Qui ex operibus legis justificari volunt; sed potiùs, Qui ita filii Abrahami sunt, ut non censeantur ejus filii, nisi opera legis faciant. qui contradistinguuntur eis, *qui ex fide sunt*, hoc est, non eis simpliciter omnibus, qui fide Abrahami prædi ti sunt, sed filiis Abrahami, qui ex fide sine operibus legis filii Abrahami censentur, ut Abraham fidem habuit, & sub lege non fuit. Quomodo autem Apostolus probet, eos, qui sub lege Mosis sunt, sub maledictione esse, operæ precium est cognoscere. Argumentatur à maledictione. Quæ sanè maledictio non tantùm apposita est legi operum, sed & legi fidei. Nam, qui non credit in Filium Dei, super eo manet ira Dei & maledictio. Igitur maledictio in se, neque quatenus legi fidei addita est, neque quatenus legi operum addita est, probat, eos, qui sub lege Mosis sunt, esse sub maledictione. Aliter igitur consideranda est Exsecratio. nempe quatenus additur legi imponenti purificationes, satisfactiones & similia iis, qui credunt promissioni. A quibus requiritur purificatio & satisfactio sub exsecrationis comminatione, ii non omninò liberi sunt ab exsecratione legis operum, etiamsi crediderint promissioni, & in fide ea apud Deum justi sint. Sunt enim in eo statu, in quo purificatione & satisfactione indigent. Et, si iidem non vellent esse sub lege satisfactiones & similia imponente, etiam fidem abnegarent; & in exsecrationem legis operum recíderent. Non possunt opera legis imponi, quibus prædicatur Reconciliatio facta, quique per fidem ejus justificati sunt. Nam eorum conscientia à reatu absoluta est. Non norunt amplius peccatum, quod indigeat ἱλασμῷ. Quod autem subjecti legi Mosis sub maledictione hactenus fuerint, etiam inde ostenditur, quia Christus factus est exsecratio, dum crucifixus est. Nam, si execratio jam fuisset abolita aut expuncta aut cassata & inducta, 1. Christus non potuisset crucifigi. Nam princeps mundi in eum nihil habebat. 2. Deus non potuisset crucifixum vocare execrationem Dei. Nam, dato, Christum potuisse crucifigi citra causam execrationis, quæ sequitur peccatum, nulla ratio erat, cur *Execratio Dei* diceretur, quum pende-

ret in cruce. & fideles justificati cum Abrahamo similiter pendentes in ligno non possent appellari execratio: quippe execratione nulla extante. Quòd igitur, qui sub lege Mosis sunt, dicuntur esse sub execratione, id non est ita accipiendum, quasi Deus habeat voluntatem eos puniendi, aut quasi nihil sit, quod eos tutos faciat ab ira & in gratia Dei collocet (habent enim Angelum vindicem sponsorem Testamenti apud Deum) sed quòd non penitus sint liberi ab execratione, sed in eo statu, ut id, propter quod damnari & puniri deberent, nondum sit abolitum, expiatum, obliteratum satisfactione Sponsoris.

Minister condemnationis Mosis.

23. Atque ex eadem causa ministerium Mosis dicitur *ministerium condemnationis*. 2 Cor. 3: 9. quia nimirum commemoravit damnationem peccatoris, & coëgit Israëlitas, ut ei subscriberent, &, ejus vim adhuc integram esse defectu idonei sacrificii, testarentur offerendo aliquid pro peccato, quo peccatum expiari non poterat. Potestque etiam appellari *minister peccati* eo sensu, quo id de Christo negatur, Gal. 2: 17. nempe quia Israëlitas declaravit ἁμαρτωλοὺς *peccati reos*.

Ezech. 20: 26.

24. Ut & Ezechiel dicit c. 20: 26. Deum per præcepta illa carnalia & dum primogenitos ad se traduxit, quos cum Levitis commutavit, Israëlitas impuros declaravisse cum oblationibus suis; jussos scil. abstinere ab altari & rebus sacris: ad quas Levitas admisit; sed cum magno discrimine, ut & ipsi non carerent accusatione impuritatis. Nam & sacerdos magnus non nisi semel in sanctum sanctorum intrare potuit, & id quidem terrestre, in quod intrare debuit (neque adeò habuit viam manifestatam ad sanctuarium cœleste, Hebr. 9: 8.) nec sine expiatione sanctuarii à peccatis filiorum Israëlis.

Statuta & judicia.

25. Hæc præcepta, cujuscunque generis, vocantur חֻקִּים וּמִשְׁפָּטִים quod solet verti *statuta & judicia*. Vide Exod. 5: 23. Ezech. 20: 11. 13. 16. 19. 21. 24. 25. Malach. 4: 4. Neque est probabile, quod à Rabbinis acceperamus, חֻקִּים *statuta* dici de certa specie, nempe ea, quæ à Dei, ut domini, arbitrio pendent & δόγματα à S. Paulo appellantur. Sed eadem præcepta appellantur חֻקִּים *definitiones*, ὅροι, quia nec detractionem nec additionem patiuntur (חק enim propriè definitum certumque modum significat) & מִשְׁפָּטִים *judicia*, quia canonem regulamque judicii præbent, & judicium annexum habent.

26. Hæc

26. Hæc lex dicitur data δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου, *per angelos in manu mediatoris alicujus.* De quo mediatore dicitur: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐστι. *Mediator autem ille unius non est. At Deus unus est.* Gal. 3: 19. 20. Quòd autem *per angelos* data dicitur, id repetitur Hebr. 2: 2. ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος *sermo per angelos dictus.* Aliter loquitur Stephanus Actor. 7: 53. *accepistis legem* εἰς διαταγὰς ἀγγέλων *in dispositiones angelorum.* Quæ rectè intelligi debent. Mediator data legis.

27. In primis μεσίτης *mediator*, in cujus manu lex addita est promissioni, est aliquis, qui stetit inter Deum & populum, ut acciperet legem & eam populo traderet. Nam verba illa optimè junguntur, στῆναι ἐν χειρὶ μεσίτου. Quum ita indefinitè loquitur Paulus, dicens, μεσίτου, & non ὁ μεσίτης, postulat notari, quòd lex non sine μεσίτῃ internuncio & interprete, sive persona, quæ staret inter Deum & Israëlem, data sit. Postulat autem hoc propterea notari, quia, si lex tradita est in manu mediatoris alicujus, considerandum est, utrum is mediator fuerit Christus, an alius. ut intelligamus, an in datione legis sit impletio promissionis. Promissio enim dicit, in aliquo semine, nempe Christo, esse benedictionem. Si igitur mediator is, in cujus manu data est lex, non est Christus, sed alius (cui, ut & successoribus ejus, populus fuit subjectus) patet, in datione legis non esse impletionem promissionis. Jam verò, eum mediatorem non esse Christum, sed Mosen, per se notum est. Nam de eo dicitur Deut. 5: 5. *Ego stabam inter Iehovam & vos illo tempore.* Atque ideò *lex Mosis* appellatur Malach. 4: 4. & lex per Mosen tradita dicitur, Joh. 1: 17. Eum, qui inter Deum & populum tum stetit, ex cujus manu populus legem accepit, quique mediator revera fuit, ut per ejus manum traderetur lex, eum necesse est intelligere à Paulo designatum. Neque potuit à Paulo nulla ejus ratio haberi, quia ad eam quæstionem multum pertinet consideratio ejus, per quem lex data est: utrum scilicet datio legis sit impletio promissionis & ad eam pertineat; sive an datio legis per Mosen sit benedictio Israëlis in Christo aut pars ejus, ut etiam gentes, quæ in Christo benedicendæ erant, debeant subjecti esse Mosi & iis, quibus post Mosen & propter legem Mosis atque ejus vicem populus subjectus fuit. Si per μεσίτου Filium Dei intellexisset, fecisset eum διάκονον τῆς ἁμαρτίας καὶ τῆς κατακρίσεως *ministrum peccati* accusantis *& damnationis.* Quod absit. Atqui, dices, Angelus Testamenti dedit legem. Omninò; sed non apparuit ut Mediatoris partibus

functurus, & benedictionem gentibus allaturus; sed ut sibi secernens populum, ad quem olim venire cogitabat, ut Mediatoris munia exsequeretur & benedictionem impetraret, impetratamque annunciaret ac conferret non tantùm Israëli sed & gentibus: interim verò etiam confessionem debiti exigens ab eo populo; & transgressionem ejus castigans. Atque ideo dicit Paulus additam esse legem, usque dum veniret semen. Quòd autem Sponsor & Mediator Testamenti legem tulit, quæ iram operaretur, jure mediatoris fecit; quia omne judicium ipsius est: sed non *ut mediator*. quia ab ipsius μεσιτείᾳ *mediatione* non est ira ulla, sed *reconciliatio & justitia*, & Testamenti novi exsecutio. Ideoque servum adhibet, qui sit minister condemnationis & peccati; sive qui id injungit, quod, salva promissione & fidei justitia, poterat etiam fidelibus & hactenus justis imponi propter transgressiones. Porrò, quem μεσίτην Paulus notet, ipse ostendit, dum dicit, ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν. *Mediator autem ille unius non est*. Nomen, quod priùs sine articulo fuit positum ἀποκάλυψιν πιστεῖ *priùs designatum commemorat*: ut Moscopulus docet articulos usurpari. Is igitur Mediator qualis est? *Non est unius*, hoc est, ejus Mediatoris respectu non sunt τὰ ἀμφότερα ἕν, neque οἱ δύο εἷς ἄνθρωπος, hoc est, non sunt omnes, de quibus promissio loquitur (semen Abrahami scilicet ex lumbis ejus ortum & gentes) *unus* vel *unum*; sed ejus respectu sunt δύο *duo*. Nam Moses Israëli dedit legem, non gentibus. Psalm. 147:20. Deut. 4: 19. 20. In lege Jehovah se appellat Deum Israëlis, non gentium: sed gentes relinquit ἄθεους ἐν τῷ κόσμῳ *sine Deo in mundo*, Eph. 2: 12. quanquam Promissio indicet, gentes non semper relinquendas esse sine Deo, dum dicit eas benedicendas. Rom. 3: 30. Jam verò, quum Deus unus sit, non multi, & sibi semper similis, necesse est, ut unum faciat, nempe id semen, quod Promissio nominat; & quidem unum cum uno patre Abrahamo, & in uno mediatore (mediator autem gentium est mediator benedictionis Novi Testamenti Christus. nam gentes in eo semine benedicuntur) non in eo mediatore, qui accepit legem, ut faceret divisionem, propter quam Israël & gentes non essent unum vel unus. Hoc enim se voluisse, ostendit Apostolus, quando legem vocat ἔχθραν *inimicitiam*, & μεσοτοιχον φραγμὸν *intergerinum parietem*. Eph. 2:14. 15. & φρουρὰν *custodiam, in quam conclusi fuerint* Israëlitæ usque ad Christum & prædicationem *fidei* Euangelii. Gal. 3: 23. &

contra,

contra, per Christum *omnia facta esse unum*, docet vers. 26. 28. Sapienter autem Apostolus inibi docet, quæ sit illa maledictio, sub qua relinquntur ii, qui sunt sub lege: quum dicit, *Scripturam omnia conclusisse sub peccatum*, Gal. 3: 22. nempe per legem: intellige gentes quidem excludendo à fœdere, atque ita ab hæreditate Israëlis; & Israëlitas cogendo ad editionem chirographi & in custodiam includendo & sub pædagogo, imò œconomis & tutoribus constituendo, & in servitutem elementorum mundi coarctando. Galat. 3. v. 23. 24. 4: 2. 3. His consentit Gennadius apud Oecumenium. Λέγει τοίνυν, ὅτι μωσῆς μὲν ἐμεσίτευσε πρὸς τὸν δόσιν δὲ νόμου, ἀλλ' ἑνὶ μόνον ἐμεσίτευσεν ἔθνει. δεῖ δὲ τὸ ὡς ἀληθῶς μέσον μεσιτεύειν πρὸς τὸ τῶν ἁπάντων ἐθνῶν ἕνα θεὸν, οὐχ ὑπὲρ ἑνὸς ἔθνους, ἀλλ' ὑπὲρ πάντων κοινὴν τὴν μεσιτείαν ποιήσασθαι, ἐπειδὴ καὶ πάντων ἐθνῶν εἷς ἐστι θεός. εἴη δ' ἂν οὕτω καὶ ψαλὸς ἄνθρωπος, οἷον μωϋσῆς, ἀλλὰ χριστὸς, υἱὸς δὲ θεοῦ, θεός τε ὢν ἀληθῶς ὁ αὐτὸς ἅμα καὶ ἄνθρωπος ἀληθῶς καὶ τῇ συγκρίσει τῇ πρὸς ἑκάτερον εἰς ἓν συνάγων ἐν ἑαυτῷ τὰ ἑκάτερα. αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν. ἑνὸς δέ ἐστιν. ὃ δὲ ἑνὸς γέγονε μεσίτης, ἀλλὰ θεὸς καὶ ἄνθρωπος. &c. Is auctor verba hæc Apostoli, ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, de Christo mediatore videtur intelligere, nempe ut is opponatur ei, qui accipit legem, propterea, quòd Mediator καταλλαγῆς non sit TANTUM unius, ut mediator tradendæ legis. Quod planè cum nostra sententia coincidit.

28. Quòd verò δι' ἀγγέλων data dicitur lex, id sumitur ex Deut. 33: 2. ubi legimus, Jehovam, in cujus manu fuit lex aut ignis legis, prodiisse ex myriadibus sanctis suis. Ergo ἄγγελοι non sunt accipiendi ut locutores legis (unus angelus, Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi eam locutus est) sed ut παραστάται ejus, qui dedit legem, testes & vindices. Sic τὸ διὰ usurpatur 2 Tim. 2: 2. ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων. *quæ audivisti ex me per multos testes*, hoc est, non sine multis testibus, eisque approbantibus & audita commendantibus. *Per angelos data lex.*

29. At Stephanus Actor. 7: 53. ulterius significat, per legem populum factum esse angelis subjectum, qui nempe officium acceperunt imponendi populo ea statuta carnalia & eum concludendi & custodiendi in obedientia hominum ea imponentium. Nam angeli omnibus ordinationibus Dei subserviunt. Ergo hinc habent nomen *deorum*, Psalm. 8: 6. Hebr. 2: 5. 7 9. Psalm. 97: 7. Hebr. 1: 6. Quibus enim datur potestas in populum Dei, iis nomen hoc tribui- *Εἰς διαταγὰς ἀγγέλων.*

tur ob similitudinem aliquam. Atqui Angeli custodes pædagogiæ, facientes ut populus revereatur pædagogos, œconomos, tutores, actores potestatem habentes in populum, & *deos* in lege appellatos, potestatem habent in populum propter talem legem, & idem nomen propterea gerunt in metaphora.

Propter transgressiones lex addita.

30. Est etiam observanda occasio latæ legis. Apostolus dicit Gal. 3: 19. τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, *propter transgressiones addita est.* Id dupliciter intelligi potest. 1. quòd transgressio legis, quam Adamus accepit, necdum expiata esset. Quemadmodum dicit Rom. 5: 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo*, hoc est, reatus peccati: & sic peccatum non erat abolitum. & Rom. 4: 15. *Ubi enim non est lex, ibi nec transgressio*, hoc est, ubi lex præceptorum, quæ qui facit, in eis vivit, non recitatur, cum maledictione addita, & nihil propter peccatum faciendum imponitur, ibi demum est signum transgressionis abolitæ. Atqui ante Christi adventum addita est lex, & παρεισῆλθε *subintravit*, post promissionem auditam. Rom. 5. v. 20. Id igitur signum est, transgressionem tunc adhuc superfuisse (nempe propter reatum) & satisfactione indiguisse. 2. quòd Israëlitæ transgressione sua meriti sint, ut legem, quæ iram operetur, & grave jugum servitutis ipsis imponeretur, & Deo occasionem dederint eam imponendi & ipsis & posteris eorum. Id perspicuè dicit Jeremias cap. 31: 32. Patres *irritum fecerunt fœdus meum*, (hoc est, fœdus meum non acceptarunt, retinendo *viam* justitiæ, sed *à via recesserunt*, Exod. 32: 6. 7. *Populus tuus corrupit. Recesserunt celeriter à via*) *& ego dominationem exercui in ipsos.* pro quo Apostolus Hebr. 8: 9. ἠμέλησα αὐτῶν, *neglexi ipsos*, hoc est, neglectius cum ipsis egi; non habui illos ut filios delicatè & commodè, sed neglectiùs, tanquam servos. Verbum בָּעַל quum in genere significet habere, nempe ut maritus conjugem, Es. 54: 5. ut juvenis virginem colit, Es. 62: 5. hîc tamen significat illam בְּעוּלַת, qua quis immorigerum populum & fœdus repudiantem adhibet; quem nec missum facit, nec clementer & suaviter colit atque honorat, sed ad munia servorum adigit. Ita vel apposita monstrant vocabulum generalius ad hanc tractationem esse contrahendum; ut & Es. 26: 13. בְּעָלוּנוּ; vel etiam ipsa verbi constructio cum ב *in.* q.d. ἐνεῖχον αὐτοῖς. Hesych. ἐνέχῃ, μνησικακεῖ, ἔγκειται. Jerem. 3: 14. *Revertimini, filii aversi, quia ego dominatum exercui in vos.* Lxx. καθοκυριεύζω ὑμῶν. Rectiùs, κατακυριεύσα ὑμῶν. q. d. exercui in vos jus δεσπότου heri, &

& non sivi vos è potestate mea elabi, nec missos vos feci, quanquam aversos. Id graphicè describit Ezechiel cap. 20. commemorans, quid ipsis dixerit in Ægypto: nempe quòd manu sublata. h.e. jurejurando interposito, ipsis dixerit, *Ego Iehovah Deus vester.* vers. 5. quodque juraverit eis, se ipsos educturum ex Ægypto in terram fluentem melle & lacte. v. 6. & jusserit abjicere abominationes oculorum suorum & stercoribus Ægyptiorum non inquinari. quia ipse Jehovah Deus ipsorum esset. v. 7. Cui dicto convenit, quod est Exod. 15: 25. 26. *Ibi posuit ei statutum* (definitionem) *& judicium, & ibi tentavit eum, & dixit: Si auscultaveris voci Iehovæ Dei tui & & rectum in oculis ipsius feceris, & attenderis ad præcepta ejus & observaveris omnia statuta ejus; omnem morbum, quem posui in Ægyptiis, non ponam in te. Nam ego Iehovah te sano*, vel *sanator tuus.* confer Ps. 103: 3. Hæc dicta sunt ante legislationem. Ezechiel porrò dicit, eos in Ægypto ipsa immorigeros exstitisse. Attamen Deum eos eduxisse in desertum, & ibi *ipsis dedisse statuta & judicia, quæ qui facit, in eis vivit; atque etiam Sabbata sua.* v. 11. 12. Ipsos verò non obediviſse. v. 13. & eos quidem non abjecisse, sed jurasse ipsis, quòd non esset eos introducturus in terram, v. 15. tum filios allocutum, v. 18. 19. 20. quibus ne ipsis quidem morem gerentibus juraverit, quòd eos aliquando dispersurus esset in gentibus. v. 23. & imposuerit, introducendis in terram, præcepta non bona. v. 25. 26. &c. Ex quo loco liquet, distinguenda à nobis esse verba, quæ dicta sunt in deserto. Nam prima nihil sunt, nisi indicatio viæ, & præscriptio signi, ut Sabbati. cui adjunguntur pauca alia ejusdem mentis atque finis. Verba autem, quæ Moses postea locutus est, quàm secundò descenderat de monte, quum radiaret cutis faciei ipsius, continere præcepta in seipsis non utilia ad justitiam & vitam ac onerosa, & quæ damnationem sive accusationem impuritatis importarent & iram operarentur. Attamen totus hic sermo appellatur *lex*, & ea dicitur *propter transgressiones superaddita*, denominatione sumta ab illa parte, quæ exigit opera facienda ad confessionem reatûs. *Lex.*

31. Apostolus etiam demonstrat, legem fuisse aptam illi tempori, tum Galat. 4: 1. 2. tum Hebr. 5: 12. In illo loco ostendit, Israëlem tum fuisse instar pueri. ideòque fuisse subjiciendum actoribus & curatoribus. Ita Hoseas priori tempori tribuit, quòd Israël fuerit puer. Hos. 11: 1. *Quum puer esset Israël, dilexi eum.* In altero loco Apostolus dicit de Hebræis sui temporis, quòd se assimilent

Hebræis

Hebræis priscis, qui pueri erant. *Et exstitistis indigentes lacte & non firmo nutrimento. Omnis enim, qui particeps est lactis, imperitus sermonis justitiæ. infans enim est. Adultorum verò est firmum nutrimentum, qui propter habitum sensoria exercitata habent ad dijudicationem boni & mali.* Quid igitur *pueritia* hîc notat. Num prioritatem temporis? Non putem. Nam ita Patres, qui non fuerant sub lege, pueri dicendi essent. Oportet tamen Veteribus etiam aliquid defuisse, quod si adfuisset, non potuissent in servili conditione haberi: nempe, quo accepto *filii Dei* vocantur, qui pertinent ad Novum Testamentum. Sed solus ille defectus non est ratio, quare Israëlitæ præ Patribus infantes & pueri vocentur. Notatur infantia, quæ requirit pædagogum, curatores & œconomos cum elementis mundi, quibus manciparentur. Nempe animus infirmus, ab officio faciendo aversus & ad vitium proclivis. qualis animus in pueris esse solet. Passim in lege accusatur populi σκληροκαρδία, frons ferrea, cervix chalybea. Deut. 29: 4. *Non dedit Iehovah vobis cor ad intelligendum & oculos ad videndum & aures ad audiendum.* cap. 31: 21. *Novi figmentum ejus, quod ille format hodie, antequam eum introducam.* Sexcenta istiusmodi leguntur. Sufficit Jeremiæ dictum cap. 31: 32. *Irritum fecerunt* sive rejecerunt *fœdus meum.* Deut. 5: 29. quum dixissent Israëlitæ, se facturos præcepta Dei, tanquam optans dicit, *Vtinam hoc illorum cor esset*, &c. q.d. illorum animus verbis ipsorum non congruit. Solemus, quæ scimus aliter se habere, quàm verbis ostentantur & jactantur, optare. Est ἀνθρωποπάθεια. Sensus est. Non possunt me verbis suis blandis decipere. Animus illorum bonus laudari non potest, qui optari potest. Et testatur Jeremias, hanc fuisse causam redigendi eos in servitutem. In his igitur consistit Israelis infantia quòd, quum Semen non venisset, nec consummatum esset, neque Euangelium de justitia & regno Christi adhuc posset prædicari, nec fides Euangelii ad justificationem plenam daretur, nec spiritus filiorum (καθ' ἐξοχὴν) effusus esset: & Deo visum esset totam gentem assumere tanquam populum eique terram Canaan pro pignore dare; ideoque pignus necessariò amandum esset, & mors magis pertimescenda, quàm sua natura est terribilis iis, qui promissionem Dei sequentes ad gratiam ejus confugiunt; cùm fideles non potuerunt recedere à toto populo, qui secundùm literam vocabatur populus; & difficile fuit propter communem ἀγνωσίαν ad veritatis cognitionem pervenire & ex peccatis eluctari; tum pleraque

multi-

multitudo exorbitans à via & ignara sapientiæ veræ pro infantibus rectè haberi potuit, propter quam & fideles, quamvis essent fortes in Domino, coacti sunt iisdem moribus vivere, quibus reliqui, qui infantes & ignari sermonis justitiæ & animo infirmo fuerunt. De tali igitur populo dicit Apostolus, quòd, quum *pueri* essent (intellige, quoad majorem partem infirmi vel ignari & non attendentes ad verba promissionis) licèt essent filii (quoad meliorem partem) & domini omnium, Deus ipsis præposuerit pædagogos, œconomos ac tutores, qui eos subjicerent *elementis mundi:* in quibus tractandis per totam vitam versarentur, ut cogerentur non tantùm audire verba promissionis, verba fœderis, & præcepta, quæ qui facit in eis vivet (in quibus ambulare est veræ μετανοίας & effectus, ut justificationis, ita & sanctificationis, ad gloriam Dei) sed etiam figuras, umbrasque rerum futurarum, quibus promissio illustrabatur, & ad eam considerandam adigebantur (coacti scilicet mysterium significatum ex ea repetere; ne temere ac sine fide in iis tractandis versarentur) coram oculis semper cernere & partim manibus suis administrare. Quæ *elementa mundi* nuncupantur, 1. quia erant res mundi inferioris & terrestres. Notum est, κόσμον pro γῆ sæpe dici in sacris. & sic Calvinus explicat, per *res externas & corporales, quæ ex mundo erant.* & Chrysostomus exempli causa *novilunia & sabbata* vocari *elementa mundi*, quia *à cursu Lunæ & Solis existunt.* & sic Theodoretus. 2. quia erant rudimenta terrestria meliorum. Utramque expositionem conjungit Gennadius apud Oecumenium. στοιχεῖά φησι τὸν κόσμον ἢ τὴν στοιχιώδη καὶ εἰσαγωγικὸν νόμον· ἢ στοιχεῖα καλεῖ ἡμέρας, ὕδωρ, πῦρ, ὧν ἦσαν ὁπλεῖς εἰς δουλείαν ὑπαγαγόντα νόμια αἱ παρατηρήσεις &c. Ablegat is ad Euseb. Euang. demonstrat. 4. cujus cap. 10. legitur: ὡς ἐν εἰσαγωγαῖς δὲ καὶ διδασκάλοις βίᾳ παιδιδοὺς αὐτῆς στοιχεῖα, ἀρχὰς συμβόλων καὶ λινοῦ σκιώδους καὶ σωματικῆς λατρείας ἐν σώματι θεσπιμῇ καὶ λινῶν ἄλλων πιστοτέρων ὄντι τῆς σωτηρίας. Sed velim teneri, *rudimenta* ea posse dici non vitæ perfectioris (quasi Israëlitæ non habuerint præcepta perfecta, aut quasi cultus ipsorum in illis præceptis solis constiterit) sed, quòd hæ figuræ & umbræ ducerent ad ipsam veritatem, & eam veluti ob oculos ponerent. Hæc *elementa mundi* vocat *lac*, & opponit *firmo cibo* Apostolus, puerili infirmitati tribuens, opus habere lacte & non firmo cibo. Hebr. 5:12.13. Quippe quum pueri umbras, figuras, parabolas, ænigmata, quæ veritatem nonnihil recondunt, &

Elementa mundi.

varia cogitandi anſam præbent, ſæpe ferre poſſint; veritatem non poſſint. quemadmodum & Chriſtus coactus eſt plurima per parabolas loqui, prout ſcil. poterant audire. Marc. 4: 33. Nam veritatem ipſam non poterant audire. Joh. 8: 43. Crellius *elementa mundi* interpretatur *elementa hominum in mundo*. Perperam. Nam *rudimenta*, ut *rudimenta*, per ſe non faciunt, ut is, qui ea accipit, ſervus dicatur (ita Promiſſio, quam acceperunt Patres, rudimentum fuit Euangelii: & tamen liberam vitam egerunt) ſed *res terreſtres & carnales*; quibus ſubjici & moleſtum & vile eſt.

Ἀνοχή. 32. Fuit inſignis patientiæ & clementiæ divinæ, quòd, quum manum ſuſtuliſſet, ſe ipſos diſſipaturum inter gentes, Ezech. 20: 23. eos tamen introduxit in terram patribus promiſſam, & eos populum ſuum vocavit: quanquam in perpetua contumacia & defectione perſeverarent: eoſque tulit, & eorum moribus ſe accommodavit, eiſque dedit ſtatuta, quæ ad illorum captum eſſent; ſi vel per illa docerentur, & per moleſtiam, quam in iis obſervandis habebant exantlandam, poſſent excitari ad regnum juſtitiæ & libertatis deſiderandum, & oblatum recipiendum. Ideòque id vocatur tempus *ἀνοχῆς θεῦ tolerantiæ Dei*. Rom. 3: 26. Et convenit, quod eſt Eſ. 48: 11. *Defector ab utero vocatus es. Propter nomen meum prolongabam iram meam & propter gloriationem meam continebam me tibi, ne exſcinderem te.*

Oeconomi Iſraëlis quales? & quæ ipſorum auctoritas? 33. Neque putandum eſt, tutores atque œconomos rectiùs affectos fuiſſe omnes erga Deum, quàm cæteros. Nam & de iis eſt querimonia multa in Scripturis propheticis. ut Eſ. 43: 27. 28. 52: 5. Mal. 2: 1. 4. 5. 6. Zoph. 3: 3. 4. Pſalm. 82: 1. 2. 5. Quanquam juſſi fuerunt Iſraëlitæ ad illos accedere in rebus dubiis: ut cautum eſt Deuter. 17: 8. 9. 10. 11. 12. 13. Voluit quippe Deus, omnia dubia ad ſummi Senatus notitiam pervenire, ut, quantum omni ope humana poſſet fieri, corruptelæ arcerentur, & doctrina veritatis ac juſtitiæ per capita populi & ſcribas ac legiſperitos toti populo communicaretur. Illorum officium fuit, indicare *legem* ac *verbum judicii*. v. 9. 11. Nihil verò *addere* ipſis licebat ad legem Moſis, aut de illa detrahere. Deut. 4: 2. 12: 32. Prov. 30: 6. Tamen παιδεία & *caſtigatio* ipſis permiſſa fuit. Hebr. 12: 10. Quæ potuit etiam procedere ad vetationem rerum non illicitarum. Unde מְחוּקְקִים *appellantur*, hoc eſt, νομοθέται. Qualia præcepta Judæi etiam hodierno die diſtinguunt à præceptis Dei, ea vocantes סְיָג לַתּוֹרָה *ſepem*

pem legis; quæ vocant דִּבְרֵי סוֹפְרִים: *verba scribarum.* Auctoritas autem eorum hæc erat, ut, qui בְּזָדוֹן per proterviam & contumaciam inobediens esset, morte afficeretur. *Per contumaciam*, nempe 1. non per ignorantiam & inadvertentiam. 2. si non posset verè dicere, *Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus.* Actor. 5: 29. Nam, si bona conscientia id facere possent, quod præcipiebant, & faciendum & ferendum erat, etiamsi grave esset. Matth. 23: 3. *Patres* enim erant; ib. v. 9. אָבִיכֶם וּמוֹשְׁלִים אֲבִיכֶם אֲבִיכֶם ἐξουσίαι *principes & potestate præditi*; & *dii* vocabantur, quòd non tantùm propter divinam voluntatem ipsis obtemperandum esset, (quod commune habebant cum cæteris patribus & omnibus principibus) ut Deo, sed & verbum Dei ex ipsorum ore esset petendum. Quæ dignitas quum esset major dignitate omnium principum, non potuit destituta esse potestate inferiori. Nam, si licuisset in rebus omnibus opponere rationem suam & æquitatis allegationem, nunquam fuisset disputationum finis. Si autem dictum eorum contrarium esset divinis jussis, sine dubio nulla *contumacia* fuit, illis non obedire. Neque enim tanta fuit eorum auctoritas, ut cogeretur quivis in conscientia dictum ipsorum habere pro dicto Dei, & doctrinam illorum pro integra doctrina pietatis, Matth. 5: 20. 21. &c. & vitii experte. Vide Matth. cap. 15: 3. 16: 6. 12. Confer Malach. 2: 8. *multos feciſtis offendere in lege.* sive *multos corruere feciſtis per doctrinam.* Jer. 8: 8. 23: 35. Qui & damnat vulgarem opinionem, quòd dicerent: *Non peribit lex* vel *doctrina à sacerdote & consilium à sapiente & verbum à propheta.* Jer. 18: 18. Tamen voluntas Dei fuit, ut per aliquos ipsorum, tanquam successores Mosis, doctrina de Christo & passionibus ejus ac regno conservaretur. Gen. 49: 10. Matth. 23: 2. Actor. 26: 5. Qui ut supereſſent, retinentes Verborum saniorum, quemadmodum in populo, ita in doctoribus ejus, etiam missis subinde prophetis effecit Deus. Nam ab eorum doctrina sunt reliquiæ antiquæ Catecheseos, confirmatæ in fidelibus per verba Mosis & Prophetarum præcedentium. Neque enim defuerunt semper, qui ad ea attenderent spiritu amoris ac timoris Dei induti, & promissionis valorem & ænigmatum mentem, à Deo illuminati, quantum satis esset, intelligerent.

34. Voluit Deus illa gubernatione ostendere, quid posset caro omnibus rebus externis adminiculata ad sapientiam Dei cognoscendam, & ad Deum amandum, & quid præsidii sit religioni ac pietati in multitudine populi & regno principumque auctoritate ac *Scopus Dei Israelem subjicientis legi & principibus.*

potestate. Quum post diluvium multiplicaretur genus humanum, placuit, quò unitas per eadem verba conservaretur in mundo, Civitatem erigere & nomen, quod ab hominibus nominaretur. Id consilium disturbavit Deus. Dissipati homines obliti sunt paulatim verborum Dei. Tum deseruit Deus gentes, & iis non locutus est amplius; ut sequentibus ætatibus patesceret, quid valeret sapientia humana ad cognitionem Dei & veram pietatem: sed interim filios Israël assumsit, gentem integram, quam alloqueretur & cui se manifestum faceret, & quam omnibus illis modis erudiret, atque in qua spectandam præberet aversionem humani ingenii à quærenda sapientia Dei & condigna æstimatione verborum Dei, & à fide mysterii ipsius, superbiamque ejus se per suas murmurationes & ratiocinationes divinæ sapientiæ opponentis. Id clarè ostendit Es. cap. 5: 1.2.3.4.5. Omnia nempe fecisse Deum circa vineam suam, quæ caro postulare poterat, ut fructum ferret; & tamen non tulisse. Proinde (ut est Es. 40: 5.6.) *omnem carnem esse gramen, & ipsum populum*, hoc est, esse impotentem ad subjiciendum se Deo & abjiciendum suum φρόνημα *studium* ac *sensum*, & Deum amandum ac glorificandum, & se ei committendum in fide, ac charitatem (fructum justitiæ) exercendam. Præterea voluit Deus audiri legem utramque, & eam, quam qui facit in ea vivit, sive cujus obedientia jus vitam petendi pro mercede conciliat; & eam, quæ præceptis gravibus populum onerabat, ut ejus impuritatem accusaret. Idque non uno fine. Nempe 1. ut Israëlitæ tentarentur, an rectè electuri essent viam justitiæ, benedictionemque & vitam à benedictione pendentem. Deut. 30: 19. 20. Rom. 9: 31. 2. ut Christus sub lege nasceretur; hoc est, non tantùm sub præcepto dilectionis fratrum & debito Sponsoris, sed etiam sub lege maledictionem irrogante, ut manifestum fieret, eum revera & justitiam adduxisse & exsecrationem pro nobis factum esse. 3. ut inter sacerdotes victimas offerentes & in populo molesta opera faciente appareret Christus & munia sacerdotis obiret, atque ita & victimas & opera omnia, tanquam inutilia ad justitiam, & principum auctoritatem ac potestatem publicè prostitueret & in triumpho duceret. maximè verò ut in eo judicio, quo Rupem salutis suæ architecti erant rejecturi, Deuter. 32: 15. Psalm. 118: 22. demonstraret hominis cæcitatem & perversitatem.

Finis legis dictus à Paulo Rom. 5. v. 20.

35. Paulus Rom. 5: 20. dicit, *Legem subintrasse ut abundaret lapsus.* Indicans, utut per se lex comparata esset ad salutem, tamen eam legis

legis lationem inserviviſſe divinæ ſeveritati, ut *lapſûs* (intellige, Adami, qui totum mundum præcipitavit) potentia demonſtraretur. Cum quo convenit Rom. 7: 12. 13. *Lex quidem ſancta, & præceptum ſanctum, & juſtum & bonum. Ergone, quod bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum: ut appareret peccatum per bonum mihi operans mortem; ut fieret exceßivè peccaminoſum peccatum per præceptum.* Nempe ſeveritatis fuit 1. quòd promiſſioni appoſitum eſt *velum.* 2 Cor. 3: 14. hoc eſt, quòd is ſermo promiſſioni prætextus eſt, & carnalibus hominibus (quales erant plerique in populo) & non attentis ſibique confidentibus occaſio data eſt eligendi, non benedictionem & vitam, ſed maledictionem & mortem. quod fecerunt Judæi, quærentes legem juſtitiæ & ad legem juſtitiæ non pervenientes, quippe ex operibus eam quærentes, hoc eſt, ex lege tum peccatoribus maledictionem imponente, tum ipſos fideles de maledictione commonefaciente, quaſi per eam ſanctificarentur & juſtificarentur. Rom. 9: 31. 32. Vide Pſalm. 109: 17. *& dilexit maledictionem, & evenit ei; & non delectatus eſt benedictione, & elongata eſt ab ipſo,* hoc eſt, rejecit verbum gratiæ affixus verbo damnationis. 2. quòd per præcepta, quæ qui facit in eis vivit, data eſt occaſio odii Dei exercendi. Nam id verbum (quando ſolum auditur, aut percipitur ab audiente magis quàm promiſſio) *interficit* hominem, & manet *litera*, hoc eſt, non inſcribitur cordi, 2 Cor. 3: 6. efficiens in eo omnem concupiſcentiam, Rom. 7: 8. & maximè concupiſcentiam adverſus Dei & ſanctitatem & judicium & ὑπαρξιν. Nemo enim, qui damnatur, amat damnationem & damnantem. 3. quòd per patientiam Dei & indulgentiam & mentionem miſericordiæ ipſius data eſt occaſio *conſilium* improbum capiendi, nempe ut facerent quædam & alia omitterent, & ſic aſſumerent fœdus Dei in os, & ſe juſtos reputarent, ac Deum eſſe ſimilem ſui cogitarent; quum tamen eſſent duplici corde, & Deum per *confeßionem* non glorificarent, neque fœdus in amore ac ſtudio ſincero cum ipſo facerent ſuper ſacrificio. Pſalm. 1: 1. Luc. 18: 11. 12. Deut. 32: 5. Pſ. 50: 16. 21. 14. 23. 5. Prov. 30: 12. Eſ. 1: 11.—20. 4. quòd, dum gentibus non potuerunt miſceri Iſraëlitæ puritatis carnalis ſtudio (quæ gentibus ridicula fuit) gentes habuerunt occaſionem vel obliviſcendi Deum vel religionem ex arbitratu conſtituendi & Deos falſos καὶ τὰ νόμιμα nominandi ac celebrandi. omninoque religionem rem variabilem & à placito pendentem reputandi: deinde Deum Iſraëlis propter Iſraë-

lem blasphemandi (Rom. 2:24. Es. 52:5. Ez. 36:23.) dum Israël sapientiam & prudentiam, quæ est in lege Dei, ipsis non explicaret (Deut. 4:6.) neque illas doceret jurare in Deo vero. Jer. 12:15.

36. Quamobrem in eo tempore, quando auditur lex justitiæ sine velo & non in ænigmate, diligenter *videndum* est, *quid audiamus.* Marc. 4:24. ne præterfluat nos verbum, ut imber lapidem durum. Hebr. 2:1. 6:7. Sunt enim, sine dubio, justissima Dei judicia in eos, qui contemnunt & negligunt tantam salutem, qui nec tanta benignitate, nec tot judiciis, quæ Deus antea socordibus irrogavit, commoventur, ut Deum timeant.

Usus legis operum perpetuus.

37. Observandus hîc interim usus legis operum, quæ habet præcepta, quæ qui facit, in iis vivit; qui usus omni tempore obtinet in fidelibus. 1. quòd se cognoscunt carnales naturâ; quum lex spiritualis sit, hoc est, talis, qualem decet Spiritum inscribere cordibus. Id autem inde cognoscunt, quia non, quod volunt, faciunt, sed quod oderunt, hoc est, sibi non satisfaciunt in bono (Gal. 5:17.) imò sæpe præoccupantur ut faciant mala. Gal. 6:1. 2. quòd cognoscunt, se regenitos. quia faciunt, quòd non volunt, & condelectantur legi secundùm interiorem hominem. ideòque se jam esse *alios* & *novos* homines. 3. quòd cognoscunt, novitatem non provenire à se. quia malum apud se inveniunt, non bonum. 4. quòd intelligunt, se non justificari vel quod bonum volunt, vel quòd bonum faciunt, quia inveniunt legem sibi sive in se; quandoquidem non faciunt, quod volunt, bonum, & malum sibi adjacere inveniunt. imò reliquias legis peccati aut potestatis, quam habet peccatum in peccatorem vi legis, in se reperiunt. 5. quòd habent occasionem deplorandi miseriam suam & ad liberationem ex corpore mortis anhelandi. 6. quòd possunt Deo gratias agere per Jesum Christum Dominum, in quo habemus perfectam justitiam, ita ut non sit nobis condemnatio. Hæc explicantur ab Apostolo Rom. 7:14.—25. 8:1. 2. 3. 4. Atque ita lex fit utilis justificatis & testis justificationis ipsorum, quæ sine Christo erat lex & potentia peccati. Rom. 8. vers. 2. 1 Cor. 15:56.

Lex Mosis quomodo ad nos spectet?

38. Sed lex Mosis data est Israëli, & ad eum propriè spectat. Non, quòd non etiam nostrum sit, arcana ejus rimari & figuras cum veritate conferre & veritatem per figuras confirmare, figuram autem per veritatem illustrare: sed, quòd Deus non imposuerit ea facienda & tractanda nisi Israëlitis & proselytis promissionem Abra-

Abrahamo factam & spem Israëlis apprehendentibus, per tempus Veteris Testamenti. Quod planiùs cognoscetur ex promissionibus Novi Testamenti.

39. Interim hoc in antecessum monemus, quòd *principum & deorum nominatorum* functio propriè versata fuerit in imponendis δικαιώμασι σαρκὸς *statutis carnalibus*. Quanquam enim iidem etiam verbum gratiæ loqui, & figuras explicare, & per eas ad Christi notitiam & ad fidem ac justitiam populum deducere debuerint; quippe cùm lex fuerit pædagogus ad Christum; & illi *clavim cognitionis acceperint*, Luc. 11: 52. quandoquidem & Abraham, Isaac, Jacob ac cæteri Patriarchæ, & Moses & Aharon & Josuas & cæteri seniores, & Samuel & David & Asaph aliique partim illuminati à Deo ad attendendum sermoni promissionis; partim extraordinaria gratia Spiritus sancti de mysterio salutis planiùs edocti non destiterant de eo loqui. unde nominatim de Aharone & primis sacerdotibus dicitur Malach. 2: 4. 5. 6. 7. 8. 9. ubi posteriores, qui *clavim cognitionis sustulerant*, increpat: *Et cognoscetis, quòd miserim* AD VOS *præceptum hoc* (ipsis præcipuè erat concreditum) *ut esset fœdus meum cum Levi. Testamentum meum fuit cum ipso vitæ & pacis; & dedi ea ipsi in timorem, & timuit me; & ob nomen meum consternabatur ipse. Lex veritatis erat in ore ipsius, & injustitia non inveniebatur in labiis ejus. In pace & in plano ambulavit mecum, & multos convertit à pravitate. Nam labia sacerdotis servant scientiam; ut legem requirant ex ore ejus. Nam angelus Iehovæ* Dei *exercituum est. Sed vos discessistis à via.* Hoc non erat eorum proprium ministerium. Nam & prophetæ ad hoc missi fuerunt, & omnium piorum confessio ad hoc debebat inservire. *Principum potestas restricta ad legem cærimonialem.*

40. Hoc autem regnum *deorum nuncupatorum* in populo Dei non obtinebat nisi ad tempus. Limitata fuit illorum functio ad hanc vitam. Nam, ubi carnis petulantia non amplius est coërcenda, & vetus homo depositus est, & lucta cessat, & satietas est in specie Dei; Psalm. 17: 15. tum πνεῦμα *spiritus* potitur πλήρωσι *consummatione*. Vide Hebr. 2: 15. 12: 23. *Principatus hominum finiendus, & quando?*

41. Deinde limitata fuit illorum fūnctio ad ὡρισμένον *præstitutum tempus*. Quod מוֹעֵד dicitur ab Habacuc cap. 2. v. 3. Unde Prophetæ dicebant אַחֲרִית הַיָּמִים τὸ ἔσχατον vel τὰ ἔσχατα τῶν ἡμερῶν τούτων, *ultimum* vel *ultima dierum istorum*, loquentes de iis diebus tanquam finem habentibus; & eas distinguentes à עוֹלָם הַבָּא vel הַיָּמִים הַבָּאִים τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι *seculo venienti*, vel *futuro*, *diebus futuris*. Unde &

Apo-

Apostolus Hebr. 9: 9. dicit τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα *præsens tempus*. Et Hebr. 2: 5. dicit τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν *orbem habitabilem futurum*. Et solet lex talia instituta appropriare *seculo* & *generationibus Israëlitarum*. intellige, quamdiu Israël erat futurus populus à gentibus discretus, exspectans cœlum novum & terram novam, cum hæreditate gentium.

42. Sapientia Dei in eo elucet. qui suam potentiam & impotentiam carnis hac re priùs demonstravit, quum postea virtutem justitiæ & potentiam spiritus ac gratiæ demonstraret. Et, quemadmodum ex tenebris lucem eduxit, & homines per pueritiam & adolescentiam ad virilem firmitudinem deducit, ita & populum suum paulatim ad τελείωσιν *consummationem* voluit perducere.

43. Mutari is status non potuit, nisi misso Filio Dei, & quidem, ut is *nascens ex muliere*, *fieret sub legem*, ut eos, qui sub lege erant, *emendo* in peculium & proprietatem, liberos ab ea faceret, *ut adoptionem* ἀπολάβοιεν *perfectè acciperent*, (quantum in terra fieri debuit) & ipsi & gentes, quæ sub legem non fuerant.

Caput LV.

De Sacramentis Veteris Testamenti, quæ addita sunt Circumcisioni.

Instituta Mosis habent diversum scopum.

Quæ à Mose instituta fuerunt, non eundem omnia scopum habuerunt. Quædam enim ad ordinem pertinuerunt; quædam etiam ad arcendum Israëlem à gentium commercio; quædam ad accusandam impuritatem, aut ad docendum in parabola nobilius officium. Verbi causa, quum vetat bovi trituranti os capistrare, docet, iis, qui laborant in verbo communicandum esse de omnibus bonis. Quum alias carnes puras dicit, alias impuras; simul admonet de reatu (nam impuritas est à peccato. nihil impurum est justo) simul monet in parabola, cavendam esse communionem illorum hominum, qui sunt ut impura animalia, porci, canes, leones, lupi, vulpes &c. & carent iis virtutibus, quæ significantur per ea, quæ habent pura animalia, nempe meditatione & constantia; quæ notantur per ruminationem cum fissis ungulis. Inter omnia autem instituta eminent illa, quæ significant mysterium fidei & bona futura, eorumque umbræ ac figuræ fuerunt. Quæ tamen & ipsa potuerunt talia esse, ut reatum testarentur, ut tanquam aliqua ejus expiatio &

Discrimen ciborum.

luitio

Iuitio essent. Illa, quæ figuræ fuerunt, omnia, fuerunt *sigilla justitiæ fidei*. Nam non tantùm rem futuram indicabant, sed etiam singulis in fide utentibus fiduciam dabant sibi vindicandi justitiam, & bonum, quod cum justitia connexum est, sperandi. Ideòque dubitari non potest, quin ea fuerint *sacramenta*, hoc est, *sacra signa* sacramentum sive mysterium Dei indicantia, & sacra *signa* ac sigilla *fœderis* gratiæ, accommodata statui fidelium justificatorum, qui tunc ante reconciliationem esse poterat; eam scil. justitiam testantia, & ejus consummationem pollicentia. Nos de quibusdam insignibus aliquid dicemus.

2. In Ægypto acceperunt Israëlitæ Pascha. Quum Deus con- *Pascha.*
stituisset primogenita Ægyptiorum interficere, & Israëlitarum domos incolumes servare, dedit Israëlitis symbolum, quo monerentur, quænam causa esset salutis & gratiæ, qua Israël tum, velut populus Dei, ex medio populi integer & sine damno atque incommodo ullo erat educendus. Jussi sunt seligere agnum aut hædum, quem mactarent ante vesperam (Joseph. de bello l. 7. μεταξὺ ἑωθινῆς ὥρας μίσχει ἐνδεχάτης) diei decimæ quartæ mensis, in qua inarescebant fruges: quem primum jussi sunt habere. Deinde sanguinem jussi sunt postibus & superliminari allinere. Tum ea nocte eum comedere assum, cum amaris & azymis. Reliquum ad manè cremare. Ita Deum præteriturum ipsorum ædes. Inde πασχα *transitus* appellata est ea victima, & festum, quod deinceps quotannis jussi sunt agere in memoriam hujus præteritionis. Vide Ex. 12: 1.—20. Non fuit quidem tunc Israëlitis explicatum, quid ille ritus significaret. Attamen non difficilis fuit intelligentia ejus. nempe, quum Jehovah se gereret pro sanctificatore eorum & Deo eorum & liberatore eorum, debebant & poterant animadvertere, liberationem ab ira & plagis mundi esse effectum sanguinis, quem Deus daturus esset ad expiationem peccati. Agnus significabat cùm patientiam mediatoris, tum imputationem peccati. Agnus enim aberrantem notat. Es. 53: 6. Mediator peccatum fieri debebat. 2 Cor. 5: 21. Nam justus, qui patitur mortem, peccatum fit. Nam à peccato est mors. Patientia autem charitatis comprobatio est. Charitas est obedientia, qua legi satisfit & justitia ac vita impetratur. Esus agni significat receptionem Mediatoris per fidem, & communionem, quam fideles habent cum ipso ad vitam. Unde mors Mediatoris ipsorum mors reputatur: quemadmodum typicè agni mortificatio

videbatur proprii corporis mortificatio. Cibus enim cujusque pro corpore ipsius substituitur. Cibus enim ad hoc comparatus est, ut concorporetur edenti. Igitur fidei justificatio per eundem esum notatur. Nam, qui mortuus est peccato, justificatus est à peccato, ut vivat Deo. Rom. 6: 7. Gal. 2: 19. Multi comedebant de uno: ut intelligerent, multos in uno fieri unum, & unum esse justitiam & vitam multorum. 1 Cor. 10: 17. Sanguine inficiebantur postes & superliminaria in Ægypto. Cor & conscientiam oportet esse aspersam sanguine Christi, sed & ore debet fieri confessio ad salutem, & Christi mors in nobis debet operari ad mortificationem vetusti hominis. Gal. 5: 24. Cum azymis edebant agnum. Qui delectatur Christo, ut sacrificio & averruncatore peccati ac iræ, etiam delectatur novitate. Fermentum à vetustate est, & corruptionis initium est. Nova & incorrupta massa est dulcis & acoris expers. 1 Cor. 5: 7. 8. Nemo diligit Christum & non diligit charitatem Christi, & obedientiam ejus, & Dei sanctitatem, quam patiendo demonstrat, & vitam, propter quam datur justitia: atque adeò veritatem & εἰλικρίνειαν. Cum amaris edendus agnus, cum patientia afflictionum Christus accipiendus. Reliquum ad manè cremandum: quia non debebat supereſſe hoc sacramentum cum aliqua corruptione. Et differendus non est esus corporis Christi in crastinum. Periculosum est differre. Hodie, si vocem ejus auditis, ingeniculate ei: ne obduretis corda vestra. ait Psalm. 95. Gratia rapienda est; non negligenda fastidiosè. Assum debebant comedere. Nam *Zelus domus Domini ipsum devoravit*. Psalm. 69: 10. Igne charitatis absumtus est, & ita sensus iræ Dei in peccatum per συμπάθειαν & ἐλάθειαν ipsum torruit. Stantes & accincti & calceati cum scipionibus in manu eum comedebant in Ægypto: ut essent parati ad exeundum. Nam eadem nocte ab Ægyptiis extrudendi erant. Qui comedunt Christum in mundo, Ægypto spirituali, debent & ipsi parati esse ad exitum suum. Festum Paschatis septem diebus agebatur. Septem dies universo tempori, quod desinit in sabbatum Dei, respondent. Et Ecclesiæ Novi Testamenti tempus in septem partes distributum est. Decimo quarto die mensis Abib mactatus est agnus, & Christus crucifixus. *Præconium sanctitatis* fiebat primo & septimo die. Post Christi mortem sub prima tuba prædicatum est Euangelium libertatis ad omittendum opera Judæorum & gentilium & μεταίαν πατροπαράδοτον ἀναστροφὴν. Etiam sub ulti-

ultima tuba prædicabitur Euangelium regni in toto orbe, ut homines desistant ab operibus suis malis & viis propriis.

3. Hæc loquebantur illi ritus ad Israëlitas: quia plurima illorum valebant significare, & ipsis in mentem revocare, comparati cum promissione: cætera autem, quæ Deus posuerat in sua potestate, sive necdum revelaverat, post rem actam appariturum erat cum his ritibus convenire. Sed fac, etiam illa, quæ intelligi poterant, non fuisse intellecta ab omnibus. Attamen hi ritus videntibus illos & usurpantibus videbantur inclamare: Observa, quod vides; vide, quid agas. Quid tibi videtur portendere, quod agis? Non vides ejus rationem & sapientiam Dei, quam ostendunt? Putas ne, Deum inutilibus gesticulationibus delectari? Quum ista agis, cogita de verbo, quod audivisti, & in eo quære intellectum eorum, quæ agis. Nam hæc, quæ agis, præbent metaphoram, ad ea explicandum, quæ audivisti. Aspice etiam, quid Deus agat, & annon in operibus ejus invenias figurarum istarum veritatem. Atque hoc loquentes istos ritus quivis exaudire potuit. Accedit, quòd sancti à ritibus plerunque metaphoras sumserunt, quibus mysterium Dei explicarunt. Igitur non attendere ad significationem & simpliciter in iis actis acquiescere, quasi ad cultum Dei satis esset talia egisse, meri stuporis fuit. Fuerunt tamen inter Judæos, qui faterentur, esse in iis סוד *mysterium* & ἀλληγορίαν. Sed ii ex ingenio suo excogitarunt mysteria hærentes in physicis & moralibus; & promissionis Dei ac justitiæ ejus, de qua testatur promissio, obliti sunt. Quidam etiam ad vanitatem & superstitionem ac nugas fictasque fabulas eos ritus retulerunt. Quod ut manifestum sit, exhibebo hîc breviter, quam rationem Paschatis instituti commentus sit Abarbenel, quam plurimis verbis exponit in Commentario in Pentateuchum fol. 150. Arietem (signum primum & primogenitum in Zodiaco) dominari Ægypto. Ægyptios eum coluisse. Fecisse id etiam Israëlitas quosdam in Ægypto. Deum voluisse abducere ab eo errore Israëlitas, & eos educere ex Ægypto. Sed cœlestes dispositiones Israëlitis decrevisse servitutem ferendam sub Ægyptiis. Ideò necesse fuisse, ut Deus ipse aboleret vim exercitus cœlestis & nominatim Arietis ea nocte. Arietem autem habuisse potestatem in primogenita Ægyptiorum, quia Aries est primogenitum Zodiaci sidus. Igitur percussionem Arietis sequi percussionem primogenitorum. שֶׂה בָּא תָלֶא *quòd unum penderet ab altero.* Oportuisse

Significatio Paschatis quomodo noscenda?

Aberratio Iudæorum in significationis determinatione.

autem etiam primogenita Israëlitarum perire, tum naturali jure, ut primogenita, tum, quia Israëlitæ etiam coluerant hoc sidus. Ideò Deum ipsis dedisse Pascha & id aspexisse. Ei rei deinde conatur omnes cerimonias accommodare. Atq; ita gloriatur, se הַיְרוּשׁ הַנִּכְבָּד הַזֶּה *quæsitum illud glorioſum* expediviſſe, de ratione inſtituti Paſchatis. Philo ſolet Pascha referre ad Ἀβάσιν *tranſitum*, quo homo ἐκ παθῶν εἰς ἄσκησιν ἀρετῆς Ἀβαίνῃ *ex paſſionibus* ſive *affectibus ad exercitium virtutis tranſit*. de sacrif. Cain & Abel. p. 94. Festum appellat Ἀβατήρια. de vita Mosis p. 467. (Joſ. 2. ant. 5. rectiùs ὑπερβάσιαν: ut manuscriptus quidam legit; nisi malis ὑπερβάσια, lectione vulgari retenta, ut κρόνια, παναθλώαια & simil.) & tum ibi tum περὶ τῶν δέκα λογίων. p. 523. dicit, singulis annis semel dari sacerdotium omnibus Israëlitis. Quod in usus nostros transferre licet. Christus morte sua omnes fecit sacerdotes, ut nempe sanguine ipsius aspersi statim, sine ambagibus ac servitute elementorum mundi aut chirographi subsignatione ad Deum tanquam placatum accedere possint.

Baptiſmus maris & nubis.

4. Apostolus Paulus traductionem Israëlitarum sub *nube* per *mare rubrum* sive *Erythræum* aut potiùs *Idumæum*, quod Scriptura *algoſum* nominat, interpretatur baptismum quendam. 1 Cor. 10: 2. *Et omnes in Moſen baptiſati ſunt in nube & mari*, hoc est, Omnes magnifico illo modo per mediam quasi mortem traducti sunt, ut crederent Mosi. Hic enim est finis & fructus miraculorum Dei, quæ fecit in Ægypto. Vide Exod. 4: 5. 8. 9. 14: 31. 19: 9. Quemadmodum autem diluvium & baptismus sunt antitypa & in significatione conveniunt (vide supra c. 53. § 3.) ita etiam traductio per mare & baptismus sunt antitypa. Nam numquid non videtur vociferari ea res gesta, quod est Psalm. 68: 21. *Deus Iehova habet exitus mortis?* Nubes verò, quæ fecit, ut Sol ipsos non ureret, quæque nocte ipsis lux fuit, & in qua Angelus Jehovæ esse dicebatur, quæ ipsos distinguebat ab Ægyptiis, ex qua fulmina conjecit in Ægyptios, docet, Jehovam & Angelum Jehovæ esse clypeum electorum contra omnem vim & contra omnem linguam, Es. 54: 17. atque adeò contra accusationem legis & violentiam Diaboli. Angelus in nube ambulans est præludium incarnationis ☧ λόγυ.

Manna.

5. Secuta est datio Mannæ cibi cœlestis. Exod. 16. Quod à Davide appellatur *frumentum cœlorum, panis fortium*, Psal. 78: 24. 25. Auctor libri Sapientiæ c. 16: 20. id explicavit, ἄρτον ἀγγέλων. Id si sequi-

sequimur, erit loquutio sacramentalis, nempe quòd Manna ipsis datum fuerit, ut in eo quasi prægustarent eum, qui est cibus & deliciæ angelorum. Sed nescio annon potiùs לֶחֶם אַבִּירִים *divinum panem* debeamus interpretari. Deus vocatur אֲבִיר יַעֲקֹב *heros Iacobi*. Et plurale in divinis non est insolens. Apostolus 1 Corinth. 10: 3. vocat βρῶμα πνευματικὸν *escam spiritualem*, hoc est, quæ habuit πνευματικὸν δήλωσιν *spiritualem significationem*. Christus Joh. 6: 32. eam δήλωσιν explicat. *Non Moses dedit vobis panem ex cœlo: sed Pater meus dat vobis panem ex cœlo verum.* Esca quidem illa erat ex cœli aliqua regione, sed non ex cœlo cœlorum: & non erat revera esca; quia non dedit vitam. v. 49. 50. *Patres vestri comederunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis, qui ex cœlo venit, ut quis ex eo edat & non moriatur.* Sic v. 58. Item v. 33. *qui dat vitam mundo.* Item, de quo qui edit, *non esurit.* v. 35. Et manna corrumpebatur in alterum diem asservatum: at cibus cœlestis *vivit, &, qui ex eo edit, vivit in seculum.* v. 51. Igitur Manna significabat, Eum, qui est vita & Israëlis & mundi, de cœlo venturum. Nam hoc ex promissione intelligi poterat. Cæterum eum, qui est vita mundi, esse cibum, hoc est, concorporari hominibus & in ipsis esse, ut ipsis sit vita. Quæ concorporatio fit fide, ut spiritus sanctificantis primo opere. Johan. 6: 40. 63. 64. Porrò descensus ejus de cœlo est assumtio carnis. Et, ut paret vitam per justitiam, oportuit eum corpus suum offerre & sanguinem fundere. Ergo & panis, quem is, qui descendit de cœlo, dat, est caro ejus. v. 51. & potus, sanguis ejus. v. 54. 55. h. e. mortis & vitæ ejus datur communio credentibus.

6. Manna ita datum fuit, ut singulis diebus quisque colligeret Gomer in caput, & sexto die duplum, parandum & in sequentem diem: quo Deus ipsos jussit manere in loco suo & manna nec quærere nec parare in cibum. Ita simul Sabbatum hebdomadale initiatum fuit sive requies septimi diei. Exod. 16: 23. de quo deinde speciale præceptum datum est Exod. 20: 9. 10. Sanctè autem & sancto fine habendam illam requiem, docet v. 8. Et, quis speciatim finis ejus requietis esset, docet Exod. 31: 13. Quod repetit Ezech. cap. 20: 12. Debebat scilicet illa ἐυεχθεία & ἡσυχία, *abstinentia ab opere & ocium*, esse *signum inter* Deum & ipsos, quòd Deus ipsos & tunc sanctificaret, eos assumens in fœdus & populum suum facies per promissionem & ejus fidem ac fidei fructus sanctos; & postea sanctificaturus esset redemtione & circumcisione cordis etiam à *Sabbatum.*

conſcientia peccati & reatûs (qui adhuc flagitabat ſacrificium) atque ita effuſione Spiritûs filiorum ad libertatem & lætitiam. Ad quem finem id ſignum aptiſſimum erat. Terram non attingebant & fructus ejus; paratis cum lætitia utebantur; ſervis nulla munia imperabant, & ne jumentis quidem ad ſervilia munia utebantur. Quæ erat prægustatio regni libertatis. Interim opus licitum facere erat eum diem profanare. Eo admonebantur de impuritate ſua, quòd opera ſua, etiam licita, eſſent peccato inquinata: & quòd ea impuritas deſideraret expiationem. Apoſtolus Hebr. 4:9. conficit ex Pſ. 95. poſt tempus Davidis *relictum fuiſſe ſabbatiſmum aliquem populo Dei.* quem David appellat *requiem Dei. Si intrabunt in requiem meam.* Eſt igitur aliqua *requies Dei*, ſupra requiem à creatione univerſi, cujus quidam participes futuri erant, nempe Rupem ſalutis adorantes; & alii expertes; nempe eam negligentes & contemnentes. Certum eſt, eſſe requiem Dei, cujus participes requieſcunt ab omnibus laboribus ſuis in gloria. Sed de ea ſola non loqui Davidem, manifeſtum eſt: quia, qui *hodie*, hoc eſt, ſtatim, *quum audiunt vocem Rupis ſalutis*, eam adorant, ſtatim etiam ingrediuntur in requiem Dei: qui autem id recuſant facere, expertes ſunt requietis, quam Deus repræſentat ſuis, etiamſi & habitent in terra & in ea ſabbatizent: perdituri etiam cœleſtem requiem, & terræ, quam nimis amant, poſſeſſionem. De ea requie loquitur etiam Eſaias cap. 28. v. 11. 12. *Nam in ſannis labri & in lingua alia loquetur ad populum hunc: quia dixerat ad ipſos; Hæc eſt quies: quietem date feſſo: & hæc tranquillitas: & non voluerunt audire.* De futuro loquitur in viſione velut in re præſenti. Conqueritur de Judæis, quòd Deo non auſcultaverint, quum is ipſis requietem annunciaret, & feſſis requiem dare juberet, & id facientibus tranquillitatem promitteret. Pronunciatque, Deum deinceps ipſis loquuturum alia lingua, hoc eſt, ad gentes converſurum labium clarum, ut Euangelium non audiant niſi in lingua gentium & ex ore earum. Neque poteſt dubitari, an ſtatus Novi Teſtamenti & regni Dei in eo ſit *Sabbatiſmus* quidam, niſi ab eo, qui dubitat, an exſatiatio & libertas ſit tranquillatio, vel, an ea, quæ facta fuerunt ab Iſraëlitis, aliquando debuerint ceſſare, vel, an Iſraël habuerit exſpectationem & ſitim melioris ſtatus & dierum aliorum in hac vita, vel denique, an Chriſtus ſit, qui dicit Matth. 11: 28. *Venite ad me, qui defatigati eſtis & onerati, & ego faciam ut requieſcatis.* Apoſtolus autem, dum σαββατισμὸν appellat hanc requiem, perſpicuè dicit,

Sabba-

Sabbatum legale hujus typum & figuram fuisse. quemadmodum & diserte Col. 2: 16. 17. *Sabbata* inter *umbras futurorum numerat.* Atque hinc est, quòd Theologi Ecclesiæ Reformatæ unanimiter docent, Cessatione uti Ecclesiam in libertate Christiana. Libertas autem Christiana non habet locum, nisi in præceptis, quæ δόγματα ab Apostolo nuncupantur. Itaque meritò inferimus: Quo utimur in libertate Christiana, de eo præceptum non habemus. Cessatione utimur in libertate Christiana. Ergo de ea præceptum non habemus. Quippe, de quo præceptum habemus, in eo non sumus liberi, sed obligati. Verùm de tota hac re alibi fusiùs egimus.

7. Postquam Christus, Manna verum, satis diu apparuisset in terra & consummatus nobisque factus esset cibus vivificans ad vitam æternam, non fuit deinde visus in terra aliquid faciens aut patiens salutis nostræ causa; sed quievit in sepulcro. & quidem ipso die septimo. Quemadmodum in Paschate notatus fuit dies, quo Christus passus est, nempe decima quarta luna primi mensis; ita per Sabbatum fuit indicatus dies, quo Christus, parata vita æterna, in oculis hominum non fuit versatus, jacens in sepulcro.

8. Post dationem cibi spiritualis secuta est datio *potus spiritualis.* *Aqua ex petra.* Dedit enim ipsis *bibere ex spirituali sequente petra. Petra autem erat Christus.* 1 Cor. 10: 4. *Sequens petra* dicitur more Judæorum. qui hyperbolica locutione dicunt, petram volutam fuisse per desertum. Significant autem, fluvios ex ea fluxisse & desertum irrigasse. Psal. 78: 15. 16. *Spiritualem petram* dicit Paulus, ut *spiritualem potum*, h.e. spirituali significatione aliquid aliud ostendentem. Idque interpretatur, dum dicit *Petram fuisse Christum*, hoc est, per petram fuisse significatum Christum. Bis autem factum est, ut aqua ex petra ipsis daretur. Exod. 17. & Num. 20: 10. 11. ubi & Moses atque Aharon peccarunt. Et prima quidem vice mandato Dei percussa est petra & dedit aquas: altera autem vice bis percussa præter mandatum Dei plurimum aquæ fudit. Christus semel percussus à Mose ut legis datore, factus sub legem, aquam dedit. Deinde non debuit percuti, & tamen percussus est in corpore suo Ecclesia, & dedit aquam.

9. Sequitur serpens æneus Num. 21: 8. 9. Cujus significatum *Serpens æneus.* explicat Christus Joh. 3: 14. Tentaverant Christum in figura Mannæ. Num. 21: 5. 1 Cor. 10: 9. Jussi sunt ad Christum respicere in figura serpentis. Nam oportebat eum execrationem fieri & instar

semi-

seminis serpentis in altum tolli, nempe in crucem. Significabat illud symbolum, A Deo præparatum esse ipsis ἱλαστήριον, quod aspicientes liberarentur à morsu serpentis antiqui. Eum verò instar peccatoris in lignum esse exaltandum. Zach. 12: 10. *Et aspicient ad me, cum eo, quem confixerint.* Neque enim conveniebat, ut putarent, Deum id opus, intuitum serpentis ænei, instituisse medium condonationis peccatorum, & liberationis à morte & omni pœna. Nam non alia ipsis poterat ostendi causa liberationis à morsu serpentum, quàm unica causa remissionis peccatorum, justitiæ & totius salutis. Habebant promissionem. Habebant tot figuras. Stuporis erat, cogitare, Deum delectari intuitu serpentis ænei ad remittendum peccatum & auferendam pœnam. Id Deo affingere, fuisset non tantùm verbum Dei oblivisci, sed Deum abnegare. Cæterum illa castigatio per serpentes docebat, Contemto Manna vero, quod de cœlo descendit, serpentis antiqui potestatem vigere. Id accidit Judæis Christum respuentibus.

Iuge. 10. Sed hæc quidem post institutionem Tabernaculi facta sunt. Tabernaculum autem positum est inter tentationem duplicem super aqua. In eo voluit quotidie duplex holocaustum immolari, quod תָּמִיד appellatur. ἐνδελεχισμὸν Græci nominant. Vide Ex. 29: 38. 39. Num. 28: 3. Mane alterum, alterum ante vesperam offerendum erat. Respondet in passione Christi tempus crucifixionis Christi & mortis. Marc. 15: 25. 33. (Matth. 27: 45. 46.) 34. 37. Quotidiana verò instauratio, quemadmodum significat illius victimæ τὸ ἀθανὲς καὶ ἀνώφελες: Hebr. 7: 18. 10: 2. ita notat perpetuam vim & efficaciam unius oblationis Christi, 1 Joh. 2: 2. & ejus ἐμφανισμὸν perpetuum. Hebr. 9: 24. 10: 14. Dan. 12: 11. ubi de ultimis temporibus vaticinatur, dicit, *Iuge auferendum esse & dandum abominabile stupentis.* Fides unius sacrificii & ἱλασμῷ est juge sacrificium. nempe sacrificium *confessionis.* Psalm. 50: 14. 23. Hebr. 13: 15. Ea non potuit deficere; quia & Ecclesia non potuit tota extingui aut deficere. At potuit ab ore multorum auferri hæc confessio, & mutari in celebrationem alius sacrificii, quod à stupentibus & ἄνοις confictum est, hoc est, potuit ἀποστασία inter nominatos Christianos oriri & eò usque invalescere, ut loco veræ confessionis, ibi, ubi ea audita erat & viguerat, tanquam victæ, cum triumpho poneretur illa abominatio. Quale quid actum vidimus. Alioqui ἐνδελεχισμὸς literalis cessavit sub Antiocho. quod prophetat Daniel c. 8: 11. 12. 13. 14. Ante

destru-

deſtructionem templi per Romanos decima ſeptima Julii ſive πεντήκοντα ceſſaviſſe, narrat Joſephus lib. 7. c. 4.

11. Inſtituit etiam Deus Levit. 23. ut in Paſchate poſtridie Sabbati ſive die primo hebdomadis *manipulus* offerretur & agitaretur coram Jehovah. v. 4. 11. Id de primo hebdomadis accipiendum, clarè patet ex eo, quòd Scriptura jubet numerari ſeptem *ſabbata integra*. v. 15. *uſque ad poſtridie Sabbati ſeptimi*. v. 16. Jam, ſi Paſcha non cadat in Sabbatum, & ſecundus dies feſti (ut voluerunt Judæi) intelligendus ſit per *poſtriduanum Sabbati*, conſequitur, ſepties *poſtriduanum Sabbati*, explicandum eſſe *ſecundum feſti*, in ſingulis ſeptem hebdomadibus. Quod fieri non poteſt. Sed, Chriſto patiente, accidit, ut ſecundus feſti, quo Chriſtus reſurrexit, eſſet poſtriduanus Sabbati, ſive primus hebdomadis. Quum autem videmus, Chriſtum primogenitum ex mortuis & primitias eorum hoc die reſurrexiſſe, non dubitamus, Deum in oblatione manipuli ei rei præluſiſſe. Nam manipulus ille primitiæ eſt ſeminum, quæ in terram ceciderunt, & ex terra quaſi revixerunt. Vide 1 Cor. 15: 36. *Manipulus.*

12. Pentecoſte autem, quæ in primam ſabbatorum debebat incidere, Lev. 23: 16. qua munus novum debebat offerri; ſimiliter præludium fuit initiationis Apoſtolorum & Eccleſiæ Novi Teſtamenti per effuſionem Spiritus ſancti. *Pentecoſte.*

13. Novilunia juſſit ſancta haberi, ut doceret, novam lucem aliquando orituram ex tenebris; eamque ſanctificatione ornandam eſſe. Ideò & Scriptura prophetica per novilunium intelligit id tempus, quo Deus omnia faciebat nova. Vide Pſalm. 81: 4. Hoſ. 5: 7. Eſ. 66: 23. Imprimis feſtivum erat habendum novilunium ſeptimi. Lev. 23: 24. Id quippe anni novi initium habebatur. Annus gratiæ in fine dierum erat extiturus. Eſ. 61: 2. 63: 4. Habacuc cap. 3. verſ. 2. *Novilunia.*

14. Ejuſdem menſis decimo *jejunium* habebatur. Is dies vocabatur יום כִּפֻּרִים *dies expiationum*. Lev. 23: 27. 28. Quo die duo hirci ſiſtendi erant: ſuper quibus ſors duceretur. Quem ſors legiſſet, is immolabatur, & ejus ſanguis intrò ferebatur à ſummo ſacerdote. alter autem mittebatur לַעֲזָאזֵל Levit. 16. De quo diximus in Commentario in epiſtol. ad Hebr. cap. 9. § 23. Jejunium docebat, eos, quorum peccata expiantur, debere imperare concupiſcentiis, & omnia terrena abnegare. quinetiam illum amorem in iis effici, ut animæ ſuæ, hoc eſt, vitæ non habeant rationem. *Jejunium: & introitus Sacerdotis in ſanctum ſanctorum.*

Nam jejunium non est satisfactio. Sitientibus & esurientibus justitiam Christus datus est. Cæterum sacerdos cum sanguine intrabat tum in sanctum sanctorum aspersurus arcam. Eo figurabatur Christi, cujus sanguine sanctificatus est Deus volens habitare in hominibus, tum resurrectio ex mortuis, tum ascensio in cœlos. Resurrectio, per quam secundò intravit in orbem habitabilem, & visitavit suos, ut redemtos, eisque lucem & mensam paratam ac cibo spirituali instructam proposuit, potestatemque dedit cum precibus suis accedendi ad Deum. Ita ut illi similitudinem haberent primi tabernaculi, in quo candelabrum & mensa & altare suffitus ante velum. Ascensio autem, quia sacerdos transibat intra velum. Nam sanctum sanctorum typus cœlestis mansionis erat. Velum autem Christus reliquit apertum factus prodromus pro nobis: atque ita tabernaculum unum effecit, & ἀνακεφαλαίωσιν sive unionem & commixtionem illorum, quæ in cœlis, & eorum, quæ in terris sunt, Eph. 1: 10. quoad πλείωσιν justitiæ & libertatis accedendi ad Deum. Hebr. cap. 11. vers. 39. 40.

Festum tabernaculorum.

15. Tandem ejusdem mensis die decimo quinto instituebatur festum Tabernaculorum. Levit. 23: 34. Quod in veritate celebrandum docet Zacharias cap. 14: 16. innuens, in Ecclesia Christiana, pessundato Antichristo, aut saltem, Ecclesiâ ab ipso liberatâ, fideles, abnegata terrestri hæreditate & civitate, se paraturos ad emigrationem ex hoc seculo & regnum gloriæ excipiendum.

Baptismus propter mortuos.

16. Notabilis fuit inter purificationes purificatio à contactu mortuorum, instituta Numer. 19. Ad quam alludit Paulus 1 Cor. 15: 29. qui eum ritum facit argumentum resurrectionis mortuorum. Alludit etiam Psalmus 51: 9. Nos de eo egimus ad Hebr. 9. §63.—67. Similis quodammodo est ritus purificationis à lepra. Levit. 14: 4. 5. 6. 7. Atque hæc de Sacramentis Veteris Testamenti superadditis Circumcisioni degustasse sufficiat.

LOCUS

LOCUS DECIMUS NONUS
DE
Novi Testamenti Promissione & præparatione.

Cap. LVI.

De Promissione Novi Testamenti.

Operæ precium est, jam considerare, quid Patres sub lege exspectaverint, & cujus rei cogitatione se in vita alioqui satis molesta exhilaraverint. Quod comperiuntur ita fecisse, ut futura conati fuerint facere præsentia, & de iis in spiritu, tanquam de præsentibus, cum gaudio locuti sint. Id opus fidei Veterum vocatur חזון *visio* Hab. 2: 2. quæ significat mentis à præsentibus avocatæ & in considerationem futurarum rerum transmissæ exultationem propter sperata, & non visa, tanquam visa. Fides enim est ἔλεγχος μὴ βλεπομένων *demonstratio eorum, quæ non videntur*, sive ea existent, sive adhuc exspectentur. *Patrum spes*

2. Ut autem patres in futuris possent aliquo modo deliciari, multiplicata est prophetia: explicans, quid impositurum facturus esset Deus, & quomodo tempora distribuisset, donec Christus apparuisset, & quid porrò futurum esset in mundo & Ecclesia, donec veniret consummatio seculi & dies Domini, quo venturus est ad judicium, illuceret. Unde S. Petrus dicit, *prophetas quæsiviſse & scrutatos esse, in quod & quale tempus Spiritus Christi, qui in ipsis erat, significaret Christi passiones & glorias sequentes*, hoc est, quàm prope abesset Christi apparitio, & quis tum rerum status futurus esset, quum Christus esset passurus, & quæ demonstratio regni ipsius imposterum esset secutura cum manifestatione gloriæ ipsius. 1 Petr. 1: 11. Nostrum verò est, tum per illas promissiones confirmari de Euangelii veritate, tum ex *signis temporum* animadvertere τὸ πλήρωμα τοῦ καιροῦ *plenitudinem temporis*, tum ex verbis Prophetarum, quæ nobis præiverunt, quibusque de rebus futuris locuti sunt, tanquam si illis *alia per Prophetiam,*

interesſent, discere, quomodo nos, dum res geruntur, affectos esse oporteat; &, quum illi se superextenderint ad gaudia nostra, vicissim ipsorum, quorum sumus filii, ἀγαθίασιν imitari.

quæ loquuntur de diebus aliis. Vnde dies Visionis.

3. Imprimis testantur Prophetæ, illos dies, in quibus ipsi vivebant, habituros esse finem. Esaias cap. 2. v. 1. *Erit in fine* בְּיָמִים *dierum horum.* Si autem priores dies finiri debebant, id, quod in prioribus diebus fieri debebat, cessare & abrogari debebat. Nam, si omnia eadem imposterum quoque futura erant; non erant finiendi priores dies. Habac. 2:3. *Adhuc erit visio* לַמּוֹעֵד עֵוֹד חָזוֹן *ad sixum tempus: & prædicator* vel *proclamator* erit *in Fine.* Est igitur finis tempori præstituto, quo est *Visio.* Hoc solet Moses innuere, quando dicit, *In generationibus vestris, in habitationibus vestris.* q.d. Quàm diu vestrum genus lege generationis vocabitur populus Dei, & id vestrum erit περιτέμνεσθαι, neque habebitis rem cum gentibus, atque eæ necdum fient hæreditas vestra, vosque seorsim habitabitis & in gentibus non numerabimini. Num. 23:9. Israëli enim dabat illas leges, ut exspectarent aliquid melius: non etiam imperabat illis, ut eadem observarent, quum venisset illud, quod exspectare jubebantur.

expectationis:

4. Eam *exspectationem* indigitat Esaias c. 8. v. 17. *Et præstolor Iehovam, qui abscondit faciem suam à domo Iacobi, & exspectavi eum.* nempe ut videam ipsum, quem nemo hactenus vidit: qui nondum manifestatus est. Et Jacobus Gen. 49:18. *Salutem tuam exspecto, Iehovah.* Habac. 2:3. *Si tergiverserur, præstolare eum: quia veniendo veniet.* Es. 64:3. *Et à seculo non audiverunt, non auscultarunt: oculus non vidit præter te Deum,* qui *facit ei, qui præstolatur ipsum.* Nemo audivit talia verba, aut ea ingenio assecutus est, qualia nos audimus, de opere tuo. Loquitur verbis Ecclesiæ illa audientis. Atque, etiamsi Deus visus sit quodammodo in Sinai, tamen oculus non vidit Deum, ut nunc; quando facis ea, quæ præstolati sunt tui. Neque alius Deus visus est, quàm tu, qui ea facis. Es. 40:5. *Et revelabitur gloria Iehovæ & videbit omnis caro pariter, quum* vel *quòd os Iehovæ locutus fuerit.* Cum quo convenit, quod est Deut. 18:15.18. *Prophetam ex medio tui è fratribus tuis, ut me, excitabit tibi Iehovah Deus tuus: eum audietis. Prophetam excitabo ipsis ex medio fratrum ipsorum parem tibi, & dabo verba mea in os ejus, & loquetur ad illos id omne, quod ei præcipiam.* Significat, futurum esse, ut ex propheta fratre audiant verba, quæ solus Deus poterat loqui, quæque Moses non poterat loqui, quæque Deum loqui decebat,

& aspectûs ac auditûs.

cebat, ut Deum Israëlis & verè Jehovam, quæque adhuc locuturus erat, antea autem non erat locutus; quibus auditis, nihil restaret dicendum, quia Jehovah, ut Deus Israëlis, *omnia sua verba* ad populum elocutus esse videri deberet, ad populi πλεήωσιν & *consummationem*. Unde Johannes Baptista dicit Joh. 3: 33. *Qui accipit ipsius* (qui de cœlo venit) *testimonium, obsignat, quòd Deus sit VERVS. Quem enim misit Deus* ex cœlo, *VERBA DEI loquitur. Non enim ex mensura dat Deus spiritum.* Ut spiritus filiorum detur, audienda erant verba Dei, ut Patris, & fratris primogeniti.

5. Eam exspectationem promissio *Euangelii* aluit & sustentavit. *Promissio Euangelii.* Psalm. 68: 12. *Dominus dat dictum: Euangelisantes caterva exercitus magnus.* Simulatque Dominus locutus est, euangelium præconiatur à turmarum exercitu magno. Es. 40: 9. *In montem altum ascende tibi Euangelizatrix Sionis; extolle cum viribus vocem tuam, Euangelizatrix Hierosolymæ: extolle, ne metuas: dic oppidis Iudæ, Ecce Deus vester.* Es. 52: 7. *Quàm decent super montibus pedes Euangelium nunciantis, qui promulgat pacem, euangelizat bonum, qui facit ut audiatur Salus: qui dicit Sioni; Rex factus est Deus tuus!* Es. 61: 1. 2. *Spiritus Domini Iehovæ super me est: quia unxit me, ad euangelizandum mansuetis: misit me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem & vinctis acutum visum: ad prædicandum annum acceptationis Iehovæ & diem vindictæ Dei nostri, ad consolandum omnes lugentes.* Confer Psalm. 40: 10. 11.

6. Ut exspectatio Euangelii est sitis quædam & fames, ita Euan- *Satietas.* gelii prædicatio est irrigatio & satiatio. Jer. 31: 14. *Et irrigabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bono meo satiabuntur.* & v. 25. *Quum irrigavero animam lassam & omnem animam,* quæ *consternata erat, implevero.* De qua siti & expletione loquitur Es. 55: 1. 2. post Mosen Deut. 29: 18. 19. *Ne sit in vobis radix fructificans veneno & absinthio — ad addendum irriguam* sive potatam *sitienti,* hoc est, potatos & satiatos sitientibus. Quo verbo indicat, aliam conditionem esse sitientis & aliam satiati: neque debere satiatum in conditionem eandem cum sitiente compingi.

7. Neque tantùm expletio desiderii & sitis in posterum promissa fuit, atque adeò languoris & lassitudinis, quæ solet esse in expectantibus & sitientibus, ablatio, sed etiam *quies* à labore & oneris bajulatione. De ea requiete loquitur Psalmus 95. vers. 11. Confer Hebr. 4: 5. 7. 9. Vide etiam Es. 28: 12. Neque profectò fieri potest, ut, quibus promissa est *Requies,* quum in eo statu versa- *Quietis.*

rentur, de quo dictum est, *Ego dominationem in eos exercui*, sive *ut dominus cum ipsis egi*, Jerem. 31: 32. in quo statu *præcepta non bona*, & *instituta*, *in quibus non viverent*, ipsis imposita erant, Ezech. 20: 25, iis non debeat videri promissa Requies à molesto opere & occupatione circa elementa mundi & inutili ad justitiam ac vitam fatigatione. Quin prædicanda erat *libertas captivis* & *vinctis*. Es. 61: 1. Zach. 9: 11. Atqui lex illa præcepti carnalis erat velut *custodia* & *lacus*, in *quo non erat*, ad sitim restinguendam, *aqua* (non enim dabatur verbum Euangelii) & ex quo non poterant exire. Nam lege constringebantur in servitute. Confer Gal. 3: 23. Et hinc Jacobus Genes. 49: 10. *legislatores* ac pædagogos continuat *usque dum veniat Silóh*, *cui gentes obedituræ*. Ubi autem est שִׁילֹה, ibi est שַׁלְוָה *tranquillitas*: quæ scilicet non fuit data sub *legislatoribus*. Nam, si sub illis esset, quid opus fuisset *Tranquillatorem* expectare? Et *legislatores* urgent ad aliquid faciendum, quod molestum est, & aliquid, ut πειθαρχῶ, (habent enim ἐξουσίαν, & sunt מוֹשְׁלִים) imperant. quod non est *tranquillitatis*.

Promissio reconciliationis: & vocationis gentium: & benedictionis earum.

8. Prima promissio spem & exspectationem in posterum facit. Gen. 3: 15. *Conteret, & tu ipsi conteres calcem.* Non videbat id Adam aut Eva, neque prædicatum audiebat. Neque enim semen adhuc mulieri datum erat. Quum Noachus diceret, *Habitabit Iaphet in tentoriis Semi*, Gen. 9: 27. de futura re loquitur. Quum Abrahamo diceretur, *Fiam semini tuo in Deum*, &, *in semine tuo benedicentur gentes*, hæreditatis mundi desiderium, & ἀγαλλίασις ad videndum diem Christi, cum effusione omnis benedictionis, excitabatur. Denique ipsa ἐπαγγελία *Promissio* venturi Filii Dei ad adducendam justitiam eamque prædicandam, per se Novum Testamentum indicat. Indicat enim Dei consilium de distinguenda temporum œconomia, & de excellentioribus bonis posteriori tempore dandis; & consequenter stipulationem fidei in Christum, ut justitiæ auctorem, & omnis reatûs ac sitis extinctorem, & satietatis, πληρώσεως ac libertatis datorem, importat. Aliter enim Christus prædicari, cognosci, recipi non potest. Sed, antequam veniat, revera reatus non est abolitus, & peccatum est in mundo, & commemorari potest, & conscientia necdum consummata est, & aliquid faciendum imponi potest, quo homo se debitorem profiteatur. Illius minor est & inferior conditio, à quo chirographum potest exigi: licet id non exigatur.

9. Mo-

9. Moses *circumcisionem cordis* promittit futuram posterioribus diebus, postquam in exilio conversi fuerint ad Deum. Deuter. 30. v. 2. 6. *Et converteris ad Iehovam Deum tuum, & auscultabis voci ejus, & circumcidet Iehova cor tuum & seminis tui, ad diligendum Iehovam Deum tuum ex toto corde tuo.* Qui conversi sunt ad Deum, ut auscultent voci ejus, circumciderunt cor suuum. Igitur jam Deus circumcidit cor ipsorum. Nemo enim circumcidit cor suum sine Deo circumcidente. Tum verò insuper Deus erat circumcisurus cor illorum jam credentium & voluntatem Dei facere volentium; nempe auferendo conscientiam reatûs, & accusationem ejus, & legem præcepti carnalis, & servitutem elementorum mundi, & formidinem mortis: ad diligendum Deum in lætitia & gratiarum actione & fiducia & gloriatione: & ad eundem modum erat circumcisurus corda seminis ipsorum, & successorum; & ipsarum adeò gentium. de quibus dictum erat, quòd *Sibi benedicturæ essent in semine Abrahami.* Gen. 22: 18. Quod non potest intelligi de semine Abrahami, prout futurum erat sub lege; 1. quia alibi dicitur, *Qui benedicet sibi in terra, benedicet sibi in Deo Amen.* Es. 65: 16. Ergo & gentes *sibi benedicent in Deo Amen.* Ergo, in quo benedicunt sibi, in eo habent & se consecutas putant omnes benedictiones. Et Esaias innuit, non priùs fore, ut gentes sibi benedicant in semine Abrahami, quàm *sibi benedicant in Deo Amen*, hoc est, quum promissiones Dei fuerint factæ Næ & Amen in Christo. 2. semen Abrahami, cui fuit imposita lex, non est exemplum *benedictionis.* Nam in legis datione non est benedictio. quia iram operatur aliquam; quæ à *maledictione* est. Rom. 4. Gal. 3. Quibus bene perpensis, perspicuum est, *Circumcisionem* illam *cordis* promissam afferre *Satietatem.* de qua est Deuter. 29: 19. Unde etiam intelligitur, gentium vocationem differri in illud tempus, quum Israël sibi benedicturus esset in Deo Amen, ut simul in Deo Amen, & semine Abrahami benedictionis auctore, ac semine Abrahami benedictionis exemplo gentes sibi benedicant. *Promissio circumcisionis cordis.*

10. Quod Propheta Esaias clare docuit cap. 54: 1. dicens, *filios sterilis & desertæ plures fore, quàm ejus, quæ pepererat, quæque habebat virum.* Ex quo testimonio clarè intelligitur, 1. Filios non unius esse conditionis. Nam, si filii essent unius conditionis, non possent comparari, ut diversarum matrum filii; & quidem quarum una priùs pepererit, altera autem, illa pariente, filios non habuerit. Nam, si filii inter se non differunt, neque matres differunt; neque una poterit *Distinctio duplicis seminis. ubi de Es. 54. v. 1. &c.*

rit vocari sterilis & deserta, altera verò maritata; scilicet, dumillà deserta est. 2. matrem, quæ *sterilis* dicitur & *desolata*, priorem esse *maritata filios pariente:* atque ita instar habere Saræ, quæ priùs nupsit Abrahamo & fuit ipsi *uxor juventutis*, (conser Es. 54:9.) & vera conjux. 3. quòd posteriores filii sint filii prioris matris; atque ita similitudinem ejus referant: priores autem filii sint posterioris matris filii & prioris matris dissimiles. Unde consequitur, posteriorem matrem, quæ priùs peperit, esse similem Hagaræ: quæ à Sara statu & conditione differebat. 4. quòd inter posteriores filios sint gentes. Nam in promissione *multitudo* significat *gentes.* Dicitur enim, *patrem multitudinis gentium do te.* Atque ideò jubetur ea, quæ sterilis fuerat, in omnes partes extendere tabernacula sua sine fine & modo. In quo modo loquendi est alluſio ad verba Noachi Gen. 9: 28. *Pelliciet Iehovah Iaphethum, & habitabit in tentoriis Semi.* Nempe Japheti posteri in tentorio Semi pro filiis recipiendi & in iis radicandi erant. Id porrò cognoscitur ex eo, quod addit Esaias v. 5. *Assertor tuus, sanctus Israël, Deus totius terræ vocabitur.* 5. Gentes non futuras fuisse similes statu & conditione filiis illius matris, quæ priùs peperit; sed futuras fuisse similes statu & conditione illius matris, quæ prior quidem fuit, sed ad tempus non peperit, verùm desolata fuit. Et clarum est, quòd gentes assumendæ in fœdus & in tabernacula Dei, quippe filii alterius matris, debeant differre à filiis omnibus matris priùs parientis, & non tantùm à quibusdam illorum. Ne quis putet, in eo differentiam esse, quòd priores filii sint partim boni, partim mali, sive partim fideles, partim infideles; posteriores autem sint fideles: & sic conveniant cum fidelibus, qui fuerunt inter priores filios, quoad statum. Id quod etiam inde revinci potest, quòd prior mater dicitur non peperisse. Parit autem prior mater fideles. Ergo fideles filii secundæ matris non censentur filii primæ matris, quia dissimiles sunt, non fide, sed statu. Proinde posteriores filii, qui sunt primæ matris filii, statu differunt à prioribus etiam fidelibus.

11. Porrò ex reipsa clarum est, matres duas convenire cum duplici genere patrum, quibus successerunt filii ipsis similes & legentes eorum vestigia, atque eundem cum ipsis statum habentes. Solet sermo Scripturæ multitudinem symbolicè sub figura fœminæ exhibere. Quemadmodum dicitur *Filia Hierusalem, Filia Babel,* pro *Filii Hierusalem, Filii Babel.* Et verò hi patres habent rationem matrum

ctum propter similitudinem conjugii, quam habuerunt, ut essent velut fœminæ desponsatæ viris. Tales patres enim fuerunt duplicis generis. 1. Abraham, &, quotquot fuerunt ante Mosen. 2. Moses, &, quotquot cum ipso steterunt ad montem Sinai & in deserto ambularunt: atque omninò omnes, quotquot in ea classe filios & successores habuerunt.

12. Et differentia illorum patrum manifesta est. Qui fuerunt ante Mosen, nihil habuerunt nisi promissionem redemtionis: quæ est causa benedictionis. cui promissioni credentes *justificati fuerunt per reputationem* Dei; Rom. 4: 3. & in seculo hoc vixerunt non aliter, atque si *peccatum* & reatus non *esset* amplius *in mundo*, hoc est, atque si *reconciliatio* jam *facta* esset, & sic *ira* cessaret, & *peccatum abstersum* atque *justitia adducta* esset. Rom. 5:13. 10. Rom. 4:15. Zach. 3: 9. Dan. 9: 24. Nihil enim ipsis impositum fuit, nihil imperatum, quod facerent tanquam ad luendum peccatum & pro eo satisfaciendum, & purificationem faciendam. Neque etiam terra data ipsis fuit in pignus, cujus bonis in vita longæva frui desiderarent, & sic mortem & afflictiones corporis ultra communem modum metuerent: quatenus necesse est pignus diligere & ei inhærere, & mors accelerata videtur esse privatio pignoris.

13. Moses autem & cæteri, qui cum ipso exierunt ex Ægypto, *primò* ad montem Sinai steterunt, ubi verba *Angeli* audiverunt, qui se nominat *Iehovam Deum ipsorum*, in quibus verbis continetur *Testamentum* & *fœdus*. Nam Terra Canaanillis ostenditur jam jam danda; & promittitur iis, qui parentes honoraverint, felicitas & longævitas in ea terra. Et hæc est apertio prioris Testamenti, quo Israëli hæreditas illa terrena datur, ut dixi, in pignus. Non enim potuit mutari hæreditas, quæ data fuerat & patribus, nempe Civitas & patria cœlestis. Ideoque hæc hæreditas terrena accedens ad promissionem patriæ cœlestis non nisi pignoris rationem habuit. Neque enim fieri potuit, ut eam hæreditatem Israëli traderet tanquam solam amandam, & mercedem, sive potiùs finem suæ assumtionis in populum Dei. Nam ea hæreditas etiam non potuit permanere. Hebr. 13:14. Quum tamen natura *hæreditatis* sit, retineri ab hærede, & ab eo non auferri vel alienari.

14. Et, quoad *fœdus* quidem, proposita fuit Israëli lex fidei & μετανοίας, nempe ut ambularent in sanctificatione. Quo fine ipsis distinctiùs sunt expositæ præcepta, *quæ qui facit, in eis vivit*. Ezech. 20.

v. 11. Datum est etiam ipsis *sabbatum, in signum, inter Deum & ipsos, quòd Deus ipsos sanctificaret.* Exod. 31: 13. Ezech. 20: 12. Qua re ad exspectationem quietis dandæ cum consummatione sanctificationis divinæ invitabantur. Hebr. 4. Psalm. 95. Es. 28. Unde perspicitur, jam tum aliquid novum ratione & *Testamenti* & *fœderis* sive νομοθεσίας ad fœdus & jus habendi pignoris terreni ordinatæ cum Israëlitis actum esse. Quod & Moses innuit Deut. 5: 2. 3. *Iehovah Deus noster fecit de nobis Testamentum* vel *pepigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris pepigit hoc fœdus.* Et Jeremias cap. 31: 32. *Non, quale Testamentum* vel *fœdus, quod pepigi cum patribus ipsorum eo die, quo apprehendi manum ipsorum, ut eos educerem ex Ægypto.* Ergo non antea. *Secundò*, quum interveniisset ἀθέτησις (quemadmodum Jeremias dicit: *Irritum fecerunt testamentum meum.* c. 31: 32.) hoc est, quum vitulum aureum fecissent, eaque re ostendissent, se ad verba Testamenti & fœderis non attendisse: Deus cum ipsis *egit pro jure domini*, eosque oneravit *jugo*, neque habuit molliter & delicatè, ut filii solent haberi; sed *neglectiùs*, velut *servos.* Jer. d. l. Ezech. 20: 25. 26. Hebr. 8: 9. Actor. 15: 10. Matth. 11: 28. Gal. 4: 1. 2. 3.

15. Quare non est dubitandum, alteram *matrem* esse illos patres, qui steterunt ad montem Sinai & postea subjecti sunt præceptis illis onerosis & δόγμασι sive νόμῳ ἐντολῆς σαρκικῆς. ut Apostolus loquitur Eph. 2: 15. Col. 2: 14. Hebr. 7: 16. Sic dico, illos patres innui per secundam matrem, quorum similes filii erant tempore Esaiæ, qui de futura nova generatione aut nova creatione (sic enim etiam loquitur Scriptura, 2 Cor. 5: 17.) vaticinatur. Atqui illi, qui vivebant cum Esaia, similes conditione & statu erant illorum, quibus in deserto grave id jugum impositum est.

16. Ergo prima mater eaque ad tempus sterilis sunt illi, qui egressos ex Ægypto & in terram introductos antecesserunt; quorum similes fiunt gentes, quibus inter alia bona & *libertas* annunciatur. Es. 61: 2. Nam illorum status, etiam quum in terris adhuc agerent, fuit liber ab onere, hoc est, tum à timore illo singulari mortis, tum à præceptis carnalibus tam multis, & præcipuè à præceptis satisfactionum & purificationum: licebatque omnibus in omni loco sacrificium offerre Deo, quale Abel in fide obtulerat. Tantùm hoc interest, quòd, quia *peccatum erat adhuc in mundo*, Rom. 5: 13. & non erat expiatum, sed ejus expiatio adhuc exspectabatur, etiam commemoratio peccati fieri potuit Veteribus, & ipsis onus

imponi

imponi potuit: quod postea factum est. At filiis non potest peccatum, ut extans & necdum abolitum, commemorari; quia per *sanguinem Testamenti liberi facti sunt*. Quod facile est intelligere; quia, postquam servitus & reatus accusatio introducta erat, non potuit dari & prædicari libertas, nisi interveniisset vera satisfactio. Atque hinc liquet, quòd Veteres primam matrem constituerint aliquo modo quidem in terra, sed veriùs & perfectiùs in cœlo: sive in statu gloriæ, ubi nullus metus, nulla servitus locum habere potest. Et hoc respectu matrem primam faciunt non tantùm, qui fuerunt ante Mosen, sed omnes *spiritus justorum consummatorum*, Hebr. 12: 23. atque adeò etiam illorum *justorum*, qui in corpore apud tabernaculum & apud templum Hierosolymis servitutem obiverant. Unde Apostolus cœlestem civitatem sive congregationem spirituum justorum (denominando eam à parte) vocat *Hierosolymam supernam*. Gal. 4: 26. Quemadmodum matrem secundam priùs parientem vocat *Hierosolymam, quæ nunc est*. Intelligens tempus, quo Apostolus scribebat; quando adhuc *prius tabernaculum habebat* πρώτην *stationem* & functionem. Hebr. 9: 8. hoc est, quum adhuc Israëlitæ cogerentur altare & tabernaculum prius adire & ibi cultum obire. Cæterum, dum dicit, *Hierosolyma præsens*, tacitè ei opponit *Hierosolymam futuram*; quæ in Scripturis dicitur *nova Hierosolyma, quæ de cœlo descendit*, Apoc. 3: 12. 21: 2. hoc est, è cœlo porrigitur in terram; ita ut terrestres & cœlestes habeant communionem consummationis in justificatione & libertate. Quæ ἀνακεφαλαίωσις eorum, quæ in cœlis sunt, & eorum, quæ in terris sunt, dicitur ab Apostolo Eph. 1: 10. Quò refer Phil. 3: 20. 2 Cor. 5: 2. Dicitur etiam ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα Hebr. 2: 5. Quòd autem Hierosolyma superna debeat habere filios in terra, patet; quia Deus promisit, *se facturum cœlum novum & terram novam*, ut, *qui sibi benedicit in terra, sibi benedicat in Deo Amen*. Es. 65: 16. 17. Amplius id manifestum est ex re ipsa; quia liberi sunt filii matris liberæ: sive patrum jam liberorum: & consummati sunt filii patrum jam consummatorum. Atqui Esaias, dum docet, filios posteriores esse dissimiles priorum filiorum, & in eo statu esse, ut mater eorum cantet & præ lætitia fragorem faciat, ostendit, eos liberos esse & consummatos; ita ut veterum spes & exspectatio sit completa. Quare Apostolus bene concludit Gal. 4. v. 26. *Hierosolymam supernam esse matrem omnium nostrûm*. Quod convenit cum eo, quod dicit Hebr. 11: 40. *Quippe quum Deus de nobis melius providerit,*

ne illi *sine nobis consummarentur*. Ubi est similis consummatio, ibi est matris super filiis exultatio, & filiorum ad matrem adductio. Neque ad aliam matrem pertinemus propriè, quàm ad eam, quæ, ut nos, libera est & nullam accusationem reatûs patitur aut pati potest, atque ad πλείωζιν pervenit.

17. Porrò jam hinc planum est, etiam per duas matres significari *duo testamenta*. ut Apostolus dicit Gal. 4. v. 24. Nam, si duæ matres sunt & duarum matrum filii diversa conditione sunt, utique duo Testamenta sunt, quibus utrumque semen & utrique semini sua conditio datur. Horum Testamentorum *unum* dicit Apostolus esse *à monte Sina*. intelligens id verbum, quo Deus declaravit, se populo Israëlitico jam jam daturum terræ Canaan hæreditatem. Hoc autem testamentum dicit *in servitutem generare*. ibid. & ejus filios *secundùm carnem generari*. v. 29. *In servitutem* quidem, 1. quia, qui accipit pignus, ei quodammodo cogitur servire. 2. Quia illis, quibus hoc Testamentum vel hoc Testamento hæreditas terræ Canaan data est, servitus dura imposita fuit. *Secundùm carnem* autem *generari*, quia hæredes terræ Canaan dicuntur omnes filii Israël, quotquot circumcisionem habent & Sabbatum ac ceteras cerimonias legis secundùm literam observant. Quod carnale est. Quamvis enim fœdus Dei postulet ὁμολογίαν Sponsoris, nihilominus tamen à templo & rebus sacris nemo arcebatur, qui legem Mosis agnoscebat, & ea instituta observabat.

18. Primo autem testamento succedit *secundum*, quod fundatur in sanguine Christi jam fuso. Matth. 26: 28. Quo mediante prima mater hactenus sterilis cum Hierosolyma superna filios parit. Quippe ita dictum est Abrahamo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Id autem semen, quatenus notat auctorem benedictionis, est Christus. Gal. 3: 16. Huic Testamento ἀναλόγως possumus assignare, quòd generet in libertatem. Nempe quando id Testamentum veluti aperitur, sive quum ejus executio per Redemtorem initiatur. Hujus filii sunt *secundùm spiritum*. v. 29. Non enim agnoscit Novum Testamentum filios, nisi credentes: & non vult agnosci, nisi eos, qui fidem in Christum confitentur, & nec factis abnegant, nec adulterio doctrinæ. Hi *promissionis filii sunt*, v. 28. quia vi promissionis virtute Spiritus sancti proveniunt. non autem ex carnali generatione & successione in carnalia censentur. *Liberi* porrò sunt, quia soli *Deo vivo* serviunt, nec *elementis mundi* aut *tutoribus ac œconomis* sive actoribus subjiciuntur.

19. In-

19. Interim, quemadmodum Abraham ad tempus Hagaræ aderat, relicta Sara, ita Deus per tempus habitavit in medio populi magna ex parte carnalis. Ideò ea *mater* (hoc est, omnes generantes in servitutem filios carnales) dicitur הַגָּר ἔχουσα ἡ ἀνδρα. Quare & apud Esaiam dicit v. 6. *Nam ut uxorem derelictam & cruciatam animo vocavit te Iehovah, & uxorem juventutis, quum repudiatur. Parvo momento reliqui te, & miserationibus magnis colligam te*, &c. Quibus verbis Deus compellat fideles & sanctos, qui erant in populo, & in fide Abrahami ambulabant, atque adeò ad idem corpus & eundem gregem cum Abrahamo & patribus liberis pertinebant, eosque patres repræsentabant, quibus tamen se Deus non ita exhibuerat, quemadmodum Abrahamo, sed propter peccata populi in deserto commissa & propter νηπιότητα & infantiam plerorumque Israëlitarum oneraverat eodem jugo: quasi non esset Deus illorum, velut Abrahami, sed Deus illorum, qui in litera observabant instituta Mosis. Quo tempore Abraham in filiis suis fidei suæ vestigia legentibus quasi repudium passus est. Eos igitur, ut patres futuros secundùm id, quo Abrahamum patrem referebant, quod non in carne situm erat, sed in spiritu, & similes sui plurimos filios, eosque liberos, visuros, consolatur. Hi sunt οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, quos Christus ad se vocat Matth. 11:28. & nominatim Apostoli ac deinceps omnes, qui secundùm promissionem spiritualem prolem quærunt. Vide Es. 60:22. *Parvus fiet in mille, & minimus in gentem validam.*

Et duorum Testamentorum.

20. Etiam expressè loquitur Scriptura Prophetica de duobus Testamentis. nempe Jerem. 31:31. Sed de hoc loco infra plenius agendum. Item Ezech. 16:61.

Promissio novi cæli & terræ.

21. Esaias c. 65:1. de vocatione gentium & contumacia Israëlitarum sic loquitur. *Respondi non interrogantibus, obtuli me non quærentibus me: Dixi, Ecce me, ecce me, ad gentem non nominatam de nomine meo. Expandi manus meas toto die ad populum refractarium.* Deinde queritur de Apostatis. v. 3. 4. 5. 6. 7. & ostendit, se memorem fore misericordiæ suæ, v. 8. 9. & insigne judicium acturum, quo distinguat populum suum & defectores. v. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Tum verò, *qui in terra sibi benedicit, sibi benedicturum in Deo Amen, & in eo juraturum, oblivioni traditis angustiis prioribus.* v. 16. *Nam se conditurum cœlum novum & terram novam,* (confer Es. 24:21. 23. 25:7. Apoc. 21:1. comparato c. 6:13. 14.) *Nam se creaturum Hierosolymam gaudium & populum ejus hilaritatem.* & quæ sequuntur. Hæc novitas indicat Novum Testa-

mentum. Nam illa consummatio novitatis locum non habet, nisi sub Novo Testamento. sub quo *omnia* sunt *nova creatura.* 2 Cor. 5: 17. Galat. 6: 15. Quam novitatem etiam Haggæus prophetat cap. 2: 6. 7. Confer Hebr. 12: 26. 27.

CAPUT LVII.

De Præparatione Novi Testamenti antecedanea: sive Veteris appropinquatione ad abolitionem.

Prophetia de præparatione Veteris Testamenti.

Habacucus cap. 1. v. 3. quum proposuisset expectationem & desiderium, ac querimoniam suam & fidelium, verbis Dei sic loquitur: *Spectate gentes & aspicite, & invicem miramini & miramini. Nam molitionem molitur in diebus vestris*: quam, *quum narrabitur, non credetis.* Quasi dicat: Est, qui jam hisce diebus vestris incipit opus & omnia ad id parat; quod quum factum narrabitur & prædicabitur, non credetis. Indicat, populum plerumque habere cor infidele, aversum à Deo, & ab exspectatione salutis Dei ac regni ejus. Deum verò vel Angelum Jehovæ jam tum ipsorum diebus aliquid facturum, quod ad opus ipsius perficiendum & narrandam adductionem justitiæ & salutis pertineat. Attamen populum, quum id olim narrabitur factum, non esse crediturum. Post deinde dicit, se Chaldæos adducturum tanquam procellam aliquam, ut *rei fiant, qui habent vim suam pro Deo suo.* v. 11. Subjicitur deinde Prophetæ comploratio & redargutio. Narrat autem, Deum sibi respondisse. *Adhuc futuram visionem ad præfixum tempus. Venturum autem in fine præconem,* sive *Proclamatorem* aut *Eloquutorem*; *qui non sit mentiturus: & justum in fide ejus victurum.* at, *cujus anima non futura sit recta in ipso, eam se subducturam,* nempe *ad clivum*: & clivum pro certiori perfugio habituram, quàm illum Prolocutorem. Sine dubio Elocutor, qui venit in fine stati temporis, quo debebat durare *Visio* prophetica; quique finem impositurus erat Visioni & Exspectationi; rem autem ipsam clarè enarraturus; in cujus fide est anima recta; in cujus fide est justitia & salus: est Christus. Quum igitur hoc potissimum sit opus Dei, quod narrandum erat; quodque non erant crediturí, quorum anima non erat futura recta in ipso, quique se ad clivum aliquem (nempe templi) tanquam arcem salutis erant subducturi convenit considerare, quæ sit molitio & præparatio hujus operis jam tum illis diebus instituenda. Propheta indicat, eam in hoc consi-

consistere, quòd Deus sit adducturus Chaldæos. Constat autem, quid Chaldæi fecerint. Urbem ceperunt, templum cremarunt, regno Davidis terrestri finem imposuerunt, populum transtulerunt in Babylonem. Ea re rei facti & in stuporem dati sunt, quibus vires suæ fuerunt deus suus, hoc est, qui 1. putarunt justitiam suam esse opus carnale, quod secundùm legem præcepti carnalis faciebant in templo, & 2. regnum terrestre, toti mundo imperans, ex domo Davidis secundùm carnem exspectabant, ut cum Christo suo dominarentur brachio suo. Animadvertendum est, quòd non dicat, Reos actum & in stuporem datum iri idololatras & homicidas aut quosvis alios sceleratos: sed eos, *qui carne confiderent.* qui sibi & aliis in populo videbantur præ cæteris religiosi. Templi crematio ostendit, Deum illo cultu non delectari. Populi deportatio in terram alienam significabat, eos fœderis Dei oblitos esse, & indignos, qui possiderent pignus hæreditatis æternæ. Quòd arca ablata est & non restituta, argumentum est, eam non esse veram inhabitationem Dei, qua Deus dicebatur super arca habitare. Sed & ea re declarabatur Israël *non-populus.* Hos. 2: 1. vel 1:10. Nempe ut tantùm ii, qui per fidem in fœdere starent, haberent internum testimonium assumtionis in populum: illi autem, qui in litera & carne ambulabant, non haberent ordinarium illud testimonium, quo coram toto mundo populus Dei celebrabantur: sed essent ad eum modum, quo Deus dixerat ad Mosen, *Non ascendam in medio vestri.* Exod. 33: 3. nisi quòd legem circumferrent, & opera externa legis facerent, & Deo Israëlis adolerent in loco, in quo antea adoleverant, & in medio sui haberent sanctos & nonnullos prophetas.

2. Esaias c. 8. vers. 23. duplex *tempus angustiæ* distinguit. Unum, quod *non fecit vertiginem*, sed *levavit*: alterum, quod *aggravavit.* Tempus angustiæ sub Chaldæis ett levius: tempus angustiæ sub Romanis est gravius. Illud *levavit.* Abstulit enim onus regiæ dominationis, &, ut Es. dicit cap. 1: 25. *scorias & stannum*: & incepit populum liberiorem facere, ut non hærerent apud templum adeò, quia Deus in eo non habebat symbolum suæ inhabitationis. *Tempus angustiæ levans.*

3. Regnum sanè Davidis terrestre & sceptrum à Juda ablatum est, quum Jechonias & Zedekijas abducti sunt. Quod patet ex Jer. 22:30. *Scribite virum hunc sterilem, virum, qui non prosperabitur in diebus suis. quia non prosperabitur de semine ejus vir sedens in solio Davidis &* *Sceptri regii ablatio.*

pote-

potestatem habens adhuc in Israële. Jechonias habuit liberos, sed nemo ei successit in regno. quia regnum domus Davidis defecit. Ezechiel cap. 19: 10. comparat familiam Davidis cum vite. & v. 14. negat in ea fore amplius malleolum fortem, sceptrum ad dominandum. Idem cap. 21: 31. 32. *Auferendo* auferam *cidarim & tollendo* tollam *coronam. Hæc nonhæc. Eam, quæ humiliata est, exaltando* exaltabo, *& altum humiliando* humiliabo. *Corruptum, corruptum, corruptum, ponam illam. Etiam hæc Non* (hoc est, nihilum) *facta est. donec veniat, cujus est judicium, & dem illud*, hoc est, Christus, qui condemnet peccatum & falsam justitiam & in populo faciat distinctionem fidelium ab infidelibus, & infideles ulciscatur. Am. 9:8. 11. *Ecce oculi Domini in regnum illud peccaminosum, & profligabo id à facie terræ. — Gladio cadent omnes peccatores populi mei. — Tunc erigam tugurium Davidis collapsum. ut hæreditent reliquias Edom & omnes gentes, super quibus nomen meum nominatum fuerit.* Mich. 4:7. 8. 9. 10. 13. *Et regnavit Iehovah super illis in monte Sion à nunc usque in seculum. At tu, turris gregis, clive filiæ Sion, ad te veniet* orbis calamitatum: *& veniet imperium pristinum, regnum filiæ Hierosolymæ. Nunc quare vociferaris? An Rex non est in te? An consiliarius tuus periit?* Nec regnum, nec Synedrium habes? *quia apprehendit te dolor, ut parturientis. Dole & erumpe, filia Sion, ut parturiens. Nam nunc exibis ex Civitate & procumbes in agro, & venies in Babyloniam. Ibi eripieris: ibi asseret te Iehovah ex manu inimicorum tuorum. Et nunc congregatæ sunt contra te gentes magnæ. — Surge, tritura — Nunc turmatim exi* vel *in turmas colligere, filia Turmæ* (Romani) quæ *obsidium posuit circa nos. Virga percutiunt in mala judicem Israëlis.* de quo c. 5. Ex his intelligi potest, 1. per captivitatem Babylonicam *regnum* auferri à Sione. 2. Populum ex Babylone asseri & eripi. 3. Ereptum oppugnari à gentibus. 4. Eas ipsi triturandas dari. quod factum in Syris, Arabibus, Idumæis, Palæstinis. 5. Post illa obsideri populum & circumvallari à Turma quadam, hoc est, Romanorum imperio. 6. Tum *judicem Israëlis*, eum, qui debebat nasci ex Bethlehem & ex familia Davidis, & stare ac pascere, & magnificari usque ad fines terræ (c. 5:3.) hoc est, Christum appariturum, sed humilem & spretum. quippe percussum in mala. 7. Tum prodituram filiam illius Turmæ. 8. Ipsum autem *judicem Israëlis percussum in mala staturum & pasturum & magnificatum iri usque ad fines terræ.* Id autem est regnum pristinum, quia est regnum domûs Davidis. At non est ex hoc mundo, sive terrestre, ut Davidis. quia sub imperio *filiæ Turmæ* est populus ipsius. Idcò vocatur *regnum Iehovæ.*

4. Ex

4. Ex qua re apparet, abolitionem sceptri terrestris & humiliationem domûs Davidis esse præparationem ad missionem Christi, & ad erectionem regni Dei. non tantùm, quia per tales prophetias indicatum est, regnum Davidis demum in regno Dei restauratum iri: sed etiam, quia hac re Respublica in eum statum traducta est, ut domus David in nullo esset precio, atque ita Christus ad patiendum accommodatior, & magis ostenderetur ipsius innocentia, & populi furor, quum traditus esset in manum judicis externi; ac populi defectio magis nosceretur, principem advenam præferentis regi, qui ex ipsis erat, & Deo suo: tum ut populo sic in regem suum peccaturo parata esset plaga, & politiæ, urbis ac templi destructionis ad auferendum jugum à cervicibus fidelium instrumentum in promtu esset: denique, ut in toto mundo pax esset & omnia imperia sub uno imperio continerentur ad faciliorem Euangelii prædicationem & regni Christi propagationem in toto mundo, &, quum Draco totum mundum armasset, ac postea Bestiam excitasset adversus regnum Christi, eò clarior esset victoria & insignior triumphus.

Captivitas medium conversionis,

5. Deductio Judæ in captivitatem, in qua etiam Prophetæ illi dati sunt, ut Daniel & Ezechiel, fuit in multis medium conversionis ad Deum & fœdus ipsius. Deut. 30: 1. 2. Jer. 29: 11. 12. 13. 14.

& communicandi gentibus Scripturam.

6. Fuit etiam medium communicandi gentibus nomen Dei Israëlis & legem ac prophetas; & quidem in linguis gentium: videlicet Chaldæa & Græca. Unde factum est, ut multi proselyti religionis Israëlitarum fierent. Et, Cyrum cognovisse, quæ Esaias de ipso prophetaverat, patet ex ipsius edicto. 2 Chron. 36: 23. Esr. 1: 2. Fuit etiam nomen Dei cognitum Nebucadnezari & Dario Medo.

Reductio gloriosa Deo.

7. Reductio populi in terram suam fuit mirabilis, quia solo verbo ac Spiritu Dei perfecta est; intercedente tamen eversione regni Babylonici. cujus periodus septuaginta annis inclusa per partes & articulos suos in prophetia descripta & eversio ac eversionis instrumentum nominatum est. Es. 10: 16. 17. 18. 19. Jer. 25: 11. 29: 10. Es. 13: 17.

8. Fuit ea reductio tam mirabilis argumentum in ore Israëlitarum inter gentes passim habitantium ad Deum Israëlis efferendum supra Deos gentium: & cultum ejus supra cultum illorum: qui vi-

debantur delectari robore equi & cruribus viri. Nam in certaminibus Græcorum, quæ in honorem deorum instituebantur, nihil aliud æstimabatur. Vide Psalm. 147.

Fermentum in gentibus Iudæi. 9. Et, quia reductio sic facta est, ut tandem liberum quidem fieret omnibus Israëlitis redire in patriam, aut in eam commeare, quoties vellent, & inde verbum Dei petere; sed tamen plurimi inter gentes passim remanerent, propter commodum habitationis aut incommodum reditûs, & πολυανθρωπίαν; ad quos deinde Apostoli missi sunt; quique partim Euangelium acceperunt: ea dissèminatio populi inter gentes fuit quædam præparatio fermenti ad fermentandum totum mundum: ut & præparatio armorum ad subigendum mundum per id verbum, quod in manibus Judæorum erat.

Vnio tribuum. 10. Fuit eadem dispersio & reductio medium Israëlitas decem tribuum cum tribu Judæ uniendi in uno fœdere, sub uno Senatu, sive in terra sive extra terram habitarent. Deut. 30: 3. Ezech. 37. v. 16. 17. 21. 22. ut non essent duæ gentes, & duo regna, & duo templa haberent, & inter se dimicarent, quemadmodum antea; neque, ut olim, alii ad alios prophetæ missi sunt, ita Christus non mitteretur ad universos. Nam ipsi promissi erant termini terræ possessio. Psalm. 2: 8.

Constabilitio religionis. 11. Neque tantùm unitæ fuere tribus, sed etiam religio multùm constabilita per deletionem apostatarum; & regnum sacerdotum; cui bellum ex apostasia quorundam natum occasionem dedit.

Amplificatio regni. 12. Sub quo regno Idumæi, Palæstini, Moabitæ, & Syrorum urbes ritus Judæorum accepere. fueruntque Judæi ut tæda in manipulo frumenti. Zach. 12: 6.

Signa adventûs Christi. 13. Quod quum factum est, omnibus signis patuit, tempus salutis adventare. Nam tum etiam tertium imperium, eorum, quæ per statuam Nabuchodonosoris Dan. 2. adumbrata sunt, in gratiam Judæorum, ut ii liberi fierent, de gradu dejectum est; nempe Græcorum Seleucidarum & Lagidarum: & succeſſit alius *Rex*, de quo Daniel prophetat cap. 11: 36. & sequentibus. quod regnum Zacharias designat per equos rufos quarti currus; quibus datum est perambulare terram & eam in potestatem redigere penitus. Ut sub Nerone factum est. Vide Zach. 6: 7. Sub illo autem imperio debebat emergere regnum Christi: ut & ex cap. 2. Danielis atque etiam undecimo, & ex Zachariæ visione apparet. Daniel dicit, cap. 2.

In

In diebus regum illorum excitabit Deus cœlorum regnum, quod in seculum non corrumpetur. v. 44. Ergo, antequam finirentur quatuor illa regna & periodum suam implerent, regnum Christi debuit manifestari & cum illa statua in ultima ejus parte conflictari. Capite autem undecimo dicit v. 36. quòd *Rex ille* 1. *contra Deum Deorum locuturus sit mirabilia*, hoc est, contra Christum. 2. quòd *non habiturus sit rationem deorum patrum suorum*, sed illos abnegaturus, hoc est, quòd idololatriam paganam sit abnegaturus. Hoc non erat futurum, nisi Christo manifestato. Zacharias autem dicit, quatuor currus illos intercursuros inter duos montes æreos, nempe regnum domûs David aut saltem Israëlitarum terrestre sive carnale, & regnum Christi, lapidis decisi à monte, spirituale, quod dicit Daniel excreturum in magnum montem. Atque etiam is *Virum Germen* promittit, postquam indicasset, quarto huic currui permissum, ambulare in terra. Omitto, quòd Daniel cap. 9: 26. dicit, post septimanas sexaginta duas supra septem, & tempora quædam angustiæ, Christum excisum iri: & eum deinde regnaturum. De qua prophetia uberiùs agimus in Consideratione Responsionum & Quæstionum Judaicarum.

14. Esaias cap. 40. v. 1. 2. 3. 4. 5. post captivitatem Babylonicam jubet consolari populum suum, hoc est, prædicare Hierosolymæ identidem, quod tempus destructionis & vastitatis ejus abierit, quodque mox Christus sit appariturus. Mox producit prodromum. Tum indicat *qualitatem temporis*, quo gloria Dei apparitura sit. nempe, quòd id futurum sit, quum vallis omnis elevata & omnis mons & collis humiliatus fuerit, hoc est, quum sub uno imperio ἡ οἰκουμένη fuerit facta instar planiciei, magnis & parvis exæquatis. Id factum fuisse, quum Christus nasceretur, ἡ ἀπογραφὴ testis est. Cujus meminit Zacharias cap. 9: 8. *Non transibit super illos amplius exactor; quia nunc vidi oculis meis.* Confer Es. 52: 5. & Zach. 11: 4. 5. *Qualitas temporis adventûs Christi.*

15. In quibus locis insignis est nota temporis, nempe quòd principes populi ejulaturi sint, & populus futurus fuerit captivus gratis, &, quòd nomen Dei blasphemandum fuerit quotidie: nempè à principibus populi & doctoribus ejus. Cum quo convenit, quòd Psalmo 2. dicitur, Gentes & nationes, principes & reges terræ contra Jehovam & Christum ejus consensuros. Item Psalm. 82. quòd Deus sit staturus in cœtu Dei & deos correpturus. Item Ezech. 20: 35. 36. quòd *deducturus sit populum in desertum populorum*, hoc est, ipsos & dissipaturus inter gentes & terram ipsorum factu-

rus partem dicionis gentium (quam *urbem magnam* vocat Apocalypsis c. 11: 8.) & *ibi cum ipsis disceptaturus & litigaturus.* Malachias etiam ostendit c. 3. v. 18. paucos futuros timentes Deum inter se secretò colloquentes. & c. 4: 5. 6. nisi Elias aliquis mittatur & reducat cor patrum ad filios, venturum fuisse Dominum & percussurum terram anathemate. Rursus Ezechiel c. 34. ostendit, Christum venturum ad oves suas tanquam dispersas in montibus sine pastore, & eas erepturum ex manu pastorum, & pastores abdicaturum, & inter oves pingues & macilentas judicaturum. Hinc Christus consuevit dicere, se esse missum ad *oves perditas* domûs Israël. Vide etiam Matth. 9: 36. & Es. 40: 11. Ergo & vigor blasphemæ doctrinæ Sadducæorum ac Pharisæorum, & avaritia principum, & miseria piorum erat signum, Christum esse præ foribus. Tum enim videbatur *tergiversari.* Hab. 2: 3. Sed Judæis visus est jam per mille sexcentos annos tergiversari; & tamen non putant, Deum fidem suam exsolvisse; quum dicat: *Præstolare eum, quia veniendo veniet, & non post tempus veniet.*

LOCUS VIGESIMUS
DE
CHRISTI ἘΠΙΦΑΝΕΙΑ.

Cap. LVIII.

De Christi incarnatione.

Missio Christi. Quum venisset plenitudo temporis, Gal. 4: 4. quum *venisset annus assertorum* Dei, Es. 63: 4. hoc est, quum tempus dandum assertis à Deo venisset, ut peccata illorum expiarentur, & ipsis justitia, salus, pax annunciaretur, *emisit Deus filium suum*, qui *factus est* sive *incepit esse ex muliere*, & *factus est* sive *incepit esse sub lege.* Gal. 4: 4.

Praindicata. 2. Præcessit ejus adventum nuncius, Angelus missus primò ad Zachariam sacerdotem; cui annunciavit conceptionem filii in senectute, qui præcursor Domini Dei Israëlis esset, & multos ad eum converteret. Luc. 1: 11. 16. 17. In quo etiam manifestum signum

factum

factum est. Mansit enim mutus, donec nominatus esset Johannes: quo facto, prophetavit de Christi nativitate. Luc. 1: 67—79.

3. Venit etiam Angelus ad Mariam, & ei denunciavit conceptionem Christi. Luc. 1: 26—38. Cui concepto in utero matris Johannes saltu quasi obviam ivit. Luc. 1: 41. 44. & matrem Domini adesse testatus est. ibid. v. 43.

4. Adventus sive ἡ παρουσία & Χριστοῦ dicitur ἐξαποστολὴ *emissio*, q.d. missio à Deo: &, eodem sensu, *missio*, ἀποστολὴ, Johan. 3: 34. ut & Exod. 23: 20. *Ecce ego mitto angelum coram te.* Zach. 2: 12. 15. Es. 48: 16. De Christo hæc vox cum emphasi usurpatur; notatque non simpliciter, ut alibi, excitationem ad officium aliquod gerendum, sed dationem à se & ἐκ τῶν ἄνω, ut, qui κατ' ἐξοχὴν *missus* dicitur, *ex cœlo venisse* intelligatur. ibid. v. 31. Ad quod significandum Esaias dicit cap. 9: 5. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* Sic Joh. 3: 16. *Filium unigenitum dedit.* Dicitur etiam *descensus de cœlo.* Ephes. 4: 8. 9. *Ideò dicit: Ascendens in altum* &c. ex Psalm. 68: 19. *Illud autem, Ascendit, quid est, nisi quòd & descendit priùs?* Joh. 3: 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo.* Atque ideò dicit, quum in terris appareret, quòd *antea fuerit in cœlo.* Joh. 6: 62. *Quid si igitur videatis filium ascendentem, ubi erat antea?* & Joh. 8: 23. *Vos ex infernis estis, ego ex supernis sum. Vos ex mundo hoc estis: ego non sum ex hoc mundo.* Item v. 42. *Ego ex Deo exivi & veni. non à me ipso veni, sed ille misit.* Quæ duo distincta sunt. Illud notat, venisse, postquam ab æterno in Deo & apud Deum fuerit (Joh. 1. v. 1. 2.) hoc, voluntate Dei & sua venisse. & Joh. 16: 28. *Exivi à Patre & veni in mundum: rursus relinquo mundum & proficiscor ad Patrem.* Sociniani, quum non possint negare, Christum de cœlo descendisse, fingunt, Christum eo ferè tempore, quum in desertum deductus est à Spiritu, etiam in cœlum ascendisse. quasi, si hoc verum esset, sic posset loqui, quemadmodum locutus est; atque etiam Moses, qui in monte fuit cum Deo Israëlis, eadem verba sua facere potuerit. Atqui etiam Scriptura nusquam tradit, id factum. Dicent, Se id colligere ex iis, quæ Christus dicit; *se ex cœlo venisse.* Sed quæ est illa consequentia, Ex cœlo venit, ergo in cœlum antea ascendit? nisi quòd præsupponunt, Christum esse ex terra, unde & nos sumus. Quis ferat ita argumentantem, Angelus venit ex cœlo, Ergo priùs ascendit? At Apostolus nos docet aliter argumentari. *Si ascendit, Ergo priùs descendit.* Quo fundamento nixus? Quia ex cœlo

Quibus modis explicatur?

Descensus ex cœlo.

est. Et Psalmus 68: 19. id dicit de Deo, qui priùs exiverat ante populum suum in deserto. v. 8. 9. 10. 11. Neque Christus Johan. 3: 13. quando dicit, *filium hominis descendisse de cœlo & esse in cœlo, & in cœlum ascensurum*, quippe quum nullus alius in cœlum *ascenderit*, captivitatemque abduxerit & dona acceperit in hominibus: quando, inquam, hæc dicit, non aliquid novum & nullibi dictum revelat: sed, quod de Christo antè dictum erat, commemorat. In ipso Psalmo octavo, ex quo sumitur nomen *filii hominis*, quo sæpe utitur Christus, dicitur, *Iehovam visitare filium hominis*, & tum filium hominis *parumper* quidem *minorari* præ etiam nominatis *diis*, veluti angelis, sed mox *gloria & honore coronari*. & omnia opera manuum Dei sub pedibus poni. nempe, quum Jehovah visitat filium hominis, ut eum collocet in supercœlestibus & eum dominum omnium faciat, fit filius hominis, ut minoratus ipse quoque majestate & reverentia coronetur, & in ipso, quos visitavit. *Visitatio* etiam appellatur Luc. 1: 78. ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους: *visitavit nos Germen ex alto.* Ita Hos. 9: 7. ἡμέραι ἐπισκοπῆς sunt dies apparitionis Christi. Et Mich. 7: 4. *Visitatio tua venit.* Quòd autem ἐπιφάνεια dicitur 2 Tim. 1: 10. 4: 8. (confer Luc. 1: 79.) id servatum est ex Es. 40: 5. *Et revelabitur gloria Iehovæ, & videbit omnis caro, quòd os Domini loquutum sit.* & cap. 52: 8. *Vox speculatorum tuorum* auditur, qui *sustulerunt vocem, quia oculo in oculum vident, quum Iehova reducit Sionem.* & Ezech. 21: 35. *& disceptabo vobiscum ibi facie ad faciem: quemadmodum disceptavi cum patribus vestris in deserto Ægypti.* Quemadmodum autem ab hac apparitione, ita multò magis ab illa Israël appellatur יְשֻׁרוּן *Ieschurun*, hoc est, Videntes, & Civitas Hierosolyma, *Vindicata*, & מֹרְאֶה, hoc est מַרְאֶה, *de qua factum est, ut videret.* Zoph. 3: 1. Respicit etiam illa vox ἐπιφάνεια ad id, quòd Christus est φῶς. Joh. 1: 4. Luc. 2: 32. Es. 9: 1. 42: 6. 49: 6. Mal. 4: 2. *Et orietur vobis, timentes nomen meum, sol justitiæ, in cujus alis sanitas.* Et hinc Christi apparitio vocatur φανέρωσις θεοῦ ἐν σαρκὶ *manifestatio Dei in carne.* 1 Tim. 3: 16. Quod quàm accommodatum sit priùs dictis, apertum est: ut non necesse sit dubitare, an rectè se habeant Codices nostri & Patrum, qui ita legunt, & an præferendi sint, qui θεὸς omittunt. aut versiones, quæ interpretantur, quasi legerint ὃς vel ὅ. Nam, si Codices extant vel exstiterunt, in quibus alterutrum legatur, à mala manu vocem θεὸς mutatam esse, patet. Hinc Patres vocant ἔνσαρκον ἐπιδημίαν, ἐνανθρώπησιν, quòd in carne ad nos venerit,

Visitatio.

Ἐπιφάνεια.

&

& inter homines egerit. Sic 1 Joh. 4: 2. ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι *in carne venisse* dicitur Filius.

5. Johannes cap. 1. quum pronunciasset, *Sermonem fuisse in initio, & apud Deum fuisse, & Deum fuisse Sermonem, & omnia per eum extitisse, & in ipso*, non in homine, *vitam fuisse, & vitam*, hoc est, Sermonem, in quo vita erat, *fuisse lucem hominum*, eosque in tenebris miseriæ, in quam inciderant, solatum esse, atque, ex quo cœpit esse lux hominum, *lucere in tenebris*, tametsi *tenebræ eum non sint assecutæ*: & tandem *in mundum*, hoc est, in terram *venisse*, ita tamen, ut *in mundo esset*, antequam in mundum veniret, & in mundo haberet *propria*, in quibus *à suis non fuerit receptus*, quum ad ea venisset, quanquam, *quibus* datus fuit, *credentibus* scilicet *in nomen ejus, dederit potestatem se gerendi pro filiis Dei*: Quum, inquam, hæc pronunciasset, etiam causam indicat, quare à suis partim non sit receptus, & quomodo tamen à quibusdam agnitus fuerit; & quid causæ sit, quare eos fecerit compotes juris se gerendi ut filios Dei. Quare à quibusdam non sit receptus, hanc causam dicit, quia *Sermo caro factus est*: atque ita *habitare in nobis cæpit, plenus gratia & veritate*. Quomodo nihilominus agnitus sit, ostendit: Quia *visa est gloria ejus, gloria, ut unigeniti à Patre*. Cui rei docet inserviisse Johannis præconium: cujus & antea, quum de adventu Sermonis loqueretur, mentionem fecerat, v. 6. 7. 8. Porrò, quæ ratio sit, quòd filios Dei fecerit, qui ipsum acceperunt, ostendit: quia *omnes acceperunt ex plenitudine ejus, & gratiam pro gratia*. Quippe quum non venerit, ut *Moses, legis* vel *dandæ* vel continuandæ causa, sed ut *gratia & veritas per eum existeret*. Nam, *quum Deum nemo viderit, Filium unigenitum, qui in sinu Patris est, eum edisserasse & videndum præbuisse*. Quando igitur nomen Dei & virtutes ejus & voluntas ejus manifestata est, &, quicquid fieri debuit, ut Jehova nobis fieret in Deum, factum est, & promissiones ipsius veræ deprehensæ sunt, ibi est potestas ad Deum, tanquam patrem, accedendi. Non potuisset autem in Filio hæc *veritas* reperiri, si ipse esset *non-Deus, non-Iehovah*. ut loquitur Scriptura Deuter. cap. 32. vers. 17. 21. 27.

6. Quod igitur priùs hoc modo dixerat, *Lux erat veniens in mundum*, sive veniebat in mundum, v. 9. & *in propria venit*, v. 11. id v. 14. explicat per ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Quod, si simplicitatem & veritatem amamus, commodissimè reddetur, *Sermo caro esse incepit*. Quod ne intelligamus de τροπῇ & mutatione (cum deliris quibusdam) *Sermo factus caro.*

dam) additur, *& habitavit* sive habitare incepit *in nobis*. Nempe, sic caro esse cœpit, ut in nobis habitaret, sive in habitaculo aut tabernaculo suo (Joh. 2:21.) inter nos versaretur, oculis videretur, auribus audiretur, manibus palparetur, carnis & sanguinis nostri particeps. Hebr. 2:14. 1 Joh. 1:1. Quemadmodum passim *caro* significat *hominem*, ita & hîc. Nam & ἄνθρωπος *homo* vocatur; & dicitur *formam servi accepisse*, & ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενέσθαι, *in similitudine hominum esse incepisse* vel se exhibuisse, Phil. 2:7. hoc est, verum hominem, quales sunt alii homines, & *fratrem* ipsorum extitisse. Hebr. 11:17. Quod Apostolus dicit Rom. 8:3. ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας πεμφθεὶς, *in similitudine carnis peccati*, hoc est, in tali carne, qualis est caro peccatorum, *missum esse*. Quare synonyma sunt, carnem humanam & vivam habere, carnem esse, carne & sanguine participare, hominem sive filium hominis esse.

Secundus homo exstitit Spiritus vivificans.

7. Nam Sermo, ex quo carnem humanam habuit, homo fuit, &, quum eam assumsit, caro aut homo esse cœpit: atque ita vicissim, quum *Secundus Adam* sive *homo* esse cœpit, cœpit esse *Spiritus vivificans*. quemadmodum Apostolus loquitur 1 Cor. 15:45. ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν sub. ἐγένετο. Neq; enim hoc ita accipiendum est, quasi ἡ θεότης ἐξ ἀνθρώπου γέγονε θεὸς, *per processionem factus fuerit ex homine Deus:* quod rectè Christiani cum Amphilochio abominantur dicere; æquè ut illud, ἡ ἔκπτωσιν ἐκ θεοῦ γεγενῆσθαι ἄνθρωπον, *per amissionem ex Deo factum esse hominem*. Citat hoc Theodoretus in Atrepto. Sed hoc dicit Apostolus, Secundum Adamum, quando esse incepit, hoc est, quando natus est, esse incepisse *spiritum vivificantem*. Simulatque enim fuit filius hominis, fuit *spiritus vivificans*, hoc est, persona spiritualis vitam dans omnibus, sive divina.

Duplex natura.

8. Habuit igitur, ex quo in utero conceptus est homo, duplicem naturam, divinam, quæ appellatus θεότης *divinitas* Col. 2. v. 9. saltem sub eo nomine continetur; & πνεῦμα *spiritus*, 1 Petr. 3:18. 19. 1 Cor. 15:45. Hebr. 9:14. 1 Tim. 3:16. Marc. 2:8. & πνεῦμα ἁγιωσύνης *spiritus sanctitatis* (phrasis Hebraica, רוּחַ הַקֹּדֶשׁ pro πνεῦμα ἅγιον) Rom. 1:4. sive, τὸ εἶναι υἱὸν θεοῦ μονογενῆ, ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *esse Filium Dei unigenitum, fulgorem gloriæ patris & characterem subsistentiæ ejus*, & quæ alia gloriosa de ipso dicuntur: & humanam, quæ appellatur σὰρξ *caro*, Rom. 1:3. & τὸ *esse filium hominis*, Joh. 5:27. *servum Dei, fratrem electorum.*

9. Il-

9. Illius igitur fuit dicere, quod est Es. 61: 1. *Spiritus Iehovæ est super me: quia Iehovah unxit me ad euangelisandum mansuetis, misit me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem* &c. Ubi *unctio* ipsius, sive effusio Spiritus sancti & operatio virtutum, qua demonstratus est Euangelii Nuncius, & *missio ad sanandum fracta corda*, profertur velut argumentum, quo probatur, *Spiritum Domini Dei esse super illo*, qui homo esse intelligitur, dum missus ad prædicandum dicitur. Id autem majus quid est, quàm de ullis prophetis dici potuit; & singulariter de ipso intelligendum est, ut διαφορώτερον ὄνομα, *nomen excellentius*: nempe ἐν δυνάμει & *in potestate* verborum, secundùm θεοσηγείας sive compellationes alias, & pro magnitudine & gloria finis ac operis, ad quod missus est, atque ut effusio Spiritus sancti in nomine ipsius ac opera per ipsum facta ipsum demonstrent esse nuncium Euangelii & eum, super quo est Spiritus Dei. Qui primus annunciat *gratiæ annum* ad mansuetos recreandum, non potest unus esse de mansuetis lugentibus & contritis corde. Et nemo potest ante illum annunciare *annum gratiæ*, cui Deus *respondit in tempore gratiæ*. c. 49: 8. cujus est de se ipso loqui, de officio suo, de potestate sibi data, de justitia à se adducta, & abolito reatu ad abrogandam servitutem de regno sibi tradito, de dono Spiritus sancti per se dando. Ideoque debuit dicere, *Spiritum Domini Dei super se esse*. ne scilicet quisquam dubitaret in ipsum credere & spiritum gratiæ ab ipso exspectare. Nempe, quemadmodum populo Israëlitico dictum est, *ne alium Deum haberent*, neque proinde, quod Dei est, non-Deo attribuerent; & iisdem, ut & patribus, notificatus est Angelus Jehovæ, in cujus medio est nomen Dei, hoc est, in quo est, quod est & nominatur Deus, quique nomen Dei novit, & in quo id manifestari poterat, Exod. 23: 20. 21. & rursus Propheta promissus est, qui *loqueretur verba Dei*, Deut. 18: 18. ita hîc Euangelista introducitur, super quo est Spiritus Domini Dei, qui spiritum alacritatis dare possit & det, quippe effusione spiritus ungendus & demonstrandus, quòd is sit, super quo est Spiritus Domini Dei, hoc est, in quo divinitas habitet corporaliter, cujus est Spiritus Jehovæ, quique eum mittere & donare potest, ut, dum Jehovæ voluntate ab ipso datur, ut accipiatur velut certus nuncius anni gratiæ, & in ipsum credant sui, ipse demonstretur, qui est, & glorificetur.

Quomodo Spiritus Iehova super Christo?

10. Quibus consideratis, perspicuum est, quæ sit sententia ver- *Conceptus ex*

 borum

borum Angeli loquentis de conceptione & nativitate Salvatoris, Luc. 1: 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. *Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi inumbrabit te: Ideò etiam, quod nascitur, Sanctum vocabitur filius Dei.* In quo quidem dicto explicando vetetes variant. Quidam per πνεῦμα ἅγιον *spiritum sanctum* intelligunt Spiritum Patris & Filii: cui tribuunt τὴν πλάσιν *formationem* corporis Christi. Quæ sanè *Spiritui sancto* attribui potest, quemadmodum eidem prophetia & opus gratiæ Patris & Filii, veluti proprio jure, propter missionem ejus, quæ comitatur missionem Filii, attribui solet: quanquam sit operatio non tantùm Spiritus sancti, sed & Patris & Filii. quod intelligitur, quando dicitur, *Potentia Altissimi inumbrabit te*, hoc est, te circumvallabit & cooperiet, ut singulari modo in tē operetur. Alii intelligunt per πνεῦμα ἅγιον *spiritum sanctum* personam divinam, nempe ipsum Filium. quia scilicet de quavis persona dici potest, quod de Deo dicitur Johan. 4: 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, *Spiritus est Deus.* quod non diffitetur Theodoretus: quamvis dubitet, an etiam πνεῦμα ἅγιον nominetur Pater & Filius. Atrepto in princ. πνεῦμα κέκληκε καὶ τὸ πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, τὸ ἀσώματον καὶ ἀφθέγγαφον τῆς θείας φύσεως διὰ τούτων σημαίνουσα. πνεῦμα δὲ ἅγιον μόνῳ δὲ πνεύματι τὴν ὑπόστασιν ὀνομάζει. *Spiritum nominat* Scriptura *& Patrem, & Filium, incorpoream & interminatam naturam designans: sed Spiritum sanctum solam personam Spiritûs nominat.* Sed in eo non hæsitarunt, qui, ut dixi, indefinitè quidem personam divinam, & deinde definitè Filium hîc designari censent. Justinus Martyr Apol. 2. p. 58. edit. Comel. τὸ πνεῦμα ὃν καὶ τὴν δύναμιν τὴν παρὰ θεοῦ ἄλλο νοῆσαι θέμις ἢ τὸν λόγον, ὃς καὶ πρωτότοκος τοῦ θεοῦ ἐστι — καὶ τοῦτο ἐλθὸν ἐπὶ τὴν παρθένον καὶ ἐπισκιάσαν οὐ διὰ συνουσίας ἀλλὰ διὰ δυνάμεως ἐγκύμονα κατέστησε. *Spiritum autem & Virtutem, quæ à Deo est, non aliud intelligere fas est, quàm Verbum, quod & primogenitus Dei est; qui* spiritus *in virginem illapsus & illi obumbrans non per concubitum, sed per virtutem prægnantem eam reddidit.* Tertullianus adv. Judæos cap. 13. *De terra in cœlos eum recepit, unde & venerat ipse spiritus ad virginem.* Et adversus Praxean cap. 26. *Hic spiritus Dei idem erit Sermo. portionem aliquam totius* Dei *intelligi voluit*, inquit, hoc est, certam personam divinam. Ambrosius ad Rom. 1: 4. *Eum, qui erat Filius Dei secundùm Spiritum sanctum, id est, secundùm Deum. quia Deus spiritus est & sine dubio sanctus est.* Huc videntur facere, quæ Theodoretus ex Gregorio Nysse-

Nysseno citat in Atrept. *Sed ipse propriæ carnis sit* λατόμος *lapicida*, hoc est, formator, *quæ divino digito descripta fuit. Spiritus enim sanctus venit in virginem & virtus altissimi eam obumbravit.* Sed Nyssenus in diem nat. Christi tom. 2. fol. 780. ed. Morel. dicit: Ἡ ἐν ὑψίστῳ δύναμις, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, λαβὼν τὴν ἐπελεύσεως καὶ ἁγίου πνεύματος ἐμμορφώσατο τὴν παρθενίαν. *Virtus igitur altissimi, quæ est Christus, per adventum Spiritus sancti formatur in Virgine.* Et ad eum modum alii intelligunt per *Virtutem Altissimi* Christum. Qui autem illorum eum intelligunt per *Spiritum sanctum*, ii possunt etiam illa, quæ similiter dicuntur, similiter explicare. ut Matth. 1: 18. ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου, *uterum gerens ex adventu divinæ personæ.* & v. 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. *quod in illa nascitur, ex spiritu sancto est*, hoc est, à divinæ personæ ἐπελεύσει. Cæterum nos optimè faciemus, ut eam phrasin explicemus in omni ea potestate, quam habere potest secundùm Scripturas. Nempe, tu concipies eum, super quo est spiritus Jehovæ, in quo erit omnis plenitudo deitatis corporaliter; qui est Filius Dei secundùm spiritum sanctitatis, erit filius tuus secundùm carnem: qui concipietur & nascetur, erit Sanctus, ὁ Ἅγιος; concipietur & nascetur, ut sit spiritus vivificans, & ex conceptu hoc erit: is te faciet templum suum & sua gloria te circumvallabit: & illi aderit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & prudentiæ, consilii & roboris, & timoris Dei, qui requiescet super ipso. Es. 11: 2. & is ita requiescet super ipso, ut & detur ab ipso, & comitetur ejus missionem. Quomodo si intelligemus, non relinquetur ἀνοίξις στόματος contradicere volentibus; & cognoscetur, hîc ab Angelo non tantùm dari signum & argumentum, quare, quod nascitur, Sanctum sit, & appelletur Filius Dei, sed etiam rationem indicari illius appellationis; quia, quod nascitur ex ea secundùm carnem, est persona divina, quæ cum Spiritu sancto mittenda erat. Es. 48: 16. Atque ita bene Catechesis Heidelbergensis q. 35. τὸ conceptus ex S.S. & natus ex Maria Virgine declarat per hoc, *Quòd ipse Filius Dei naturam humanam ex carne & sanguine Virginis, operatione Spiritus sancti, assumserit:* conjungens ἐνέργειαν Filii & Spiritus sancti. Nam fabricatio corporis Christi, ut est Patris aptantis ei corpus, Hebr. 10: 5. & eum mittentis in similitudine carnis peccati, Rom. 8: 3. ita est Filii, ut templum Domini ædificantis, Zach. 6: 12. 13. & ut *assumentis formam servi.* Philip. 2: 7. & Spiritus sancti; ut qui antea locutus est de ea incarnatione, & ab utero implevit carnem Christi

donis, & mox, tanquam Spiritus Filii & filiorum Dei adoptandorum, effundendus erat in omnem carnem.

Quare ex Virgine natus?

11. Conveniens erat, ut ex Virgine naſceretur. Quod etiam indicatum eſt ab Eſaia cap. 7: 14. *Ecce Virgo concipit, & parit filium, & vocabit nomen ejus Immanuel.* עַלְמָה autem, ut obſervat Abeneſra, ſignificat בְּתוּלָה קְטַנָּה *virginem adoleſcentulam.* Et ſic in Cantico & alibi uſurpatur pro Virgine: licèt propriè *puellam* notet. Sed, ut עֶלֶם *puer* notat eum, qui non eſt אִישׁ *vir*, ita עַלְמָה *puella*, notat eam, quæ non eſt אִשָּׁה *mulier* ſive uxor. Et magis *puellam* notat, quàm נַעֲרָה. Hoc enim de nubente & nupta, dummodò *juvene*, etiam dici poteſt: at עַלְמָה *puella* notat eam, quæ domi eſt, & ignota viris & eos ignorans. quales καθ' ἑκλείσας *incluſas* dicebant. Sicut igitur tales *puellæ* ſine dubio ſunt virgines, ideò virgines appellantur *puellæ*. Idem indicat Jeremias cap. 31: 22. *Nam creavit Iehovah in terra rem novam,* נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר *fœmina circumdat marem.* θήλεα περιέξει ἄρσενα. Hoc ad eum modum intelligendum eſt, ut ſit nova res, & divina creatio, &, quemadmodum verba in maxima emphaſi intelligi poſſunt, & ut pertineat ad converſionem Iſraëlis aberrantis, & ut inde pendeat benedictio terræ & animæ laſſæ exſatiatio: nempe, Virginem, quæ nihil eſt niſi θήλεα, ſive quæ nihil habet mulieris, niſi ſexum, concepturam υἱὸν ἄρρενα *filium marem.* ut & Apoc. 12: 5. loquitur. Neque aliter fieri poterat. Nam, quicquid communi ordine naſcitur ex patre & matre, ſub maledictione naſcitur. At Chriſtus debuit eſſe ἀμίαντος, *non pollutus*, Hebr. 7: 26. Potuit autem ex Virgine naſci ἀμίαντος. quia id, quod eſt in corpore peccatoris, quum ſit creatura Dei, non aliter eſt ſub maledictione & inquinatum, niſi quatenus eſt pars peccatoris, quum puniendus eſt, aut inſtrumentum peccandi, aut medium ordinariæ propagationis naturæ, ut quid naſcatur ſimile generanti. Potuit igitur in Virginis corpore id eſſe, quod ſub maledictione non eſſet: quemadmodum ſudores & alia ex corpore humano ejecta non ſunt ſub maledictione aut reatu, neque medium transferendi reatus, ſed ſunt pars materiæ, quam Deus creavit; neque amplius ad hominem pertinent omnino.

Pater non incarnatus.

12. Quanquam, quum Sermo caro factus eſt, & in terra apparuit, Pater & Spiritus ſanctus non abfuit à Filio, & Pater in Filio fuit viſus, Joh. 14: 7. 9. tamen Filius, non Pater, factus eſt caro. Contra atque olim ſenſerunt Praxeas, Sabellius & ſimiles: qui eundem faciunt ὑποπάτορας, *Patrem-Filium*, *Filium-Patrem*, per

συναίρεσιν καὶ συναλοιφὴν, ut Gregorius Nazianzenus vocat. Sed de S.S. Trinitate supra dictum est. Hujus loci est, demonstrare, quid de Filii & non Patris apparitione nos docuerit Scriptura. Potuit utique à Patre Filius nominari. Et nominatus est: ut Psalmus 2: 7. vaticinatur, futurum, ut Christus aliquando dicat: *Iehovah dixit ad me, Tu es Filius meus, ego hodie genui te.* Qui ergo nominari potuit, is & cognosci potuit, ut missus à Patre, & habitans inter homines, & glorificari & opprobrio atque ignominia affici. Assumta videlicet humana natura tanquam tabernaculo & organo. Ita enim rectè veteres appellarunt ἀνθρώπινον ὄργανον, *humanum instrumentum.* Observandum est, τὸ προσλημμα sive id, quod assumitur, non assumi ad naturam, sed ad personam Filii. Sed, quia Filius est in Patre & Pater in Filio, ideò non Pater dicitur incarnatus, sed esse in incarnato. Si & Pater & Filius & Spiritus sanctus assumsissent, utique hi tres etiam incarnati essent. Atqui *Filius assumsit*, Pater *aptavit Filio corpus*, atque ita eum *misit.* Quod enim corpus una voluntate divina factum est: hoc Pater voluit esse & agnosci Filii corpus, Filius voluit esse suum. Ideò Filius dicitur id *assumsisse* sive *cepisse*, non Pater. Nam *assumere* est *facere sibi.*

Vnio hypostatica ad personam, non ad naturam.

Assumere quid?

13. Et omnis quidem humana natura sive mens corporis organis instructa est *persona.* Nam ita conditur, ut ea sit principium agendi & patiendi non tantùm, Quo (ut Scholæ satis diserte loquuntur) sed &, Quod. Hominem enim dicimus natum, ei suæ competunt habitudines & relationes ad Deum creantem, ad parentes generantes, ad alios homines, ad ea, quæ sunt in hoc mundo. In ejus nomine multa aguntur. Porrò, quicquid ea mens & id corpus agit aut patitur, id ille homo, suum sibi proprium nomen habens, agere & pati intelligitur; non alius. At, quod ex Virgine natum est *sanctum*, *Filius Dei dicitur*, & obedientia illius hominis & passio & gloria est obedientia & passio & gloria Filii Dei.

Humanitas Christi non est persona.

14. Nam, tametsi in Christo sit ἄλλο & ἄλλο sive non una natura, tamen non est ipse ἄλλος & ἄλλος *alius atque alius.* ut Nestorius somniavit. Rectè & piè Synodus Chalcedonensis confitetur ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Χριστὸν υἱὸν, κύριον, μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον. *unum & eundem Christum, filium, dominum, unigenitum, in duabus naturis, sine confusione, sine mutatione, inseparabiliter, notificatum.* Quemadmodum & Scriptura ἕνα μεσίτην *unum Mediatorem* prædicat. Nam, ex quo concepta est caro in utero Virginis, fuit caro Filii Dei.

Christus unus.

Filius non factus perfectior, neque compositus, neque pars compositi.

15. Filius assumendo naturam & sibi faciendo templum & gestamen non est factus perfectior, sed gloriam suam communicavit humanæ naturæ: neque factus est compositus, neque pars compositi: sed ex eo fuit homo; quippe *habens* & Θεότητα *divinitatem* φύσει *natura*, & humanitatem gratiâ ac clementiâ.

Mirabilitas incarnationis & ejus assertio.

16. Neque magis facile perceptu est, Deum sibi facere vocem, ut à nobis audiatur; quàm linguam, faciem, oculos, manus, membraque cetera, ut à nobis videatur, palpetur, & pro nobis fiat victima. Sed, quia id inusitatum est & maximæ συγκαταβάσεως (sine qua tamen mundus esse non posset) ideò id velut maximum miraculum Scriptura annotat: Deum videri oculo in oculum, Es. 52:8. facie ad faciem, Ezech. 20:35. vocem ejus audiri, Mich. 6:9. Deum stare in cœtu Dei, Psalm. 82: 1. Verbum vitæ manibus contrectari, 1 Joh. 1: 1. rupem salutis indignè tractari, Deut. 32: 15. & fustibus percuti, Es. 50: 6. & germen domini adigi ad exspirandum, Malach. 1: 13. Deum resurgere, Zoph. 3: 8. & in altum ascendere, Ps. 68:19. Graphica hujus mysterii expressio est apud Ezechielem. Is c. 1: 26. videt filium hominis in throno gloriæ sedentem. Idem cap. 10: 1. videt Solium supra Cherubim: & v. 4. videt gloriam Domini descendentem desuper Cherubinis ad limen templi. Rursus v. 17. videt gloriam Domini se levantem à limine templi & redeuntem super Cherubim. Quæ nihil aliud possunt significare, quàm visitationem hominis in similitudine hominis, & ascensum ejus, qui descenderat. Eò pertinebat etiam figura Mannæ. Johan. 6: 32. 33. 35. 38. Hoc miraculo fuit Christus major Mose. Major est enim denunciante donum Dei is, qui est donum Dei; & cibo, qui non satiat, cibus, qui dat vitam mundo.

Communicatio idiomatum.

17. Unioni huic admirabili consentaneus est modus loquendi de persona Christi. In quo spectatur κοινωνία ἰδιωμάτων, quod vulgò dicitur, *Communicatio idiomatum* sive proprietatum. Est enim *communicatio proprietatum* veritas 1. denominationis personæ ab utraque natura. quippe utramque *habentis*, & per utramque agentis. 2. prædicationis eorum, quæ sunt utriusque naturæ, de persona ab alterutra natura denominata. Bene Theodoretus in ἀπαθῆ. Ερατ. Κοινὰ δὲ πεποίηκε γέγονε τὰ τῆ φύσεων ἴδια. ὁ γὰρ αὐτὸς λέγεται τῶν ἕνωσιν καὶ υἱὸς ἀνθρώπου καὶ υἱὸς θεὸς καὶ αἰώνιος καὶ πρόσφατος καὶ υἱὸς Δαβὶδ καὶ κύριος Δαβὶδ καὶ τάλλα τοιάδε ὁμοίως. Ὀρθόδ. μάλα ὀρθῶς. εἰδέναι μέντοι κακεῖνο χρὴ, ὡς ἕ σύγχυζιν εἰργάσατο τῆ φύσεων ἡ κοινότης τῆ ὀνομάτων.

Hanc

Hanc prædicationem Veteres ἐναλλαγὴν, ἀλλοίωσιν, ὑπόζευξιν, ἀντίδοσιν, συνεκδοχὴν nominarunt: quisque, ut sibi visum esset, rem eam explicare conans. Videntur autem quibusdam dedisse occasionem irridendi hoc mysterium, quasi quod non posset κυρίοις ὀνόμασι *propriis nominibus* explicari. Sed non magis est tropus, quum Filium Dei vocamus Filium hominis, aut *Radicem Iessai ac Davidis* (hoc est, eum, unde originem ἔδος εἶναι habet & Jessai & David) nominamus *Genus Davidis*, aut natum ex virgine Filium Dei & hominis: quàm, quando eundem hominem vocamus ψυχικὸν & ζῶικὸν, intelligentem, videntem, edentem, loquentem, ambulantem, morientem, &, in ipsa morte, receptum in sinum Abrahami: aut τὸ ἁφτεργικὸν πνεῦμα Gabrielem dicimus locutum Mariæ & ab ea visum.

18. Quanquam illa dicuntur κατὰ μὴ, sive κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Alia enim dicuntur de Christo κατὰ σάρκα, alia κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Rom. 1: 3. 4. Nam, quatenus habet carnem vivam & humanam, est homo & filius Davidis, & loquutus est & ambulavit in medio Israëlitarum, & visus est & manibus palpatus: quatenus autem habet πνεῦμα ἁγιωσύνης, sive, quatenus Spiritus Jehovæ est super ipso, est & vocatur Filius Dei unigenitus, spiritus vivificans, non habens initium dierum nec vitæ finem. Quædam autem nomina significant τὸ συναμφότερον, ut aliquando Veteres loquuntur, sive denotant, eum esse & Deum & hominem, & tam deitatem, atque humanitatem, habere. veluti *Christus*, *Salvator*, *Mediator*, *Descendere*, *ascendere* & similia, quæ intelligi non possunt, nisi supponendo personam divinam corporè humano vestitam & in eo ac per id agentem.

τὸ συναμφότερον quomodo a Gracis dicatur?

19. Neutiquam verò ea, quæ sunt alterius naturæ propria, possunt prædicari de altera κατ' ἄλλο. Ita nec divinitas est mortalis secundùm carnem, nec caro omnipotens aut omnipræsens secundùm divinitatem; sed persona omnia implet sua divinitate, est verò aliâs in utero virginis, aliâs in mundo, aliâs in cruce, aliâs in inferioribus partibus terræ, aliâs in cœlo, secundùm carnem. Neque caro habet χρῆσιν omnipræsentiæ; quia persona divina non est ὄργανον τῆς σαρκὸς *instrumentum carnis*, sed contra caro est ὄργανον divinæ personæ. Et, ne quis cogitet, quia ὁ λόγος est omnipræsens, ideò etiam naturam humanam esse omnipræsentem, ne scilicet alicubi ὁ λόγος fit non unitus carni, perpendendum est, τὸν λόγον esse ἀμερῆ *impartibilem*, & non posse esse non unitum carni in cœlo & terra, licèt caro pendeat in cruce, & in cœlum necdum evecta sit. De qua re quædam

An propria unius naturæ prædicentur de alia?

dam pulchra ex Athanasii sermone de Incarnatione verbi Dei ascribenda duximus, pag. 49. edit. Comelin. tom. 1. ὁ δὲ θεὸς λόγος οὐκ ἐν τῷ σώματι, οὐδὲ ἐν σώματι μὲν ὢν, ἀλλαχόστ ἦν οὐκ ὤν. οὐδὲ ἐκεῖνο μὲν κινῶν, τὰ ὅλα δὲ τῆς τούτου ἐνεργείας κενὰ ἦν. ἀλλὰ, τὸ παραδοξότατον, λόγος ὢν ὑπερέχετο μὲν ὑπὸ μηδενός, συνεῖχε δὲ τὰ πάντα μᾶλλον αὐτὸς, καὶ ὥσπερ ἐν πάσῃ τῇ κτίσει ὢν ἐκτὸς μέν ἐστι δι' ὅλων καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων, ἐν πᾶσι δέ ἐστι δι' ἑαυτοῦ δυνάμεσι τὰ πάντα διακοσμῶν καὶ εἰς πάντα ἐν πᾶσι τὸν ἑαυτοῦ παρουσίαν ἐφαπλῶν καὶ ἕκαστον καὶ πάντα ὁμοῦ ζωοποιῶν, περιέχων τὰ ὅλα καὶ μὴ περιεχόμενος· ἀλλ' ἐν μόνῳ τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ ὅλος ὢν καὶ πάντα. οὕτω καὶ ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ σώματι ὢν καὶ αὐτὸς αὐτὸ ζωοποιῶν εἰκότως ἐζωοποίει καὶ τὰ ὅλα. &c. & p. 5c. ὅταν τοίνυν ἐθέλοντος καὶ πόνοντος καὶ πικρόμυον αὐτὸν λέγωσιν οἱ περὶ τοῦτο θεολόγοι, γίνωσκε, ὅτι τὸ μὲν σῶμα ἐπίκητο καὶ καταπήλοις ἐτρέφετο τροφαῖς, αὐτὸς δὲ ὁ σωτὴρ τῷ σώματι θεὸς λόγος τὰ πάντα διακοσμῶν, καὶ δι' ὧν εἰργάζετο ἐν τῷ σώματι οὐκ ἀνθρωπον ἑαυτὸν ἀλλὰ θεὸν λόγον ἐγνώριζεν. λέγεται δὲ περὶ αὐτοῦ παθεῖν, ἐπειδὴ καὶ τὸ σῶμα ἐθνικὸν καὶ πικρόμυον καὶ πάσχον ἦν ἕτερόν τινος, ἀλλὰ ἴδιον Κυρίου ἦν. καὶ ὅτι ἀνθρώπου γνωμοῦντος ἔπεσε καὶ παθεῖν ὡς περὶ ἀνθρώπου λέγεται, ἵνα ἀληθείας καὶ μὴ φαντασίας σῶμα ἔχων φαίνηται· ἀλλ' ὥσπερ οὐκ ἐκ τούτων ἐγινώσκετο σωματικῶς παρὼν, ἔτως οὐκ ἐκ τῶν ἔργων, ὧν ἐποίει διὰ τοῦ σώματος, ἦν θεὸς ἑαυτὸν ἐγνώριζεν. Summa huc redit. Filius Dei secundùm spiritum sanctitatis nulli loco adstrictus omnia continet, & ubique operatur, & in corpore & extra corpus; sed in corpore, ut corpore suo: quod ipsius corpus est & non alterius, ubicunque sit, in cœlo aut in terra.

Deus manifestatus in carne populus.

20. Prophetavit Esaias cap. 8: 14. 15. *Et fiet* Jehovah *sanctuarium* (hoc est, homo manifestatus in medio Israëlis ad sanctificandum ipsos) *& lapis impactionis & petra offensionis duabus domibus Israëlis, laqueus & muscipula habitanti Hierosolymam; & offendent in iis multi* &c. nempe quia futurum erat, ut ipse compareret cum pueris, quos ipsi dederat Dominus vindicandos & asserendos, & sic fieret in signa & prodigia à Domino Deo exercituum habitante in Sion; ut est v. 17. Ex quo versu Apostolus Hebr. 2: 14. efficit, *Siquidem pueri carne & sanguine participarunt, ipsum quoque oportuisse eadem communia habere cum iisdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habebat, hoc est, Diabolum & servituti obnoxios liberos faceret.* Quippe, qui *pueri* ipsi *dati sunt*, eorum est ἀπολήπτωρ, assertor & vindex. v. 16. Quemadmodum Esaias, ita & Symeon de Christo nato prophetavit Luc. 2: 34. 35. *Ecce hic situs est in casum & resurrectionem multorum*

in

in Israële & in signum contradictum —ut manifestentur ex multorum cordibus cogitationes. Atque ita etiam evenit. Coactus est Christus cum populo & principibus ejus disceptare non tantùm de justitia, nec tantùm de officio suo ac regno, sed etiam de persona sua. Inquisitum est, quis esset. Et, id in controversiam vocandum fuisse, testantur disceptationes Dei cum Judæis antè descriptæ. ut Es. 41: 1. 2. 3. 4. 45: 15. — 25. 48: 1. — 12. 13. 14. 15. 16. 50: 1. — 8. 52: 13. 14. 15. 53. toto. Adi etiam, si placet, Cant. 5: 9. Multis autem modis hæsitatum est circa personam Christi. Theodoretus in *Errores circa personam Christi.* αὐσυγχύτῳ aliquem errantium catalogum ponit. Σίμων καὶ Μένανδρος καὶ Μαρκίων καὶ Βαλεντῖνος καὶ Βασιλίδης καὶ Βαρδισάνης καὶ Κέρδων, ὁ Μάνης ἠρνήσαντο ἀνθρωπότητα δ' Χριστοῦ. Ἀρτέμων δὲ καὶ Θεόδοτος καὶ Σαβέλλιος καὶ Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς καὶ Μάρκελλος καὶ Φωτεινὸς εἰς τὸν ἑαυτῶν ἐκ Δαμάσκου βλασφημίαν κατέπεσον. ἄνθρωπον δὲ μόνον κηρύττουσι τὸν Χριστὸν· τῷ δὲ θεῷ τὸν αἰῶνα ὑπάρχοντα λόγῳ θεότητα. Ἄρειος δὲ καὶ Εὐνόμιος κλησιν καλοῦσι δι' μονογενοῦς τὴν θεότητα· σῶμα δὲ μόνον αὐτὸν ἀνθρώπου φασὶν. Ἀπολινάριος δὲ ἔμψυχον μὲν ὁμολογεῖ τὸ ληφθὲν σῶμα, τῷ δὲ λογικὴν ψυχὴν καὶ τὸ ἡμῶν καὶ τὸ σωτηρίας ἐν τοῖς οἰκείοις λόγοις ἀποστερεῖ. Tempore Theodoreti extitit Nestorius episcopus Constantinopolitanus, qui duas personas in Christo tradidit, & non permisit Virginem θεοτόκον appellari. Is in Concilio Ephesino, quod tertium est Oecumenicum, anno 431. damnatus est. Post illum Eutyches Archimandrita Constantinopolitanus unam in Christo naturam dixit, & corpus negavit matri ac nobis consubstantiale. Is damnatus in Concilio Chalcedonensi anno 451. Sed hæc apud scriptores Ecclesiasticæ historiæ quærenda sunt.

CAPUT LIX.

De Christi unctione & triplici officio.

Christus vocis מָשִׁיחַ interpretamentum est: quod Chaldaicè מְשִׁיחָא *Unctio Christi* dicitur. unde est μεσσίας. Id notat *unctum*, τὸν ἀλειμμένον. Inter *quotuplex?* actus honoris est etiam unctio. ut patet ex Luc. 7: 38. John. 11: 2. 12: 3. Vide & Psalm. 23: 5. 141: 5. Sed, quia in collatione dignitatis & officii præcellentis solebat etiam unctionis honor exhiberi, ipsum imponere officium dicitur ungere. Ita Græci, quia luctatores ungebantur ad certamen, ἀλείφειν *ungere* ad certamen vel ad aliquid agendum dicunt, pro incitare. Perinde Elias jussus Elisæum

ungere prophetam, injecit ipsi pallium suum, 1 Reg. 19: 16. 19. quod Elisæus accepit pro signo, quòd vocaretur ad sectandum Eliam & munus ipsius subeundum, veniente super ipsum spiritu Dei. Hinc igitur liquet una ratio, quare D. Jesus *Vnctus* dicatur: nempe, quia est illa Dei sapientia, quæ dicit Prov. 8: 23. *A seculo uncta sum.* Quo notatur, Filium (nam is est Sapientia) destinatum esse ante jacta mundi fundamenta, sive accepisse officium, quod in carne apparens gessit atque exsecutus est. Altera ratio est, quòd, quum conceptus & natus est, super ipso fuit Spiritus Domini; ut supra explicavimus: sive plenitudo Deitatis in ipso habitavit corporaliter: sive, ipse exstitit in Spiritum vivificantem; quippe qui esset Filius Dei in potentia secundùm spiritum sanctitatis. Et in hac ratione est metaphora. Nam deitas habitans in carne comparatur χρίσματι. Sic Cant. 1: 3. *Iuxta odorem unguentorum tuorum bonorum, oleum effusum nomine tuo.* Notat, Christum in carne apparuisse talem ac tantum, qualem & quantum eum fore & appariturum esse prædixerant sancti Dei homines loquentes per spiritum ipsius, atque ita nominibus suis omnibus appellari posse: quemadmodum oleum ex alabastro fracto effusum & fragrantia replens totam domum suam virtutem omnibus testatur. Tertia ratio, quare *Vnctus* dicatur homo Jesus, est illa, quod etiam in humanitate ejus requievit spiritus sapientiæ ac prudentiæ, consilii ac fortitudinis, & timoris Domini. Es. 11. v. 2. Quarta, quòd etiam ad publicam notitiam *unctus est Spiritu sancto ac potentia.* Actor. 10: 38. *Spiritu sancto*, qui operatus per ipsius prædicationem, & illustri modo effusus est, ut spiritus ipsius & ab ipso impetratus, in Apostolos & alios discipulos, quum evectus esset D. Jesus in cœlum, Actor. 2: 33. & ut spiritus filiationis datus est per fidem Euangelii. Gal. 3: 13. *Potentia*, quia operibus divinis, quæ ipse propria voluntate fecit, & per jussionem suam patravit, demonstratus est omnibus, qui esset. De qua unctione fortè potissimum loquitur Esaias cap. 61. v. 1. verbo, *quia unxit me*; ex unctione probans, Spiritum Domini super ipso esse.

2. *Vnctio* igitur Christi est vel commendatio officii, cui respondet Sponsio æterna & Postulatio hæreditatis; vel inhabitatio divinæ personæ in humana natura, ad officium exsequendum; vel personæ in carne habitantis, & regni ipsi dati demonstratio. Ita dicit Psalm. 2: 6. *Vnxi regem.* Actor. 2: 36. *Dominum & Christum fecit eum*, hoc est, publica προκηρύξει declaravit, &, ut Domino, dedit ei exer-

exercere omnem potestatem in cœlo & in terra. Est autem regium officium colophon officiorum, & nititur sacerdotio, & geritur per verbum, quod locutus est velut Propheta. Nam ad hæc tria officia unctus est.

3. Quis sit naturalis ordo horum officiorum, perspicuum est. Datæ enim sunt Filio partes Salvatoris ad regnum, quod per verbum fidei erigeret. Joh. 1: 3. *In ipso vita erat: & vita erat lux hominum.* Quia ipsi data erat potestas vivificandi hominem, etiam affulsit ei luce testimonii sui, & testimonio Patris hominibus nominatus fuit, ad amorem Dei & veritatis, vitæ auctor. Es. 49: 6. *Dabo te in fœdus populi, in lucem gentium, ut sit salus mea ad finem terræ. In fœdus populi*, in mediatorem fœderis, qui nomineris populo justitiæ dator, cui nominationi assentientes habeant mecum pacem & amicitiam. *In lucem gentium*, ut proponaris gentibus, ut convertantur ad amorem Dei, & ad spem. *Vt sit salus mea*, cujus tu causa, *usque ad fines terræ*. A salute Dei est fœdus & lux. Igitur 1. datum est Filio, ut multos fratres sistat Patri gloria complendos. 2. propter hanc causam ei datum est salutem facere & justitiam parare. & 3. salutem ac justitiam, quæ in ipso est, annunciare ad obedientiam fidei. Sed, quia hæc inter se connexa sunt, simul data sunt. *Ordo naturalis officiorum.*

4. Quod verò actum officiorum attinet, quædam ante apparitionem in carne gesta sunt; quædam in carne. Ante apparitionem in carne fuit 1. *Sponsio* ante jacta mundi fundamenta. 2. *Intercessio* pro peccatoribus. Ita denominatur eadem voluntas, quæ est Sponsio, ex quo peccatum intravit in mundum. Nam, quando homo peccavit, voluntas Filii, qua decrevit vivificare per justitiam suam peccatores, facta est Interceſſio pro peccatore & semine ejus electo, avertens iram. Nam causa, quare peccator non omni modo puniretur, & ei non negaretur verbum gratiæ & sanctificatio per Spiritum Dei, fuit Sponsio Filii. Vide Es. 63: 9. *In omni angustia illorum, vix angustiavit* quisquam, *quin Angelus faciei* Jehovæ, qui erat apud Deum, in quo videtur Deus, qui est ipsius imago, *salvaret ipsos. Is per dilectionem suam & clementiam suam asseruit ipsos*, dicens, Dedisti eos mihi, Ego pro illis satisfaciam, (compara Joh. 17: 6. 9.) *& suscepit eos & bajulavit eos omnibus diebus seculi, verbo potentiæ suo.* Hebr. 1: 3. Confer Job. 33: 22. 23. Ut Sponsio, ita & Interceſſio pertinet ad munus Sacerdotale. 3. *Testificatio Patris* de Filio. ut, quando dicit Exod. 23: 20. *Ecce ego mitto Angelum meum.* De qua testifica- *Ordo actûs officiorum. Qui actus Christi exstiterint ante apparitionem in carne?*

tione gloriatur Filius Es. 45: 24. 25. *Tantùm in Iehovah (de me dixit) justitiæ & robur. ad eum accedet* quisque, *& pudefient omnes excandescentes in ipsum. In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Et Psalm. 2: 7. *Iehovah dixit ad me, Filius meus es tu.* Et, quando Jehovah, qui non vocatur Angelus, Abrahamo manifestatur, & dicit, *Benedicentur in eo omnes gentes terræ*, Gen. 17: 18. Pater loquitur. Item Testificatio *Filii.* Nam, qui factus est justitia & sanctificatio, & redemtio, ejus quoque est dicere, *Ponam inimicitiam*, Gen. 3: 15. *Fiam tibi in Deum.* Gen. 17: 7. *Spiritus sanctus* dictans hæc verba Mosi & Prophetis simul testatus est. Quod testimonium adumbrat Psalmus 40: 8. *In volumine libri scriptum est de me*, hoc est, in toto Dei libro ab initio ipso extat testimonium de me, quod scriptum est à sanctis Dei hominibus actis à Spiritu sancto. Ad hoc verò testimonium referendum est totum verbum Dei. Hæc testificatio regno deputanda est. quia toto illo tempore Filius non locutus est ut minister, sed ut dominus & rex, & quidem pleraque per legatos suos locutus est. Hebr. 1: 1. 4. *Sanctificatio* seminis electi, ante diluvium quidem sine discrimine; & deinde usque ad vocationem populi Israëlitici. Nam eum populum quasi proprium peculium delegit ex omnibus populis, cui innotesceret, quem haberet sub carnali disciplina, & cujus electos cum paucis proselytis sanctificaret. Hoc specimen regni fuit. At in eo regno sibi q. associavit principes & potestatem habentes, qui subjicerent eundem populum, in quo semen Dei continebatur, elementis mundi, sive curarent, ut lex præcepti carnalis in vigore permaneret; quique eo fine judicia exercerent. Deinde constituit etiam sacerdotes, qui pecuinam & ἄλογον victimam offerrent pro populo, typum & umbram melioris sacrificii. Hi *socii* Christi appellantur Psalm. 45: 8. *Unxit te — præ consortibus tuis.* Hos induit tanquam vestitum. Et hi vocati fuerunt *dii*, tanquam Dei vicarii & potestatem habentes ad præcipiendum, quod ut præceptum Dei debuit habere valorem. Quare, dum hac facie Deus se obtulit hominibus, nondum vocatur ea Dei *dominatio*, מַמְלָכָה & *βασιλεία, regnum Dei*; quia non solus Deus rex & princeps erat. cui soli servire, sine principibus servis & rebus terrestribus, vera libertas est.

Christus rex ante ἐπιφάνειαν.

Actus Christi in carne. Nativitas Christi.

5. Quum Christus ex muliere ortus est, factus est sub legem, propter Sponsionem præcedentem. Galat. 4: 4. *misit Deus Filium suum nascentem ex muliere, subjicientem se legi.* Voluntarius enim ser-

vus

vus est, habens potestatem ponendi animam suam. Ideò dicitur Psalm. 40: 6. *Aures perforasti mihi.* Voluntariis servis aures perforabantur. Joh. cap. 10. vers. 18. *potestatem habeo ponendi animam meam.* Nam Filius non est natus sub lege suo nomine. Erat dives, & propter nos pauper factus est. 2 Cor. 8: 9. habebat gaudium in promtu. Hebr. 2: 12. non ducebat raptum, esse instar Dei. Philip. 2: 6. Non igitur simpliciter, quia homo factus est, necessaria ei fuit obedientia (nedum passio) præcedens gloriam: sed potuit statim humanitatem suam gaudio & gloria implere, & ita apparere, quemadmodum apparebit, quando veniet ad judicium. Necessarium ipsi erat sanctum esse, & proinde sancta velle; sed non necessarium erat ei mereri & impetrare mercedem vitæ, quam jure Filii poterat possidere. Sed, quia sanctum erat ei velle, inter cætera sancta & vera, etiam liberationem miseri hominis per se, ad gloriam Dei; si id possibile esset fieri: idque possibile erat propter dignitatem personæ, & voluntatem Patris, & suam: dum natus est, sub lege, imò sub exsecratione legis, natus est, hoc est, cum debito exsecrationem legis evacuandi, atque ita gratia Dei data & destinata electis ipsi incubuit præstanda & ratificanda. Psalm. 16: 2. Quare ipsum nasci ipsius fuit venire ad præstandam voluntatem Dei, Psalm. 40. v. 8. 9. ad salvandum mundum, cum mandato divino, quid dicat & faciat. Joh. 12: 47. 49. Unde & caro ipsius comparatur velo rumpendo, ut detur accessus ad Deum. Hebr. 10: 20. Quippe, quamdiu caro ipsius fuit incolumis & non fracta ac mortificata, tamdiu peccatum ac reatus & debitum patefaciendi viam ad Deum super ipso fuit. Ex quo clarè patet, jam tunc missum esse Filium Dei, quando natus est, & sub lege esse cœpit.

Ipsi eum constituit sub lege.

6. Ibi verò fuit ipsius imprimis omnia sancta & justa velle, in quantum rectæ cogitationis & voluntatis capax est teneritudo infantiæ; ut non haberet opus deplorare peccata adolescentiæ, quemadmodum alii homines; & à peccatoribus esset segregatus, Hebr. 7: 26. velut agnus sine vitio & labe. 1 Petr. 1: 19. & Deus esset motus ipsius ab utero. Psalm. 22: 10. qui ipsum vocavit à visceribus matris. Es. 49: 1. hoc est, qui ipsum non tantùm eduxit ex visceribus matris, sed etiam vocavit & sibi præsto esse fecit inde ab utero.

Christi tota vita sancta.

7. Neque tantùm oportuit eum sanctum & rectum reperiri in omnibus actionibus, etiam primam ætatem decentibus, & sic crescere sapientia & statura & gratia apud Deum & homines. Luc. 3.

Christi fuit omnem justitiam implere.

v. 52. sed etiam *omnem* aliam *justitiam implere*, hoc est, ea omnia, quæ propter reatum aut fœdus gratiæ à Deo impositа erant populo, subire. Matth. 3: 15.

Circumcidi. 8. Ideòque etiam Circumcisionem subiit. Omnis enim mas octavo die jussus erat circumcidi. Genes. 17: 10. 11. 12. Quamvis Christus non esset *mortuus in præputio cordis* (ut de nobis loquitur Paulus Coloss. 2: 13.) atque adeò circumcisione non egeret: tamen, quia Sponsor erat, & peccata nostra fecerat sua, & à peccatis nostris, quum per passiones esset consummatus, debuit absolvi & justificari: ideò & voluit &, propter nostram consolationem, debuit circumcidi, ut in ipso, ceu capite, facta circumcisio esset testimonium partæ nobis, membris ipsius, omnis circumcisionis, quæ non fit manu, atque ita in ipso videremur circumcisi. Col. 2: 11. *In quo etiam circumcisi estis circumcisione non manuali*, hoc est, cujus circumcisio vobis signum est, ad vos pertinere circumcisionem, quæ non fit manu. Unde sequitur, eos, qui in ipso sunt, verè circumcisos esse & corde & corpore; quia & conscientia ipsorum est aspersa ab operibus mortuis, & corpus lotum aqua pura. Hebr. 10: 22. 23. Atque adeò, eos esse circumcisionem, intellige perfectam; qui spiritu Deo serviunt, & gloriantur in Jesu Christo, & non carni confidunt. Phil. 3: 2. Proinde, quemadmodum olim præputiati corde erant etiam præputiati carne, Ezech. 44: 7. 9. ita nunc, qui sunt circumcisi corde (plenariè. quod sub Veteri Testamento non poterat fieri) sunt & circumcisi carne habendi. Rom. 2: 25. 26. Nam, quando caput circumcisum est, membra circumcisa sunt; & in membris amplius repeti non potest circumcisio, ne videatur per caput non esse ablatum, quod auferendum erat; nempe reatus peccati, & conscientia atque accusatio ejus, & sic servitus elementorum mundi. Eadem est ratio *purificationum*, quæ secundùm legem fieri debebant; quæ etiam, quum Christus natus esset, factæ sunt. Luc. 2: 22. 23. Ex hac re clarissimè perspicitur, Semen Abrahami, in quo gentibus debebat contingere benedictio, quandoquidem debuit suscipere circumcisionem & purificationes legales, suscepisse revera peccata & fœditates Israëlitarum & gentium & earum accusationem abstulisse.

An Sabbatum violaverit Christus? 9. Sabbatum quod attinet, nempe illud, quod peculiariter Israëlitis datum erat, ut in eo cessarent, Judæis visus est Christus non observare. Joh. 9: 16. quia nempe ægrotos verbo sæpe restituebat in sabba-

sabbato, aliquando etiam lutum illeverat oculis cæci, ut eos aperiret, Joh. 9: 14. aliâs verò non increpaverat discipulos aristas carpentes & molentes & edentes. Matth. 12:1. quod Sabbatum δεύτερόπρωτον appellat Lucas 6: 1. quia nempe erat πρῶτον sive πρότερον τῶν δευτερεύων Σαββάτων, hoc est, illius diei, quo debebat manipulus offerri. quam Lxx. ex consuetudine Judæorum appellant πρωτοσάββατον τῶν πρώτων Levit. 23: 11. Est autem ἡ ἐπαύριον τῶν πρώτων δευτερεύων. Tali igitur tempore videbatur quicquam ex agro accipere vetitum esse, nedum Sabbato. Sanè rectè dici potest, Christum aliquando se opposuisse constitutionibus Magistrorum gravibus & ratione carentibus. quibus ipsum non oportebat subjici. Nam, ut fuerit עֶבֶד מוֹשְׁלִים *servus potestatem habentium* & *minor angelis* atque dictis diis, Es. 49: 7. Psalm. 8: 6. quippe subjectus legi, quæ tradita est εἰς διαταγὰς ἀγγέλων: tamen etiam erat Deus, stans in cœtu Dei & cum diis disceptans. Psalm. 82: 1. Atque ideò partes ejus erant, deos nominatos redarguere, quòd gravarent populum, & ei dominarentur impotenter; Ezech. 34. quòd inutilia statuerent. Es. 10. v. 1. quòd mutarent verba Dei vivi. Jerem. 23: 35. quòd facerent offendere in lege. Malach. 2:8. quòd propter traditiones suas transgrederentur legem Dei. Matth. 15: 3. Ideò non omninò oportebat eum statutis principum subjici. atque etiam ipsius non erat discipulos suos, qui ipsum sequebantur, ut Salvatorem mundi & dominum, obstringere ad necessitatem parendi hominum præceptis inutilibus. Matth. 15: 2. Enimverò non est hoc solum, quod Christus egit circa Sabbatum. Opera enim, quæ dedit ipsi Pater, ut ea faceret, quibus testaretur se Salvatorem populi sui, & quibus levabantur miseri à malis suis, ut læti Deo gratias agerent & salutem Dei prædicarent, fecit non magis omni die, quàm Sabbato. Atque etiam ideò non abstinuit ab operibus manus, quæ Deus ipsi ad tollendos morbos ordinaverat; quale erat facere lutum & oculis illinere. Quibus faciendis ostendit se *Dominum & Sabbati*. Matth. 12:8. Marc. 2: 28. hoc est, eum, qui, quod erat cerimoniale in Sabbato & umbra futurorum, impleret & implendo tolleret, & ab eo libertatem suo tempore prædicaret. Colos. 2: 16. 17.

10. Obedientia Christi hæc pertinet ad officium sacerdotale: non tantùm ideò, quia necesse erat, Christum se puram & immaculatam victimam Deo offerre (ut quidam volunt) sed etiam, quia obedientia ipsa est δικαίωμα, sive meritum, quo multi constituuntur *Obedientia Christi est sacrificium.*

tur justi. Rom. 5: 18. 19. Est enim causa juris petendi vitam. atque ita revera θυσία *sacrificium*. Es. 5: 2. quod sacrificium κατ' ἐξοχὴν appellatur זִבְחֵי צֶדֶק *sacrificia justitiæ*, hoc est, justitia, quæ est sacrificium & cibus Dei; sive quod est לְרָצוֹן εἰς εὐδοκίαν acceptum Deo, quo delectatur (חפץ) ut propter id adjudicet atque addicat vitam æternam, & potestatem eam petendi atque exspectandi donet. Psalm. 51: 20. Ea est צְדָקָה *justitia*, *per quam Sion redimitur*. Es. 1: 27. *qua Deus sanctus*, volens justificare impium, *sanctificatur*, ut qui nec consors peccati sit, neque legis suæ violator ac destructor. Es. 5: 16. Et, quòd factus dicitur sub legem, eò clarè indicatur, eum, velut Sponsorem, debuisse præstare meritum vitæ, secundùm illam sententiam: *Qui fecerit ea, vivet in eis*. Debuisse, inquam, habere pro fratribus suis, quo ipsis causa & pater vitæ æternæ fieret. Nam, ut ipse in gloria versaretur, merito non indigebat: quippe qui esset Filius. Ergo, ut Sponsor noster, obediens est factus, non tantùm moriendo, sed amando, usque ad mortem. Phil. 2:8. Adeò ut actus Sacerdotis fuerit obedire legi & præceptum charitatis & amoris cùm Dei, ut sanctificandi, tum miseri fratris, ut justificandi, implere, & passio sit consummatio sacrificii, non sola sacrificium. quę obedientia à Propheta insigniter צְדָקָה *justitia* appellatur. quæ non reperitur in peccatore & nominatim *Sione redimenda & revertentibus ejus*.

Christi prophetia.

11. Præterea *in diebus carnis suæ*, hoc est, in illis diebus, quibus *cognoscebatur secundùm carnem*, ut aliquis Israëlita, Hebr. 5: 7. 2 Cor. 5: 16. loquutus est verba Dei, Joh. 3: 34. Deuter. 18: 18. Id fuit Prophetæ. Sermo autem Christi in illis partibus constitit. 1. Redarguit principes & sacerdotes ac populum deserti officii, & legis malè intellectæ, & judicii non recti. 2. Prædicavit, regnum cœlorum appropinquare. 3. Invitavit omnes ad μετάνοιαν sive *resipiscentiam*, hoc est, conversionem tum à servitute peccati, tum à falsæ justitiæ persuasione. Primum autem resipiscentiæ opus prædicavit *fidem*, non jam promissionis, sed *Euangelii*. 4. Se missum dixit à Deo ad Euangelium annunciandum. in quantum certè id ante exaltationem & glorificationem ipsius annunciari poterat. Atque ideò nominavit Deum Patrem suum: ita ut non tantùm oves ipsius, sed & hostes intelligerent, eo significari, quòd ipse esset Filius Dei proprius. Quanquam enim vulgo non pronunciaret, quis esset, sed id ex dictis & factis suis colligendum relinqueret; tamèn aliquando hostibus, secum de gloria sua altercantibus, respondit, & ex

pro-

prophetiis ostendit, quis esset Christus, eaque de se pronunciavit, itaque illos irritavit. Suis autem discipulis familiariùs exposuit, quæ apud multos per parabolas loquebatur. & apud illos, se Christum Filium Dei esse, non dissimulavit. Fuit hæc mira attemperatio humilitatis & majestatis, ut loqueretur ea, quæ non nisi Deus loqui poterat, & ea loqueretur in humili specie, & iis verbis, quæ Christum pronunciaturum esse, Scripturæ testabantur, quorumque vis multos latebat. Quæ humilitas quum præberet occasionem & fiduciam accedendi ad ipsum, aliis fuit occasio ipsum contemnendi. Exemplum illius sermonis est Matth. 11: 28. *Venite ad me, qui laboratis sive fatigati estis & onerati, ego faciam vos requiescere.* Quæ non poterat nisi Dei Filius loqui; sed majestas illorum verborum non omnibus statim patebat. Huc referenda omnis invitatio ad fidem in se, cum promissione salutis: & verbum, quo remisit peccata.

12. Erat autem necessarium, ut aliquando Propheta veniret, qui verba Dei loqueretur: quia justitia non poterat adduci, nisi per Filium Dei, & regnum illi dandum erat; ut non tantùm ipsum exspectarent, secundùm prægressam promissionem de ipso; sed etiam eum viderent, &, ad consummationem lætitiæ, Euangelium ex ore ipsius audirent: atque ita & de ipso diceretur, *Ecce Deus vester*, Es. 40: 9. & ipse diceret, *ego sum, qui loquitur*, hoc est, ego ipse loquor, non alius. Es. 52: 6.

13. Quare Christi prophetia non fuit tantùm illa, quæ est ministrorum Dei, sed celsior illa & glorioſior. Nam, *qui ex terrâ est, ex terra loquitur*, hoc est, quia ex terra est, ideò etiam ex terra loquitur, tanquam minister; cujus est in terra stare ad scabellum pedum Dei. *qui autem ex cœlo est, supra omnes est*, (atque ideò celsiora loquitur) & *quæ vidit & audivit* (hoc est, quæ vidit in consilio Dei præparata & novit promulgata ac promissa) *ea testatur.* Joh. 3: 31. 32.

14. Quæ Filius antè loquutus est, ut Angelus Jehovæ, hoc est, is, qui mittendus erat à Jehovah, idemque assertor seminis Abrahami & Sponsor Testamenti, ea potiùs ad munus & potestatem regiam retulerim; ut &, quæ postea per Apostolos suos prædicanda curavit. Nam Prophetam Christum intelligimus fuisse tum, quum in carne apparuit & in nomine Patris, ut *Apostolus adstipulationis* Hebr. 3: 1. locutus est, hoc est, ut is, in cujus verba non tantùm juraremus & cui Amen responderemus, facientes fœdus cum Deo; sed, quem etiam auctorem justitiæ ac vitæ confitentes Deo glo-

riam daremus & ei adstipularemur, & sic justi & amici Dei fieremus. Unde simul ἀπόστολος *legatus* & ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας *sacerdos adstipulationis* & fœderis pangendi appellatur.

Miracula annexa prophetiæ Christi.

15. Non tantùm verba dedit Pater Filio, quæ loqueretur, sed & opera, quæ faceret. Quatenus ea fecit in nomine Patris & Patrem eorum auctorem nominavit, ad Propheticum ipsius munus spectant. Nam & Moses & alii Prophetæ fecerunt miracula. Quatenus autem ea fecit, ut potestatem habens ad destruendum opera Satanæ & morbos mortemque & omnem vim ejus à suis auferendi, partim ad sacrificii ipsius valorem, partim ad regiam sive dominicam potestatem referenda sunt. Imprimis, quatenus declaravit, ea sua voluntate & jussu ac potentia fieri.

16. Sed considerandа ea nobis sunt, ut annexa ipsius Prophetiæ. Miracula non omnia fidem faciunt verbis ejus, qui miracula edicit, & per quem fiunt. Deut. 13: 1. 2. 3. ostendit Deus, non esse alienum à se tentare, faciendo signa, quæ falsus propheta, instigatione Diaboli, edicit. Quid igitur miracula? Imprimis excitant & attonitos faciunt homines, & commonefaciunt, ne dormiant & segnes sint ad animadvertendum, quod Deus facit, sive doceat, sive tentet. Deinde, miracula, quæ fiunt ab iis, qui non loquuntur in nomine Jehovæ, & ea, quæ non conveniunt nomini ac verbo Dei, fiunt à Deo tentante. Unde planum est, ea non fieri, nisi nomen Dei cognitum sit aut indicatum aut notum. Quòd autem Christi miracula non potuerint esse ad tentandum, facilè patet. Falsus propheta fortasse unum atque alterum signum faciet, non crebra; non, ut appareat, eum semper exaudiri à Deo. Christo nunquam non respondit vocata salus: ut Ægyptiis magis se non stiterunt vermium exercitus. Præterea dictum erat, Christum cum pueris ipsi datis in signa & prodigia futurum. Es. 8: 18. non autem dictum erat, pseudo-Christum venturum ante Christum, qui miraculis clarus fieret. Accedit, quòd miracula ipsum parem Mosi faciebant. Et erant, quæ ipsum majorem ostenderent. Nam testabatur hominibus, quid in corde ipsorum esset, & bonis, ut Nathanaëli, Joh. 1. vers. 48. 49. & passim multis in fide ad ejus opem confugientibus: & malis, ut Pharisæis, & Judæ proditori. Deus solus corda introspicit. De Christo dicitur Es. 11: 3. *odorabitur timorem Domini.* nempe ut sacrificium suum. &, *non secundùm visa oculorum suorum & audita aurium suarum judicabit.* Veteres Hebræi inter characteres

racteres Christi numerarunt, *Odorari improbos*. Quò spectat, quod dicit Simon ille Luc. 7: 39. *Hic, si esset propheta, nosset, quæ & qualis sit hæc fœmina.* Postremò Christus in nomine Patris sui venit, & nomen Patris sui notificavit, neque est dolus repertus in ore ipsius. Ergo miracula eum probant esse Christum. Non, quòd non absque miraculis potuerit & debuerit agnosci; sed quòd Deus voluerit eum ἐκ φανερώσεως & per doctrinam & per opera innotescere, ad nostram quidem fidem confirmandam, demendam verò omnem excusationem non credentibus. Probant ea porrò veritatem omnium, quæ locutus est; quæ nempe de mysterio salutis revelavit, & de iis, quæ à Patre decreta sunt.

17. Supersunt tentationes sive passiones ejus, eæque variæ. in quibus dicit Scriptura ipsum consummatum esse, ut principem salutis. De qua consummatione agemus proximo capite. *Tentationes & passiones Christi.*

CAPUT LX.

De Christi humiliatione & passionibus.

Christus venit in mundum, ut *Sponsor Testamenti*: atque ita ut *præceptum habens à Patre* ponendi animam suam & resumendi eam natus est. Joh. 10: 18. Nam Testamento Dei, quo ordinatus est sacerdos, hoc negocium ei datum est, ut ultrò & ex potestate animam suam poneret αὐτέξουσον, &, eo facto, accederet ad se & thronum gratiæ occuparet. Hæc ipsi *via vitæ*, & *saturitatis lætitiæ*, ac *gratiarum in dextra Dei* à Deo assignata est. Psalm. 16: 11. Ex quo intelligitur, Christum primò oportuisse humiliari, deinde exaltari. *Causa humiliationis Christi.*

2. Christi humiliatio indicata fuit à Davide Psalm. 8: 6. *Feciſti eum paulisper minorem præ Deo* vel *diis*, hoc est præ illo, qui est, & præ illis, qui dicuntur dii. quod Apostolus ex parte explicat Hebr. 2: 7. *præ angelis*. Intelliguntur verò etiam homines, *qui potestate & imperio præditi erant* in priori seculo; quorum *servus* appellatur Es. 49: 7. Quòd autem in Psalmo 8. de Christo sermo sit, patet; quia loquitur de *filio hominis* post visitationem Dei. *Filius hominis*, quum Deus homines visitavit, est imprimis *filius hominis*, qui est caput, deinde & *filius hominis*, qui est corpus, sive ad corpus pertinet. *Humiliatio Christi prædicta.*

3. Non in eo consistit Christi humiliatio, quòd homo natus est. Nam etiam in statu ὑψώσεως *exaltationis* est *filius hominis*, atque ita habet naturam servilem, in qua facit voluntatem Dei etiam in glo- *Non consistit in eo, quòd homo factus est.*

ria. Quippe *filio hominis* subjecta sunt omnia opera Dei, ipsi quoque angeli. Psalm. 8: 7. Hebr. 2: 5. 6. 7. 8. 9. Et minorationem restringit Psalmus ad tempus. βραχύ *in parvo tempore.* Neque enim parva minoratio intelligitur, quoad gradum, sed parvi temporis humiliatio. Magna enim depressio est, subjici diis nominatis; esse sub legem, & quidem ad functionem sacerdotis se offerentis pro peccatis fratrum. Nam hæc *minoratio* ad salutem miserorum pertinet, quia evenit in *visitatione miserorum* (Hoc enim notat nomen פקד) & ad eorum glorificationem pertinet. Nam, nisi ii, quorum causa venit, coronentur, ipse gloria coronatus non videbitur. Quemadmodum igitur minor factus est dictis diis, ita quoque Deo. Et hoc respectu dicit *Patrem se majorem* Joh. 14: 28. ὁ ἀκένωτος δὲ κεκενωμένου μείζων, *Is, qui non est exinanitus, est major eo, qui exinanitus*, inquit Photius epist. 176. nempe quatenus Pater non erat exinanitus, quum filius exinanitus esset. Ergo ea majoritas non ultra tempus exinanitionis Filii procedit. Quo ostendit Christus, gaudendum esse discipulis, quòd proficisceretur ad Patrem; nempe ut desineret esse minoratus. Nihil officit gloriæ Filii vel esse hominem, & posse minorari, vel minorari. Illud enim est Dei, habere tabernaculum, in quo σκηνώσῃ, Joh. 1: 14. Hoc est Deum fieri Ecclesiæ suæ, semini Abrahami, hoc est, id agere & pati, quo ipsis causa æternæ salutis fiat.

Κένωσις, & quomodo in ea ἐνσάρκωσις manifestatus?

4. Primum in humiliatione est κένωσις *exinanitio*, quæ non est ἐνσάρκωσις simpliciter (nam ea est σκηνώσις, φανέρωσις θεοῦ ἐν σαρκὶ, nec sine *gloria ut unigeniti à Patre*, Joh. 1: 14. 1 Tim. 3: 16.) sed ἐνσάρκωσις *incarnatio* talis, in qua non fuit ἴσα θεῷ *instar Dei*, vel *ut par est Deum esse*, sive ut Deo æqualis esset ἐν μορφῇ inter homines, in qua μορφὴν δούλου *formam servi* accepit ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, hoc est, statum servi facti sub legem suscepit, dum factus est similis hominibus, ut frater. Phil. 2: 7. Unde cognosci quidem potuit pro Filio Dei, sive eo, quem Pater miserat: & quidem rebus atque argumentis manifestis cognosci potuit: adeò ut ii, qui ipsum viderent, revera viderent gloriam tanquam unigeniti à Patre: sed non nisi ab illis, qui credebant Mosi & Prophetis, ita, ut verbum Dei maneret in ipsis. Joh. 5: 46. 38. hoc est, ut intelligerent mentem dictorum Dei per Mosen & eam fide reciperent. Nam, ut argumenta, quibus gloria ejus ostenderetur, essent evidentia, tamen non nisi fidelibus erat evidens, ea esse argumenta gloriæ Filii

Dei

Dei unigeniti: cæteri autem poterant in ipso scandalisari.

5. Neque opus fuit multis & magnis signis, ut cognosceretur esse Filius Dei & Salvator Israëlis. Quum enim Israël promissionem haberet, Jehovam, Angelum Jehovæ, Angelum Testamenti, Germen Jehovæ, Assertorem, venturum, & gloriam suam ipsis manifestaturum, & ipsis Salvatorem futurum; quod sine sacrificio fieri non posse, ipsis significatum est: & rursus; *filium hominis, semen*, filium Abrahami & Davidis, Christum servum futurum ad erigendum fœdus, & justitiam Dei annunciaturum, & cum principibus populi disceptaturum, & æternum regem ac sacerdotem fore, & verba Dei locuturum, & gloria ac honore coronandum esse: breviter, Christum suo tempore venturum, &, quæ Deus ad consolationem populi loqui poterat, locuturum: nihil aliud restabat, quàm ut recognoscerent, an ipsius verba essent revera verba Euangelii, quod, promissum erat, populum auditurum esse. Nemo poterat impiè & imprudenter credere, Deum dedisse eum, quem promiserat, si quis venisset, qui loqueretur, quod is loqui debebat, qui promissus erat. Nemo poterat falsus propheta venire & loqui justitiam Dei, & Deum glorificare. Quòd si fieri potuisset, ut Diabolus fingeret Euangelium conveniens divinis promissionibus: an Diabolus secum ipse dimicaret? Matth. 12: 26. Quòd si & hoc facere posset, tamen Promissio, quæ dicit, talia auditum iri, & illa insinuat credenda, non permittit, ut verum Euangelium ab eo, qui Servator & Filius Dei non esset, diceretur. Sume saltem promissionem, quæ est Deut. 18: 15. 18. *Prophetam parem tibi excitabo, & ponam in ore ipsius verba mea. & requiram ab eo, qui non audiverit.* Audiendus igitur est, qui venit in nomine Domini, Psalm. 118: 26. qui verba ea loquitur, quæ Deus sibi reservaverat loquenda ad populum, quæ antè præscripta erant. Psalm. 40: 8. Et hic Propheta non est Moses, & non est minor Mose, ut omnes alii, Deuter. 34. & in loquela illius Prophetæ est consummatio eorum, quæ Deus locutus erat populo. Atqui non tantùm illa dixit, quæ Servator dicere debuit; sed etiam ea fecit, quæ debuit facere. Præstitit enim se revera Servatorem, agnum Dei portantem peccata mundi, dum morbos populi sanando abstulit. Es. 53: 4. Atque ita quidem, ut potestatem habens in morbos & omnem potentiam Satanæ: & ut is, qui haberet potestatem vitam dandi, cui vellet, Joh. 5: 21. voluntate, gratia, imperio. Neque tantùm ipse id fecit, sed etiam di-

ſcipuli ipſius in nomine ipſius. Ita *habitantes Hieroſolymæ*, diſcipuli Chriſti, *fuerunt ut David, & domus David ut Deus, ut Angelus Iehovæ, coram ipſis.* Zach. 12: 9. hoc eſt, filius Davidis in potentia divina & gratia, tanquam miſſus ad ſalutem & fœdus cum Deo, coram ipſis repertus eſt. Ita Jehovah & pueri ipſi dati, quorum erat Aſſertor, fuerunt ſigna & prodigia coram Iſraële à Jehova habitante in Sion. Eſ. 8: 14. Quod qui crediderunt, intellexerunt, hunc eſſe Prophetam, parem Moſi, hoc eſt, ipſo non minorem, qui verba Dei loqueretur. Deut. 18: 15. 18. Joh. 3: 34. Atque ita recognoverunt magnum illud miraculum deſcenſus veri panis, qui vitam dat mundo, de cœlo. Joh. 6: 33. Quare Judæi, ignorantes verbum Dei, importunè ab ipſo poſtularunt ſignum de cœlo, quale dederat Moſes, quum Manna, ipſo interprete, de cœlo deſcendit. Neque enim debebat venire tam conſpicabili modo, ut etiam illi, qui Scripturas ignorarent, ignorare ipſum non poſſent. Quia dictum erat, *Qui credit, non confundetur.* Eſ. 28: 16. &, *Iuſtus in fide ejus vivet.* Hab. 2: 4. &, *Ego unxi regem meum; Dominus dixit ad me, Tu es filius meus: Beatus, qui confugit ad illum.* Pſalm. 2: 12. Imò erat *futurus ſcandalo ambabus domibus Iſraël.* Eſ. 8: 15. talis, ut *ſuper eo ſtuperent multi, contemtus, vilis, non habens ſpeciem, nec dignitatem aut majeſtatem,* Eſ. 52. 53. *vermis, non vir; probrum hominum, res ſpreta populo,* Pſalm. 22. *minor diis,* Pſalm. 8. *contemtus animæ, abominatio gentis, ſervus poteſtatem habentium.* Eſ. 49: 7. *vir dolorum,* Eſ. 53. *inops,* Zach. 9: 9. *non clamans, non pronuncians, non efferens in publico vocem ſuam,* Eſ. 42: 2. *Deus ſe occultans,* Eſ. 45: 15. *habens ſpeciem in vanum laborantis,* Eſ. 49: 4. *habens litem cum adverſariis,* Eſ. 50: 8. 9. iiſque *regibus & principibus,* Pſalm. 2: 2. *ſtans in cœtu Dei & cum diis diſceptans,* Pſalm. 82: 1. & ab *architectis reprobatus.* Pſalm. 118: 22. Unde Chriſtus meritò dicit, *Beatus, qui non ſcandalizatur in me.* Matth. 11: 6. exprimens illud Pſalmi 41: 2. *Beatus, qui attendit ad tenuem.* Neque major ſpecies ipſius fuit quoad comitatum ipſius. Fuit enim *deſtitutus à viris,* Eſ. 53: 3. *Ex ore puerorum & lactentium,* hoc eſt, infirmorum & rudium, *fundavit robur,* Pſalm. 8: 3. *Filii ipſius fuerunt probrum* illius *generationis,* Deut. 32: 5. Quæ fuit ipſius *manſuetudo,* Pſalm. 45: 5. qui *cannam quaſſam non voluit frangere,* Eſ. 42: 3. qui, ut bonus paſtor, *agnos in ſinum ſuſcepit,* Eſ. 40: 11. & gregem ſuum disjectum, diſſipatum, neglectum, vexatum à paſtoribus, collegit, & periens quæſivit, depulſum reduxit, fractum conſolidavit, ægrum roboravit, Ezech. 34: 15.

34: 15. & manum suam retulit ad parvulos. Zach. 13: 7. In quibus, tanquam πρὸς ὑποπτωσιν, 1 Tim. 1: 16. ostendit, se non venisse propter justos, sed propter peccatores, ut eos vocaret ad pœnitentiam. Matth. 9: 13. se esse magnum misericordia, & multum condonantem, Es. 55: 7. multam apud se redemtionem esse, seque *redimere Israëlem ex omnibus pravitatibus suis*. Psalm. 130: 7. 8.

6. Et, quòd non aspectabili & ignaris verbi Dei confessionem exprimenti modo Christus debuerit revelari, etiam inde constat, quòd per Spiritum Dei, brachium Dei, debuit fieri conversio, ut mundi, ita & Israëlis. Es. 44: 3. 53: 1. Joël. 2: 28. 32. ut ita populus Dei esset, quem Deus *creasset* nova & mirabili creatione, *formasset, perfecisset*. Es. 43: 7. 21. Ita, dum parvulos, rudes, peccatores sibi adjunxit, eosque fecit fortes instar Davidis & eos misit, qui prædicarent adventum regni cœlorum & pœnitentiam cum fide Euangelii, demonstravit, neque manum suam breviorem esse, quin redimeret; neque se viribus destitui ad eripiendum, Es. 50: 2. imò se & merito & spiritu salvare Israëlem.

7. Inter specimina humilitatis est *asino insidentem venire ad Sionem*, Zach. 9: 9. quemadmodum vulgus hominum solebat in civitatem invehi. Quanquam hoc fecit, ut rex. Quippe qui priùs & dictis & factis occasionem dedit populo, ut viam sternerent ramis & vestibus, ipsique per civitatem in templum intranti acclamarent, Hosianna. Quæ res eò magis adversarios ipsius irritavit. Quod *gaudium Sionis* fuit, à Propheta indicatum. Et notabile est, quòd Josephus Albo ex Zach. 9: 9. cum Veteribus concedit, Christum potuisse venire insidentem asino, ita ut, qui viderint eum, putaverint, eum non esse Christum. Veteres enim in capite *Chelek* dicunt, si mereatur Israël, venturum cum nubibus cœli; sin, vectum asino. Sed prophetia Zachariæ monstrat, Sionem debuisse gaudere & jubilare, quòd sibi veniret sedens in asino rex suus. Et verò etiam in asino sedens agnitus est & cum jubilatione exceptus. Judæorum quidam, fatentes, hoc pertinere ad domum secundam, partim de Nehemia, partim de Juda Maccabæo interpretantur; quos alii absurditatis convincunt, sed implementum ad domum tertiam rejiciunt. tantùm, quia nolunt agnoscere eum, qui venit.

8. Fuit igitur Christi κένωσις *inanitio* non quidem depositio potentiæ, sed assumtio infirmitatis in carne, & omissio sive non-usus illius majestatis, qua si usus fuisset, nemo coram ipso subsitisset.

Qua

Qua humilitate non obstante & gloriosus fuit, &, ut lux vera, luxit in tenebris, quemadmodum inde à monte Sinai, imò à paradiso, in tenebris luxerat.

Ταπείνωσις ad passiones.

9. Sed, ut ea species apparitionis fuit mansuetudinis, ita etiam fuit comparata ad judicium. ut divites, potentes, justi, sapientes, &, qui dicebant, se videre, sed ad verbum Dei non attenderant, dimitterentur inanes. Joh. 9: 39. 12: 38. 39. 40. Luc. 2: 34. Quam rationem manifestandi se & regnum suum adhuc servat & servabit usque ad ultimum judicium: nempe ut non, nisi credentes Mosi & Prophetis, &, secundùm illos, Apostolis ipsius, vel nomen illius, vel Ecclesiam, quid illa sit, & qui ad illam pertineant, cognoscere possint.

10. Præterea autem humilitas illius necessaria erat propter *ταπείνωσιν* sive *depressionem sui*, nempe ut *fieret obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Phil. 2: 8. Illi enim, *qui datus est in fœdus populi*, convenit, ut *anima ipsius ponat satisfactionis precium*. Es. 53: 11. quippe populus fœdus cum Deo non facit, nisi per *confessionem* sacrificii; quia neque Deus populo fœdus offert, nisi mediante *sacrificio*. Ps. 50: 5. atque adeò, *quem dat in fœdus populi*, eum dat *sacerdotem* & legatum τῆς ὁμολογίας *adstipulationis & confessionis*. Hebr. 3: 1. Unde & *sacerdos* nominatur Zach. 6: 12. 13. Psalm. 110: 4. & ei attribuitur *accedere ad Deum*. Jer. 30: 21.

11. Nec ignari fuerunt Judæi τῶ παθημάτων τοῦ Χριστοῦ. Quæ passim nominant חֲבָלֵי הַמָּשִׁיחַ *dolores Messiæ*. Vide & Actor. 26: 23. Neque aliunde fabula de Christo filio Josephi, qui moriturus sit, originem traxit.

12. Requirebatur autem ad hoc sacrificium imprimis dilectio, tum gloriæ Dei ex sanctificatione hominis miseri; tum fratrum, puerorum, qui ipsi dati sunt. Et hæc est primaria ἀγαπή: quæ est θυσία εὐωδίας τῷ θεῷ. Eph. 5: 2. Ea dilectio erga miseros fratres fuit συμπάθεια *compassio*. Hebr. 4: 15. Ex qua extitit *dolor* & *contritio* animi Es. 53: 5. & *timor*. Qui εὐλάβεια (quod possis *legitimum metum* ex etymo interpretari) Hebr. 5: 7. alibi & ἀγωνία & ἀδημονία. Hinc δεήσεις *petitiones* & ἱκετηρίαι *supplicationes*. Non enim putandum est, Christum non vidisse cumulum peccatorum, & tentationum, & dolorum Ecclesiæ, quibus necdum defuncta erat; quando cohorruit, & tanquam grumos sanguinis sudavit, & calicem à se præterire petivit. Nam, quicquid Ecclesiæ accidit, Christi passio est.

Passiones animæ.

&

& Ecclesiæ peccata sua vocat iisque se externari significat Psalm. 40: 13. Adeò ut, quando se *servari* petit, petat salutem & membrorum suorum. Quinetiam horrenda peccata & judicia populi sine dubio eum, qui omnem justitiam implebat, ad commiserationem moverunt. Estque sine dubio ea συμπάθεια *condolentia* major, quàm imaginari possimus. Quemadmodum & ζῆλος *Zelus* domus Dei, qui ipsum devoravit. Psalm. 69: 10. Atque etiam in ea commiseratione fuit respectus ad gloriam Dei & sanctitatem ejus: &, dum ita *doluit* & q. *enervatus fuit* animo, *terrores Dei super ipso transierunt*. Psalm. 88: 16. 17. adeò, ut in cruce *de derelictione Dei* conqueseretur (Psalm. 22.) clara voce: ut intelligeremus, eum amarissimos & indicibiles dolores in anima sua sensisse. Et hic præcipuè *labor animæ ipsius* fuit. Es. 53: 11. in qua, quum iram Dei ferret, ut nullum nisi sanctum motum, hoc est, charitatem, statuere oportet, ita par est statuere omnem horrorem, anxietatem & tristitiam extitisse, quam sancta anima diligens honorem Dei & salutem proximi desiderans & vel difficultatem justificationis & salutis vel gravitatem & vehementiam tentationis in suis considerans, aut etiam pereuntibus per obedientiam indolescens capere potuit: imò majorem, quàm quisquam animo concipere potest.

13. Non defuerunt verò & πειρασμοὶ *tentationes*, quas in corpore suo sustinuit. à quibus *didicit obedientiam*. Hebr. 5: 8. hoc est, in quibus experimentum cepit amoris constantissimi & puri, & nobis illius argumentum præbuit: ut & gratias ipsi agere possimus, & habemus, quod imitemur, tanquam ὑπογραμμὸν *exemplar*. Joh. 15: 12. 1 Petr. 2: 21. 1 Joh. 2: 8. *Dolores in corpore.*

14. Per totam vitam ipsum comitata est tenuitas, status irrequietus, labor, fatigatio, fames & sitis, modus vivendi communis, non notabilis, ut Johannis Baptistæ, metus hostium, subterfugitatio: donec veniret *hora potestatis tenebrarum*, Luc. 22: 53. Ex qua se petiit liberari. ita non sine horrore & turbatione animæ eam adiit. certus tamen, se ex illa liberandum esse; quippe quum hac gratia & lege in eam venisset. Joh. 12: 27. *Non sine animæ perculsione.*

15. Quum igitur memoriale mortis suæ instituisset, & agonem in horto peregisset, traditus est à discipulo suo: juxta prophetiam, Psalm. 41: 10. Quæ traditio habetur in Scripturis, qua sic Christus ipse se obtulerit Sacerdotibus, ut mercedem suam & æstimationem sui, si vellent, penderent. Zach. 11: 12. Nam sine ipsius scitu & *Traditio Christi.*

gubernatione & industria, qua occasionem prodenti præbuit, traditio non est facta. Qua re manifestum fecit, neminem sibi animam eripere, sed se sponte eam ponere, secundùm mandatum Patris. Joh. 10. vers. 18.

Apprehensio. 16. Proditionem secuta est apprehensio. Id jam pertinet ad עצר *coarctationem.* Es. 53: 8. &, quod Psalm. 88: 9. est, *inclusus, non exeo.*

Dispersio discipulorum. 17. Secuta est dispersio discipulorum. Zach. 13: 7. ita ut *non haberet quicquam.* Dan. 9: 26. confer Psalm. 88: 9. 19. *Elongasti à me amantem & socium: notos mei tenebræ.* Etiam Angeli non ita accesserunt ad ipsum, ut ministrarent ipsi. In horto singulare, quòd angelus eum roboravit. Consortio dæmoniorum traditus est. Circumsteterunt eum *canes, monocerotes, tauri feroces, cœtus maleficorum,* qui vocabatur *cœtus Israël: leo lanians & rugiens.* Psalm. 22. *myriades populi* se circa ipsum posuerunt. Psalm. 3: 7. Non fuit cum ipso vir, qui calcaret torcular. Es. 63: 3.

Traditio in manus gentium. 18. Notabile est, quòd Scriptura ipsum includit in manum *canum.* Nam hoc significat *gentes,* sive eos, quos Servator ipse ἁμαρτωλοὺς nominavit. Matth. 26: 45. Marc. 14: 41. Luc. 24: 7. Et Scriptura imperium (in voce עצר) & *judicium* distinguit. Nam imperium tum penes Pilatum erat. Coram quo edidit καλὴν ὁμολογίαν *pulchram confessionem.* 1 Tim. 6: 13, Joh. 18: 36. 37.

19. Quòd verò principes populi Christum tradiderunt in manus gentilium, id 1. indicium est odii sine causa. Psalm. 69: 5. Nam, quum potestatem interficiendi hominem non haberent, & supersedere possent sanguinis judicio, maluerunt eum peccatoribus tradere, quàm eum vivere sinere. 2. Testimonium innocentiæ Christi. Nam judici non probatum est crimen seditionis. 3. Manifestatio scortationis spiritualis, quòd magis respicerent ad Capitolium, quàm ad montem domus Domini, & in hoc colerent deos Romanorum. Nam illis imputarunt suum panem, aquam, linum, lanam, vinum, oleum: non cognoscentes eum, qui omnia ipsis dederat. Hos. 2. 4. 7. vel 7. 10. Quod declararunt dicentes, *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Joh. 19: 12. 15. Hoc erat Christum Dei & regnum ejus ἀποδοκιμάζειν *reprobare.* Matth. 21: 42. Marc. 8: 31. Luc. 17: 25. Psalm. 2: 1. 2. 118: 22.

Judicium. 20. Actum tamen est & *judicium* (Es. 53: 8.) à Sacerdotibus & senioribus populi. Cujus definitiva sententia fuit, Oportere, ut unus homo pro populo moriatur. Joh. 11: 50. Quæ etiam volun-

tas

tas Christi & judicium Patris fuit. Nam Deus *faciebat in ipsum incurrere peccatum omnium:* tempusque erat, ut *id* jam *exigeretur.* Es. 53: 7. ut *daret* חטאת *sacrificium pro peccato anima ejus* charitate tenerrima languens. v. 10. &, ut solveret, quod non rapuerat. Psalm. 69. v. 5. In quo judicio ipse factus est κατάρα *execratio*, ἁμαρτία *peccatum*, περὶ ἁμαρτίας *sacrificium pro peccato*, dedit λύτρον *redemtionis precium*, peregit ἱλασμὸν *propitiationem*, portavit peccatum, ut sponsor & mediator Testamenti, & *agni* aberrantis ac *serpentis* in deserto erecti typum implevit. Sed sententia Synedrii, quæ recitatur in Talmud, Christum justificat. Vide ultima Mosis §1737. Ea ostendit, eum damnatum esse primò, quòd alium Deum doceret: quia nempe dicebat, Deum Israëlis esse patrem suum. secundò, quòd magus fuerit: nempe quia miracula faciebat in nomine Patris. Quem ipsi ignorabant.

21. In hoc *judicio* damnatum est peccatum, quod habebat actionem ex lege ad mancipandum sibi hominem eumque morti dandum, & Diabolus imperium mortis habens judicatus & abolitus est. Rom. 8: 3. Hebr. 2: 14. Joh. 12: 21. 16: 11. ad deletionem omnis carnis, Es. 63: 3. Num. 23: 17. 19. abolitionem omnis potentiæ, potestatis, & dominationis, 1 Cor. 15: 24. & ad erectionem regni, in quo nihil nisi justitia, vita & lætitia est. Es. 49: 8. 65: 17. 18. & sic Deus sanctus sanctificatus est, &, ut sanctificans, justificans ac vivificans impium, justificatus est. Es. 5: 16. Rom. 3: 26. Nam justus moriens pro injustis moritur. Injusti autem, pro quibus moritur justus, in justo mortui habentur.

22. In eo judicio igitur tantum passus est, ut ipse *consummaretur* tanquam *princeps salutis*, Hebr. 2: 10. & ut *judicium faceret exire ad justitiam.* Es. 42: 3.

23. Quæ autem Christus in corpore passus est, perspicuè in Euangelio enarrantur, ut in his eum quasi ob oculos depictum in suis passionibus cernamus omnes, qui verbum id audimus, tam parvi quàm magni. Gal. 3: 1. Quod necesse fuit, quia in eis passionibus cerni debuit consummatio sacerdotis, & sanctitas Dei & veritas legis ac judicii severitas, & typus charitatis: denique etiam veritas prophetiæ. Nam hæ passiones pertinent ad *cælaturas* illius *lapidis*, qui omnibus propositus est, ut eum *intueantur*; quibus cælaturis extantibus, factum est, ut *peccatum totius terræ aboleretur.* Zach. 3: 9. Unde patet, per has cognoscendam esse *Rupem salutis*, ad quam confugere necesse est, ut salvemur. *Præcipuæ partes passionis Christi.*

Ex prophetiis demonstrata.

24. Præcipuæ etiam partes *passionis* in Symbolo recitantur, *Crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.* Sed præstat, nunc historiam passionis ex prophetiis contexere, ut in passionibus conspiciamus cælaturam lapidis. Idque eò magis, quia & Apostolus in hisce tradendis provocat ad τὰς γραφὰς *Scripturas.* 1 Cor. 15: 3. 4.

25. Narrat igitur nobis prophetia, *Semen mulieris*, quod *caput Serpentis conterit*, & sanctificat, pati *contritionem calcanei à Serpente*, hoc est, propter peccatum, & imperium mortis, quod per transgressionem hominis nactus erat Serpens, tot & tanta pati, ut dignum sit Deo serpentem condemnare & hominem peccatorem sanctificare & justificare: & talia patientem non succumbere.

26. Sequuntur sacrificia, quæ non fuerunt absque sanguine: maximè illud, quo initiatum est Vetus fœdus Israëlitarum: Ex. 24: 8. quæ ostendunt *sanguinem Testamenti*. Zach. 9: 11. Circumcisio item & liberatio ex Ægypto non vacavit sanguine. Diluvium mortis & resurrectionis typum habuit. Serpens in deserto erectus ostendit, eum, qui aspiciendus est fide, ad salutem, fieri peccatum & tanquam peccatorem & genimen serpentis tractari. Num. 21.

27. Deut. 32: 15. de rupe salutis dicitur נְבֵלָה: quod non tantùm contemtum, sed & contumelioſam tractationem, imò νέκρωσιν *mortificationem* (qua fiat נְבֵלָה πτῶμα, *cadaver*) significat. Moses Deut. 30: 13. testatur, aliquando verbum Dei fore promtum in ore & corde, ut non habeant opus dicere, Quis descendet in abyssum? hoc est, Christi mortem & resurrectionem fore testatissimam. Rom. 10: 7.

28. Sacrificia pro peccato & reatu, item purificationes legales & sacrificium jejunii, cujus sanguis intrò ferebatur, quo tabernaculum à peccatis Israëlitarum purgabatur, ostendebant, non dari remissionem ad inhabitationem Dei absque digno sanguine.

29. Sacrificium juge matutinum & vespertinum ipsum propemodum tempus crucifixionis & mortis Christi adumbrabant. Nam circa horam tertiam crucifixus est, circa nonam, inter duas vesperas, expiravit. Ita combustio victimæ, cujus sanguis intrò ferebatur, extra castra locum passionis Christi demonstrat. Hebr. 13: 11.

30. Vetatur relinqui cadaver suspensi in ligno, quia exsecratio Domini sit suspensus; ne terra fœdetur: Deut. 21: 23. Id significat, 1. neminem suspensum iri in ligno, nisi propter execrationem; quamdiu ea durat. Unde consequitur, etiam Filium & Servum Dei,

Dei, Justum, quando suspenditur, fieri execrationem, hoc est, in locum eorum, qui merebantur exsecrationem, venire, & effectum exsecrationis, quæ sequitur peccatum, in corpore suo experiri. Gal. 3:13. 2. Hoc supplicio finiendam esse execrationem. Id enim notat detractio cadaveris de patibulo & sepultura. Sepelienda erat execratio cum corpore ejus, in quo extincta. Non de alio supplicio talis cautio est. 3. Neglectâ sepulturâ, abnegari spem tollendæ execrationis, atque ita terram fieri impuram. In Filio Dei autem & Justo, qui sub execratione non est, quum is fit execratio, ea interficitur; & cum corpore ejus sepelienda fuit.

31. Psalmi norunt rebellionem populi & principum, Ps. 2. & 3. & passim: Christi somnum & evigilationem, Psalm. 3. humiliationem infra deos, Psalm. 8. clamorem, quo se salvari petit, & carnis procubitum, & descensionem ad inferos, Psalm. 16. querelam de derelictione, suspiria, rugitum, cordis colliquationem, infirmitatem, detractionem & divisionem vestium, expansionem corporis in cruce ad annumerandum ossa, manus canis frustratas, (ne scil. crurifragium pateretur) gladium, cornua monocerotum, os Leonis. Psalm. 22. conservationem ossium, ne frangerentur, Psal. 34. perforationem auris loco sacrificiorum, mala sine numero, debilitatemque & paupertatem imputandam, Psalm. 40. decubitum, post quam non videretur surrecturus, Psalm. 41. descensum ad inferos, Psalm. 68: 19. exitus ex morte, ibid. 21. demersionem in profundo, opprobrium, sitim, præbitionem fellis & aceti, Ps. 69. terrores, inclusionem, mortem, derelictionem à fratribus, &c. Psalm. 88.

32. Esaias obedientiam, tergum datum percussoribus, genas vulsoribus, faciem præbitam ignominiis & sputo prædicat cap. 50. & c. 53. vibices, מופת (hoc est, παράδειγμα, & tale exemplum, quod quemvis intuentem arceat à peccando) excisionem ex terra viventium, patientiam, dolorem, sepulturam cum improbis & cum divite, numerationem cum defectoribus, defectionem populi, & injuriam ejus atque falsum judicium de ipso, ipsamque speciem victi & subacti. Jeremias cap. 31. memorat conceptionem virginis, v. 22. fugam in terram inimici, & reductionem ex ea, v. 15. 16. somnum & evigilationem, & revisionem suorum, ad animam languentem implendam. v. 26. Ezechiel humiliati exaltationem canit. c. 17. v. 22. 23. 24. & c. 21: 31. 32. & aquas puras, quibus aspergendus

Israël, cap. 36: 25. Daniel lapidem excisum à monte c. 2. & Messiam excisum, c. 9: 26. Hoseas revocationem Filii Dei ex Ægypto, cap. 11: 1. Amos tenebras in meridie, c. 8: 9. & luctum unigeniti, v. 10. & tentorium Davidis collapsum, c. 9: 11. Jonas ex ventre inferni servatus laudat salutem Jehovæ c. 2. Michæas videt coram paludamento pallium detrahi, c. 2: 8. *in mala percuti judicem Israëlis*, eum, qui *ex Bethleem* oritur, *cujus progressiones sunt ab antè, à diebus seculi*, c. 4: 14. 5: 1. audit ejus vocem, qua vocat urbem, jubens audire tribum, quæ tamen non congregatur, & querelam, quòd non reperiat racemum vel præcocem ficum, sed meram sterilitatem in populo. cap. 6: 9. 7: 1. Habaccuc videt testem non mentientem, qui scil. visionem expleat, cujus fide justus salvatur, cap. 2: 3. 4. & opus Dei vitam ejus (nempe ex morte) in medio annorum, c. 3: 2. Zephanjah videt urbem persecutricem, cui videndi copia facta est, quæ non accedit ad Deum suum, qui singulis matutinis judicium in luce ponit, qui jubet se expectari usque ad diem, quo surgat ad æternitatem. Zoph. 3: 1. 2. 5. 8. Zacharias videt missionem Jehovæ, & inhabitationem ejus in medio Israële, c. 2: 15. visionem exactionis, cap. 9: 8. Germinis sacerdotium, c. 6: 13. Regis adventum in inopia & humilitate, sanguinem Testamenti, cap. 9: 9. 11. æstimationem ejus, cap. 11: 12. confossionem ejus, c. 12: 10. pastorem gladio percussum, c. 13: 7. Malachias, ut sacerdotes contemserint germen Domini, idque exspirare fecerint, cap. 1: 12. 13. ut Sanctum Domini, quod Dominus diligit, profanaverint, & matrimonium iniverint cum filia Dei peregrini, cap. 2: 11.

33. Apostoli, quamdiu Christus in terris egit, etiamsi Christus ipsis prædiceret mortem & resurrectionem suam, nunquam tamen potuerunt adduci, ut id putarent ita secundùm literam eventurum. fortè, quia viderant, hostium conatus hactenus frustra fuisse, & scirent, ipsum à nemine vinci posse. Quare id in parœmiis dici existimarunt, judicantes, tantam humiliationem non esse necessariam.

Descensus ad inferos.

34. Inter ea, quæ de Christi humiliatione dicuntur, est *descensus ad inferos*. Id propriè significat *sepulturam*, non illam, quæ est *cum improbis*, quæ est θρηνιάζεσθαι sive in cruce pendere mortuum (quemadmodum *sepultura asini* est insepultum projici Jer. 22: 19.) sed eam, quæ est *cum divite*, Es. 53: 9. sive in monimento divitis Josephi. Nam propriè שְׁאוֹל significat τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *inferiores partes terræ*, oppositas

oppositas superioribus, in quibus homines vitali vescuntur aura) Eph. 4:9. quæ תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ alibi vocantur, id, quod infra terræ faciē est, locus tenebrarum, mortis & corruptionis. Potest tamen ea phrasis analogicè etiam significare omnem vilitatem, miseriam, cruciatum, ἀγωνίαν. Notum enim est, vocem hanc in Scripturis similia analogicè significare.

35. Quanquam autem in Symbolis Ecclesiæ Christianæ, ipso etiam Apostolico, hic articulus antiquitus non extiterit, tamen eum libenter cum Romanis hoc tempore profitemur. Et quidem ita, ut eum à præcedentibus articulis distinguamus; quia tam latè patet, ut & præcedentes & aliquid præterea significare possit: nempe *dolorem & enervationem Christi* in animo. quæ ἀγωνία & ἀδημονία & λύπη vocatur. quæ incepit à Cœna & usque ad mortem duravit. Ita corporalibus & evidentibus afflictionibus subjungit Symbolum etiam majores dolores animæ: ut ordo articulorum non à tempore sit sumtus, sed à graduum distinctione. Quasi dicat Catechumenus: *Crucifixus, mortuus & sepultus est:* denique, quod *descensu ad inferos* in Scripturis significatum est, etiam spiritualiter exantlavit. Nam, etiamsi *anima*, qua vegetabatur corpus, in *Scheol* esse dicatur, quamdiu corpus: tamen *anima* Christi, quæ πνεῦμα *spiritus* dicitur, non fuit post mortem nisi in paradiso, ut depositum Deo commendatum; neque abivit in gehennam prædicatum improbis, neque in limbum, ut inde educeret patres (Nam & illi in paradiso erant) nedum ut pateretur in gehenna. Nam morte omnia consummata sunt. In interpretandis Scripturis utrumque cavendum est, tum ne quid detrahamus de valore & efficacia verborum; tum ne violenter aliquid addamus ad id, quod ipsa dicit. Semper intuenda est intentio sermonis & ejus membra & fundamentum atque ἀναλογία sive conformitas fidei, sive vocabulum in sua emphasi & plenitudine accipiendum sit, sive etiam in sensu minùs pleno. Non semper permittit oratio, ut vocabulum in sensu proprio accipiatur. Tum igitur sufficit metaphora. Christus dixerat discipulis, *Cavete vobis à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Matth. 16: 6. Quum discipulorum læva mens de panibus cogitaret, increpuit ipsorum ὀλιγοπιστίαν, & excussit ipsorum sollicitudinem de pane. Tunc igitur intellexerunt, eum locutum esse de fermento, non quod Pharisæi & Sadducæi commune habebant cum omnibus hominibus, sed quod proprium ipsis erat: nempe in doctrina. neque Christum voluisse

ipsos

ipsos curare de panibus aut cibo corporis, sed de cibo animæ. Solemus dicere, Quod vox significare potest in quovis sermone, id significat. At ὀλιγοπιστίας erat, cogitare sollicitè de panibus, ne Pharisæorum aut Sadducæorum fermento corrupti essent. Ergo fermentum panis non poterat ea vox in eo sermone significare. Jer. 31. v. 22. dicitur, *Dominus faciet rem novam in terra: Mulier circumdabit masculum.* Sua natura vox נְקֵבָה *nekebáh* notat θήλεαν, sive ea nupta sit sive innupta. Et סובב *circumdare* notare potest vel circuire, vel in sinu gerere, vel etiam in utero concipere. Si quis igitur secundùm hanc latitudinem vel omnia vel aliquem alium præter unum intentum significatum velit intelligere, vel ridiculum faciet prophetam vel violentus erit. Prophetia autem ostendit, hoc ita accipiendum esse, ut res nova sit. Si igitur *Nekebáh* accipias strictè pro ea, quæ nihil sit nisi θήλεα, hoc est, virgine innupta & viro non cognita, & *circumdare* pro concipere in utero, rem ipsam accipies. Et tum poteris applicare regulam, *Quod significare potest verbum, id significat.* 1 Cor. 2: 14. ψυχικὸς notat eum, qui anima præditus est. Si hoc premas, & dicas, Eum, qui anima præditus est, non recipere ea, quæ sunt Spiritus sancti, violentus eris. Id enim non significat, nec significare potest, nisi eum, qui non est *spiritualis.* Ergo notat eum, qui tantùm animam habet, à qua vivificatur & regitur. Ita quando de Christo dicitur, *eum descendisse in inferiores partes terræ*, sufficit id intelligere cùm propriè de sepultura, tum allegoricè de tristitia & agone ipsius. Ita, quando inter passiones Christi memoratur שְׁאוֹל ᾅδης, *infernus*, violentum est, per eam vocem intelligere gehennam & locum damnatorum; qui & ipse *Scheól* appellatur: quuum ipsius sepultura & anxietate, quicquid de *Scheól* in passione Christi dicitur, verificetur, & de alio descensu ad inferos, nempe in *gehennam*, Scriptura taceat; neque necesse sit eam vocem in ea parte Scripturæ eò usque extendere. Illud de *sepultura* & *anxietate* prudenter cogitanti potest significare. ideò & significat. Sed ad illud de *gehenna* cogitandum nulla ratio est; quasi anima Christi non potuerit cum inferno negocium habere, nisi abierit in gehennam. Nedum ut inde colligere possim, esse *limbum*, in quem Christus descenderit, quia dicitur *descendisse ad inferos.* quasi non possit *descendisse ad inferos*, nisi descenderit in limbum. Ad quæ accedit, quòd in Psalmo 16: 10. duo dicuntur, quorum alterum commune est Christo cum Davide & fidelibus, alterum proprium.

Pro-

Propium est, quòd non vidit corruptionem: quam David vidit. Actor. 2: 29. 13: 36. Commune est, quòd *anima*, ut Christi, ita nec fidelium, *relinquitur inferno*: quia nullus mœror ipsos absorbet, nec mors eos retinet & vitam illorum in perpetuum deglutit, sed aliquando mors absorbetur à vita. Vide Psalm. 49: 16. Inconveniens autem est dicere, Davidem & fideles, membra Christi, interim, vel etiam aliquanto tempore, quoad animam, in gehenna esse.

36. Sepultus autem est, non tantùm ut verè mortuus intelligeretur, & glorioſiùs resurgeret, & resurrectio ipsius certior esset, sed etiam, ut esset testimonium abolitæ execrationis. Nam, qui suspensus esset propter abolendam execrationem, sepeliri debebat, & quidem propter abolitam execrationem. Quare & revera sepultura fuit initium *sabbati* ipsius ab operè redemtionis, quod perficiendum habebat; & in sepultura ipsius habemus argumentum, *veterem nostrum hominem cum ipso* sepultum esse & propter ipsum *sepeliendum esse; &, perennem Sabbatismum hîc inchoandum esse, admonemur.* Rom. 6: 4. Col. 2: 12. Quæ verba ex Reverendi quondam Collegæ D. Triglandii disputatione ultima th. 14. libenter assumo. *Sepultura.*

37. Quod Christus dixit, se tres dies & tres noctes in corde terræ futurum, Matth. 12: 40. id, partim propriè & secundùm literam, partim secundùm analogiam, intelligendum est de toto illo tempore extremæ humiliationis à Cœna usque ad vesperam, qua se manifestavit discipulis & in iis quasi denuò revixit. A cœna in horâ potestatis tenebrarum fuit, donec revera in terra conderetur: & tum ipse integrè revixit, quum ii, qui ipsius erant, plerique revixerunt, & ex tristitia sua recreati sunt. Tum enim *in ipsis* cæpit *operari vita ejus*, quum eum iterum viderunt; quum illos vidit, dulcis fuit ipsi somnus suus. Jer. 31: 25. 26. Tum enim se habuit ut sacerdos stans in primo tabernaculo, ubi cibus & lux & suffitus. Quæ sunt Ecclesiæ redemtæ & à Christo revisæ: cujus primitiæ sunt Apostoli vespera primæ sabbatorum à Christo visitati. *Mansio in inferioribus terræ.*

CAP. LXI.

De Satisfactione Christi.

In utroque statu, exinanitionis & exaltationis, Christus ut sacerdotio suo fungens considerandus est. Est enim *sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedek*. Psalm. 110: 4. Ut autem in statu exal- *Christus sacerdotio fungitur in utroque statu: Satisfecit*

in statu exinanitionis. tationis *Intercessio* locum habet, ita in statu exinanitionis potissimùm spectatur *Satisfactio.* Quatuor capita studebimus clariùs explicare; 1. An Christus revera pro peccatis nostris satisfecerit? 2. Qua re satisfecerit? 3. Pro quibus satisfecerit? 4. Quæ sit satisfactionis efficacia?

Christus satisfecit. 2. Christum satisfeciſſe dicimus, hoc est, nos à reatu peccati & maledictionis sententia verè precio condigno redemisse, & veram justitiam, per quam filii Dei & æternæ vitæ hæredes fieremus, peperisse. Atque ita revera & ad plenum solvisse, quicquid & ira Dei atque exsecratio peccatoribus imponebat, & lex Dei ab homine ad dandam compellationem *justi* & libertatem petendi præmium exigebat. Quod censemus indicatum in Psalmo 16. v. 2. 3. Postquam enim in eo audivimus eam orationem, qua Christus usus est, *Conserva me, Iehovah; quia recipio me ad te:* qua petitur non tantùm ipsius servatio ex morte, sed etiam eorum salus, qui ipsi dati sunt, tanquam membrorum ipsius: audimus etiam sermonem, qui competit Jehovæ exaudienti & petitioni ejus annuenti. Nam ex verbis, quæ legimus in Scripturis propheticis, oportet nos, judicio accurato adhibito, æstimare, cujus ea personæ sint. Hic autem sermo, qui est v. 2. & 3. est ejus, cujus *gratia* sive χρηστότης *sanctis in terra* erat destinata, & *cujus voluptas omnis* est in iis, quorum *duces* sunt *sancti in terra*, hoc est, in Ecclesia ex gentibus & Judæis colligenda. Is igitur sic loquitur. *Dixisti* (ô anima) *Iehovæ, Dominus es tu: gratia* aut *bonitas mea non est super te, in sanctos, qui sunt in terra, & duces eorum, in quibus est omnis voluptas mea.* Quæ verba significant, *bonitatem Dei* destinatam fuisse sanctis in terra, hoc est, credentibus promissioni & Euangelio per Christum annunciato. Eam incubuisse præstandam ei, qui orat se conservari. Nunc verò non ampliùs præstandam incumbere ipsi: quippe qui in veritate *Iehovam* animâ suâ appellaverit *Dominum*, hoc est, omnem obedientiam ei præstiterit & legem ipsius impleverit, ac voluntatem ejus fecerit. ut est Psalm. 40: 9. Igitur nihil impedire, quò minùs ea gratia & bonitas Dei in sanctos, qui sunt in terra, hoc est, discipulos Christi, perveniat, hoc est, ut spiritus sanctus in eos effundatur, atque ita induantur virtute ex alto ad prædicandum Euangelium, & à jugo legis liberentur spiritu filiationis induti, & hæreditatem cernant in gentibus. Hæc verba corruperunt Lxx. interpretes per sua verba: εἶπα τῷ Κυρίῳ, Κύριός μου εἶ σύ, ὅτι τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις. Sed, quid sit τὸ χρηστὸν

boni-

bonitas mea, vide Psalm. 68. vers. 10. ubi vertunt χρηστότητα.

3. Negamus verò & tanquam doctrinam abominabilem detestamur, quod post P. Abailardum Socinus dictat; Deum, nullo soluto precio, per *acceptilationem* remittere peccata (ut homines pii, qui dicunt ad Deum, וְשָׂאתָ לֹא אֶחְדָּל· ἀπίχω· οὐκ ἐνεχυράσομαι, sive, ut LXX. habent, ἵλεως· οὐκ ἐνεχυράσω. Job. 34: 31.) & redemtionem Christi non esse redemtionem propriè dictam, aut verè satisfactionem ab ipso præstitam esse. *Super sacrificio* pii & *studiosi Dei faciunt fœdus Dei.* Psalm. 50: 5. & est *Sanguis Testamenti* sive *fœderis, per quem liberi fiunt, qui vincti erant in fovea aquis carente.* Zach. 9. vers. 11. Adeò ut nemo possit fœdus cum Deo facere, abnegato sacrificio: vel, ut liber, nisi in sanguine Testamenti effuso, sibi gratulari. *Rejectio dicti Socini.*

4. Verè *satisfecit* Christus, 1. quoad reatum; quia *anima ipsius posuit* אָשָׁם *aschám.* Es. 53: 10. De quo loco moneo, verbum *ponere* significare quidem liberam donationem aut applicationem ex amore, sed, ut hoc significare possit, etiam notare exhibitionem & *Aschám.* Vox *Ascham* autem significat 1. Reatum, hoc est, debitionem pœnæ. 2. Causam reatûs, hoc est, culpam. 3. satisfactionem pro reatu, pœnam mulctamve propter reatum impositam; cujusmodi habetur species quædam sacrificii hoc nomine in lege Mosis appellata. Jam Christus non *ponit* vel donat aut exhibuit *reatum*, hoc est, obligationem ad pœnam: (*non* enim *venit*, ut reos faceret, aut *ut damnaretur mundus per ipsum, sed ut salvaretur mundus per ipsum.* Joh. 3. v. 17.) neque culpam: quæ per Adamum introiit in mundum; & opus diaboli est, ad quod destruendum venit. Supereſt proinde, ut *anima ipsius* diligens Deum & fratrem peccatorem vitam ultrò deponendo agnoscatur *posuisse satisfactionem* pro culpa ad reatus solutionem, & eam donare, quibus vult, nempe populo suo. Quoad 2. jus filiorum verò, quia omnem justitiam & mandatum, quod ipsi, ut Sponsori ac Sacerdoti, datum est, implevit; & sic ipse factus est nobis justitia à Deo. Matth. 3: 15. 1 Cor. 1: 30. *Satisfactio Christi probatur 1. ratione reatûs: 2. ratione juris filiorum. Aschám.*

5. Satisfactionem pro peccato requirit justitia Dei, hoc est, illa Dei rectitudo, qua, ut non potest esse similis peccatori, ita non potest non judicare peccatorem, & manifestare turpitudinem peccati per exclusionem à bonis suis, & impositionem pœnæ: ut creatura facta ad imaginem ipsius cognoscat ipsius sanctitatem & odium peccati; & peccator experiatur, quid sit creatorem suum, dominum suum, bonum & finem suum & exemplar, ad quod factus est, & *Satisfactionis necessitas probatur 1. à justitia Dei.*

potentiam retribuendi bonum pro obedientia & malum pro inobedientia, per peccatum abnegasse. Nam, si Deus cum peccatore communicaret, abnegaret se ipsum, 2 Tim. 2: 13. & testaretur, se esse ut peccatorem. Psalm. 50: 21. Nam datio vitæ est laus boni operis. Rom. 2: 29. Hinc ad vim nominis divini *Iehovah*, quatenus significat eum, *qui sit*, manifestando per opus, *quod est* naturâ, etiam pertinet punitio peccati. Quare & illud: *Ego Iehovah*: tanquam prima ratio sententiis Dei subscribitur. Et hinc Deus inter idiomata sua tanquam partem nominis sui ponit, נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה ἀθῶων οὐκ ἀθωώσω. ἢ ἔνοχον οὐ καθαριεῖ. Ex. 34: 5. 6. 7. Gloriæ item est, quòd se appellat קַנָּא אֵל יהוה ζηλωτὴς: Ex. 20: 5. quod q; se comparat cum igne consumente carduos & spinas. Deut. 4: 24. Es. 27: 4. Hebr. 12. 29. Atque hinc dicitur בַּעַל חַמָּה præditus excandescentia. Nah. 1: 2. *purior oculis, quàm ut videat malum, & qui non potest nequitiam aspicere*, Hab. 1: 14. Et propterea Deus in pœna transgressionis dicitur *Sanctificari*. Levit. 10: 3. Ez. 38: 23. Porrò, id ad *justitiam* Dei pertinere, ostendit ἡ δικαιοκρισία Rom. 2: 5. & quòd δικαίωμα θεοῦ sive justa Dei sententia, naturaliter à gentibus cognita, est, quòd, qui mala faciunt, digni sunt morte, &, ut Socinianus Crellius ipse loquitur, indigni vita. Rom. 1: 32. item, quòd justum est apud Deum affligentibus pios reddere afflictionem. 2. Thessal. 1: 6. quantò magis Deum abnegantibus per peccatum? Id judicium vocatur תּוֹכָחָה ἔλεγχος. Psalm. 50: 21. Psalm. 6: 2. & indicatur Deo convenire, non minùs quàm σωφρονισμὸς ἐθνῶν; adeò ut absurdum innuatur, ἔλεγχον negare, posita qualicunque cognitione Dei & justitiæ in gentibus. Psalm. 94: 10.

2. *ex lege operum.*

6. Satisfactionis necessitas amplius patet 2. ex lege operum, quæ non est lata absque promissione vitæ & comminatione mortis. Neque id magis ex beneplacito, quàm ex consecutione naturæ: ut, quemadmodum homo condi non potuit, nisi ut appeteret unionem & communionem cum Deo, (non frustra) & hæc ipsius naturalis rectitudo esset, atque citra eam malus esset: ita etiam, si malus per culpam factus esset, ut unione sic communione Dei excideret, & in tenebras mortemque prolaberetur. Unde peccatum dicitur *ignis vorans usque ad infernum*. Job. 31: 12. & *stimulus mortis peccatum*, & *lex* (naturalis, nec sine causa repetita) *potentia peccati*. 1 Cor. 15. v. 56. Ex altera verò parte declaravit Deus legem ferendo, hominem non nisi in virtute obedientiæ & δικαιώματος perfecti vitam consecuturum. Igitur tam *veritas*, quàm *natura* Dei exigit satisfactionem.

nem. Et propterea ad *decentiam Dei* referuntur passiones Salvatoris, & per illas dicitur *consummatus*, hoc est, eò perductus, ut haberet omnia, quæ principem auctorem salutis habere oportebat. Hebr. 2: 10. 5: 7. 8. 9. & Servator dicitur *factus sub Legem*; & quidem nominatim sub sententiam *execrationis*. Gal. 4: 4. 3: 13. Quippe quum non possemus *legi* damnanti *mori*, nisi *per* eandem *legem* absolventem. Gal. 2: 19. & lex demum mortua sit nobis in eo, cui detinebamur. Rom. 7: 6. Alioqui Christus *frustra* &, quoad peccati & legis abolitionem & justitiæ adductionem, non necessariò *mortuus esset*. Gal. 2: 21.

7. Huc referenda *impotentia legis*, non ad addicendam vitam obedienti; ut hypothesis Sociniana fingit (nam continet præcepta, quæ si fecerit homo, vivet in eis, Ez. 20: 11.) sed, *quatenus impotens erat per carnem*, nim. ut condemnaret peccatum accusans & reos agens peccatores, & nos justificaret. Rom. 8: 3. Nam, si per *acceptilationem* remitti peccata potuissent, nihil impediret, quò minùs lex esset potens ad hominem etiam post peccatum jam acceptilatione abolitum justificandum. Sed *lex per carnem erat impotens*, ut, quia nos caro eramus, per legem nec ad obedientiam reduci, neque, etiamsi, quod impossibile erat, omnia fecissemus, ad præmium pervenire possemus. Et significanter Apostolus Legem, quamdiu est *potentia peccati*, atque id potens facit, vocat *legem peccati & mortis*, q. d. legem peccato & morti inservientem ac patrocinantem; ut docuimus cap. 31. § 11. Unde & Rom. 7: 23. dum dicit, se aliam legem in membris suis videre, quam & legem peccati appellat, significat quidem dictatum peccati, sed ut imperium habentis, quod lege adeptum sit, & adhuc retineat (licèt fractum) in membra. Eadem ratione *legem Spiritus vitæ in Christo Iesu* vocat eandem legem, quatenus addicit redemtos Spiritui Christi, ut per eum vivant in ipso. Rom. 8: 2. Vehementer igitur errant Scholastici (à quibus hæresin suam hausit Socinus) ut Durandus, negans necessitatem satisfactionis. à qua erroris culpa non essent immunes quidam nostri, qui in nuperis scriptis pro eadem sententia disputant; nisi expresse adderent, Posito, quòd Deus velit virtutes suas per negocium redemtionis patefacere, aliter nos servari non potuisse. Atqui non decuit Deum sine manifestatione virtutum suarum nos servare. Unde & dicitur *Deum nobis enarrasse* Servator: & *factus nobis sapientia*. 3. *à legis impotentia.*

8. Præcipuè veritatem satisfactionis probat ipsa Dei vox: *Exe-* 4. *à maledictio-*

cratio Dei ſuſpenſus. quo dicto non *argutè* abutitur S. Paulus, ſed ſolidè utitur. Clarè enim eo dicto aſſeveratur, Neminem hominem non reum peccati aut niſi propter execrationem peccato incumbentem de ligno ſuſpenſum iri. Unde intelligitur, quando juſtus de ligno ſuſpenditur, eum execrationem portare. Sed, quia propter eandem cauſam Lex præcipit ſuſpenſum non relinqui in patibulo, ſed ſepeliri, evidens teſtimonium eſt, Deum hoc ſupplicium elegiſſe ad finiendam & amovendam per illud execrationem. Scelus igitur erat terram inceſtans relinquere cadaver in patibulo; quia erat abnegatio gratiæ redemtionis. Agnoſcenda hîc conſcientia exulcerata Socini ex verbis poſitis in libro de Servatore p. 2. cap. 1. pag. 109. edit. Luberti. *Chriſtum pro nobis execrationem factum eſſe, non ſignificat, eam legis execrationem ſubiiſſe, quam nos ſubire deberemus. Execratio enim, quam nobis Lex minabatur, mors æterna erat. Hanc verò ipſe minimè ſubiit. Sed nihil aliud ſignificat, quàm Chriſtum, dum ipſe noſtri cauſa in quandam Execrationem legis incidit, nos à vera legis execratione interea liberaſſe. Amavit enim Paulus, ut in aliis ſæpe ſolet, in execrationis verbo argutus eſſe.* Plura hîc quidem animadvertenda, ſed illud nunc; Chriſtum in quandam execrationem Legis incidiſſe. quod nihil poteſt eſſe aliud, quàm pœna quædam peccati. & hoc ipſum eſſe cauſam liberationis noſtri à vera execratione, morte æterna. Porrò, dum dicit Paulum amare eſſe argutum, & c. 24. ſermonis elegantiam atque argutiam conſectari, negat, Paulum eſſe ſolidum & uti ἀποδείξει δυνάμεως *demonſtratione Spiritûs.* Licet dicere: increpet te Deus, Satan.

5. ex typo & commemoratione peccati per eum facta.

9. Idem probat omnis ſchola ſacrificiorum & typorum. In qua emicat typus *agni*; (qui eſt hieroglyphicum peccatoris Eſ. 53: 6. 1 Petr. 2: 25.) *ferentis peccatum*, Joh. 1: 29. & *ſerpentis*, Joh. 3: 14. in quo nihil niſi mendacium & dolus aut ſaltem imputatio peccati & maledictio ſpectari poteſt: & *ſacerdotis*, qui dicebatur ferre peccatum populi, quando adolebatur pars cibi ipſius, qui pro corpore ſubſtituebatur. Lev. 10: 17. Jam, Chriſti corpus per victimas adumbratum fuiſſe, imprimis teſtatur S. Paulus Hebr. 10: 1. 5. ex Pſal. 40. Toto tractu temporis ab Adamo uſque ad Moſen non fuit abolitum peccatum. Nam alioqui non potuiſſet ſubintrare Lex, hoc eſt, Verbum maledictionis & condemnationis, cum effectis ſuis quibuſcunque. Nam Lex iram operatur. Ubi autem Lex non eſt, & ſubintrare, poſt promiſſionem, non poteſt, ibi demum tranſgreſſio

etiam

etiam non amplius est. Vide Rom. 5: 13. 20. Gal. 3: 10. 19. 22. Rom. 4: 15. 2 Cor. 3: 7. 9. A Mose usque ad Christum etiam non fuit abolitum peccatum; 1. quia Lex sive verbum κατακρίσεως eo omni tempore auditum est. 2. Quia fuit timor mortis etiam temporalis in ipsis credentibus, dum coacti sunt pignori incumbere, nempe terræ Canaan. 3. Quia fuit servitus gravis. 4. Quia fuerunt frequentata sacrificia & oblationes, per quæ facta fuit commemoratio peccati. 5. Quia non fuerunt sacrificia idonea ad expiandum peccatum. Nam sanguis taurorum & hircorum non potest auferre peccata. Hebr. 10: 4. Nam neque caro illorum animalium Dei cibus est, neque sanguis potus. Psalm. 50: 13. quemadmodum Homerus fingit deos nidore & sanguine delectari. Igitur Psalm. 51: 18. testatur David, Deum non delectari sacrificio & holocausto, sed *sacrificia Dei esse cor contritum.* v. 19. Nam Deum oblectare non possunt, quæ homo de bonis suis dat, aut membrorum motu administrat, Mich. 6: 6. 7. sed amor cordis, qui in peccatore necessariò est conjunctus cum dolore, luctu & pudore ac sui ipsius mortificatione. Quod quidem sacrificium Deo acceptum & gratum est, quippe fructus ἁγιασμοῦ *sanctificationis* & pars renovationis ad imaginem Dei, & sic ut εὐχαριστήρια *gratiarum actio.* Verùm non ut ἱλαστήριος *propitiatio.* Quippe quum ἱλασμὸν oporteat præcedere, ut homo eximatur à servitute peccati per ἀγιασμὸν. Si enim peccator propter κατάκριμα *condemnationem* est mancipium peccati, utique indignus est divina sanctificatione, atque adeò *cor contritum* habere non potest. Si illa animi ad Deum conversio & *cor contritum* posset in homine absque placamento existere, & ad delendum peccata ei prodesse; quæ causa est, quare etiam illi, qui cor contritum habebant, sacrificiis offerendis onerarentur, tanquam per ea demum impetraturi remissionem? Nam iis, qui cor contritum non habebant, sacrificia prodesse non poterant, neque iis erant data, neque illi exaudiebantur à Deo. In omnibus igitur sacrificiis fuit commemoratio peccati. Tantùm in morte Christi est ἄφεσις, solida & consummata remissio, ut non fiat commemoratio peccati amplius, neque chirographum exigatur. Nam usus sacrificiorum & omnium figurarum fuit χειρόγραφον adversus eos, qui iis utebantur. Coloss. 2: 14. Nimirum quòd, quamdiu esset Lex, esset (quippe necdum per sacrificium idoneum deleta) κατάκριμα, & propter κατάκριμα quoquo modo operaretur iram. Hæc omnia

incassum

incassum dicerentur, si non daretur satisfactio pro peccatis; & typi ipsi mentiti fuissent.

6. ex vocibus Scriptura significantibus satisfactionem.

10. Neque aliud, quàm satisfactionem, significant vocabula כפר & פדות (id propriè notat מחה, *obliteratione*m, ut nominis scripti in tabulis expensi; ut R. Solomoh auctor est; & probari potest tum ex etymo, tum ex usu verbi Esf. 28:18.) λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσις, פדות, nempe per כפר & quidem מכפרת *redemtio per lytrum à peccatis*, Psalm. 130:7.8. ἱλασμὸς, ἱλαστήριον, ἐξιλάσκεσθαι ἁμαρτίας; item ἀμὴν, ἐξαγοράζειν ἀντὶ ἀπὸ νόμου. Item αἴρειν ἁμαρτίαν, ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας ἐπὶ ξύλον, עונות נשא; *qua non rapui, solvo*: item ἀποστέλλειν περὶ ἁμαρτίας *mittere sacrificium pro peccato*, *fieri peccatum*; ἀποθνήσκειν ὑπὲρ ἀνθρώπων, ἀντ' ἀνθρώπων & ἀντὶ πολλῶν. Quæ ut passim obvia, ita evidentia sunt; nec postulant uberiorem declarationem. Tantùm exempli causa proponemus typum λύτρου in argento capitationis, Exod. 30:12.15. & typi reductionem ad veritatem Esf. 52. v. 3. *Non argento asseremini & recuperabimini.* Id explicat S. Petrus 1 epist. c. 1:18.19. οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι. Sensus Prophetæ evidens. Nihil cedet creaturis captivantibus vos ex vestri redemtione, & cessabit λύτρωσις animarum per argentum, (verbi causa capitationis, aut sacrificia, quæ argento æstimantur) nihil utilis ad recuperationem; quippe quæ exigebatur per homines dominantes vobis & ejulantes & nomen meum blasphemantes; cessabit omnis vestra impensa in expiationem & meliori pretio recuperabimini & liberabimini.

Locus Esf. 53. v. 5. 6. 7.

11. Testimonium omni exceptione majus est Esf. 53: 5. 6. 7. *Et ipse cruciabatur ex defectionibus nostris, conterebatur à pravitatibus nostris,* מוסר *disciplina pacis nostræ erat super ipso, & ipsius livore sanati sumus. Omnes nos ut oves errabamus, quisque ad viam suam respiciebat; & Dominus fecit incurrere in ipsum pravitatem omnium nostrûm. Exigebatur* pravitas omnium nostrûm, *& ipse submittebatur.* Nota מוסר. quod significat vel σωφρονισμὸν vel σωφρονισμὸν sive per motiva rationum, sive per objurgationem omnemque castigationem, sive per exemplum pœnale, quod παράδειγμα solemus vocare. Vide Prov. 7:22. 15:10. Nam per alterius pœnam alter coërcetur & σωφρονίζει. Huic loco nulla significatio convenit, nisi illa ultima: quòd Deus Christum fecerit παράδειγμα nocivitatis peccati; & quidem ad *pacem nostram.* In quo alterum magnum momentum est, nim. quia aliâs sumus ἐχθροὶ & ἀσεβεῖς, hoc est, in eo statu constituti, ut, sine tali παρά-

δειγμα.

ἀγγαλεμῷ peccati in tali persona, non possimus non exscindi & *judicium potentiæ* divinæ subire. Quod etiam indicant verba, *Per livorem ejus facta est nobis sanatio.* nimirum, ut pax fieret, & sic sanctificationem, justificationem & glorificationem vice impuritatis, condemnationis & mortis acciperemus, ipse flagellatus est. Item, quod dicit, *pravitatem nostram impactam esse Christo à Deo.* quod nihil aliud est, quàm, eum præordinatum esse vadem & sponsorem & agnum ad ferendum peccata mundi; imò peccatum esse à Deo factum. Denique submissionis ipsius causam esse *exactionem peccati*, hoc est, pœnæ peccati: atque adeò peccata exacta esse, non *acceptilatione* ablata. Hinc igitur & peccata nostra, pro quibus respondit, sua vocat in Psalm. 40: 13. & *semel oblatus ad multorum auferenda peccata, imò mortuus peccato*, Rom. 6: 10. *deinceps iterum videbitur sine peccato.* Hebr. 9: 28. *Traditus* enim *est propter lapsus nostros, & suscitatus propter justificationem nostri.* Rom. 4: 25. quia in ipsius resurrectione est manifestatio cessantis execrationis. Certè, dum mors ejus ita ad peccata nostra refertur, ut propter illa, pro illis (ὑπὲρ, ἀντὶ) dicatur mortuus, nil aliud, quàm reatus, ut causa moriendi ad satisfactionem, significari potest. His adde, *judicium*, quo *exigitur peccatum*, & cui Christus *se submittit* tanquam *aschám*, cum effectu *redemtionis* ex carcere, ex fovea, in qua non est aqua, doceri Es. 1: 29. *Sion per judicium redimetur, & revertentes ejus per justitiam.* Et hoc est *judicium*, & hæc *justitia*, in quibus Deus Ecclesiam *sibi despondet*, Hos. 2: 21. quo *judicio* Deus *condemnavit peccatum in carne* Rom. 8: 3. hoc est, illius ἔλεγχον fecit & illud ab accusatione nostri (alias validâ) removit: quæ *justitia* est Sponsoris, qua executus est omne id, quod lex à Sponsore exigebat; cui *Serpens*, imperium habens mortis, calcem fregit, qui aliâs nihil habebat in ipso.

12. Nihil obstat doctrinæ de satisfactione Christi sententia Scripturæ Prov. 17: 15. *Qui justificat impium & qui condemnat justum, abominatio Domini etiam uterque.* Fatemur Christum Justum, nos injustos; ac æternæ veritatis sententiam illam: nihilominus etiam illud verissimum novimus, Deum *justificare impium.* Rom. 4: 5. & *eum, qui non novit peccatum, fecisse peccatum*, 2 Cor. 5: 21. & utrumque justè. Nimirum, quemadmodum peccatores non absolvit, sed judicat, execratur & iræ subjicit; & nihilominus illos diligit, peccatum ipsorum imponendo sponsori & agno suo, ut ipsis non imputet peccatum; ita, &, dum sponsorem fecit peccatum & execratio- *Obj. 1.*

nem, ipsum dilexit & in ipso δίκαιον. Pugnat justitiæ divinæ peccatorem vocare justum, in se, ut consideratur tanquam creatura Dei legi irrevocabili subjecta, (quare hanc partem sententiæ Solomonis negligunt, imò abnegant, qui alteram nobis objiciunt?) sed non pugnat justitiæ divinæ secundùm legem agenti, ut homo etiam peccator fiat peculium & membrum filii Dei creatoris sui & fratris sui, pro eo supplicationes offerentis, & ejus cernat hæreditatem. Quin hoc ab ipsa lege proficiscitur; ut Deus talem fratrem deprecatorem exaudiat, & ei implantatum peccatorem justificet. Pugnaret justitiæ divinæ & legi condemnare eum, qui est in filio justo. Planè justitia Dei est peccatorem extrà *Iustum servum Dei* condem-
Obj. 2. nare, in illo adoptare & justificare. Similiter fatemur, fieri non posse, ut innocens & justus incidat in æternam mortem, nedum in condemnationem æternæ mortis: qua in parte quidam, dum speculationibus suis indulgent, exorbitant. Lex enim non potest non omnem obedientem justificare & justum glorificare. Deus, pro quo hoc suum cuique recto cor dicit, quærite me: non vult, neque potest velle frustra quæri. Non est aqua, quam petit Tantalus, aut spectrum Ixionis, sed ὁ ἰῶν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος; & revera מקוה ישראל *exspectatio Israëlis.* Non patitur igitur Dei justitia, obedientem facere execrationem, ut non justificetur & glorificetur. Nihilominus tamen minimè cum divina justitia pugnat, mittere filium in similitudine carnis peccati & eum facere sub legem (id divinæ potestatis & liberalitatis est, non ullius injustitiæ) & sub legem facti obedientiam tentatam in perpessionibus, quales debentur peccatis nostris, ad demonstrationem justitiæ suæ, qua damnat peccatorem, acceptare ut sacrificium boni odoris. Quod, supposito beneplacito Dei de servando aliquo semine, lex ipsa, ut justitiam, ab homine (cui Deus omnia tradiderit in manum) exigit: atque adeò, ut Christus sine peccato se conditioni redimendi hominis subtrahere non potuisset, ita nec Deus potuit ipsum pro sibi datis orantem, sine infractione legis & justitiæ violatione, non exaudire. Quid igitur non cessant, qui sapientiam Dei non intelligunt, regulam justitiæ opponere illi operi, in quo Deus non minùs justitiam, quàm potestatem & gratiam, demonstrat? quasi, quo Christus *nobis est factus justitia à Deo*, 1 Cor. 1: 30. eo ipso Deus se prævaricatorem constituisset.

Obj. 3. 13. Sed, quum non tantùm hoc de justitia Dei objiciatur satisfactio-

factioni, sed etiam, quòd hîc desit, qui lytron acceperit, sive, quòd captivum detinens precium non acceperit (Soc. de Serv. p. 2. c. 2.) item, quòd Christus veram exsecrationem, nempe mortem æternam, non subierit: ut istiusmodi scrupulis satisfiat, explanandum est, quo satisfecerit Christus?

14. Dicimus igitur, id ipsum esse precium satisfactionis, quod idoneum fuit ad *sanctificandum Deum illum sanctum*; quatenus is voleba decenter & sine abnegatione nominis sui, imò cum manifestatione virtutum suarum, condonare peccata: quodque necessarium fuit ipsi, ut πρὸς κῦ πλείω sacerdoti, ad accipiendum dona (nim. regenerationem, justificationem, glorificationem) in nobis, tanquam membris sibi datis, Psalm. 68: 19. quodque revera fuit πμὴ *precium dignum*, ad emendum salvandos sibi & Deo hæreditatem: ut ita per sanctitatis, justitiæ & misericordiæ demonstrationem homo peccator Deum rectè cognoscat, amet, glorificet: & omnis creatura Deum celebret. Deus enim remittens peccata, & donans vitam, quæ ex propriis operibus peccatoris non potest provenire, & regenerans hominem in filium suum, *sanctificandus erat* & *justificandus*; *Sanctificandus*, ut cognosceretur sanctus & amator ac remunerator justitiæ: *justificandus*, ut secundùm legem & condonans peccata & donans vitam. Ideoque Lex, quæ erat Lex peccati, occidenda erat, ut peccatum damnari posset; &, eadem ut fieret Lex Redemtoris, necesse erat. Vide Es. 5: 16. *Et exaltatur Iehovah* Deus *exercituum in judicio, & sanctificatur Deus ille sanctus in justitia.* Ezech. 36: 23. Item Rom. 3: 26. 7: 4. 6. 8: 2. 3. 4. Interest enim gloriæ Dei, ut, quum condonat peccatum, non dissimuletur ipsius sanctitas & justitia. *Sanctitas*, qua odit peccatum & non habet communionem cum peccatore sine demonstratione sanctitatis. *Justitia*, qua non, nisi damnato peccato, & non, nisi ex merito, aufert pœnas & dat vitam, secundùm legem. Quæ gloria Dei pertinet ad hominis restitutionem in imaginem Dei: ut & cognoscat Dei virtutes, & nullam non virtutem Dei amet, & ipsa sanctitate Dei etiam delectetur; se in Sacerdote ad Deum convertens, & illius sacrificium amans & glorificans. Quòd si peccator conetur ad Deum *accedere* sine tali *justitia*, quæ sit meritum, & sine fiducia *judicii*, quo damnatum sit peccatum, tanquam impetraturus ab eo quicquam, contumelia afficiet Deum, ut, qui falsò judicet, Deum talem esse, ut putet se amari sine cognitione & admiratione atque æstimatione &

approbatione sanctitatis ipsius ac justitiæ. Quare Apostolus nos docet, decere nos, accedentes ad Deum, sacerdotem: innuens, indecorum esse, accedere ad Deum sine Sacerdote & non in illo. Hebr. 7: 16. Uno verbo, precium satisfactionis est δικαίωμα meritum justitiæ sive juris sperandi & petendi vitam æternam: & quidem, quod est ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων εἰς δικαίωμα. nimirum ut δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, Rom. 5: 16. 8: 4. Δικαίωμα Apostolus in illis locis dicit partim id, quod à lege requiritur ad justificationem sive ad tribuendum jus petendæ mercedis, post multa peccata: partim, quod lex addicit obedienti, ut justo. Atque id docet nostrum fieri, ut δώρημα, ut χάρισμα. Rom. 5: 16.

15. Quæ igitur demum res est illud δικαίωμα & δώρημα? Numquid *gutta sanguinis modica?* quam Clemens VI. Papa delirat sufficisse, extrav. com. l. 5. tit. 9. c. 2. proximus errori discipulorum veritatem mortis Christi abominantium, & quoslibet dolores pro morte, metaphoricè, ut videtur, accipientium. Non certè. Nam sic non fuisset Deus satis *sanctificatus*, hoc est, odium Dei adversus peccatum non fuisset homini, tardissimo ad Dei cognitionem, satis demonstratum. Et hæc comminiscuntur illi, qui volunt, in satisfactione Christi esse aliquid superfluum, recondendum in thesauris Ecclesiæ, quod ipsi dispensent Christum habentibus, ut necessarium; quasi in Christo & in gutta sanguinis non haberent satis: mirè secum pugnantes.

16. Numquid passiones solæ in se? neutiquam. Per passiones solas in se nemo pervenit ad justitiam, quamvis in eis infligendis demonstretur Dei justitia. *Obedientia* designatur hoc δικαίωμα, sive *causa justitiæ*. Nam, quod Rom. 5: 18. dixerat, δι' ἑνὸς δικαιώματος, id v. 19. dicitur, διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς *per obedientiam unius*. In passionibus autem est πλείωσις τῆς ὑπακοῆς *consummatio obedientiæ*, quia ex illis ἔμαθε τὴν ὑπακοὴν, *didicit obedientiam* experimentaliter, Hebr. 5: 8. & in illis ἐπειράσθη, *tentatus est*, ut ipsius constans dilectio in passionibus tantis, in quibus ut agnus ductus ad macellum non aperuit os, demonstraretur, Hebr. 2: 18. 4: 15. & in illis demonstrata est κατάρα *exsecratio*; & sic factus est πρόσκομμα divinæ iræ & odii erga peccatum. Quanquam enim ipse *non nosset peccatum*, *nec dolus esset repertus in ore ipsius*; quia tamen nobis donatus & pro nobis orans hasce plagas excepit, in iis clarissimè apparet, quid nos commeruerimus. Ita per obedientiam talem, ut veri nominis [illegible] justitiam,

stitiam, & quidem ut ὑπὲρ τῆς *justitiam & Ἀπολυτρωτὴς assertoris* & Recuperatoris sive Sponsoris facti sub legem, Deus *sanctificatus est*, (Es. 5:16.) ut *Deus sanctus*, osor peccati, vindex legis suæ, Zelotes gloriæ suæ, & sine injustitia sanctificans Israëlem, & sanctè justificans impium. Et hæc est sacrificium boni odoris, quod Deus, hominem subjiciens execrationi & carceri mancipans per sententiam, qui per illud sanctificatus & glorificatus est, accepit, imò & acceptavit, inque eo δεδέκται id *acceptum habuit*, qui judicavit, se dignum esse & Filio hæreditatem dare, & ei non imputare peccatum, & eam Christo unire & in eo justificare, idque sine abnegatione legis suæ fieri posse, imò illa addicente futurum esse: quemadmodum & POTUIT & ipsum DECUIT Filium sic ἱκετηρίας μὲ κραυγῆς καὶ δακρύων προσενέγκαντα εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας καὶ σῶσαι *supplicationes cum clamore & lacrymis offerentem exaudire à justo metu & servare*, Hebr. 5:7. Iccircò Ps. 40. holocaustis & sacrificiis pro peccato opponitur Christi corpus, ipsius mancipatio in servitutem voluntariam, ipsius voluntas faciendi voluntatem Dei & lex Dei in visceribus ejus posita. Quibus pensitatis, cavillationes de justitia & modo pœnæ & acceptore precii statim ut fumus à flamma evanescunt. Ubi enim est obedientia perfecta usque ad mortem, mortem autem crucis, eaque Filii Dei, & Sponsore digna, ita ut per passiones consummatus sit; ibi & sanctificatio Dei volentis remittere peccatum & justitiam donare. Ibi igitur est satisfactio, & æterna mors non requiritur. Si requisita fuisset æterna mors, redemtio non potuisset fieri. Nam redemtorem necesse est vivere & in gloria esse. Quam si sibi mereri non potuisset, nec nobis. Si autem redemtio fieri non potuit, nec remissio facta est. Sed habemus in Christo redemtionem, remissionem peccatorum. πρῶτον ψεῦδος est, Ad satisfaciendum pro peccato requiri, ut Satisfaciens omnes fructus, quæ sequuntur peccatum in peccatore, perferat. Ut verò intelligamus, Christi obedientiam & passiones esse revera satisfactionem, docti sumus, quòd Christus se obtulerit *spiritu æterno*, h. e. gratia & misericordia divinitatis. Hebr. 9:15. Nam voluntas humanitatis pertinet ad ἀνακλιν & sic ad δικαίωμα: voluntas autem personæ æternæ est revera voluntas Sacerdotis & Sponsoris. Est quoque in eo *Spiritu*, quod *Altare* figura repræsentavit; ipsa divinitas, valorem & dignitatem concilians victimæ. Nam altare significat id, quod victimam sanctificat. Matth. 23: 19. Crux verò

non habet responsum ad altare, sed est opprobrium & testimonium maledictionis ipsi incumbentis. Si autem intueamur, quòd Filius Dei & tanta opprobria & tantos dolores passus sit, & tam enixè amaverit & præ desiderio anima ejus ita laboraverit; facilè intelligemus, Deo dignum fuisse ei dare populum sanctificandum, & eum in ipso justificare.

Pro quibus satisfecerit Christus?

17. Pro quibus igitur satisfecit? pro quibus se obtulit? quos redemit, sive precioso suo sanguine emit? quorum peccata tulit? pro quibus mortuus est? Hisce phrasibus ut parallelis utitur Scriptura. Respondemus. *Primò* non obtulit sacrificium pro suis peccatis. Ea enim non habuit. Neque possunt peccata sua appellari infirmitates ipsius: ut volunt Sociniani. Neque obtulit se pro suis infirmitatibus. Nam, si in passionibus Christi est sacrificium, quid est sacrificium offerre pro sacrificio, pati pro passionibus? Neque etiam eo fine se obtulit, ut divinam gloriam adipisceretur. Nam jure filii etiam statim sine passione poterat humanitatem suam gloria & lætitia implere, & se dominum universi demonstrare. Hebr. 12: 2. *Secundò*, non obtulit se pro Angelis. Quia non est Angelorum ἀπολύτρωσις *assereor* & redemtor. Hebr. 2: 16. Ideoque imprudenter dictum putamus, Christi sanguinem sufficere ad redimendos dæmones. Corn. Jans. Aug. tom. 3. p. 382. *Tertiò*, Christus *se sanctificavit* & *obtulit* pro *semine Abrahami*, cujus est ἀπολύτρωσις. Hebr. 2: 16. Intellige *semen promissionis*; quod *ex fide est*, hoc est, cui justificatio per fidem destinata est, Gal. 3: 8. Id autem duplex est, nimirum ex circumcisione & ex præputio. Rom. 4: 11. 12. 13: 16. 17. 18. Ex quo loco etiam constat, quoddam semen Abrahamo promissum, nim. quod ex præputio est, vocari πάντα τὰ ἔθνη (in Genesi etiam *omnes gentes, omnes familiæ terræ*) & *mundum*. Per quam clavim habemus certam & tutam interpretationem eorum locorum, in quibus *mundus* dicitur redemtus. & sim. nimirum ut intelligatur, per mortem Christi fieri τὸ ἀμφότερα ἓν *utrumque unum* & ἀφαίρεσιν *distinctionem* gentium & populorum tolli. Saltem hinc patet, Christum mortuum esse non tantùm pro Judæis, sed & pro gentibus, & pro omnibus omninò, qui Abrahami fidem tenuerunt etiam sub Vet. Test. Unde liquet, extendendum esse objectum redemtionis etiam ulterius, nimirum ad omnes *hæredes justitiæ* (una enim justitia & una justitiæ hæreditas est) ipsum adeo Noam; imò *mulierem*, & omne *semen mulieris*, inter quod & Satanam ac semen ejus per sanctificatio-

dificationem ponitur inimicitia, à semine mulieris conteremit caput serpentis. Nam nullus est liber vita, nisi liber agni, & quidem, ut mactati, in quo scripti sunt, qui ad vitam scripti sunt. Proinde vocabulum mundus, 1 Joh. 2. v. 2. meritò extendimus ad heredes justitiæ omnes, qui fuerunt, sunt & erunt in omni mundi ætate. Secundùm hunc sensum dicuntur Redemti vivi, qui dati sunt Christo ex mundo, Ecclesia, populus sunt, populus peculii, Portio & Sors Christi, ἀπαρχὴ ἐξ ἀνθρώπων, οἱ πεπωτικότες ἐν ἐρημῳ διασπορμένοι, filii Dei dispersi per totum mundum, qui & mundo etiam suo modo opponuntur, Joh. 17: 9.

18. Sed hîc quæritur; quum Christus dicatur mortem gustasse ὑπὲρ παντὸς Hebr. 2: 9. & pro omnibus, 2 Cor. 5: 15. & seipsum dedisse redemtionis pretium pro omnibus, 1 Tim. 2: 6. annon hoc possit debeatque intelligi de omnibus omninò sine exceptione hominibus, etiam illis, qui participes justitiæ & vitæ non sunt, neque etiam speciali gratia ad eam electi & Christo dati sunt: saltem adhibita distinctione inter sufficientiam & efficaciam? Resp. Fatemur, & antiquos & nuperos quosdam, de quorum sensu nihil mali suspicamur, hoc modo loquendi esse usos: nos etiam esse paratos unumcujusque sermones sine κακοηθείᾳ in optimum sensum interpretari, testamur. Atqui, etiamsi nullam phrasin vel linguam, qua magnalia Dei explicari possint, abominemur, nihilominus causæ graves sunt, quare non audeamus isto modo loqui, quocunque etiam sensu: I. quia videntur esse contradictoria pro aliquo mori non efficaciter; & sufficiens satisfactio ac redemtio, eademque non efficax. imò, sufficienter pro quoquam mori, aut quem redimere, tantundem esse atque efficaciter. II. quia, quum phrasis hæc, præterquam quòd non est Scripturæ, etiam abusu malè sentientium contaminata sit, parit suspiciones & λογομαχίας, & dat occasionem subreptioni malè sentientium & divisioni benè sentientium. III. quia iste modus loquendi redundat ad extenuationem & evacuationem sensus Scripturæ dicentis, unum pro omnibus esse mortuum. Id enim necessariò capitur (saltem in plerisque locis) & in omnibus sine ὁμωνυμίᾳ potest capi de substitutione fidejussoris Christi pro debitoribus, & de fine bonoque pleno & θεοῦ θέλημα divinæ voluntatis intento & certò atque efficaciter consecuturo, non verò quomodocunque affectato. Vide 2 Cor. 5: 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Neque ullum hactenus observavimus locum, in quo hæc phrasis, *Christum mortuum esse pro omnibus* aut *pro mundo*, significet hoc tantùm, Christum sic mortuum esse,

An Christus satisfecerit pro omnibus & singulis?

esse, ut omnibus in mundo, etiam perituris, rectè possit cum mandato fidei prædicari justificatio in nomine ipsius. quod solummodò quidam videntur significare per eam phrasin, quando dicunt, Christum pro omnibus omninò & sine exceptione mortuum esse.

18. Ut verò emphasis illius phraseos intelligatur, attendenda sunt effecta satisfactionis, quæ ipsius veritatem etiam eximiè probant. *Primò* per illam Deus sanctificatur, ut justificans impium sine macula. Rom. 3: 25. 26.

19. *Secundò* per illam fundatur præceptum fidei in Christum & promissio justitiæ per fidem. Quia enim Pater tradidit Filium, & Filius se Patri obtulit, ex eo consequitur, 1. omnibus omninò hominibus posse imperari, ut Christum recognoscant verum & unicum Servatorem, & plenissimè sibi persuadeant, *beatos esse omnes confugientes ad illum*; illumque diligant & *justitiam* in ipso *sitiant*; denique *animas suas ipsi in ἀγαθοποιΐᾳ*, hoc est, vera pœnitentia, *committant, ut fideli creatori*: atque ita *cum Deo pacem faciant*: idque, quia tenentur recipere testimonium Dei, & fiduciam in Christum collocare, & ipsum quærere ac glorificare. 2. omnes hoc modo *credentes* in ipsum *non perire, sed habere vitam æternam*. Joh. 3: 14. 15. 16. *Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Filium suum unigenitum dedit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Confer 1 Joh. 5: 11. 12. *Hæc vita in Filio est: qui habet filium, habet vitam*, &c. Voluntas igitur Dei, tradentis Filium, fuit, ut, quod sua natura ex traditione Filii consequitur, esse justum, debitum & verum, id esset omninò verum & justum. Joh. 6: 40. *Hæc autem est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis videns filium & credens in eum, habeat vitam æternam.* Et hæc est magni illius amoris, quo dilexit Ecclesiam omnium gentium, pars magna, quòd, quemadmodum Filium dedit, cujus sanguis revera erat τίμιον & *preciosus*, quique dignus erat, ut omnium hæres ac dominus fieret, ita fecit, ut certa esset omnium credentium in ipsum justitia & vita. Joh. 3: 16. Nam, qui per fidem ipsi insiti sunt, & in ipsum baptisati sunt, reputantur pro mortuis, qui justificati sunt à peccato. Rom. 6: 3. 4. 5. 6. 7. & 7: 4. ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, v. 6. Gal. 2: 19. Col. 2: 12. Habent igitur omnes electi viam munitam accedendi ad Deum, & *ostium expectationis* apertum, & manum porrectam ad adducendum ipsos; & fundamentum firmum, in quo exædificent spem suam, & ansam *apprehendendi*

dendi spem, ut *expositam*. Hebr. 6: 18. Sine dubio, qui innocenter dixerunt, Christum pro omnibus omninò esse mortuum sufficienter, hoc voluerunt, Dei Christum tradentis voluntatem esse, ut omnis, qui videt Christum, teneretur ad eum accedere; & ut omnis accedens ad ipsum non pelleretur foras. Qui sensus verus est & fundatus in Scripturis & in lege; sed per illum modum loquendi non significatur; ut & antea diximus, & mox ulteriùs clarescet. Cæterum ex jam dictis patet, quàm falsum sit, quod dicunt Remonstrantes, Christum mortuum esse eo fine, ut Pater haberet jus nobiscum de novo contrahendi, sub qua vellet conditione, de remissione peccatorum & justificatione. Stante enim Christi obedientia & morte, unica tantum via est perveniendi ad justitiam: neque ulla alia est possibilis. Et, qui illa via justificantur, justificantur non ex novo legali pacto, sed ex Testamento per modum fœderis applicato, & δικαιώματι ἔργου h.e. obedientia, quam lex ut justitiam sponsoris approbare potest, ut χαρίσματι *donatione*. Si aliter sit, vel remittentur peccata actualiter absque fide, ut admittatur homo ad novi pacti conditionem, vel Christus non erit meritus remissibilitatem peccati, quippe ad quam necessaria erit præstatio novæ conditionis. Claret etiam, quale sit Remonstrantium dictum in Apol. cap. 8. p. 94. *Impossibile esse, ut intelligatur, quomodo Deus, satisfactione Christi posita, conditionem pœnitentiæ & fidei à peccatoribus exigere potuerit, ut per eam in gratiam cum ipso redirent, & remissionem peccatorum ab eo consequerentur.* Sanè impossibile est, ut post Christi satisfactionem per pœnitentiam & fidem justificemur tanquam per opus & verè conditionem legalis pacti (Pontificiis id opponi poterat) sed rursus impossibile erat, ut nobis ad justitiam prodesset Christi satisfactio sine communione cum ipso; quæ obtinetur fide; ut fides per regenerationem & purificationem cordis.

20. *Tertiò* per satisfactionem facta est καταλλαγὴ *reconciliatio* eorum, qui dati sunt Christo, ut ἁμαρτωλῶν, ἀσεβῶν, ἀσθενῶν, ἐχθρῶν, τέκνων ὀργῆς *peccatorum, impiorum, impotentium, inimicorum, filiorum iræ*; & impetratæ sunt ipsis omnes *benedictiones spirituales in cœlestibus in Christo, ut sint sancti & inculpati coram Deo in charitate*, hoc est, Propter Christi satisfactionem redemtis *non imputantur peccata ipsorum* (2 Cor. 5: 19.) quatenus illa morti & potestati Diaboli peccatorem addicebant; sed, non obstante peccato illorum, quo merebantur omitti, quia illud non imputatur (conjectum in Christum & in

ejus carne judicatum) vocantur efficaciter, regénerantur & donantur fide, ut Christo inserantur & in ipso justi sint, ac tandem in judicio Dei compareant sancti & immaculati in divina charitate. Eph. 1: 4. 5: 27. Coloss. 1: 21. 22. *Venit* enim, *ut mundus salvaretur per ipsum* facto & eventu, & omni parte salvationis. Joh. 3: 17. *Mortuus est, ut Testator.* Hebr. 9: 8. & ut Sponsor *petens* semen & illud impetrans sibi dandum, ut sit sua hæreditas, Psalm. 2: 8. Es. 53: 10. *accipiens dona in hominibus.* Psalm. 68: 19. in quo *vocatio* ipsa *salvifica* donata est. 2 Tim. 1: 9. Et sic *dedit carnem suam pro mundi vita*, Joh. 6: 51. & *dat mundo vitam*, v. 33. cujus initium est ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας *in sanctificatione spiritus & fide veritatis*, quæ per sanctificationem spiritus efficitur. Quò facit Eph. 5: 25. 26. *Se tradidit, ut Ecclesiam sanctificaret purgans illam lavacro aquæ in verbo.* Tit. 2: 14. ἵνα λυτρώσηται καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Huc refer 2 Cor. 5: 15. *si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, ut viventes non amplius sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus & excitatus est.* Hinc jam clarissimè apparet, quàm absurdum sit dicere, Christum pro quoquam esse mortuum, quem non reconciliaverit; aut reconciliasse, cui peccatum imputetur: aut non imputari peccatum ei, cui non detur vocatio & sanctificatio Spiritûs ad fidem; aut satisfeciisse ac meritum esse & non impetrasse; aut impetrasse, quod non petat: aut petere, quod non accipiat in hominibus. Quæ omnia absurda sequuntur ex sententia illa, quæ dicit, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse. Quam sententiam tamen non impingimus omnibus, qui sic loquuntur; qui, quàm incommodè loquantur, tandem, ut speramus, videbunt. Veræ sententiæ vis hæc est, Christum revera redemisse & acquisiviisse sibi populum peculiarem; atque adeò, quotquot sanctificati sunt, & crediderunt, ab omni ævo, vi satisfactionis ipsius sanctificatos esse & ad Deum adductos: & Christum illius suæ hæreditatis nullo modo (contra quàm statuunt Remonstrantes) exhæredem fieri aut manere potuisse. Idem effectus innuitur per *infirmationem* Diaboli, cui Christum *conterere* & enervare *voluerat*, ejusque καταργησιν *abolitionem*, non ut non sit, sed ut non sit potens ad exitium, Es. 53. v. 10. Hebr. 2: 14. ut scil. ipsius captivitas solvatur, Es. 49: 25. Psalm. 68: 19. Matth. 12: 29. & per *destructionem operis ejus*, 1 Joh. 3: 8. & *contritionem capitis serpentis*, Gen. 3. v. 15. nimir. ut, per sanctificationem, sublatâ servitute Satanæ & pecca-

peccati, servitus justitiæ & inimicitia contra Satanam ponatur. Quod quomodo morti Christi attribuatur, intelligi non potest, si mors Christi non est satisfactio.

21. *Quartò* satisfactio Christi, jam non amplius promissa, sed & præstita, credentibus affert libertatem ab accusatione peccati, & à *chirographo ipsis subcontrario*, & à *servitute elementorum mundi*. quippe *ab omnibus, quibus non poterant in lege justificari*. Actor. 13: 39. Veteres debuerunt Christi sanguini πάρεσιν & dissimulationem peccati ἐν τῇ ἀνοχῇ θεοῦ *in tolerantia Dei*; nos autem consummatam ἄφεσιν remissionem, quando ἐτελειώθημεν *consummati sumus* per Christum. quam τελείωσιν *illis sine nobis consecuti non sunt*. Nam illorum peccata manserunt usque ad sacrificium Christi. Rom. 4: 15. 3: 25. 26. Hebr. 2. v. 10. 9: 15.

22. *Quintò* satisfactio pacem facit gentibus. Christo enim est promissum regnum in gentibus.

23. *Sextò* in Christi obedientia est meritum gloriæ & beatitudinis humanitatis ejus: in quam translatio ejus est Christi *justificatio* tum à crimine mendacii & blasphemiæ per Judæos impacto; tum à debito satisfaciendi: atque adeò Christus in carne sua beatus est, non tantùm ut Filius, sed & ut justus servus.

24. *Denique* satisfaciendo Filius Dei se πιστὸν κτίστην *fidelem creatorem* demonstravit & omnem gloriam virtutum divinarum factis adstruxit, ut ipsum honoraremus, quemadmodum Patrem, & in ipso Patrem.

CAP. LXII.

De Christi exaltatione.

Christi ταπείνωσιν *humiliationem* sequitur ὕψωσις *exaltatio*. Δόξαι *gloria* sunt μετὰ τὰ παθήματα *post passiones*. 1 Petr. 1: 11. *Passiones Christi quare sequatur exaltatio?*

2. Nam βραχύ τι ἠλαττώθη, Psalm. 8: 6. Hebr. 2: 7. hoc est, *ad parvum tempus* fuit minor factus; non in perpetuum. Quia id necesse non erat; &, quia necesse erat, eum *gloria & honore coronari*. *Justificari* enim debuit. 1 Tim. 3: 16. Es. 50: 8. 9. ut Filius, abnegatus à Pontificibus & populo, & ut *Vas* sive *Sponsor* ac *Mediator Testamenti* (Hebr. 7: 22. 8: 6.) jam *consummatus*, Hebr. 2: 10. hoc est, cui nihil deesset, quo minùs conferret salutem suis. Igitur à morte detineri non potuit. Act. 2: 24. quippe ἀρχηγὸς ζωῆς *princeps vitæ*, Act. 3: 15.

3. Quinetiam debuit regnare, & poteſtatem morte acquiſitam in regno exercere, hoc eſt, ad quod decenter & cum gloria juſtitiæ Dei peragendum jus morte pepererat, idipſum debuit agere. Ut autem id ageret, ipſum imprimis oportuit glorificari, & proponi publicè, ac definiri ſive nominatim denotari & compellari Filium Dei, & principem ſalutis; quò ſui poſſent in ipſum fiduciam ſuam collocare, & de ejus perpetua interceſſione & de impetrata ſibi gloria certi eſſe.

4. Lex ipſa, uti potentiam ſuam exercuerat, Sponſorem ad ferendam exſecrationem vocando; ita non potuit non obedientiam ipſius, ut *Iuſti & ſervi*, vita æterna & gloria humanitatis remunerari.

5. Itaque glorificatio ſequitur tum perſonæ dignitatem, tum obedientiæ meritum, tum ſatisfactionis plenitudinem & juſtitiæ ac regni partijus.

Exaltationis ſublimitas.

6. Eſtque ea ὕψωσις *exaltatio* planè ὑπερύψωσις *ſuperexaltatio* & δοξασμὸς *glorificatio*, ſive aſſertio & demonſtratio gloriæ ejus & ſupereminentiæ, quam habuit apud Deum, antequam mundus eſſet, Joh. 17: 5. non ut deſtinatam, (quanquam demonſtratio ejus deſtinata fuit) ſed ut ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ, *qui eſſet in forma Dei*, antequam venit in mundum, Phil. 2: 6. & ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν θεὸν, *in initio eſſet apud Deum*. Joh. 1: 1. 1 Joh. 1: 1. 2.

7. Accepit enim *nomen ſupra omne nomen*, hoc eſt, eo nomine appellatus eſt, quo non tantùm præter ipſum nullus homo unquam compellatus eſt, aut impoſterum compellandus erat, ſive à Deo, ſive ab hominibus (nam & ii nominantes nomina blaſphemiæ Chriſti nomen non adæquant) ſed etiam, quo nulla mera creatura appellari poteſt. Quippe, ſi creatura, qua talis, eo compellari poſſet, non eſſet *nomen ſupra omne nomen*. Nam poſſet eo eſſe nomen altius. Quid enim in creatura fieri poteſt tam perfectum, ut non poſſit fieri perfectius? Dei enim voluntate eſt, quod eſt, &, quantumcunque accipiat dignitatis, id infinitum non eſt. Ut numerus maximus, & moles maxima, ita dignitas maxima (qua nempe nulla poſſit eſſe major) in creatura actu non datur.

8. Quinimò nomen hoc eſt ſimpliciter ſummum, quia, quo nomine nominatus eſt, hominibus nominatus eſt, ut ii illum nominarent. Quo alium nominare, præterquam Deum, blaſphemia eſt. Nam, *qui Iehovam nominaverit, ſalvus erit*. Joël 2: 32. vel 3: 5. Ita dicit Actor. 4: 12. *Non eſt aliud nomen datum in hominibus, in quo nos oportet*

nat salvari, hoc est, Solus Christus nominatus est à Deo & indicatus, ut homines eum Salvatorem suum nominarent, & in veritate Salvatorem nominantes salvi fierent. Ideò addit Apostolus, sic ei datum esse nomen supra omne nomen, ut in nomine ejus omne genu se flectat, hoc est, ut jussi sint omnes genua ei flectere, & ei promissum sit, omnia genua se ei flexura: item, ut omnis lingua ei confiteatur, quòd ipse sit Dominus, ad gloriam Patris. Phil. 2: 9. 10. Hoc enim est divinum reservatum; quod Jehovah, sub jurejurando, sibi soli vindicavit, Es. 45: 23. Quo in loco Filium per nomen *Jehovæ* significari, res probat. Neque verò id ulli, qui non est summus, dari potest. Nam 1. in cujus nomine adorationem exercemus, ejus summa auctoritas est. 2. Cui genu flectimus, eum glorificamus, eique gratias agimus. 3. Cui juramus, vel confitemur, ut Domino, is necesse est ut sit creator noster & finis, & vita sive bonum. Hæc solius Dei sunt. Cui ingeniculamus & confitemur & juramus ad gloriam Patris, ut nempe is eo honore glorificetur, is non est aliud à Patre, sed unum cum eo. Nam Deus gloriam suam & gloriationem suam non alienat. Ita autem exaltatus est, & ita honoratur ad gloriam Dei, quia sine eo Deus non esset *ἀληθὴς* verus. Joh. 3: 33. non esset factus Deus Abrahami, non esset *Jehovah* sive *οὐκ ἂν ἐγένετο, ὃς ὢν, non factus esset, qui erat*; neque factus esset *Deus Amen*. Nam *in Christo omnes promissiones Dei sunt na & amen*. 2 Cor. 1: 20. Ergo, qui non agnoscit Filium, nec Patrem habet: nec Patrem novit, neque ejus illam eximiam *Πότητα*, quòd potuit nobis fieri justitia, &, ut potuit, voluit. Atque adeò, qui Filium non ita glorificat, neque Patrem glorificat. Qui autem sic honorat Filium, & in Filio Patrem, is gloriam dat Patri; ut soli vero Deo, in vero illo, nempe Filio ejus. Non autem honorat *alium* diversum præter Patrem, Psalm. 16: 4. Es. 42: 8. 48: 11. aut *socium* Patris. Es. 45: 22. Deut. 32: 39. Nedum ut *nullam propriam adorationem* Filio tribuat cum Socino. *Propria* enim est Filio adoratio; quamvis non separata ab adoratione Patris.

9. Estque hæc adoratio (quæ donationi nominis tanti respondet) glorificatio illius personæ, quæ in similitudine carnis nostræ venit, qua ipsi, mente & vero affectu, tribuimus, tum, quòd, antequam hic mundus esset, apud Deum gloriam habuerit, & unum cum ipso sit; tum, quòd voluntate æterna factus sit mediator Testamenti; tum, quòd in tempore spiritu æterno se immaculatum *Adoratio Christi.*

Deo obtulerit, & sic sibi hæreditatem acquisiverit, & potestatem eam occupandi, juxta vigorem legis, acceperit, ut *Dominum*: quodque propterea in fide ipsius, hoc est, tum verbi, quod nobis dixit, tum justitiæ, quam adduxit, & testificationis Spiritus ipsius ad spiritum nostrum, & potestatis, quam habet ex communi consilio pacis, & potentiæ, qua omnia operatur in omnibus, possimus petere à Deo & expectare, quod filios Dei petere à Deo convenit. Sunt enim hæ omnes divinæ gloriæ. Quæ significantur illo nomine maximo, quod ipsi donatum est.

Donatio nominis.

10. Quæ nominis illius donatio non illius diminutio, sed verè ὑπερύψωσις *superexaltatio* est. Neque obstat, quòd Deus Filio hoc nomen ἐχαρίσατο *gratiosè donavit*. Nam ea compellatio hominis Jesu, qua compellatus est *Dominus*, est consequens *gratiæ*, 1. illius, qua voluit Filium habere ex carne nostra tabernaculum. 2. Illius, qua eum voluit propter justitiam nostram, ut vadem nostrum, & sic nostrum, ταπεινωθῆναι *humiliari*. Quod illustrat Apostolus Ephes. 1. v. 21. 22. ubi explicat, quid sit, eum collocatum esse ad dextram Dei. nempe, quòd ipsum collocaverit *supra omnem principatum, potestatem, virtutem, & dominationem, & omne nomen nominatum in illo seculo & eo, quod futurum erat; & omnia subjecerit pedibus ejus*, scil. extra eum, qui ei subjecit omnia; *& ipsum dederit caput supra omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ejus, id, quod completur ab eo, qui omnia in omnibus complet.*

Resurrectio.

11. Primus gradus exaltationis est resurrectio corporis. non verò descensio in gehennam ad ibi triumphandum, vel in limbum subterraneum gehennæ, in quo fuerint animæ Patrum, ad eas educendum. Per resurrectionem enim Deus ipsum definivit sive nominatim compellavit *Filium Dei in potentia secundùm spiritum sanctitatis*. Rom. 1: 4. Quippe justificavit eum, quòd non falsò esset in nomine Dei, ut Patris sui, locutus, seque ab ipso in mundum venisse dixisset. Es. 50: 8.

12. Resurrexit autem secundùm corpus. Nam & corpore solo fuerat mortuus & sepultus. Anima in paradiso fuit viva. Falsum est enim, Christum in morte non fuisse. quod dicit Smalcius.

13. Resurgens resumsit corpus: non, quòd desierit id habere sibi unitum; sed, quòd desierit per id agere, tanquam per organon. Nam etiam, dum corpus jacuit in sepulchro, ipse sepultus dictus est.

14. Resumsit autem id per potestatem. Joh. 10: 18. Imò per propriam potentiam. Neque enim ideò tantùm dici potuit vel resumere

sumere animam, vel templum corporis sui erexisse, Joh. 2: 19. 21. quia secundùm voluntatem, quam habuit ante mortem, id factum est. Sic enim dixisset potiùs, *Excito.* Tunc enim id volebat. Imò & nos dicendi essemus nos ipsi excitare. Atqui vivificatus est spiritu, quo prædicatum ivit in diebus Noach, 1 Petr. 3: 18. 19. Excitavit corpus suum, ut templum suum; atque adeò ut structor templi, Zach. 6: 12. & domûs Dei, Hebr. 3: 3. 6. ut spiritus vivificans, 1 Cor. 15: 45. ut vitam in se habens, Joh. 5: 26. ut Deus potens & victor. Es. 9: 5. ut qui *tuba Dei* & κελεύσματι vivificat mortuos. 1 Thess. 4: 16.

15. Nihilominus dicitur plerumque, quòd Pater eum resuscitaverit: non, quòd potentia, qua resuscitatus est, non sit Filii; sed quia resurrectio Filii est 1. argumentum, quo ille homo mortuus demonstratus est Filius Dei esse, & justificatus est: & tanquam vox Dei, qui de Filio suo locutus est in Scriptura, qua ipsi dixit, *Tu es Filius meus: ego hodie genui te.* 2. Argumentum judicii, quo in ipso absolvuntur redemti. Quod judicium competit primò Patri, qui de Filio locutus est; quique monstrat Filio, quæ ipse facit; & cujus fuit primò voluntas, qua Filius peccatum factus est, ut nos fieremus justitia Dei in ipso. Atque ita *resuscitatus est per gloriam Patris*, Rom. 6: 4. non tantùm *cum gloria ejus*, sed exigente, & sic quasi operante gloria Patris: quia gloriæ Patris intererat, ut *Filius*, idemque *sacerdos consummatus*, & *justus*, & *hæres*, *cui promissionem fecerat*, resurgeret, & talis nobis ostenderetur, & à nobis crederetur, ut Deus fieret nobis justitia, & Deus justitiæ noster: & sic in Filio & in nobis glorificaretur. Quare & excitatus dicitur propter justificationem nostri. Rom. 4: 25. hoc est, ut nos, qui in ipsum credimus, quemadmodum eos, qui in ipsum crediderant vivum, eumque exspectaverant, justificaret Deus, sive de justitia parta certiores faceret, & ab omni accusatione legis conscientias nostras absolveret.

16. Resurrexit in eodem corpore, in quo mortuus erat.

17. Et, quemadmodum non amplius moritur, Actor. 13: 34. (quippe qui justificatus est à peccato, &, semel peccato mortuus, nunc vivit Deo, hoc est, propter Dei vitam & voluntatem & gloriam: Rom. 6: 10.) ita nec amplius pro peccato offertur. Hebr. 9. v. 26. 10: 18. neque ita humiliatur, ut vel panis fiat, vel sub specie panis habeat esse in terra, in manu & stomacho hominis etiam impii, & musculi, ibique patiatur destructionem illius esse. Quod Bellarminus

larminus vocat *esse sacramentale*; quum nihil minùs sit. Nam esse sacramentale est esse sacramenti, sive sacri signi ac sigilli. Christi verò corpus & sanguis, hoc est, mors ipsius, & communio illius per fidem, est ea res, quæ signo commemoratur & sigillo obsignatur: atque ideò non habet *esse sacramenti* sive *sacramentale*, hoc est, sigilli.

18. Neque porrò Christus *agnoscendus est secundùm carnem amplius*, quemadmodum antea, 2 Cor. 5: 16. hoc est, ut subjectus legi. Nam, ut caro factus est, sub legem factus est. Unde & nemo eorum, qui in Christo sunt, secundùm carnem agnoscendus est, h. e, ut jugo subditus, quanquam in carne ambulent. Omnia enim sunt nova. Ibid. v. 16. 17. Nam ipsum quidem illud corpus, quod ex utero matris assumsit, & ex mortuis resuscitavit, nunquam deponet: in quo frater noster primogenitus agnoscitur.

19. De veritate autem resurrectionis Christi (qui est articulus maximè fundamentalis) non possumus dubitare. 1. Quia testimonia illorum, qui ipsum viderunt vivum, minimè sunt suspecta. Clarum enim est, eos nihil finxisse; neque ex composito quicquam dicere potuisse. Nam & dissipati fuerant, & mulieres fuerant primæ, quæ resurrectionem nunciarunt, & dubitarunt, etiam postquam idonea visi testimonia extitissent; & sæpe diuque ac multis unâ visus est. denique inter illos est hostis & persecutor ejus Saulus. Hique omnes morte hunc nuncium obsignarunt. Qui nuncius illis nullius terreni commodi causa extitit: neque eo abusi sunt ad terrestre commodum. Quem si voluissent reticere, plagas, injurias, labores, & mortem silentio redimere, & commoda terrena lucrari potuissent. 2. Quia ipsi hostes custodiam & sigillum sepulchro apposuerunt: & nec cadaver ostendere potuerunt, imò nec aliud pro ipsius cadavere subjicere vel tentarunt: neque unquam dixerunt, vi id ablatum esse. 3. Quia Christum oportuit resurgere, & id prophetiæ prædixerant: atque id tempus erat, quo Christus debuit venire, & resuscitatus prædicari. Ita autem, ut prædictum, Christus venit, locutus est, fecit, passus est, prædicatus creditusque est, eo tempore, quo oportuit, nullo signo temporis deficiente, & illustri modo manifestatis cælaturis lapidis, quem Deus Josuæ sacerdoti & sociis ipsius proposuit, in quem septem oculi dirigi debebant. Zach. 3: 8. 4. Quia postea facta sunt, quæ ipsius sessionem ad dextram Dei clarè ostenderunt. Actor. 2: 33. A sessione autem Christi

ſi ad dextram Dei probatur reſurrectio; quia, ſi regnat ſupra hoſtes ſuos, etiam ſupra mortem regnat; &, quia prædicari non potuit ſedens ad dextram Dei, niſi viſus eſſet aſcendens in cœlum. 5. Quia Deus ſermonem reconciliationis & reſurrectionis Chriſti omni genere miraculorum & diſtributionibus ſpiritus eſt proſecutus. Quo etiam referenda ſunt judicia in incredulos Judæos & gentes, tum perſecutrices, tum per hypocriſin Chriſto mentientes; & omnis Eccleſiæ gubernatio ſecundùm Prophetiam.

20. Suntque adhuc in Eccleſia evidentia & omnem aleam dubitationis excedentia monumenta, quæ Chriſtus partim ante mortem inſtituit, ut reſurrecturus, S. Cœna; partim poſt reſurrectionem injunxit, ut Baptiſmus gentium: partim per Apoſtolos dedit, Scripturæ novi Teſtamenti; partim Chriſto dedicante inde ab Apoſtolis cum memoria reſurrectionis Chriſti celebrantur, ut, quòd Eccleſia primam Sabbatorum diem Dominicam appellat, & ea præcipuè ad honorem reſurrectionis Chriſti lætatur & congregatur. Quæ omnia cùm re geſta nitantur, ſi non ea res geſta firmiter probata eſſet, nunquam ab hominibus nec ſtultis, & id verum eſſe nolentibus, ſine armis, fruſtrato hominum furore, credita fuiſſent & in omnium uſum veniſſent. Eſtque hîc obſervanda exacta rei geſtæ cum figura præcedente conſenſio. De qua etiam antea ſuo loco diximus.

21. A reſurrectione non nominatur Filius. Neque reſurrexit, ut fidem faceret miſſionis ſuæ ad ferendam novam conditionem juſtitiæ. Sed ut regnaret, & ut fidem faceret reconciliationis peractæ, 2 Cor. 5:18. 19. & ut ſ...ret ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων. 1 Corinth. 15:20. hoc eſt, ut, ſecundùm figuram legalem, id in ipſo, ut capite, fieret, quod, propter ipſum, in iis, qui ipſius ſunt (1 Cor. 15:23.) fieri impoſterum debet; quò, id futurum certò eſſe, indubitato argumento in ipſo confirmaretur. Nam, ſi Chriſtus reſurrexit, etiam illi, qui ipſius ſunt, reſurgent (neque obſtat, quòd inter Chriſtum & ipſos ſit differentia, vel ratione Deitatis, vel ratione ſanctitatis) quia hi ipſius ſunt, & ille ipſorum eſt ἀπαρχὴ. Deus enim, Chriſtum ipſis, & ipſos Chriſto dando, ipſos fecit unum: & ipſe, ut particeps carnis & ſanguinis cum pueris ſibi datis, etiam pro ipſis ſub lege fuit. Gal. 4:4. 5.

22. *Evigilans viſit amicos ſuos, ut irrigaret animam linquentem, & omnem animam egram impleret; & ſomnus ſuus fuit ſuavis ipſi.* Jer. 31. v. 25. 26.

25. 26. Quippe invenit ipsos, utut tristes, tamen sui cupidos & in amore sui constantes, per Dei gratiam conservatos.

23. Ita *secundò intrans in orbem habitabilem* (Hebr. 1:6.) ut sacerdos ab altari in tabernaculum prius, illum luce, parato cibo, & thure precum, quibus clamamus, Abba, Pater, implevit.

Ascensio in cœlum.

24. Neque hîc substitit gloria Christi, vel gratia Dei erga nos: sed, ut sacerdos semel quotannis, & quidem senescente æstate, post exordium novi anni vulgaris, בתקפ־ השנה Exod. 34: 22. revolvente anno, ante festum collectionis sive scenopegias, intrabat, non sine sanguine, in sanctum sanctorum: ita Christus, fuso sanguine suo, rupto velo carnis suæ, (Nam caro Christi necdum fracta & in mortem tradita, ad abolendam sententiam legis in peccatorem latam, erat instar veli; quia maledictio ei incumbens adhuc procul stare cogebat accedentes ad Deum) initio temporis gratiæ & libertatis, in cœlum intravit, & viam ad cœlum nobis apertam dedicavit, cœlestem Ecclesiam cum terrestri ἀνακεφαλαιωσάμενος, hoc est, *ad unum* κεφαλαίωμα, *unam summam redigens*, & domum Dei unam fecit; quemadmodum, sacerdote velum amovente, utrumque tabernaculum unum erat. Sed illud quidem velum rursum oppansum fuit, significante Spiritu sancto, viam ad verum sanctum nondum manifestatam esse, hoc est, nondum dari παῤῥησίαν & plenam libertatem accedendi statim & rectâ (omisso tabernaculo terrestri) ad thronum Dei; quamdiu primum tabernaculum habebat stationem: at Christus nobis cœlum apertum reliquit, & προσέλευσιν *accessum* sive accedendi jus nobis dedit. Hebr. 4: 16. 10: 22. 12: 22. 23.

25. Fuit quidem ea & Christi ἀνάλημψις *assumtio*, Luc. 9: 51. Es. 53: 8. & εἰσαγωγὴ *introductio* Hebr. 1: 6. sed & verè ἀνάβασις *ascensio* & πορεία *profectio*. nempe, ut quis sua potestate, jure, ope in domum suam intrat. Ita nemo in cœlum ascenderat. Joh. 1: 13. etiamsi in domo Patris Christi essent μοναὶ πολλαὶ Joh. 14: 2. hoc est, πολλοὶ μονὴν ποιοῦντες ἐκεῖ (ut ex v. 23. illud obiter explicemus) cum quibus per ascensionem Christi unum facti, qui in terra sunt in Christo, Eph. 1: 10. Hebr. 12: 22. 23. & multi filii in gloriam introducti. Hebr. 2: 10. Neque enim videmur absque ratione vim aoristi ἀγαγόντα retinere cum veteri Latino interprete. 1. quia genius sermonis non videtur ferre, ut duo aoristi, quorum unus rationem indicat, alter actionem, jungantur neglecta aoristi participii virtute. 2. quia in verbis Apostoli ὁ πᾶς v. 9. & πολλοὶ γὰρ v. 10. optimè distinguun-

stinguuntur. Et sic duplex ratio est, quare Christum oportuerit mori & per passiones tandem consummari, ut ipsi subjicerentur omnia; quia nempe jam multos filios in gloriam adduxerat; quorum salutis quum princeps auctor esset, & consummatus nondum esset, hoc est, necdum omnia haberet, quæ ad causam justitiæ requirebantur, oportuit, eum per passiones consummari. Ratio igitur passionum Christi est tum veritas Dei, ut causa glorificationis glorificatis non deesset: tum gratia exercenda sine discrimine in omnem. 3. quia aliâs sensus erit, Decuisse Deum, multos filios in gloriam adducere & principem salutis eorum consummare. quasi salus & glorificatio & adoptio non pendeat à gratia & beneplacito, sed à natura Dei & ea decentia, quæ necessitatem agendi afferat.

26. Ita *ascendere* non erat nisi illius, qui & *descenderat* priùs, & quidem *in inferiores partes terræ*. Joh. 3: 13. Eph. 4: 9. quia ἐπὶ ἄνω ἐξὸν. Joh. 8: 23. & ἄνωθεν ἦλθε. Jolian. 3: 31. quippe qui *Deus* esset. Joh. 1: 1. Psalm. 68: 8. 19.

27. Falsò igitur comminiscuntur Sociniani ἀνάβασιν Christi ante hanc, qua sublimatus est supra omne nomen & potestatem. Ephes. 1: 21. 1 Petr. 3: 22. ut jam omnes ipsi & quidem soli, ut σύνδουλοι, subjiciantur.

28. Nam in cœlum ascendit, ut in thronum gratiæ, Hebr. 4: 16. Zach. 6: 13. *consederitque in dextera Magnitudinis*, Hebr. 1: 3. sive *ad dexteram Dei*, Psalm. 110: 1. hoc est, ex illo tempore facit, quæ sunt regis in regno Dei, pleno jure regnantis, cum gloria. 1 Cor. 15. v. 25. Sedere enim est regnare: & quidem in maxima gloria. Nam, quem Deus ad dexteram collocavit, eum honorare voluit ejusque gloriam quæsivit, & quidem ad gloriam suam. Modus loquendi sumtus est ab eo, quod inter homines fit. Qui alium honorare vult, etiam si summus sit, eum ad dexteram collocat. Hoc autem potest significare honorem secundum; sed & nihil impedit, quin pro re nata, significet honorem æqualem. Quem Deus, ut caput & Principem, collocat ad dextram, ei dat τὸ ἴσα εἶναι θεῷ *parem Deo esse*; quia & antea erat ἐν μορφῇ θεοῦ *in forma Dei*. Sed de exaltationis gradu antea diximus. *Sessio ad dextram Dei.*

29. Neque solus intravit & consedit; sed spolia hostis secum intulit. Psalm. 68: 19. Nam, ut ipsi conresuscitati sumus, ita cum ipso in supercœlestibus collocati sumus, Eph. 2: 6. qui eramus captivi

ptivi Satanæ, & ut ex regno ipsius in regnum lucis transferamur, apprehensi ab ipso sumus.

30. Estque id regnum, quod gerit, non de hoc mundo, neque adeò per modum regni mundani (quem Antichristus in Ecclesiam introduxit) geritur; sed planè divinum: & gloria ejus summa. Unde & *rex gloriæ* dicitur. Psalm. 24: 7. 1 Cor. 2: 8. Neque enim in exaltatione Christus humiliatus est, neque ei data gloria inferior. quod supra ostensum est.

31. Idem regnum æternum. Es. 9:6. 2 Sam. 7:13. Psalm. 45:7. Hebr. 1: 8. Quod finem non habet, licèt habeat profectum. 1 Cor. 15: 25. nempe eò usque, ut, victis hostibus, omnia subjiciat Deo, ut, cum ipso, omnia ipsius membra sic Deo subjiciantur, ut Deus omnia sit in omnibus. quod in Christo non fit, dum quid membrorum ejus hostibus eripiendum restat.

32. Sedet autem ad dextram Dei non tantùm ut Rex, sed & ut Sacerdos in æternum. Psalm. 110: 4. Zach. 6: 13. intercedens pro nobis. Hebr. 10: 12. 13. 7: 15. 9: 24. Rom. 8: 34. hoc est, voluntate sua, qua postulat hæreditatem suam & ejus glorificationem, nos primum justitiæ, deinde & gloriæ participes faciens.

Declaratio dominii Christi per effusionem Spiritus sancti.

33. In regno hoc primus actus est effusio Spiritus sancti in Apostolos. qua etiam ipse quodammodo unctus est, & Christus & dominus factus est. Actor. 2: 36. Fuit enim is actus *Christi* & pleno jure *Domini*. Consequitur datio ministeriorum ad concinnationem corporis sui, Ephes. 4: 10. 11. 12. 13. quorum interpolatio & mutatio in principatum est regni ipsius corruptio, facta à Bestia & Antichristo. Apoc. 11: 18. Accedit assumtio populi ex gentibus: & regni à Judæis ablatio.

34. Quum autem eum gloria & honore coronatum videamus, etiamsi nondum videamus ipsi omnia subjecta, anhelamus & allaboramus ad plenam nostri & mundi subjectionem, quam certò futuram esse credimus. Tandem enim omnia regna ipsius fient. Et tum veniet in nubibus ad judicium.

35. Omnipræsentia corporis Christi ad hoc regnum nec necessaria est, & ad turbandam doctrinam veritatis inventa est: ut & præsentia ejus in multis locis & altaribus in terra ad evacuandum sacerdotium ipsius.

LOCUS

LOCUS VIGESIMUS PRIMUS
DE
Euangelio, & Sacramentis Novi Testamenti.

Cap. LXIII.
De Euangelio.

Apostolus 1 Tim. 2: 6. quum dixisset, Christum *se dedisse redemtionis precium pro omnibus*, statim adjungit, id esse *testificationem*. Quippe lytrum si datum est, non debet manere chirographum. Justitiæ est Sponsorem absolvere à debito & à debitore non exigere professionem debiti, quando pro debito satisfactum est & justitia adducta est. Propterea mortuus est Christus, ut, qui per totum vitæ tempus propter mortis formidinem obnoxii erant servituti, liberarentur. Hebr. 2: 15. Diabolo regnum abrogatum est in gentibus per Christi mortem. Non ergo potuit fieri, ut sileretur redemtio, &, qui redemti erant, in potestate tenebrarum relinquerentur. Ad gloriam Dei pertinuit, ut redemtio annunciaretur. Nam non erat Dei gloriam suam alteri dare, & pati, ut nomen suum etiam à populo suo semper blasphemaretur. Es. 52: 5, 6. Dei gloriatio est supra omnes deos, quòd sit justificator improbi & sanctificator peccatoris & victor Diaboli. Gloriationem suam tacere, erat nolle glorificari & hostibus suis concedere. Præterea satis diu videbatur Deus expectasse hominum, longanimitatem Dei spernentium & cum conscientia propria luctantium, emendationem. Supererat hoc ad judicia Dei, ut sermo veritatis sine velo & tegmine, sine ænigmate & umbraculis, audiretur, & nomen Dei palam indicaretur & justitia ipsius promulgaretur, & ea re homines ingrati & indociles atque inobedientes irritarentur, ut, veritatem omni violentia & dolo opprimere studentes, insigniùs judicarentur. Quod indicat Apostolus Rom. 1: 17. 18. Atque ideò Deus non voluit statim seculo, post mortem Christi, clausulam imponere, sed partim celebrari supereminentem suam gratiam ab electis,

Euangelium sequitur precium datum.

Eph. 2: 7. 2 Petr. 3: 9. partim per gloriationem ſuam hoſtes ſuos irritare & exaſperare, vel etiam ad ſibi mentiendum adigere, & de ingratis ſupplicium ſumere.

Euangelium fuit promiſſum.

2. Euangelium antè promiſſum fuiſſe, teſtatur Apoſtolus Rom. 1: 2. & nos demonſtravimus cap. 36. § 5. Unum teſtimonium nunc addimus ex Eſ. 43: 21. *Populus, quem formavero mihi, laudem meam narrabunt,* hoc eſt, Pro illo populo, qui nunc vocatur populus meus, qui φύσει *naturâ* ſunt Iſraëlitæ & Judæi, qui in hoc nomen naſcuntur & à natu circumciduntur, alium populum mihi nova creatione formabo, cujus negocium erit, non elementis mundi ſervire, ſed laudem meam narrare. quippe qui videbunt, quæ ego fecero ad gloriam meam & nomen meum & virtutes meas oſtendendas.

Euangelio oppoſitum ſilentium.

3. Εὐαγγέλιον vocatur בְּשׂוֹרָה, hoc eſt, rei bonæ, laudabilis, amabilis & ad lætitiam efficiendam comparatæ annunciatio. Ei opponitur *ſilentium* priſcorum temporum, quibus illa res bona non fuit annunciata, ut extans. Rom. 16: 25. Id vocatur טוֹב דָּבָר טוֹב ῥῆμα *verbum bonum,* Pſalm. 45: 2. Hebr. 6: 5.

Euangelii objectum.

4. Loquitur autem id de *myſterio,* hoc eſt, re ab hominum cogitatione & exſpectatione ac conſilio remota, quam Deus ſolus & indicare & præſtare poterat: ejuſque *veritatem* ſive ἀποκάλυψιν h. e. evidentem in re exhibitionem teſtatur. Rom. 16: 25. Quod myſterium qui extenuant, ipſum Euangelium evacuare comperiuntur.

Euangelii ſumma.

5. Apoſtolus ejus ſummam breviter complectitur Rom. 1. v. 1. 3. 4. dum vocat *lætam præconiationem Dei de filio ſuo, qui exſtitit ex ſemine Davidis ſecundùm carnem; qui definitè notatus eſt Filius Dei in potentia ſecundùm ſpiritum ſanctitatis ex reſurrectione mortuorum, Ieſu* Chriſto *domino noſtro.* Eſ. c. 52: 7. *Quàm decori ſunt in montibus pedes euangeliſtæ promulgantis pacem, euangeliſantis bonum, promulgantis ſalutem, dicentis Sioni, Rex factus eſt Deus tuus. Pacem* cum Deo & inter gentes Eph. 2: 17. 18. *bonum,* ἐν ᾧ δὲ δοκεῖ ὁ θεὸς, quodq; homini exoptatiſſimum; nempe juſtitiam adductam; *ſalutem* ab omni reatu, à captivitate, à jugo, ab accuſatione. Quæ omnia in *regno Dei* continentur. Nam in eo eſt *pax, juſtitia, ſalus* & glorificatio Dei in mundo per Judæos & gentes. Apoſtolus uno verbo vocat εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας *annunciationem ſalutis.* Eph. 1: 13.

Sermo veritatis.

6. Ibidem id vocat *ſermonem veritatis.* ut & alibi ἀλήθειαν *veritatem.* Cujus nomenclaturæ hæc ratio eſt. 1. quòd in Euangelio oſtenditur Deus ἀληθὴς *verus* & πιστὸς *fidelis,* qui *promiſſiones* ſuas in

Chriſto

Christo fecerit esse τὸ Nαὶ Nα. 2 Cor. 1: 10. 2. quòd eo testimonio & ea veritate cognoscatur, quid sit Deus. Nam *Deum nemo vidit unquam; Filius unigenitus, qui est in sinum Patris, ipsum ostendit.* Joh. 1: 18. ut cognosceremus non tantùm voluntatem ejus & amorem ejus, sed etiam nomen ipsius, Joh. 17: 26. quod ipse sibi fecit, Exod. 34: 5. 6. 7. in quo *gloria & bonitas* Dei continetur, Exod. 33: 18. 19. *& via ejus*, Psalm. 103: 7. Quippe *virtutes Dei*, 1 Petr. 2: 9. in eo ostenduntur; præcipuè sanctitas & justitia; cum misericordia & gratia. quarum illa decent Deum, ut rectum; hæ, ut divitem. Unde cognoscitur, Deum non indignè longanimitatem exercere & omnem creaturam subjecisse vanitati: & sanctè cum peccatore communionem habere, & justè eum justificare, & revera esse sanctificatorem ejus. Extra hoc testimonium quicquid de Deo cogitatur aut dicitur, nominatim de justitia, quæ ipsi placeat, & judicio, est falsitas & mendacium, & verum esse non potest. 3. quòd hæc omnia demonstrantur non in umbris, parabolis & ænigmatibus, sed clarè, ut in ipso corpore ac substantia ac rerum imagine. Col. 2: 17. Hebr. 10. vers. 1.

7. Potest addi etiam illa ratio; 4. quia hoc testimonium & divina veritas est typus & ostensio veritatis, cujus cognitione homo illuminatus & amore imbutus sapiens & sanctus est & Deo similis. Nam Christum cognoscere & in Christo Dei cùm amorem tùm virtutes, easque amare est vera sapientia, sanctitas & pietas. Item 5. quòd in Christo lex Dei, quæ est lex charitatis, vera est, quippe vivum exemplum habens, ut non amplius in solis tabulis lapideis & in litera extet, sed in vivo exemplari. Et quidem 6. eo exemplari, quod amabilissimum est, ut in ejus amore & amor Dei amantis nos ac fratres nostros & amor sanctitatis Dei & sic amor boni & amor fratrum, velut in radice aut fonte, contineatur.

8. Quocirca Euangelium non est nova aut perfectior lex. Lex enim operum una est, & perfectior aut imperfectior esse non potest. Nam opera, in quibus quis vivat, sive quorum patratio sit ea facienti causa vivendi & vitam pro mercede accipiendi, tantùm illa sunt, quibus veritas & perfectio imaginis Dei continetur. Quæ tantùm una & simplex est. Deinde Christus factus sub legem ei obedivit, & ita nobis & justitiam paravit & exemplum obedientiæ præbuit. *Euangelium non est alia & perfectior lex.*

9. Neque propriè Euangelium est lex, sed annunciatio rei bonæ atque amabilis ad gloriam Dei.

10. Hæc

Est cum lege fi. dei.

10. Hæc tamen annunciatio fieri non potuit absque naturali obligatione & conteſtatione & adjuratione hominis, eam veritatem amabilem & Deo glorioſam audientis, ad eam veritatem confitendam & ad gloriam Dei celebrandam, & ad bonum hoc & ejus auctorem Deum in Chriſto amandum. Ideòque hæc teſtificatio Dei & annunciatio per ſe habet vim præcepti, quatenus *anima recta* & non diſtortæ vim facit ad ſe recipiendum, affirmandum, laudandum, amandum. Quæ quidem vis ſuaviſſima eſt. qualis, quâ lux ſe cogit amari, &, quæ pulchra & precioſa ſunt, concupiſcentiam ſui extorquent, & Sponſus amans enixè ſponſam eam ad ſe redamandum compellit.

Lex Dei.

11. Atque hæc eſt revera *Lex Dei* ſive תורה, hoc eſt, demonſtratio viæ, qua peccator ad Deum & vitàm pervenire poteſt: nempe amando Deum amantem, & virtutes ejus, & amorem ejus.

12. De qua lege dicit promiſſio Jer. 31: 33. *Legem meam ponam in medio ipſorum.* Nam, Chriſto nominato & prædicato, non poteſt via vitæ eſſe tecta & incognita. Ipſe enim eſt via: & in ipſo eſſe, eſt habere vitam. Nam ipſe eſt vita.

Teſtimonium Dei & lex fidei ex 1. Ioh. cap. 5. v. 9. 12.

13. Id ita luculenter explicat Johannes 1 epiſt. c. 5:9.10.11.12. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt. quia hoc eſt teſtimonium, quod teſtatus eſt de Filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet hoc teſtimonium in ſe: qui non credit Deo, mendacem ipſum fecit; quia non credidit teſtimonio, quod teſtatus eſt Deus de Filio ſuo. Et hoc eſt id teſtimonium, quòd vitam æternam dederit nobis Deus; & hæc vita in Filio ipſius ſit. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* In quibus verbis ſimul intelligimus, quæ ſit prædicatio Euangelii, ſimul, quæ ſit lex, ſuâ naturâ ei prædicationi annexa. Et, ut de prædicatione primò dicamus, quòd Deus dederit vitam, eamque decreto aut Teſtamento æterno dare decreverit, etiam antea per Promiſſionem teſtatum fecit Deus: quòd autem eam dederit reipſa, ſive in ſua cauſa, non antè teſtatus eſt Deus, niſi quum miſit Filium ſuum: de quo teſtatus eſt, quòd vita æterna ſit in ipſo. Rurſus altera pars divini teſtimonii eſt, quòd, qui habet Filium, habeat vitam; ſive, quòd vitæ æternæ hæreditas fundetur in communione Chriſti. quodque extra communionem Filii nulla vitæ hæreditas ſit. Non opus eſt inquirere, per quid ſimus in Filio, ſive habeamus Filium. Certum eſt enim, quòd per Spiritum Filii ſimus unum cum Filio. Certum eſt, quòd, quum Spiritus Filii in nobis operari inceperit,

perit, habeamus Spiritum Filii. Is autem in nobis operatur ante omnia fidem, qua recipimus testimonium Dei. Certum est, quòd, si habeamus in nobis testimonium Dei, non possimus exsortes esse Filii: quia, si habemus testimonium Dei, accedimus ad eum, in quo est vita, quam Deus donat. Quod donatur, acceptantis est. Quod expositum est, arripientis est. Inde S. Johannes addit v. 13. *Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut sciatis, vos habere vitam æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei,* hoc est, ut porrò credatis in eum, & ab eo exspectetis vitam æternam. Porrò præceptum huic testimonio suâ naturâ annexum Johannes sic explicat: Testimonium Dei est majus humano. Atqui accipimus hominis testimonium. Deinde est testimonium Dei de Filio suo, quo is glorificatur. Qui glorificandus est. Ergo credendum est huic testimonio. Quòd si autem credendum est huic testimonio, credendum est in Filium Dei. Nam de eo testatur Pater, quòd vita in ipso sit. Ergo, qui credit in Filium Dei, & ad eum confugit, animamque suam ei committit, is testimonium Dei habet in se. Nullo modo autem id in se habet, qui in eum non credit. Idque tam justum est, ut, qui in Filium non credit, quia non credit Deo, ipsum mendacem faciat, quia non credit testimonio, quod Deus testatur de Filio suo. Quippe testatur, beatum esse, quicumque ad eum confugit. Psalm. 2: 12. Qui igitur ad eum non confugit, non credit Deo, qui beatum dicit confugientem.

Euangelium demonstratur ex Scripturis.

14. Hæc autem annunciatio debuit fieri cum demonstratione. Ita Paulus Rom. 16: 26. dicit, mysterium esse notificatum per Scripturas propheticas. Alibi dicit, quòd manifestatione veritatis se commendet ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 2 Cor. 4: 2. sæpe testans, in prædicatione Euangelii esse exuberationem gratiæ in omni sapientia & prudentia. Ephes. 1: 8. De sapientia autem judicat conscientia: nempe, an doctrina Christi habeat fundamentum certum, in quo omnes partes veritatis concentrentur, ita ut illæ inter se conveniant, & omnem falsitatem à se respuant, &, quod de Deo, de nobis, deque operibus Dei & ipsius tolerantia novimus, examussim cum illo fundamento conspiret & consentiat. Nempe, si Deus velit peccatum condonare (quod testatur ejus longanimitas) quòd eum non deceat nisi justificando ea condonare in Filio: cum qua veritate omnia conjuncta & connexa sunt, quæ ad pietatem & honorem Dei pertinent. Atque hoc est internum &

maximè genuinum veritatis Euangelii firmamentum: quod patet πλείοις. 1 Cor. 2: 6. Rursus convenientia Euaugelii cum Scripturis propheticis est firmamentum fidei aliquanto magis obvium. Id autem duobus modis habetur. 1. initialiter. 2. perfectiùs. Initialiter in iis, qui commoventur mandato Dei de audiendo Propheta verba Dei loquente, ad Christum primùm ut Prophetam, deinde ut Christum recipiendum; vel, qui argumentis aliquibus, quibus Christus cognosci debuit, ad eum recipiendum, propter auctoritatem certam verbi divini, commoventur. Perfectiùs, qui omnia aut pleraque signa & temporis & Christi tum in doctrina, tum in factis, tum in passionibus, tum in gloriis subsequentibus, tum si qua alia sunt, quæ debuerunt antecedere vel comitari vel sequi exhibitionem ejus, in Euangelio & in re gesta recognoscunt. Qui est finis τῆς προφητείας, sive interpretationis & demonstrationis veritatis prophetiarum. Ineſt quoq; in ipsis Christi operibus demonstratio ipsius, ut testis veracis: ut & in judiciis, quibus sunt subjecti hostes ipsius; & efficacia prædicationis in mundo; maximè illa, quam sentiunt credentes. Ita prophetiæ Christi veraces probant, eum prophetam, & proinde Christum esse. De quibus latiùs cum Judæis disputavimus.

Cum Euangelio pietatis doctrina conjuncta.

15. Sed, quia maxima demonstratio *veritatis* est *pietas*: neque alius potest esse scopus Dei gratiam exercentis, quàm ut per bona opera celebretur: & in iis Dei charitas efficax per sanctificationem noscitur, atque in iis justitiæ obsignatio est: oportuit etiam indicari hominibus, quibus operibus Deus delectetur & colatur; & ostendi, quòd studium bonorum operum ex gratia consequatur; quodque ii, qui bonis operibus carent, non habeant spem, & contra, qui illis in fide operam dant, certi esse possint de salute sua. In qua re & Christus &, qui nomine ejus Euangelium prædicarunt, seduli fuerunt; explicantes diligenter veræ resipiscentiæ indolem, & operum bonorum species enucleantes & pulchritudinem illustrantes; eaque ex fide & charitate, ut fontibus, derivantes; consolationem autem iis, qui illis operam dant, certam addicentes, contra osores eorum iræ relinquentes, &, qui non ex fide faciunt, quæ bona sunt, pro hypocritis damnantes. Specimen insigne est Tit. 2: 11. 12. 13. 14. Estque ea doctrina tam suavis, ut nemo, qui in Christum crediderit, non priùs sentiat propemodum se ita esse cupere, quàm doceatur, se talem esse debere. Unde & Johannes 1. cap. 2: 8. dicit, Se hactenus etiam præceptum novum scribere, quòd

quòd id *verum sit in ipsis credentibus*, hoc est, quia idipsum, quod scribi potest de voluntate Dei, fides dictat credentibus etiam sine Scriptura, & *cor* ipsorum *vicem Dei dicit*, *quærite faciem meam.* Psalm. 27. vers. 8. Quippe legem Dei habent scriptam in cordibus. Jer. 31:33. Meritò igitur Christus jugum suum vocat leve, & Johannes præcepta ejus non gravia, Matth. 11:30. 1 Joh. 5:3. quia per amorem Dei, qui est à Dei semine in ipsis, nempe spiritu ipsius, observantur. Ita enim dicit Johannes: *Hæc est dilectio Dei, ut præcepta ipsius observemus. Et præcepta ipsius gravia non sunt. Quia omne, quod ex Deo genitum est, vincit mundum; & hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides vestra.* Præterquam quòd timorem mortis, & terrorem, & accusationem peccati, & molesta opera tollit Euangelium, introducta pro timore Charitate consummatissimâ per lætitiam Spiritûs. De quo postea.

16. Corrumpunt igitur Euangelium; qui id mutant in legem quandam operum; &, ne Christus nihil feciss videatur, dicunt, eum nova & perfectiora præcepta attulisse, cum promissione resurrectionis & vitæ æternæ. De qua re agimus uberiùs in Summa doctrinæ de Fœdere cap. 12. § 358. usque ad § 371. Neque nunc necesse est actum agere. Tantùm observetur, eam doctrinam habere miram compugnantiam. Nam, quum negent Christi satisfactionem & justitiam nobis paratam, tamen coguntur dare, Christum prædicare remissionem peccatorum & potestatem eorum pœnas auferendi. Quòd si enim nulla satisfactio præstita est, neque ea opus fuit, quæ est illa remissio peccati, quàm Christus prædicat credentibus, & quas pœnas per potestatem suam aufert? Deinde, eam contrariam esse aperto verbo Dei. Is enim dicit in Decalogo inesse præcepta, quæ qui facit in eis vivit. Ezech. 20:11. Non igitur per Christum ea demum potuerunt annunciari. Neque verò dantur præcepta alia atque alia, in quibus homo vivat. Sed ea sunt semper eadem. quia in iis consistit rectitudo imaginis Dei. Ea præcepta non sunt variabilia. Ideò Apostolus ea à *placitis* distinguit. Placita enim mutari possunt: & ex illis nulla est justitia. Ea autem, ex quibus est justitia, non possunt mutari; sed sunt revera חקים *definitiones* & δικαιωμοὶ additamentum & detractionem respuentes. Præterea absurdum est, dari justitiam ex imperfecta observatione perfectiorum præceptorum. Nam ea justitia operum, quæ remissione peccatorum indiget, non facit justos; neque adeò est justitia. Certè,

Euangelium non est lex quædam operum.

per fidem nos salvatos esse, clarè docet Euangelium; non ex operibus: ne quis glorietur, nisi in Deo. Et cum ingenio fidei pugnat, accipere præcepta ad justitiam, & non credere, Deum in Christo esse nostram justitiam. Neque per ea præcepta amor Dei efficitur aut extirpatur odium Dei, quo peccator naturaliter laborat. Si enim concupiscit contra legem imperfectiorem, quomodo non concupiscet contra legem perfectiorem, ex qua nunquam poterit esse certus de salute sua? Neque voluntas aliquid externum dicendi aut faciendi aut patiendi ad hoc, ut Deo id imputes, aut in eo glorieris apud Deum, est amor Dei: sed voluntas cordis duplicis. Nam charitas Dei in Deo deliciatur. Qui, si non exhibeatur amabilis peccatori, à peccatore amari non potest. Quare illa doctrina meros hypocritas facit, &, ut possint gloriari in sua justitia, extenuatores legis Dei & palliatores sui peccati. Denique ea toti Euangelio contraria est: quod nobis ostendit Christum causam salutis, & nos, qui credimus, in ipso creatos ad bona opera, ut in iis ambulemus & ad vitam æternam per sanctificationem Spiritus perveniamus. Quam spem habemus ex justitia, quam per fidem consequimur, fundatam in merito & postulatione Christi.

Testes rei nunciandæ.

17. Sed nunc de requisitis ad Euangelium annunciandum videamus. Quandoquidem Christum non oportebat manere in terra, sed in thronum gloriæ assumi, in quo sedens sacerdotio suo fungeretur intercessione; ut ita ipsius assumtio in cœlum esset testimonium, ipsum pro nobis intercedere, & nostræ assumtionis obses; & ipsi regi obedientia fidei præstaretur: idcirco oportuit esse testes dictorum & factorum Christi, ut & passionum ejus & mortis & assumtionis in cœlum; qui ea renunciare possent: eosque indui virtute ex alto & necessariis donis ornari, ut id præconium rectè & constanter peragerent: & eos mitti ad eam annunciationem faciendam: & suæ missionis habere argumenta & indicia magna & evidentia, ut præconium eorum, tanquam divinum, sine dubitatione reciperetur, non tantùm à sapientibus & cognitionem oraculorum Dei habentibus; sed etiam à pueris, quorum cor Deus tangeret ad attendendum eorum sermoni: atque ut nulla daretur ἀποφασις & excusatio non obedientibus: ita tamen, ut in ipsis etiam ea cernerentur, in quibus caro posset scandalisari; sive ut eum thesaurum haberent in testaceis, vilibus & fragilibus, vasis; ut excessiva illa potentia esset ex Deo & non ex ipsis. 2 Cor. 4: 7.

18. Num-

18. Nuncios debuisse mitti, Paulus probat ex Es. 52: 7. *Quàm pulchri & decori sunt pedes euangelisantium pacem.* Quo dicto etiam ostenditur, eos nuncios debuisse esse ad eam annunciationem aptissimos, ut decora esset ipsorum in montibus ambulatio & annunciatio; decora scil. Deo mittenti ipsos & de Filio suo per ipsos præconium facienti. Operæ precium est, quomodo eos describat Scriptura, recognoscere. Deut. 32: 5. *Filii ipsius vitium* & labes *eorum, generationis perversæ & tortuosæ.* Eos assumsit Christus discipulos & testes suos, qui viles erant in populo, ut Galilæos, & probro, ut publicani. Matthæus erat publicanus: qui, omissa consectatione & collectione nummorum, Christum secutus est, compellatus ab ipso. Esaias cap. 53: 3. Christum dicit חֲדַל אִישִׁים / quod significat viris omnibus minorem, vel potiùs *non habentem viros.* Ergo non fuerunt *viri*, qui ipsum comitati sunt. *Pueri* vocantur Es. 8: 18. q.d. nihil habentes, nisi, quòd nati essent ex hominibus. Zach. 12. v. 7. 8. vocat eos, quos primos salvaturus erat Christus, *tentoria Iudæ*, hoc est, non urbanos sed agrestes homines, longè ab urbe Hierosolyma remotos. deinde, qui ipsum secuti sunt, vocat *habitantes Hierosolyma*: non intelligens omnes cives Hierosolymitanos, nedum principes ibi residentes, sed quosdam jus Hierosolyma adeundi habentes. Psalmo 8: 3. *Ex ore infantium & lactentium fundasti robur.* Per prædicationem parvulorum, hoc est, non doctorum & infirmorum, posuisti fundamentum, in quo constituatur Ecclesia à nullo expugnanda, ad laudem tuam. Nam ad laudem Dei pertinet, id facere per infirmos, quod robustum est & validum. Ne viderentur σεσοφισμένους μύθους & venustè fictas fabulas afferre, oportuit nuncios tanti boni esse ἀγραμμάτους, rudes, & nec magni ingenii nec magni animi compertos. *Nuncii mittendi.*

19. Sic igitur elegit Christus ab initio duodecim, qui cum ipso essent: quos & ἀποστόλους *missos* nominavit. quod nomen inter Judæos satis familiare est, שָׁלִיחַ vel שְׁלִיחַ / Vide Matth. 4: 18. 21. 10: 1—5. Marc. 2: 14. 3: 14. Luc. 6: 13. De quibus in universum loquitur Petrus Actor. 10: 41. quòd fuerint divino suffragio lecti testes resurrectionis ipsius, qui ab initio cum ipso ambulaverint, ederint, biberint. confer Actor. 1: 22. *Apostoli.*

20. Quanquam autem plerique, quos Christus elegit testes, fuerint parvuli; nihilominus etiam non penitus nullos adhibuit ex principibus & sapientibus. Nam, omisso, quòd Zacharias & Symeon

meon de ipso prophetarunt, & Johannes Sacerdotis Filius, magni nominis etiam apud Judæos, (ut apparet ex Josepho & Hebræo scriptore de gestis regum domus secundæ) de ipso testatus est: etiam Nicodemus & Josephus Arimatheensis, & quidam alii ex principibus in ipsum crediderunt, & illi duo imprimis testes innocentiæ Christi exstiterunt in morte ipsius.

Proditor. 21. Illud verò memorabile est, quòd inter discipulos unus fuit Proditor. Id secundùm Scripturas factum docet historia Euangelica. Nam & Achitophelis exemplum præcesserat, & David, ubi in persona Christi loquitur, amicum aliquem suum proditionis accusat; & Zach. 11. graphicè venditionem Christi describit. quanquam Christo ipsi attibuit, quòd se pro argento emendum & morti emancipandum exhibuerit & tradiderit. Præterea in Juda exemplum est ejus, de quo loquitur Psalm. 109: 8. *Sint dies illius pauci, curationem ejus accipiat alius.*

22. Atque illum quidem Christus appellavit Ἀπώλολον, & de eo prædixit, quòd se proditurus esset: dixitque *filium perditionis*: ei autem opposuit sibi datos è mundo; qui scil. ipsum agnoscerent & in ipsum crederent. Joh. 17: 6. 12.

Prædicatio Apostolorum ante Christi mortem. 23. His autem dedit Christus negocium, ut prædicarent resipiscentiam, & appropinquationem regni cœlorum, hoc est, quòd tempus severitatis & jugi & servitutis & administrationis dictorum deorum jam mox esset finiendum, & tempus appelleret, in quo Deus solus esset futurus rex in populo suo. Matth. 10: 7. Cum quo mandato etiam alios septuaginta misit. Luc. 10: 9. Ne scil. ullus nescius esset, exspectationem Israëlis esse præ foribus, & jam Christum, cui regnum datum erat, inter eos versari, eumque mox principatum capessiturum: ut, quæ audiebant & videbant, considerarent & cum prophetiis conferrent, & credentes in Christum participes regni Dei herent.

Dispersi in passione Christi. 24. Illi in morte Christi dispersi sunt. Unus etiam ipsum perculso animo abnegavit. Ita prophetia impleta est. De quo c. 60. § 17. Poterat quidem Deus illos continere in unum. Sed sapientiæ fuit, permittere ipsos sibi & pavoris sui consilio; non ut desinerent Christum diligere, & in ipsum credere; sed, ut apertum esset, quod ab ipsis deinde prædicatum fuit, quum recollecti essent, non fuisse ab ipsis confictum, sed Christum ipsum eos recollegisse. ut & supra cap. 62. § 20. notavimus.

25. Eos

25. Eos oportuit mitti non tantùm ad populi Israëlitici tribus, sed etiam ad gentes. Gentes enim per fidem salvæ futuræ erant. Credere autem non poterant, nisi audirent. Non autem erant audituræ, nisi, qui prædicarent, mitterentur. Atque id eò magis necessarium erat; quia Israël, dum gentes compellarentur, futurus erat rebellis. Es. 65: 1. 2. Quomodo Apostolus Paulus defendit legationem suam ad gentes Rom. 10:14. 15. 16. 19. 20. 21. Cui concinit, quòd apud Esaiam queritur Deus de cæcitate servi sui, quem missurus fuisset, Es. 42: 18. ubi inclamat gentes, *Cæci, videte; surdi, audite:* & hanc suam cæcorum & surdorum compellationem ac sanationem defendit cæcitate & surditate populi sui. Hoseas etiam profectionem Apostolorum ad gentes adumbrat per missionem turmæ in terram aliam ad eam occupandam. Hos. 2: 2. vel 1: 11. *Et congregabuntur filii Israël & filii Iudæ unâ, & ponent sibi caput unum, & ascendent ex terra. Nam magnus est dies Iizreel.* Psalmo 121: 1. introducitur Ecclesia liberata tanquam in profundo stans & montibus circumvallata arduis, ad quorum fastigia ascendere necesse habeat; ita ut cogatur dicere: *Vnde veniet auxilium meum?* Quæ tamen se consolatur & erigit pollicitatione auxilii divini. Cui promittitur, Deum non permissurum, ut ipsius *pes vacillet.* Quò referenda est promissio Deut. 33: 29. *Beatus tu, Israël! Quis ut tu? populus, qui salvatus est in Iehovah, clypeo auxiliari tuo, quique est gladius celsitudinis tuæ: & mentiuntur inimici tui tibi, & tu arces eorum calcas.* Eam repetit Esaias cap. 58: 14. *Tunc facerem te equitare* vel *sedere in arcibus terræ.* Quinetiam Es. 52: 11. jubentur pii, ferentes arma vel vasa Domini, ex Hierosolyma excedere. quibus promittitur, Reges aliquando Christum adoraturos, & eum populos aspersurum. Quid multa? Es. 2: 2. 3. prophetia dicit, Legem Domini & verbum ejus profecturum ex Hierosolyma ad gentes, & sic gentes ad Deum accessuras, & quæsituras unionem cum Sione, hoc est, Christo in Sione revelato & membris ejus veris Sionis civibus. Neque necesse est plura testimonia, quibus vocatio gentium probetur, colligere: quæ innumera sunt.

Apostolos oportuit mitti ad Iudæos & gentes.

26. Ordo tamen missionis est, ut primò ad Judæos prædicaretur Euangelium: deinde gentibus. De quo infra suo loco agendum.

Ordo missionis.

27. Sed, antequam mitti possent Apostoli, debuerunt indui virtute ex alto. Luc. 24: 49. Actor. 1: 4. 5. 8. Nam & Christum oportebat publicè inungi, & Christum ac dominum coram omnibus fieri,

Apostolorum exaptatio ad missionem.

ri, Actor. 2: 36. & compellari, hoc est, rebus ipsis ostendi sacerdos in perpetuum secundùm ordinem Melchisedec. Hebr. 5: 10.

28. Ea igitur inunctio in Apostolis facta est in die Pentecostes: ut, quemadmodum in Paschate & dominica Paschatis festum secutâ typus præcedens verificatus erat, etiam in harum primitiarum Ecclesiæ Christianæ (quos duces eorum, in quibus est voluptas Dei, vocat Psalmus 16: 3.) in Pentecoste fieret consecratio, & per ignem cœlestem inflammatio: ne qua in parte typus veritate sua destitueretur. Neque enim putandum est, sine ratione factum esse, ut tam diligenter septimanas & dies computare juberentur ad oblationem primitiarum.

In quos initio effusus Spiritus sanctus. Act. 2.

29. Solet dubitari, in quos primitùs effusus sit Spiritus sanctus: solosne Apostolos, an cæteros quoque discipulos, qui cum ipsis colligebantur? Ut hîc sine præjudicio meam mentem aperiam, causam non video, quare hoc dicatur in solis Apostolis factum. Lucas narrat, cap. 1: 15. unâ fuisse quasi centum & viginti homines: inter quos Matthias lectus est Apostolus. Deinde cap. 2: 1. dicit, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν πεντηκοστῆς, hoc est, quum venisset dies quinquagesimus, & sic compleretur numerus dierum à lege designatorum (quemadmodum rectè Camerarius explicat) *omnes fuisse unanimiter in eodem loco.* Quod meliùs de tota turba, quàm de solis Apostolis intelligitur. Ajunt, codices quosdam habere ἅπαντες Ἀπόστολοι. Sed, ni fallor, si id genuinum esset, legeretur ἅπαντες οἱ Ἀπόστολοι; imò potiùs οἱ Ἀπόστολοι sine ἅπαντες. Sed videndum est, quæ lectio sit verisimilior. Putamusne illam inaugurationem, sive, ut rectiùs dicam, unctionem Christi factam esse non coram omnibus, qui ipsius nomen ferebant? Qui exspectabant eam unctionem? Atqui v. 14. Petrus & undecim dicuntur constitisse. Nisi v. 1. plures deberent intelligi, non commodè hîc demum Petri & undecim fieret diserta mentio, quum antea generali nomine *omnes* fuisset usus. Quid? An nemo accepit hoc donum, nisi Apostoli? Atqui Cornelius accepit. Actor. 10. ubi Petrus dicit ad eos, qui cum ipso erant (Nullus autem Apostolus cum ipso erat, sed *sex fratres* Actor. 11: 12.) quòd Cornelius similiter accepisset Spiritum, atque ipsi. & cap. 11: 15. dicit ad Apostolos & fratres (vers. 1.) *Spiritus sanctus illapsus est in eos, ut & in nos in initio.* Quare mihi nulla esse justa causa videtur recedendi ab interpretatione Joach. Camerarii. *Tunc erant congregati consentientibus animis, ii scilicet, quorum*

suprà

suprà facta est mentio & numerus indicatus circiter centum & viginti.

30. Est autem hæc Spiritus sancti effusio tam evidentibus signis & effectibus illustris initiatio quædam effusionis Spiritus sancti in Ecclesiam Novi Testamenti. quæ promissa est Joëlis cap. 3. v. 1. vel 2: 28. Quanquam enim S. Petrus Actor. 2: 17. testimonium Joëlis alleget, ut probet, non debere spectatoribus mirum videri, quòd ista in ipsis agerentur, quum promissum esset, Spiritum Dei effusum iri in omnem carnem: tamen id, quod propheta promittit, non totum est impletum & consummatum in eo, quod actum est in Apostolis, aut, si qui alii cum ipsis fuerunt die Pentecostes. Nam in Novo Testamento omni tempore & omnibus credentibus promissio Spiritûs datur. Gal. 3: 14. per quem prophetant, hoc est, ipso Spiritu sancto doctore & per ipsius verba cognoscunt voluntatem Dei & mysteria ipsius, & promunt Vetera ac Nova. Sed, ut hoc bonum perveniret ad Ecclesiam, oportuit initio in Apostolis & Euangelistis manifestari Spiritum sanctum copiosissimè, ut per eos verbum Dei in mundo extaret uberrimo modo, ut aliquando posset terra cognitione Dei sic impleri, quemadmodum mare aquis plenum est. Es. 11: 9.

31. Quanquam mirabile fuit, quòd igneæ linguæ, hoc est, flammæ & q. faces in ipsis visæ sunt: tamen majus fuit, quod Spiritus sanctus in illis operatus est. nempe quòd rectè potuerunt de mysterio Dei loqui, quodque ipsis animus non defuit ad loquendum, & quòd, quæ prudenter cogitarant, potuerunt eloqui tot linguis: docente illos spiritu, non tantùm quid loqui deberent, sed etiam signa per internum magisterium suppeditante, quibus apud diversarum terrarum incolas diversis, juxta cujusque captum, uterentur. Lucas in Actis plurimarum gentium vocabula annumerat, quarum homines tum fuerint Hierosolymis & audiverint Apostolos loquentes linguis suis. Ab Oriente incipit. Ibi Parthi, Medi, Elamitæ, hoc est, Persæ; ab his ad propiora transit; nempe Mesopotamiam. Tum deinde Judæam designat: & ab ea in Septentrionem abit. ubi Cappadocia, Pontus, Asia, Phrygia, Pamphylia. Tum ad Meridiem convertitur: ubi est Ægyptus & Cyrene. Mox Romanos ab Occidente adducit, & ex Mari Cretas: quibus in continente inter Orientem & meridiem litos Arabes opponit. Etiam in genera eos distribuit. Fuisse Judæos & Proselytos. Ita ut, quod tum gestum est, famâ celebrari & in multorum notitiam venire

Evidens miraculum in effusione Spiritus sancti.

potuerit. Et, quanquam publico rumore res nobis testatissima sit; tamen multò magis ex ipsis Scriptis Apostolorum & Euangelistarum cognoscimus, eos revera Spiritu Dei imbutos fuisse, &, quòd per præconium ipsorum factum est, ut mundus nomen Christi susciperet, ex eo efficacitatem Spiritus, qui fuit in ipsis, animadvertimus. In apparatu autem illorum non defuerunt alia charismata; quæ ipsos & ornarent in seipsis, & apud omnes facerent admirabile ipsorum ministerium.

Miracula consequentia.

32. Fuerunt tum quoque per manum ipsorum facta multiplicia signa & miracula; maximè quidem ad sanationem, quædam etiam ad punitionem mentientium Spiritui sancto & veritati obnitentium. Horum miraculorum testes locupletes sunt libri, in quibus ea perscripta sunt, iique non ab una manu. Qui libri apud nos fidem merentur hac in parte, quia & in doctrina pietatis non mentiuntur, & eos accepimus ab Ecclesiis, ad quas scripti sunt, quibusque traditi sunt, ut testibus eorum dictorum & gestorum, quæ in iis narrantur. Nunquam enim non fuerunt in manibus omnium & coram omnibus lecti hi libri, qui illa gesta commemorant.

Miraculis deinceps non est opus.

33. Post illa tempora non fuit Ecclesiæ opus eis miraculis: neque promissio, quæ est Marc. 16: 17. extendenda est, ut ad omnes credentes, ita ad omnium temporum credentes. Christus enim non dicit, *Omnes credentes*, vel, *semper*. Quod autem Christus non dicit, hoc de nostro addere non possumus. Verificata est promissio, quàm diu Ecclesia σημείοις opus habuit, non propter se, sed propter infideles, ut ii ad προσοχὴν excitarentur. 1 Cor. 14: 22. Quod innuit & Marcus, quando dicit v. 20. *Illi autem exiverunt & prædicarunt ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante per comitantia signa.* Vitiosum genus interpretandi est, ultra scopum loquentis, & in quantum de eo constare potest, verba extendere & dilatare.

Missio Pauli.

34. Singulare instar missionis ad prædicandum Euangelium est in Paulo. qui vir non ἀγεώμμαλος, sed eruditus & prudens, & zelotes pro lege eximius, & potestate armatus à Synedrio ad persequendum Christianos, & hoc agens, & in ea re se signiferum aut ducem præstans, à Christo captivus factus est, & statim, sine ulla communicatione cum hominibus, strenuus præ cæteris præco Euangelii & eminentissimus mysterii divini interpres & felicissimus veritatis defensor evasit. in quo nullum signum veri Apostoli desiderari potuit. De quo videmur bono jure posse dicere alteram

partem

partem ejus, quod de Benjamine dictum est à Jacobo Gen. 49: 27. *Benjamin lupus lanians* vel *prædans: manè comedet prædam, & vesperi distribuet spolia.* Saulus primus in exortu reipublicæ Israëliticæ comedit prædas: Saulus alter hic, Apostolus, in ultimo tempore *distribuit spolia.* Qua phrasi promittitur Christo amplificatio regni. Es. 53: 12. *Cum robustis* vel *innumerosis dividet spolia.*

35. Inter Apostolos *primus* dicitur Simon. quem Christus appellavit *Petrum.* quod Hebraicè, sive potiùs Chaldaicè, sonat Κηφᾶς. Id vocabulum, quum appellativum est, fœmininum est, & notat πέτραν *rupem* aut *lapidem.* Fit autem denominativum, quum homo certus eo nomine appellatur. non ut necessariò significet eum, qui est *petra* vel *lapis*, sed ut possit etiam significare habitudinem ad petram vel lapidem. Videtur S. Petrus ipse explicare sensum hujus vocabuli 1 Petr. 2: 4. 5. quum & Christum nominat *lapidem vivum*, & nos dicit ad eum accedentes, ut *lapides vivos*, coædificari in templum sanctum. Si igitur rem probè consideremus, Simon hoc nomen consequutus est, ut repræsentans fideles, ut ὑπόδειγμα. Nam pro captu subjecti significat nomen *Petrus*, Simonem esse lapidem vivum in lapide vivo ædificatum. Quod autem statim additur Matth. 16: 18. *& in hac petra ædificabo Ecclesiam meam*: id aliud est, atque si dixisset, *in te Petro.* Quanquam illum sensum non omnino rejicimus. Credimus enim, verum esse, quod de Abrahamo dicitur Gen. 12: 3. *Benedicam benedicentibus tibi & maledicentes tibi execrabor.* Item, quod de omnibus justis dicitur Psalm. 37: 22. *Nam benedicti ejus hæreditabunt terram, & maledicti ejus exscindentur.* Quæ quum vera sint, necesse est, neque Petro posse quem maledicere, nisi etiam Christo maledicat, & sic à Christo maledicatur: neque in Christo quemquam posse sibi benedicere, quin benedicat Petro: siquidem verbum Christi non potuit à nobis cognosci, nisi per Apostolos. Sed, ut dixi, id Christus non dicit. verùm, *In hac petra ædificabo Ecclesiam meam.* Quæ verba notant, unam rupem esse, à qua Petrum denominaverat, tanquam in ea ædificatum; & in qua Ecclesiam suam sit ædificaturus, ita ut eadem rupes & Petrum & Ecclesiam sustineat: ita ut nec Petrus sine Ecclesia, nec Ecclesia sine Petro in hac rupe sit. Neque igitur Petrus est *rupes*, in qua Ecclesia ædificata est, sed est lapis vivus, cui Ecclesia in rupe coædificatur. quod satis magnum est, & Petro sufficit: ut, velut Abraham pater & exemplar credentium fuit in priscis temporibus, ita Petrus

Petri primatus.

Locus Matth. 16. vers. 18.

trus habeatur ἡγούμενος & primus *dux illorum, in quibus est voluptas Dei.* Psalm. 16: 3.

Apostoli prædicarunt & loquendo & scribendo.

36. Apostoli peregerunt officium suum tum loquendo, tum scribendo: ut, qui Apostolos ipsos videre aut audire non possent, certam tamen haberent regulam & modum loquendi ac docendi, à quo non recederent, & pro quo dimicarent. 2 Petr. 1: 15. 1 Tim. 6: 3. 2 Thess. 2: 15. Judæ v. 3.

Canon missionis.

37. Apostolis suus canon & q. linea prædicationis à Deo assignata est. 2 Cor. 10: 13. 14. 15. 16.

38. Et, quemadmodum testificatio habet sua tempora, ita etiam suis locis est attributa. Habetque omnino Christus cum regno suo & præconio ejus instar Kedarenorum in deserto cum tentoriis suis vagantium. Cantic. 1: 5. *Vt tabernacula Kedar, ita cortinæ Solomonis.* Inde dicitur *equitans in deserto.* Psalm. 68: 5.

39. Priùs tamen Judæis mittendum fuit Euangelium, deinde gentibus. Nam ita habet promissio: *In semine tuo benedicentur gentes.* In quo dicto & hæc significatio inest: Gentes benedicentur exemplo seminis tui. Actor. 3: 25. 26.

40. Eum ordinem etiam Apostolus Paulus observavit in omnibus locis, ut priùs alloqueretur Judæos, ad gentes verò deinde verba faceret, & plerumque, quum à Judæis esset repulsus.

41. Sed de curriculo Euangelii longus sermo instituendus foret, si singula vellemus consectari. Utilissimum autem est primordia prædicationis in Actis Apostolicis rimari. Nobis, quod necessarium erit, in aliis locis opportunè dicetur.

Cap. LXIV.

De Sacramentis Euangelio additis: in specie de Baptismo.

Qua hactenus de Sacramentis tractata?

De Sacramentis jam aliquoties egimus. Videlicet cap. 23. de sacramento vitæ, quod fuit ante lapsum. cap. 52. de sacramentis fœderis gratiæ. cap. 53. de sacramentis, quæ fuerunt ante legem. cap. 55. de sacramentis Veteris Testamenti, quæ addita sunt Circumcisioni. Requirit hic locus, ut de sacramentis Euangelio additis loquamur.

Sacramenta Euangelii.

2. Quemadmodum igitur Deus antiquis temporibus non solo verbo, sed & symbolis docuit, & sigillis credentes certiores fecit;

ita

ita etiam in plenitudine temporis fecit. Et, ut ſtatus Eccleſiæ in hoc tempore eſt longè melior & conſummatior, oportuit etiam ſignis aliis illamque ipſam πλείωσιν *conſummationem* ſignificantibus Eccleſiam, non καταδουλῶσθαι *in ſervitutem redigi*, ſed de communione cum Chriſto & morte ejus, inque eo adoptione & juſtitia ad ſpem vitæ, certiorari. Quæ ſunt (ut dicit Auguſtinus, 3. de doctrin. Chriſt. 9.) *pauca pro multis, factu facillima, intellectu auguſtiſſima*, (alibi, *ſignificatione præſtantiſſima*) *obſervatione caſtiſſima, ſicuti eſt Baptiſmi ſacramentum & celebratio corporis & ſanguinis Domini.* In quibus non eſt detectio & commemoratio reatûs, ſed conſolatio; gentium non diſgregatio, ſed coagulatio; non futuri obſcurior præmonſtratio, ſed facti commemoratio: ideoque lux, veritas, res, charitas, fiducia, libertas, gaudium, ſatietas. Igitur, ut vetera fuerunt *ſigna nuda*, quia erant σκιαὶ *umbræ*, non autem εἰκὼν τῶν πραγμάτων αὐτῶν *imago rerum ipſarum*: ita nova non ſunt ſigna *nuda*, hoc eſt, corpore & re, quam commemorant, deſtituta, ut ſacramenta Veteris Teſtamenti. Quamquam rem nec efficiant, nec intra ſe contineant, ut opinantur Pontificii, à vero fine & uſu ſacramentorum, & ſic à vero Teſtamento Dei ad aliud Teſtamentum, recedentes. Nam, ſi Novum Teſtamentum per Euangelium declaratum eſt, Sacramenta, quæ relationem ad Euangelium habent, non poſſunt rem continere aut conferre. Si ergo creduntur eam continere aut conferre, neceſſariò pro Teſtamento Teſtamentum ſubjicitur, &, relicto eo, quod in Euangelio declaratum eſt, aliud ſuſcipitur. Aut certè probandum eſt, totum Euangelium id agere, ut credamus, in ſymbolis contineri rem, aut per ſymbola juſtitiam & Spiritum ſanctum conferri. Quod fieri non poteſt. Nam Euangelium docet, in Chriſto quidem eſſe juſtitiam & cauſam vitæ æternæ: eam autem haberi per fidem, ſive per Spiritum ſanctum, qui eſt ſpiritus fidei. Dantur autem ſymbola hæc credentibus & proinde Chriſtum habentibus. Quare fieri non poteſt, ut in Symbolis vel Chriſtus ad accipiendam unitatem cum ipſo, vel juſtificatio contineatur. Nam, ſi demum per illa ſymbola Chriſtum aut juſtificationem accipimus, ergo per Spiritum fidei ante uſum ſacramenti Chriſtum & juſtitiam in ipſo non accepimus.

3. Chriſtus & hiſce ſignis debuit participare, ut non reus, ſed ut Caput & princeps ſalutis reis datus. Qui niſi peccata noſtra ſuſcepiſſet, etiam ea ſymbola, quibus expiatio peccatorum ſignifica- *Chriſtus quare ſacramenta ſuſceperit?*

batur, ſuſcipere non potuiſſet: quippe juſtus. Ita nec in ligno ſuſpendi potuiſſet. Nam execratio Dei ſuſpenſus. In Chriſto, ut capite, nobis obſignatum eſt, per ſacramenta Veteris Teſtamenti, quicquid illa ſpirituale ſignificabant. Col. 2: 11. De quo egimus cap. 59. §. 8. Dum igitur ſacramentis Novi Teſtamenti ipſe quoque participavit, ipſi quidem, ut Sponſori, obſignatum eſt, Promiſſionem illi ratam fore; nobis autem in ipſo, nos in ipſo per fidem eſſe, & omnium bonorum ejus nos fore participes; quin imò nos ita ab ipſo ea accepturos, ut ipſe, quæ meritus eſt, accipiat nobis.

Quot ſacramenta Novi Teſtamenti?

4. Sacramenta Euangelio adjuncta duo ſunt: Baptiſmus & S. Cœna. Neque enim alia Eccleſiæ à Chriſto data ſunt. Et hæc quidem omnes Chriſtiani ſuſcipiunt. Veteribus etiam ea certa ſunt. Qui vix tria agnoverunt. Auguſtinus gemina Eccleſiæ Sacramenta dicit. 2. de Symb. ad Catechumenos cap. 6. Sed de ſacramentis falſò dictis poſtea agemus, quum de veris egerimus.

Baptiſmus varius.

5. Primum Novi Teſtamenti Sacramentum eſt Baptiſmus. *Sacramentum* dico, hoc eſt, ſacrum ſignum myſterii & fœderis: ne confundamus metaphoricè dictum *Baptiſmum*, nimirum effuſionem ſpiritus, Actor. 1: 5. Zach. 12: 10. Joël 3: 1. aut eum, qui eſt in tinctione ſanguinis, Marc. 10: 38. (conſer Eſ. 63: 1. Cant. 5: 2. Pſ. 69: 2. 3. 110: 7.) neu *Baptiſmum* audientes intelligamus doctrinam, ut quidam putant Actor. 18: 25. notare. in illis verbis: *Sciens tantùm baptiſma Iohannis*. Quo neque prædicatio Johannis ſine ipſius baptiſmate metaphoricè ſignificatur, neque baptiſma ſine doctrina, ſed & baptiſma & prædicatio, & teſtimonium, quod Deus Chriſto dedit ex cœlo, quum à Johanne baptizaretur; neque tamen Apollos cenſendus eſt ignoraſſe Chriſti mortem & crucifixionem. Sine dubio autem, quum doceret fidem in Chriſtum, credidit ipſius reſurrectionem. *Novi* verò *Teſtamenti* ſacramentum dicentes diſtinguimus à lotionibus Judaicis tum lege tum ſeniorum præcepto inſtitutis, Hebr. 9: 10. Matth. 15: 2. Marc. 7: 3. 4.

Materia Baptiſmi.

6. Materia hujus ſacramenti eſt Aqua. Matth. 3: 6. 16. Joh. 3: 23. Actor. 8: 28. 10: 47. Epheſ. 5: 26. Aquæ ſymbolum adhibetur, tum, quatenus habet vim ſuffocandi merſos & mortificandi, tum, quatenus habet vim ſordes corporis auferendi. Ita ſignificat tum mortem, tum ſanctificationem & juſtificationem. Nam id, quod metaphoram præbet in ſermone ad ſignificandum rem ſpiritualem,

id

id commodè usurpatur velut signum commemorans & sigillum certitudinem communionis ejus faciens. Atqui, ut jam diximus, passiones, afflictionesque & mors ipsa figuratè dicitur βαπτισμὸς, hoc est, mersatio; item purificatio cordis & conscientiæ *lotio* (quam etiam notat βαπτισμὸς) Hebr. 10: 22. 23. Id verò, quod in se sanctum etiam vim purificandi & sanctificandi habet, *aqua* spiritualiter appellatur. Ezech. 36: 25. *Spargam super vos aquam puram, & purificabimini ab omnibus pollutionibus vestris.* Ubi à Spiritu sancto id distingui rectè potest, de quo v. 27. *& spiritum meum dabo in medio vestri.* ut in vers. 25. intelligamus id, quo justificamur. Sic Joh. 3: 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.* Gemina regenerationis causa, meritum Christi salvans (de quo v. 14. 15. 16. 17.) & Spiritûs sanctificatio; de qua v. 8. Ita Hebr. 10: 23. *aqua pura* est Christi oblatio, v. 14. Sed & 1 Joh. 5: 6. etiam *aqua* à *sanguine* distinguitur ad significandam Christi ὁσιότητα *pietatem* & sanctam studiositatem.

7. Actio circa symbolum est vel mersio (quam Johannes Baptista & plerumque Apostoli usurparunt, more Judæorum, qui sese purificabant à cerimoniali inquinatione. vide Matth. 3: 6. 16. Joh. 3: 23. Actor. 8: 38. & prisca Ecclesia) vel affusio & aspersio. de qua aliquando, an satis rectè fieret, dubitatum est. Sed & in lege usurpata est aspersio idem mysterium significans, & ipsum mysterium voce ῥαντισμὸς *aspersionis* insinuatur 1 Petr. 1: 2. æquè atque λουτρὸν *lavacri*, 1 Cor. 6: 11. Apoc. 7: 14. Confer Psalm. 51: 9. *Expiabis me hyssopo*, hoc est, ῥαντισμῷ ὑσσώπου *aspergine hyssopi.* ubi res per vocabulum elementi & ritûs externi denotatur. Quam rem Apostolus cum præcedente figura sic comparat Hebr. 9: 13. 14. *Si enim sanguis taurorum & hircorum & cinis vaccæ aspergens pollutos sanctificat ad carnis puritatem: quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit vitio carentem Deo, purificabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad serviendum Deo vivo?* Ut mersio non cessat esse signum mortificationis, etiamsi mersionem non sequatur suffocatio; neque purificationis, etiamsi eam non sequeretur σαρκὸς ἀποθέσις ῥύπου *carnis depositio sordium* (tantùm enim descendebant in aquam & ascendebant) ita aqua aspersa & affusa omnia illa, quæ significat baptismus, significat. Neque interest, quoties aqua aspergatur in uno baptismo, dummodò non cerimonias novas & necessariò quidem observandas introducamus. Quidam malè singulari mersione usi sunt,

Mersio vel aspersio.

sunt, abnegantes Trinitatem: quidam malè trinâ, ubi singularis alioqui in usu erat, divinitatem dividentes Ariani. Mos congruus mysterio malè & seditiosè mutatur.

De formula verborum.

8. Formulam verborum, quibus baptizandi fides excitanda, quæve sacræ actioni interponenda sint, Christus non tradidit. Rectè tamen & convenienter διδαχῇ τῶν Ecclesiæ adhibentur ea, quæ significant, hoc fieri, quod Christus fieri jussit, nempe, Baptismum dari in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti.

Significatio Baptismi.

9. Significatio hujus Sacramenti multiplex est. Nam significat 1. mortem ac sepulturam, primò Christi, deinde nostram; eamque in abolitione veteris hominis tum initiali in hac vita, tum perficienda in depositione corporis peccatorum carnis. Rom. 6:6. Col. 2:11. tum etiam resurrectionem similiter primò Christi, deinde nostram, in vivificatione novi hominis, item initiali & perficienda, quum spiritus erit vita propter justitiam. Rom. 8:10. 2. Obedientiam Christi usque ad mortem, ceu purissimam, & vim justificandi & liberandi à morte habentem. 3. Spiritum purificantem corda. 4. Spiritum concorporantem & omnes fideles in unum corpus baptisantem. 1 Cor. 12:13.

Baptismus docet & operatur fidem.

10. Quatenus igitur Baptismus est τύπος sive signum commonefaciens & mysterium, quod in Verbo proponitur, visibili specie prædicans, docet 1. omnis hominis, ut magni & parvi, tum pravitatem; quæ vetus homo & caro in Scripturis nominari solet; tum reatum mortis. Nisi enim aliquid in nobis esset abolendum, extinguendum, sepeliendum; utique typo mortis & sepulturæ non imbueremur. Quod autem abolendum est, necesse est, ut & malos nos faciat & miseros. Quare & Pelagiani & Sociniani, & si alii sunt, qui homini ex muliere nato attribuunt *impeccantiam*, ut sic loquar, & innocentiam, eo ipso efficaciter revincuntur, quòd omnes sine discrimine negantur, nisi regenerati, in regnum Dei intrare posse; & ad baptismum suscipiendum invitati sunt ab Apostolis, eique correspondens Circumcisio in infantibus administrata est. Ita & in reliquis capitibus religionis Christianæ iidem & alii item errantes per Baptismum revincuntur. Nempe 2. Quòd ad abolitionem peccati & reatûs requiratur justitia immaculata, quæ revera *aqua munda* dici possit: & mors justi servi Dei. Nam, quicumque in Christum baptizantur, in mortem ejus baptizantur. Rom. c. 6: 3. 3. Quòd is tantus sit, ut ei donari in populum peculiarem possimus,

mus, ut dignus sit, qui, tanquam caput, redimendos sibi vindicet, membra, & ita in ipso & peccatum judicatum & justitia donata esse ipsius legis sententia censeri possit. 4. Quòd ab illo proficiscatur non tantùm non imputatio peccatorum, sed & sanctificatio & justificatio & glorificatio. Ita ut, qui in ipso mortuus est, cum ipso etiam certò reviviscat: & liberetur tum à lucta peccati in morte, tum à morte, ultimo hoste, in resurrectione. 5. Quòd is sit D. Jesus, factus nobis à Deo sapientia & justitia & sanctificatio & redemtio. 6. Quòd per eum igitur liberemur, pro conditione temporis, etiam ab accusatione legis & servitute: cui Circumcisio innodabat. 7. Quòd communio ejus necessaria sit ad fructum bonorum per ipsum impetratorum. 8. Quòd communionem illam consequamur per spiritum ejus. 9. Quòd omnes fideles & baptizati in unum corpus sint baptizati uno spiritu. 10. Quòd is spiritus purificet corda, & spiritum ac corpus sanctificet, & in novitate faciat quotidie crescere eos, quibus datus est. Iccircò & *doctrina baptismatum* significat eam doctrinam, quæ cum baptismo & per baptismum tum Johannis tum Christi prædicata & tradita est. Hebr. 6: 2.

11. Hæc docendo & de his commonefaciendo, Baptismus, una cum Verbo, sit medium & semen Regenerationis ad Resipiscentiam. Rom. 1: 16. 1 Petr. 1: 3. 23. 1 Cor. 1: 21. Jacob. 1: 18. Fidem enim, qua purificantur corda, quaque implantamur Christo, per Spiritum sanctum in nobis gignit, ut manifestatio Testamenti, ut διακονία *ministerium* spiritus sancti. 2 Cor. 3: 8.

12. Cæterum ita prædicatur Baptismus, ut Fides Euangelii & resipiscentia mandetur omnibus sine discrimine, & omnes ac singuli credentes jubeantur Baptismum accipere, cum promissione justitiæ & vitæ æternæ. Matth. 3: 2. 6. 7. 8. Marc. 1: 4. 5. Actor. 2: 38. Marc. 16: 16. Actor. 22: 16. Quæ jussio est instrumentum divinæ tractionis ad Christum, & incentivum libertatis, post explorationem fidei suæ, per eam ipsam fidem, tanquam arrhabonem, recognoscendi spiritum regenerationis sibi datum, & credendi suam communionem cum Christi morte & vita, & sic in bona & purificata conscientia accedendi ad Deum & petendi ea, quæ parata sunt Christo, ut ea accipiat in membris suis, vi resurrectionis ejus ex mortuis. Et hoc est, quod dicit S. Petrus 1 ep. 3: 21. βάπτισμα σωζει ὑμᾶς ἀναθήκης ἐπερώτημα εἰς θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Is enim significat, baptismum esse firmamentum bonæ conscientiæ

ad libertatem petendi à Deo ea, ad quæ acciɔienda & donanda Christus resurrexit à mortuis.

13. Ita, dum divino jussu baptisamur ab homine, νῦν & peragitur ejus, quod Deus facit: ut est in Ps. 51. *Expiabis me hyssopo & purificabor.*

Baptismus sigillum.

14. Hoc modo, quippe substituto elemento terrestri & actionibus humanis in locum rerum cœlestium & actionum divinarum, est Baptismus *sigillum justitiæ fidei*, quemadmodum & Circumcisio. Rom. 4: 11. nisi quòd Circumcisio benedictionem in semine venturo obsignabat, atque locum faciebat & aditum relinquebat legi iram operanti cum repræsentatione hæreditatis terræ Canaan, & servituti, postquam lex lata esset, Israëlitas illigabat.

Differt à Circumcisione.

15. Itaque, tametsi idem significabat Circumcisio, quod Baptismus, tamen non præbebat libertatem petendæ exhibitionis bonorum omnium: & innodabat jugo; cujus olim futuram ablationem promittebat. Id ostendit promissio Circumcisioni annexa, quòd priùs quidem Deus esset daturus semini Abrahami terram peregrinationis ipsius (cujus possessionem comitatur servitus & paries intergerinus secludens gentes, & sic hæreditatem mundi Abrahamo promissam differens) & deinde, nempe quum jam semen Abrahami terram Canaan impleret, futurus esset ipsis in Deum. Gen. 17: 8. quod Jeremias cap. 30: 21. 22. & 31: 1. 34. in futurum ostendit implendum in Christi datione & ejus sacerdotii peractione. Revera tunc factus est Israëli in Deum, quando illum redemit, eique causa salutis factus est, & eum justificavit atque à jugo liberavit: magis certè, quam quum terrenam hæreditatem & civitatem illis dedit, eosque ad visionem Angeli Testamenti expectandam omnibus signis excitavit, & interim suum reatum confiteri jussit. Quò pertinet promissio Deut. 30: 5. 6. *Et introducet te Iehovah Deus tuus in terram, quam possederant patres tui, & hæreditabis eam, & benefaciet tibi, & amplificabit te præ patribus tuis; & circumcidet Iehovah Deus tuus cor tuum &c.* Clarè docet, Aliquam circumcisionem cordis usque ad illud tempus datum non iri; & quidem illam, quæ veri & sui nominis *Circumcisio cordis* sit. Eam autem per verbum fidei in Christum de cœlo datum & ex mortuis resuscitatum faciendam docet v. 11. 12. 13. Rom. 10: 5. 6. 7. 8. 9. Ea propter Apostolus Philip. 3: 3. docet Fideles Novi Testamenti privo jure gloriari, quòd ipsi sint ἡ περιτομή, *Circumcisio, qui spiritu Deo serviunt*, non in litera, *gloriantes in Christo Iesu & non in carne confidentes.*

16. Apo-

16. Apostolus Col. 2: 12. docet, nos *Christo esse consepultos baptismate*, hoc est, baptisma accepisse sigillum & pignus communionis sepulturæ Christi; ut, quemadmodum Christus sepultus est, postquam peccata nostra sustulisset in crucem; ita & nos credamus sepultum iri, ut requiescamus ab omnibus laboribus nostris, & à luctu, quam habemus cum corpore peccatorum & mortis, & spiritus noster sit vita. Cum eo autem bono connectit reliqua, quæ per Circumcisionem & ablationem particulæ carnis (ut c. 53. § 7. explicatum) significantur: videlicet depositionem mortis ac mortalitatis in receptione corporis spiritualis; depositionem præputii carnis sive regni peccati in regeneratione; depositionem legis mortis in justificatione; liberationem à lege carnali & servitute carnali elementorum mundi. Hæc non tantùm clariùs significantur in Baptismo (in quo est ὁμοίωμα mortificationis & sepulturæ; indutûs, resurrectionis, ablutionis, exutûs) sed etiam nobis data & propria affirmantur & addicuntur; quia baptizamur in Christum, Sponsorem & Caput, Circumcisum, mortuum, sepultum, excitatum, & in throno collocatum. Hæc igitur explicantur istis Novi Testamenti sententiis. Rom. 6: 3. *baptisati sumus in Christum. in mortem ipsius baptisati sumus.* 4. *Consepulti ipsi sumus per baptisma, in mortem, ut, quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* 5. *Coaluimus similitudine mortis ejus.* Gal. 3: 27. *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* *Baptismus sigillum communionis Christi.*

17. Ex his jam patet, qua mente jubeamur baptizari *in nomine Iesu Christi*, Actor. 3: 38. nimirum, Christo auctore & ipsius fiduciâ ac cum nuncupatione nominis ipsius ut Salvatoris & Domini nostri; item *in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti.* Matth. 28: 19. nimirum ut in Patrem, Filium & Spiritum sanctum credentes, tanquam tres testes & in cœlo & in terra testantes; qui unum & in unum sunt, Patrem, Deum ac Patrem Filii ac nostrum, Filium redemtorem, Spiritum sanctum sanctificatorem, paracletum & arrhabonem nominemus in gloriatione & glorificatione & gratiarum actione, & ipsis consecremur tanquam populus peculiaris; & omne nomen nominatum in cœlo & in terra infra nomen hoc habeamus; neque ullum nomen, quasi datum in hominibus ad salutem, recognoscamus. Id totum compendio significatur, quando baptismus dicitur administratus *in nomen Iesu Christi.* Actor. 8: 16. Nam, *Iesum esse Christum*, summa Euangelii & fundamentalis veritas est. *Quid* baptizari in nomine Iesu Christi? & in nomen P.F. & S.S.?

18. Jure merito igitur baptismus à Theodoreto appellatur ἀρραβὼν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ τὸ εἰκονικὸς αἰσχύνης τύπος, καὶ κοινωνία τῶν θεσπεσίων παθημάτων καὶ μετουσία τῆς θεσπεσίας ἀναστάσεως, *Arrhabo futurorum bonorum, & Resurrectionis parata figura, & communio dominicarum passionum, & participatio dominicæ resurrectionis.*

Baptismus Iohannis.

19. Sed, quum tanta sit convenientia inter Circumcisionem & Baptismum quoad significationem (quanquam cum grandi differentia, quoad fruitionem & possessionem perfectioris boni in hac vita) considerandum est, an Baptismus Johannis alius sit à Baptismo, quo Christi discipuli usi sunt. Nos dicimus, Johannis baptismum eundem esse: omnia eadem significare & obsignare, sed ut in ἀρχῇ εὐαγγελίου *primordio annunciationis Iesu Christi filii Dei.* Marc. 1: 1. Johannes *baptisavit jubens, ut crederent in eum, qui post eum veniebat,* nempe Jesum, *Christum* & *Dominum* asserendum per effusionem spiritus sancti. Actor. 19: 4. 5. collato Actor. 2: 33. 36. Matth. 3: 11. *Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam: qui autem post me venit, valentior me est, cujus ego non sum dignus calceos ferre. Ipse vos baptisabit Spiritu sancto & igne.* Quo significat, ipsos à Christo spiritum filiationis esse consecuturos, & hoc fine Spiritum sanctum visibiliter & copiosè effusum iri. ut in Apostolis factum est (vide Actor. 11: 16.) in quibus etiam igneæ faculæ visæ sunt. Nescio tamen, an per hoc

Baptismus ignis.

actum sit id totum, quod Johannes innuit per baptismum *ignis.* Nam & Hierosolyma baptisata est igne, ut velum auferretur ab oculis & jugum ab humeris credentium: & totum mundum oportet baptizari igne, ut corpora nostra gloria impleantur & novi cœli ac nova terra fiant, in quibus justitia habitet. Cui renovationi æquè baptismus respondet, ac diluvio & Noachi salvationi per illud. Ipse Christus in diebus carnis non baptisavit per discipulos, nisi in *regnum cœlorum*, ut *imminens.* Nihilominus tamen jam tum vocavit Christus lassatos & oneratos ad se, promittens ipsis requiem; Matth. 11: 28. & in Christum credentibus desierunt esse cerimoniæ legis accusatio & chirographum, quum manifestatus esset agnus Dei portans peccata mundi. Joh. 1: 29. Quod qui prædicat, is prædicat שְׁנַת רָצוֹן *annum reconciliationis.* Es. 61: 2. Ergo baptismus tum administratus ad annum reconciliationis & pacis ac δόξης pertinet: quæ bona etiam Angeli in Christi nativitate prædicarunt. Luc. 2: 14.

Baptismus resipiscentiæ.

20. Fuit is baptismus μετανοίας *conversionis* sive *resipiscentiæ.* Actor. 19: 4. quia docebat μετάνοιαν non tantùm à peccatis, sed

etiam

etiam ab opinione falsæ justitiæ & vana conversatione à patribus tradita, in fide per totam vitam continuandam sub spe remissionis peccatorum, Marc. 1: 4. & resipiscentibus eam obsignabat, ut quæ per Christum jam tum pararetur. Non secus Apostoli baptisarunt *baptismo resipiscentiæ*. Actor. 3:38. Idem est vocare baptismum λουτρὸν παλιγγενεσίας *lavacrum regenerationis*. Tit. 3: 5. quia testatur regenerationem (quæ est lavacrum quoddam & lotio quædam) ex obedientia Christi, tanquam ex aqua munda, & spiritu sancto, ad fidem; eamque obsignat in sanctificatis. Christus à Johanne baptizatus est non ut excitaretur ad pœnitentiam, sed ut in ipso nobis obsignaretur remissio peccatorum.

21. Sanè verum est, tribui baptismo, quòd *salvet*, Tit. 3. vers. 5. 1 Petr. 3:21. homines juberi *baptizari in remissionem peccatorum*, Act. 3:38. & Paulum *abluere peccata sua*, Actor. 22: 16. Sed, si sanguis pecudum in Veteri Testamento suo modo potuit dici, כפר hoc est, *propitiare*, quum tamen is ad absolutionem conscientiæ nihil cooperaretur, quia fidem faciebat futuræ promissionis: quomodo non multò majori jure de baptismo dicentur talia; qui fidem facit, nos propitiatos esse in Christo & in ipsius communione justitiam adeptos? Ergo partim ut semen regenerationis, partim ut ἐνέχυρον, ἀφεσεως & ἐπερώτημα nos *salvat*; non effectivè. Hinc Tit. 3: 5. *salvavit*, hoc est, salutem futuram nobis obsignavit. Nam ἐλπίδι ἐσώθημεν, in spe salutem obtinemus, nondum in re. Rom. 8. v. 24. Ideoque Aug. lib. quæst. V. & N. T. q. 59. *Qui baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis; nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem, immutari credat. Aqua enim cernitur, sed, qui non videtur, spiritus operatur, ut fides in eo sit: quia, sicut sordes corporeas aqua, ita spiritus animam abluit à peccatis, ut, quomodo visibilia visibilibus, ita & spiritalibus profit spiritus. Ac per hoc spiritalis ratio vertitur in baptismo. Plus enim est ibi, quod auditur, quàm quod videtur.* Justificatio & salus attribuitur Deo, ut donanti & efficienti; Christi obedientiæ, ut merito & δικαιώματι; verbo, ut annuncianti; fidei, ut inferenti Christo; spiritui, ut eam operanti; baptismo, ut sigillo & pignori spem munienti. Nisi diverso modo illa omnia concurrerent, non idem bonum istis omnibus assignaretur. Ideò cum baptismo fides conjungitur, ubi de eodem effectu agitur, & quidem partim, ut ex sacramento ostendatur efficacia fidei, partim ut ex fide probetur veritas sacramenti. Galat. 3: 26. 27. *Omnes filii estis per*

Baptismus salvat.

fidem in Christo Iesu. Quotquot enim in Christum baptisati estis, Christum induistis. Col. 2: 12. *in quo* (baptismo) *& una* (cum Christo) *exsuscitati estis per fidem operationis Dei.* q. d. Baptismus credentibus resurrectionem Christi facit fidem resurrectionis ipsorum, ut ejus ὑπόστασιν & pollicitationem in se habeant. Alioqui baptismus, si vel qualitate sibi inserta, vel motu atque impetu animam mutaret, vel sanctificationis efficiendæ conditio aut causa moralis & non sigillum esset, mentiretur; qui nos docet animas nostras sanguine Christi & spiritu purificari per fidem, qua ipsi implantamur: siquidem non Christi sanguis, non fides nos justificaret, sed demum opus operatum mersionis vel ablutionis carnalis. Quod certè minimè congruit cum libertate à lege carnali & servitute rerum terrestrium.

Pædobaptismus.

22. Quemadmodum Circumcisio Abrahamo & sic posteris ipsius sanctis obsignavit promissionem sanctificandi seminis, non quidem universim, sed tamen indefinitè; ita ut de nullo desperarent; atque eò etiam infantes octavo die circumcisi sunt; cujus obsignationis fructus fuit consolatio de salute filiorum in eorum morte acerba, & spes de adolescentibus, tum parentum tum Ecclesiæ; unde, ut *radix sancta*, ita *rami sancti* sunt, hoc est, habent promissionem, Deum ipsos habere: ita & in Novo Testamento baptismus parentibus fidelibus obsignat promissionem de liberis. Qui similiter propterea *sancti* dicuntur. 1 Cor. 7: 14. Nam & Israëlitæ non sunt pejori conditione in Novo Testamento, quàm fuerunt in veteri Actor. 2: 39. &, qui longè sunt & à Deo advocantur, filii Abrahami fiunt & participes benedictionis Abrahami. Iccirco, ut gens Israëlitica circumcisionem accepit, fideles nempe parentes cum liberis; ita gentibus datum est μαθητεύειν & βαπτίζειν, illud, quoad capaces institutionis; hoc quoad familias. Quare & moribus Ecclesiæ obtinuit, ut parvuli fidelium, tanquam *sancti*, & promissionem ac Deum habentes, baptizarentur.

Baptismus non iteratur.

23. Unus baptismus est, nec iteratur: quia unius regenerationis ad vitam æternam ducentis & unius justitiæ signaculum est.

Baptismi adulterini.

24. Verus baptismus est, qui in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti datus & acceptus est. Baptismi ludibria & φιλοχαρίσματα pro Baptismo haberi non debent.

An Baptismus tollat omne id, quod damnabile est?

25. Pontificii, volentes, per baptismum tolli ab homine omne, quod damnabile est, dum videri volunt Baptismum extollere, extollunt hominem & concupiscentiam in illo reliquam tanquam

rem

tem puram, & legem ac sanctitatem Dei deprimunt. Atqui *obesset carnalis concupiscentia, etiam quod ineesset, nisi peccatorum remissio prodesset.* Aug. de pecc. orig. cap. 39. & adv. Jul. lib. 6. c. 15. *Ineſt enim, licèt non regnet.* oper. imperf. adv. Julian. p. 450. *Dimittitur* enim *in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur in peccatum.* lib. 1. de nupt. cap. 25. Nam, quanquam non est ita *peccatum*, ut in irregenitis, nempe tam forte & regnans, *peccatum* tamen & est & dicitur, quia *est à peccato* regnante, ejusque residuum, & *rebellando nos trahere nititur ad reatum & peccandi delectatione movetur nobis invitis, eique consentire peccatum est.* Clarius Apostolus, quia *malum* est, & legi Dei contraria lex. Rom. 7: 18. 21. 23. 7. & ex Deo non est. Jac. 1: 13. 17. 1 Joh. 2: 16.

26. Iidem Baptismo detrahunt, quando cum Messalianis dicunt, vetera quidem peccata baptismo tolli, sed in eo nihil amplius præsidii esse: ideoque post baptismum ex infirmitate peccantibus opus esse volunt alia purificatione & renovatione per sacramentum pœnitentiæ, tanquam tabula ex naufragio: quasi non *baptizati essemus in Christum paracletum & intercessorem.* 1 Joh. 2: 1. 2. & *caput* ac *regem, pastorem animarum*, divina potentia oves suas conservantem. Johan. 10: 28. 1 Petr. 1: 5. Vide hic testimonium Theodoreti in epitome de divinis decretis, c. de baptismo, & Isidori Peluſiotæ 3. epist. 195. apud Vossium disp. 5. de baptism. th. 3. *An baptismus significet remissionem peccatorum omnium?*

27. Qui in nomine Christi & in nomen ejus baptizantur, non debent fieri subditi, quoad religionem & conscientiam, ullius hominis: contra atque Pontificii pertendunt, omnes baptizatos obligari ad obedientiam Papæ; & ejus judiciis obnoxios esse. *Baptizati in nomen Christi num fiant subditi Papæ?*

28. Manichæos baptismum contemnentes imitantur Sociniani, eum habentes pro *jugo*. scilicet, quia jugum ipsis est doctrina de Christi persona & merito & justitia. Falsum est, eum olim fuisse initiationem novæ religionis. Impudenter negant eum mandatum, ut impertiretur omnibus gentibus, & usque ad consummationem seculi, Matth. 28: 19. 20. Nusquam baptisare est docere. & ibi à doctrina distinguitur. & Apostoli praxi sua ostenderunt, quomodo verba Christi intellexerint. Qui non permiserunt sibi ἐθελοθρησκείαν. quam ipsis impingit Ostorodius. Neque Eph. 5: 26. neque Marc. 16: 16. significare potest pœnitentiam. *Baptismus Socino* jugum.

29. Baptismus ut contemnendus minimè est, Deo illum dante, ita fidelium consolationem non minuit ejus subtractio. Norunt enim, *Baptismi subtractio non mi-*

nuis consolationem.

enim, fidelibus esse Christum datum cum omnibus beneficiis. Nulla igitur necessitas est adigens, ut Baptismus detur ἀτάκτως *violato bono ordine*, ab idiotis, mulierculis, & infidelibus sacramenta irridentibus.

Caput LXV.

De Sacra Cœna.

Baptismi & Cœna αἴνιξις.

Qui ex aqua, hoc est, Christi merito, & Spiritu, hoc est, potentia Spiritus purificantis corda, regeniti sunt, regni cœlorum participes sunt, in quo perpetuis gaudiis fruantur. Regeneratio per baptismum obsignatur; gaudia regni cœlorum sacri convivii sacramento adumbrantur, & ad firmitudinem spei quasi ὑφίστανται & repræsentantur: quatenus autem in hac vita percipiuntur, etiam aluntur & sustentantur. Neque præter analogiam Scripturæ est sacramenti primi & secundi αἴνιξις. Quippe ad hoc in filios Dei recipimur, ad hoc lavamur, ut cum Christo discumbamus, coram Deo edamus & bibamus & specie ipsius saturemur. Vide Psalm. 34: 9. 17: 15. 23: 5. 22: 30. Cant. 5: 1. Es. 65: 13. 14. 55: 1. 2. 3. Matth. cap. 8. vers. 11. 22: 2.

Propositio Capitis.

2. Quandoquidem autem non, quotiescunque conveniunt homines, id est Cœnam dominicam comedere, 1 Cor. 11: 20. & Diaboli astu hoc sacramentum (quod abolere maluisset, sed non potuit) fœdissimè profanatum est & collutulatum: de S. Cœna ea, quæ tenenda sunt, summatim hoc capite exponentur: Missæ vero Papisticæ abominationes sequenti demonstrabuntur.

Nomina.

3. Vocabulum hujus sacramenti est Δεῖπνον Cœna, & quidem κυριακὸν *dominica*, 1 Cor. 11: 20. quippe dominico & exemplo dedicata & præcepto Ecclesiæ commendata. Id nomen alicubi explicatur particulatim, nempe συνάξις *cœtus*, sive συνέλευσις εἰς τὸ φαγεῖν τ' ἄρτον τ' κλώμενον, καὶ πιεῖν τὸ ποτήριον τ' εὐλογίας, *coitio ad edendum panem, qui frangitur, & bibendum poculum benedictionis.* Actor. 20. v. 7. 1 Cor. 11: 20. 33. 26. 27. 10: 16. Quod plenè dictum facilè mente recolitur, ut synecdochicè actio sacramentalis omnis per unam, videlicet κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν *dominicam cœnam comedere*, ἐκ ἑνὸς ἄρτου μετέχειν *ex uno pane participare*, κλάσιν ἄρτου *fractionem panis*, significetur. 1 Cor. 11: 33. 20. 10: 17. Actor. 2: 42. 46. 20: 7. 11. non minùs, quàm aliàs in Scripturis creberrimè panis pro cibo & potu

potu, & panis communicatio pro cibatione ac potatione, itemque sumtio pro esu & potu usurpatur. Adeò ut frivola sit cavillatio talibus nominibus abuti ad sacramenti à Christo instituti mutilationem. Ita enim debet esse esio panis, ut sit *Cœna dominica*. *Cœna* verò sine potu non est, & *dominica* non fuit sine *genimine vitis* celebrata aut commendata. In universum teneatur, Cœnam nostram non debere à Cœna, quam Dominus cum discipulis suis celebravit, discrepare: quippe quum ea ipsa parte, qua discrepat nostra à Cœna Dominica, non sit *Dominica Cœna*.

4. Elementum, quod signi usum præstat, est duplex: Panis & Vinum. Actio sacramentalis circa panem est fractio & esio: circa vinum distributio & bibitio. Christus præmisit εὐχαριστίαν sive εὐλογίαν Matth. 26: 26. 27. Marc. 14: 22. 23. Luc. 22: 19. Unde & Justinus Martyr τῷ εὐχαριστηθέντι τροφῷ *cibum, super quo gratiæ aguntur*, nominat panem, & S. Paulus τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν *calicem benedictionis, quem benedicimus*. 1 Cor. 10: 16. *Elementa duo symbolum unum constituunt.*

5. Pane Christus usus est azymo propter paschatis legem: quam Christus non voluit continuare sub Novo Testamento vel etiam ad plura tempora extendere. Ideoque Apostoli nihil nisi panem, cibarium intelligentes, nominant. *Panis qualis in Cœna?*

6. Vino usus est Christus, quo & nobis utendum: qualecunque id sit: dummodo sit genimen vitis. Peccant enim Hydroparastatæ. Sed & illi, qui dilutum aqua volunt, & ea significari plebem, ut Cyprianus, ineptè suas parabolas ad Testamentum Christi addiderunt. Plebs enim non debet esse in calice (ut loquitur sanctus vir) sed calicem bibere ad significationem συσσωματώσεως *concorporationis*. *Vinum quale?*

7. Usus hujus sacramenti, quatenus est *signum* docens, est *Annunciatio mortis Domini*. 1 Cor. 11: 26. Voluit Deus per hoc sacramentum & hujus sacri ritûs frequentationem in Ecclesia usque ad finem mundi conservare historiam apparitionis Christi & prædicationem mortis & resurrectionis ipsius, & summam doctrinæ Christianæ. Etenimverò nulla vel arte vel potentia Satanæ effici debuit, ut hic ritus ab Ecclesia tolleretur. Quia autem is apud Ecclesiam ita conservatus est, secundùm substantiam, ut à Christo usurpatus est & traditus, cognoscimus veritatem historiæ apparitionis Christi, quæ in libris Euangeliorum descripta est. Neque enim hic ritus potuit celebrari nisi à recipientibus libros Euangelicos; non potuerunt recipi libri Euangelici, nisi ab iis, qui ista sic geri dicique vi- *Usus sacramenti, ut signi docentis.*

dissent & audivissent, aut ad quos à videntibus & audientibus ea fuissent ad πληροφορίαν *certitudinem* confirmata. Cæterùm summa doctrinæ Christianæ verbis institutionis continetur: quibus animo evidentiùs insculpendis ipsum symbolum, si mens non læva sit, est accommodatissimum.

8. Commonefacit enim is ritus, venisse Filium Dei in mundum, tanquam panem cœlitus missum, qui vitam dat mundo. Eum verò, ut fieret nobis cibus & potus, hoc est, ut communionem cum ipso habere possemus ad vitam & lætitiam, quemadmodum necesse erat, corpus suum frangendum dedisse & sanguinem fudisse pro mundi vita. Itaque corpus ipsius revera esse escam, & sanguinem ipsius revera esse potum, hoc est, mortem ipsius revera comparatam esse ad expiationem & vivificationem multorum, qui in ipso mortui sint. Et, nisi quis carnem ejus edat & sanguinem ejus bibat, hoc est, per fidem in ipsum crucifixum particeps mortis ipsius fiat, non habere vitam in sese. Eum verò, qui edit ipsius carnem & bibit ipsius sanguinem, hoc est, qui credit in ipsum, non tantùm ut de cœlo datum, sed & ut mortuum, habere vitam æternam; quippe manere in ipso & vicissim Christum in illo. Proinde etiam cessare Vetus Testamentum, & omnia esse nova. Quippe, Christo mortuo, figuras per veritatem esse abrogatas, accusationem peccati & servitutem sublatam, & πλήρωσιν per justitiæ atque adeò libertatis adductionem esse Ecclesiæ donatam: atque etiam, soluto intergerino pariete, hæreditatem gentium sic cerni à filiis Abrahami, ut ex Novo Testamento ipsæ gentes hæredes sint. Ut enim gentes ad baptismum, ita & ad S. Cœnam vocantur: & de eodem pane participant, ut, qui credunt, unum esse corpus intelligantur. Quæ omnia apertissimis verbis tum in institutione Cœnæ, tum Joh. 6. ubi Christus analogiam symboli locutione metaphorica de communione mortis suæ per fidem fundat, & 1 Cor. 10:17. continentur.

Symbolum Cœnæ significat mortem Christi & ejus communionem ad vitam & lætitiam.

9. Et cætera quidem, quæ in hoc ritu geruntur, illam, quam diximus, doctrinam apertè proclamant, dummodo id non patiamur ex animis nostris deleri, Panem, & quidem fractum, ac vinum fusum, duo elementa, unum symbolum facere mortis Christi, sive corporis Christi ex sanguis, & exanimis, & verè in hostiam pro peccato oblati. Quemadmodum & Joh. 6: 53. 54. 55. 56. caro & sanguis sic edenda & bibenda nominantur, ut clarè separata à semet invicem noscantur. Quamobrem & Cyprianus lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium

cilium dicit, *Passio est enim Domini sacrificium, quod nos offerimus.* Nullum enim aliud Ecclesia agnoscit sacrificium, quàm passionem Domini, quod offert in fide amplectendo & annunciando in honorem Dei. Unde liquet, eos, quibus altera pars symboli, poculum, negatur, non admitti, quantum per negantes stat, ad Cœnam Dominicam edendam. & frustra ad sacrilegium hoc palliandum fingi *Concomitantiam* corporis & sanguinis; quum in Cœna corpus Christi proponatur ut sanguinem non habens, & sanguis, ut effusus è venis. *Mutilatur sacramentum altera specie symboli ablatâ.*

10. Fregit panem Christus, non tantùm ut distribueret, sed ut mysterium tum fractionis, hoc est, mortificationis corporis sui, tum multorum ex uno pane manducantium concorporationis significaret. Quare hic ritus perperam omittitur; atque etiam orbiculi istiusmodi adhibentur, qui vel non frangantur, nec inter plures distribuantur, vel in calicem confracti ab uno hauriantur. *Fractio panis.*

11. Verba Christi, quæ is fecit ad discipulos de hoc symbolo, spectant alterum usum elementi, quo est signum fœderis, sigillum justitiæ fidei. Sunt enim verba tum in præsens dantia libertatem accipiendi, edendi & bibendi elementum panis & vini, in signum fœderis; tum in futurum fidelibus usum hujus symboli commendantia. *Usus sacramenti. ut signi confirmantis sive sigilli.*

12. Priora verba circa partes signi nonnihil variant; ita tamen ut se mutuò explicent. De pane: *Accipite, edite; Hoc est corpus meum.* Matth. 26: 26. Marc. 14: 22. *quod pro vobis datur*, Luc. 22: 9. *quod pro vobis frangitur.* 1 Cor. 11: 24. De poculo; *Bibite ex hoc omnes. Hic enim est sanguis meus ille Novi Testamenti, qui pro multis effunditur*, Marc. 14: 23. *in remissionem peccatorum.* Matth. 26: 28. Sive, *Hoc poculum novum Testamentum in sanguine meo* est, *qui pro vobis effunditur.* Luc. 22. v. 20. aut, *Hoc poculum novum illud Testamentum est in meo sanguine.* 1 Cor. 11: 25. In quibus verbis Lucæ & Pauli vel est ὡσαύτως, quod Apostolo familiarissimum ostendit Photius in Epistola 166. pro illo: ἡ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι καινὴ διαθήκη, vel defectus articuli repetendi, ἡ καινὴ διαθήκη ἡ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι. In Lucæ verbis ultimis observabit tiro lectionis sacræ Hebraismum. Hebræi enim nomini præcedenti obliqui casus signum habenti adjungunt adjectivum & participium in primo casu, ut ita dicam. Quo exemplo sunt ista: Ephes. 4: 1. 2. παρακαλῶ ὑμᾶς περιπατῆσαι, ἀνεχόμενοι. confer Ephes. 3: 16. 17. 18. Col. 1: 10. 3: 16. ἐν ὑμῖν διδάσκοντες. Apocal. *Verba Christi.*

1: 4. ὁπὸ ἦν καὶ ὁ ἰὼν καὶ ὁ ἐρχόμενος. v. 5. καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς, ὁ πρωτότοκος. Igitur violentum eſt, locum Lucæ aliter velle interpretari, quàm neceſſe eſt & patitur analogia tum hiſtoriæ inſtitutionis apud cæteros Euangeliſtas exſtantis, tum doctrinæ Chriſtianæ, quæ, ſanguinem Chriſti in cruce pro nobis effuſum, tradit, non vinum aut ſanguinem in calice.

13. Sed verba, quibus Chriſtus jubet *accipere & edere*, dant diſcipulis libertatem utendi iſtoc *ſigillo* juſtitiæ, ut ad ipſos pertinente; quippe pro quorum peccatis ſanguis ipſius fundatur. A quo jure excipitur Judas, ut traditor. Luc. 22: 21. 22.

14. In verbis Chriſti animadvertenda juſſio ſive ἐγκέλευσις; & denominatio rei accipiendæ, qua ipſi certum quoddam officium & miniſterium ſive uſus aſſignatur: ut, etiamſi panis non deſinat eſſe panis, neque vinum deſinat eſſe vinum, nihilominus recipiatur potiùs ut corpus & ſanguis Domini, quàm ut panis & vinum. Panem etiam corpus ſuum (ut omnes veteres crediderunt, & pronomen δίδωμι ac parallelia alterius partis ſigni perſuadet) & vinum ſanguinem ſuum vocat, ſignificans, ſe ea loco corporis ſui in cœlum ſubvehendi (Joh. 6: 62.) & ſanguinis effuſi, tanquam ἐνέχυρον, pignus & ſigillum, ſubſtituere, tradere, relinquere; eo fine, ut non minùs certum habeant, quòd corporis ſui per fidem & Spiritum ſuum ſint participes effecti, quàm ſi oculis corporis videre poſſent unionem illam noſtri cum ipſius corpore æquè atque unionem noſtrorum membrorum inter ipſa cernimus, aut ea, quæ comedimus & bibimus, ad ſaturitatem & lætitiam, viſceribus noſtris miſceri ſentimus.

Vnitas ſignificata in S. Cœna.

15. Et hoc eſt verum *myſterium unitatis*, de quo Auguſtinus in ſerm. ad inf. de Sacr. *Vnitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi... Dominus nos ſignificavit, nos ad ſe pertinere voluit: myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit. Qui accipit myſterium unitatis & non ſervat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis ſanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Chriſti efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi, antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.* & 21. de Civ. Dei c. 25. *Qui eſt in ejus corporis unitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cujus corporis ſacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueverunt, ipſe verè dicendus eſt manducare corpus Chriſti & bibere ſanguinem Chriſti.*

Quod

Quod mysterium Innocentius III. Papa in Synodo Lateranensi A. C. 1215. urgendum duxit, sine dubio, ne à fide aut saltem formula loquendi priscorum deviaret: à quo abduxit Satanas eos, qui *Transsubstantiationem*, quæ esset realis conversio panis in corpus, docuerunt: qui non intellexerunt, nos fide fieri συσσώμους & spiritu uno in unum corpus baptizari; neque adeò, ut alia Christi in nobis habitatione unum cum ipso fiamus, opus habere: & conversionem illam non ad unitatem, sed ad dissipationem facere.

16. Porrò panis sic vocatur *corpus Christi*, quemadmodum idem vocatur *communio corporis Christi*, & poculum, hoc est, *genimen vitis* vel *sanguis Christi* vel *Novum Testamentum in sanguine Christi* dicitur esse. In quibus omnibus est prædicatio disparatorum de disparatis. Neque propterea illæ locutiones minùs usitatæ aut claræ minùs minusve intelligibiles sunt, quia artis rhetoricæ auctores disceptant, quisnam in iis sit tropus. Quorum ὀνοματοποιήσεις ut aliquando adjuvant vel judicium vel memoriam discentium, ita prudentes nulla lege astringunt, & eorum, qui exercitatos in Scripturis sensus habent, suis tricis morari non possunt intelligentiam. qui, dum diversas sequuntur hypotheses, vel eorum, qui propositionem distribuunt in duas partes, nomen & verbum; vel eorum, qui in tres, subjectum, prædicatum & copulam verbalem, necessariò in diversas opiniones de tropi sede dilabuntur. Quum tamen interim manifestum sit, τὸ *esse corpus Domini* modo quodam dici, non propriè; nempe tum κατ' ἀναλογίαν, tum κατ' αὐτίθεσιν sive vicariam substitutionem, qualis est sigilli & pignoris pro re promissa, integra hæreditate, fundo, regno & similibus, quæ tradendo symbolo tradi dicuntur: item *esse Testamentum*, modo quodam, nempe ἐκ δήλωσιν καὶ βεβαίωσιν *per significationem & confirmationem:* denique, panem esse κοινωνίαν *communionem* sive μετοχὴν *participationem* corporis Domini κατ' ἀποσφράγισμὸν *per obsignationem.* *Panis Christi corpus: & communio corporis Christi.* *De tropo.*

17. *Poculum esse Novum Testamentum* singulari expressione dicitur. Indicatur enim, id esse velut instrumentum sive Diploma, quo novum Testamentum fidelibus intimatur, ut sciant, se eo hæredes esse constitutos, non terræ Canaan in servitute obtinendæ, sed justitiæ, cœlestis regni & totius mundi. Sic dico: Tradit Christus discipulis poculum, tanquam tabulam manu & sigillo suo signatam, cujus fide nixi possint ipsum ἐπιρωλᾶν & in fiducia semper convenire, de eo, quod ipsis dixerat, quemadmodum Pater ipsi, ita se illis testa- *Poculum Novum Testamentum.*

mento donare regnum. Luc. 22: 29. Est enim *novum Testamentum* æterni consilii ac propositi, quo Deus Pater & Filius constituerunt, Christum pati &, devicta morte & peccato, regnum in mundo habere, Ecclesiamque non ad servitutem sed ad libertatem & lætitiam vocare per fidem in ipsum, nova ac recens veteri servituti, ob hæreditatem terræ Canaan obtinendam ferendæ, succedens exsecutio. Quæ fit per νομοθεσίαν fidei Euangelii, & μεζονοίας, cum promissionibus ei proposito convenientibus. Ideoque non satis efficaciter & distinctè καινὴ διαθήκη vertitur *novum pactum* aut *fœdus*. Hoc elogium est poculo adjunctum ad significandam lætitiam regni cœlorum.

18. Id Testamentum Novum esse & consistere in sanguine Christi, significat, Christum esse Testatorem decernentem discipulis suis regni hæreditatem, qui morte sua, non, quod fit in humana hæreditate, vacuam fecerit hæreditatem, sed hæredibus paraverit jus eam adeundi. Nam, fuso sanguine Christi, (in qua fusione est colophon passionum & tentationum ejus, quibus obedientia & charitas ejus demonstrata est & Deus sanctificatus) nihil est, quod impediat fideles, quò minùs hæreditatem animo adeant in hac vita, & illam actu possideant, percursis hujus vitæ spaciis, & jam in hac vita recta ad Deum, tanquam patrem suum, accedant; quippe facti sacerdotes à Christo.

In S. Cœna non est privum Testamentum.

19. Quæ quum ita sint, religiosissimè custodiendum est, ne aliud fœdus aut Testamentum dicamus in S. Cœna conditum esse à Christo, quàm quod à Prophetis jamdudum promissum erat, & à Christo ubique promulgatum est: neu aliam stipulationem, verbi causa, operis operandi, velut conditionis, vel aliam promissionem, (verbi causa, participationis corporis Christi oralis, quam communem cum indignis habeant fideles) imaginemur; nedum post sanguinem Novi Testamenti sacrificium comminiscamur, & Novo Testamento aliquid superaddamus aut detrahamus.

Sacra Cœna datur ad fidem Redemtionis nostræ & Remissionis peccatorum plenaria.

20. Ad abundantiam consolationis pertinet, quod quidam sancti viri commemorant, Christum de corpore dixisse, *quod pro vobis datur* vel *frangitur*; de sanguine item, *Qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*; item, *qui pro vobis effunditur*. sive dixerit Christus *pro multis & vobis*, sive Euangelistæ consequentiam verborum Christi expresserint. Nam, qui poculum elogio *Novi Testamenti* ipsis commendatum jubebat sumi, is jubebat eos credere, sanguinem suum,

suum, quo Novum Testamentum ratificatum erat, pro ipsis fusum esse. *Ad remissionem peccatorum* quum dicit fusum sanguinem suum, ostendit, peccata obstitisse hæreditatis aditioni; & mortis suæ merito peccatorum vim & execrationis potestatem extinctam esse; &, quibus remissa sint peccata, ad eos, merito ipsius, hæreditatem pertinere. Remissio enim peccatorum est gradus primus ad executionem Testamenti. Cæterum ἄφεσις *remissio* κατ' ἐξοχὴν dicta ponit ἀπολύτρωσιν *redemtionem*, & tollit accusationem peccati, & nullam deinceps admittit προσφορὰν περὶ ἁμαρτίας *oblationem pro peccato*. Ephes. 1: 7. Col. 1: 14. Hebr. 10: 1. 2. 3. 18. *Multos*, pro quibus sanguinem suum fundi testatur, utens phrasi Esaiæ cap. 53: 11. 12. designat hæredes vitæ non ex una gente Israëlitica, sed ex omnibus gentibus. Qui voce *mundi* significantur Joh. 3: 16. 17. 6: 33. 51. Rom. 4: 13. Nam ea voce notantur ii, qui Abrahamo sunt dati in filios ex omnibus sive multis gentibus. Rom. 4: 16. 17.

21. Verbum Christi, quo commendat usum S. Cœnæ impositum, illud est: *Hoc facite ad mei recordationem*. Luc. 22: 19. 1 Cor. 11: 24. &, *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem*. Quod verbum secutus Apostolus tradidit Corinthiis, quod à Domino acceperat. 1 Cor. 11: 23. 26. & omni homini, qui se ipsum exploraverit, ut non indignè comedat & bibat. ibid. v. 29. Ex quo clarum est, hoc verbo Christi potestatem fieri omnibus fidelibus, se explorantibus, cum ἐχυρᾷ συνόδῳ, accipiendi panem & vinum benedictum, (hoc est, gratiarum actione & commemoratione institutionis & jussionis Christi ad hunc usum consecratum) edendique & bibendi sæpiùs, donec ipsi ex hac vita discedant, & Christus veniat ad judicium, ad recordationem Christi; nempe ut recordentur, corpus ipsius pro ipsis datum fractumque esse, & sanguinem ipsius pro ipsis fusum esse, ad remissionem peccatorum, ut hæredes justitiæ & vitæ ex Novo Testamento fierent. *Usus S. Cœnæ Ecclesia commendatus.*

22. Certè omnes, qui partem habent in hæreditate ex Novo Testamento, habent etiam potestatem in signaculum ejus: &, qui habent communionem in morte Christi, habent etiam potestatem in symbolum mortis, quod est panis & vinum conjunctim; &, quorum est consolatio de remissione peccatorum, ii non debent privari ἐπρωτίμοις à Christo ipsis tradito. Itaque & Ecclesia per mille amplius annos sub utraque specie communicavit. Neque dici potest, Ecclesiam id fecisse alio jure, quàm, quia Christus dixerat, *Hoc facite*. *Nemo fidelis debet arceri à symboli ulla parte.*

facite. Quod si Christus non dixit in persona discipulorum omnibus fidelibus semetipsos explorantibus, utique malè fecit Ecclesia. Si autem illo jure subnixa fecit, utique malè faciunt, qui non utraque parte symboli volunt communicare fideles. Neque verò discipuli ederunt & biberunt tanquam Apostoli aut prælati, sed simpliciter ut μαθηταὶ *discipuli*. Christus enim in prima Cœna solus sustinuit personam consecrantis. Potestas autem τοῦ λογεῖν τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον ipsis & in persona ipsorum Ecclesiæ demum data est hoc verbo, *Hoc facite*; quippe, per quod potestas datur fidelibus edendi & bibendi panem & vinum benedictum. Quare in hac re Pontificii manifesti erroris convincuntur.

Determinatio sensûs verborum Christi non pendet à definitione Ecclesiæ.

23. Nobis hoc tempore sufficiat, demonstrasse, simplicitate Scripturarum contentos in sacramento Cœnæ habere & luculentam institutionem & in fide firmissimam consolationem: neque indigere ulla Ecclesiastica definitione ad mentem Domini noscendam. Qui non ut λοξίας ambigua & incerti sensus verba jactavit, neque, ut, Pharisæi ἐγγαστρίμυθοι, mussitavit & pipivit, sed verba χάριτος & σοφίας *gratiæ* & *sapientiæ* ad conscientiam omnem, certè eorum, qui timent Deum, cum potentia locutus est.

Caput LXVI.

De Missa.

Diaboli nequitia in corrumpendis Sacramentis.

Nulla magis in re cernitur spiritualis nequitiæ astus, quam in Sacramentis, quæ Deus dedit Ecclesiæ ad propagationem & conservationem salutaris doctrinæ & obsignationem justitiæ fidei & contesserationem charitatis. Hoc enim operam dedit, ut ea converteret in semen erroris, obsignationem servitutis Anti-Christi & instrumentum dissipationis. Quod etiam in multis, judicio Dei, ipsi successit. quanquam efficere non potuerit, ut per mendacia ipsius tolleretur verbum veritatis ab Ecclesia, quod Deus instrumento sacramentorum voluit conservari & publicari: tandemque ars Satanæ cessit in judicium eorum, qui in errore versantur; qui se, veritatem damnando, ab Ecclesia absciderunt.

2. Præcipua verò corruptio (ultra opinionem operis operati ad effectum justificationis injuncti. quam refutavimus, ubi agebamus de Sacramentis in genere) invasit sacramentum S. Cœnæ sive Eucharistiæ. de qua corruptione jam agendum est. Agendum verò eo ordine,

ordine, quem errorum exædificatio monstrat. Primum mendacium est, Corpus Christi ibi, in altari, ut loquuntur, esse. Secundum, ibi esse per Transsubstantiationem, quæ sit Conversio realis. Tertium, ibi esse vivum. Quartum, ibi adorandum esse. Quintum, ibi sacrificari pro vivis & mortuis. Sextum, ei sacrificio offerendo constitutos esse sacerdotes à reliquis Christianis secretos, sine quibus non contingat remissio peccatorum, & quibus indigeant etiam mortui ad liberationem ex purgatorio. Hic apex est, ad quem per errores illos ascenditur, cui attingendo cæterorum scala supponenda fuit. Itaque & nos, si primæ assertionis falsitatem demonstraverimus, fundamento necessario subducto, totam machinam labefactabimus.

3. Prima igitur falsitas est, quòd verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sic interpretantur, *Hic est corpus meum*. Scotus 4. dist. 11. q. 3. *Verum est, quòd hoc est corpus meum, & hîc est corpus meum.* Idem sensus est, quando vel panem vel accidentia panis volunt considerari, ut continens. ut sit; *Hoc, quod est sub hoc pane, vel sub hisce accidentibus, est corpus meum.* Hinc in Concilio Florentino: *Sub quavis parte hostiæ consecratæ totus est Christus.* Hinc dicunt, per consecrationem corpus Christi poni in altari. Hinc omnis disputatio de præsentia corporis Christi in Cœna, & de πανταχότητι ejus. Neque hinc abeunt ii, qui dicunt, *In, cum, sub pane esse corpus*; &, hoc significari per verba Christi. *An Corpus Christi sit ibi? sive de Præsentia corporis Christi.*

4. Et hæc quidem opinio satis per se ipsa convellitur, quia auctores ejus coguntur ea ponere, quæ sine contradictione dici non possunt. qualia sunt, Corpus sua natura partes habens alias extra alias, & spacium occupans, esse in loco aliquo non circumscriptivè per modum corporis, sed definitivè tantùm, per modum angeli sive spiritus; quasi corpus posset & habere modum corporis & simul non habere; & sine modo corporis esse corpus: item, quum sit definitivè in hoc loco, simul tamen esse in aliis item plurimis locis sive circumscriptivè sive definitivè; quasi non, quod *definitivè* dicitur esse in loco hoc, eo ipso dicatur, hîc esse & non alibi. Nam solus Deus est in omnibus locis *repletivè*; quia cœlum & terram replet. Item, quod attinet eos, qui totum Christum ponunt sub quavis parte hostiæ, in hoc præterea absurdum incidunt, ut cogantur dicere, Panem suum locum integrum occupare, & tamen in eodem omnino loco & spacio esse corpus Christi, quasi id quod locum occupat, non & aliud corpus ab eo excludat. Atque hic etiam cer-

nere est in Schola diversas sententias. Nam Thomas, quanquam eam conditionem unius corporis, ut sit divisum à quocunque alio separari posse concedat, tamen negat, tolli posse eam, qua est indivisum in se. Ideoque negat corpus idem posse esse simul in pluribus locis, nisi sacramentaliter. Quod Bellarminus 3. de Euch. c. 3. in f. arguit contradictionis, & verè. Nam, quod in diversis locis non potest esse localiter, ne dividatur à seipso: id neque veram præsentiam in pluribus hostiis & altaribus habere potest. A superiùs positis absurditatibus non abit illa Bellarmini: *Vnum corpus in pluribus locis positum habere unum esse substantiale & multa esse localia.* Talia sunt: Corpus habere magnitudinem, & non coextendi assitis corporibus. Majus sub minori contineri.

5. Atqui credimus, Christum venisse ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, *in similitudine hominum*, ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας *in similitudine carnis peccati*, hoc est, tali carne, qualis est caro peccatoris. Credimus, Christo ipso docente, Spiritum carnem & ossa non habere, & sic, carnem & ossa non esse instar spiritus. Credimus, Christi corpus verè locum mutare, verè conceptum esse, natum esse, ab anima in morte separatum esse, sepultum esse, resurrexisse, in cœlos evectum esse. Credimus, quia resurrexit, in sepulchro non esse; atque adeò valere in corpore Christi collectionem à positione unius loci ad negationem alterius. Credimus, Joh. 3: 13. quòd dicitur *Filius hominis, qui est in cœlo*, esse argumentum divinitatis cœlum & terram implentis, & declarationem καταβάσεως *descensûs* non secundùm motum, sed secundùm φανέρωσιν ἐν σαρκὶ *manifestationem in carne*; atque adeò de corpore idem dici non posse. Nam, si de corpore id dici posset, utique pro Deitate non valeret. Posset autem de corpore dici, si daretur πολυπαρία *multipræsentia* corporis. Cajetanus ad eum locum: *Ne intelligeret Nicodemus, descensum hunc fuisse discorrendo* [deferendo] *terminum à quo* (*quemadmodum est descensus localis*) *subjunxit, se sic descendisse filium hominis, ut tamen remanserit in cœlo. ut hinc intelligeret Nicodemus, ipsum Iesum esse verum Deum & verum filium hominis: qui ita de cœlo descendit filius hominis, ut tamen sit in cœlo. hoc enim* IMPOSSIBILE *est alteri, quàm Deo.* Secundùm Christi verba (agnoscente Cajetano) impossibile est, aliquem descendere de cœlo in terram & tamen remanere in cœlo, sine descensu locali, nisi Deum: secundùm Transubstantiatores & Consubstantiatores Corpus Christi quotidie descendit de cœlo & non mutat locum.

cum. Credimus, Christo id dicente, propterea sermonem suum de manducatione carnis suæ non debere discipulos scandalisare, quia visuri essent eum ascendentem eò, ubi antea fuerat. Joh. 6. v. 61. 62. Esse λύσιν ἀπορίας καὶ σκανδάλου *solutionem difficultatis & scandali*, non ἐπίτασιν *intensionem*, fatetur Chrysostomus & Cajetanus. Sensus igitur verborum Christi omnino iste est. Verba ipsius de manducatione carnis suæ non habere difficultatem, non debere ipsos offendere, quia sic intelligenda sint, ut maneat veritas ascensionis. An, si præter sumtionem carnis Christi in os & viscera, etiam πλυποπία, etiam descensio invisibilis in terram non relicto cœlo credenda imponitur, minùs durus & difficilis sermo erit? Quid? quòd Servator carnem suam asserit (sine dubio in manducatione orali) ad nihil utilem esse? Et quid expressiùs dici poterat? Imò, *Spiritum* (nempe quo baptizamur in unum corpus, ut ita videamur corpus Christi manducasse; ut superiori capite etiam ex Augustino docuimus) *vivificare. Verba sua spiritum esse & vitam esse*: hoc est, spirituali lumine spiritum nostrum illuminare, & sic vivificare; ideoque, si verbis ipsius credamus, nos manducasse carnem. qui cibus animæ est non dentibus & ventri paratus.

6. Imò verò Christus jussit nos iis, qui dicerent, *Hic est*, non credere. Matth. 24: 23. 26. & ratio, qua Christus refellit vanitatem jactationis præsentiæ suæ, est, quòd adventus ipsius futurus sit clarus & lucidus, ut fulgur prodit ab oriente & lucet ad occidentem. v. 27. Unde liquet, Christum vetare fidem præsentiæ corporis sui in terra, quæ invisibilis sit, qualem Papistæ jactant in eremis, in penetralibus.

7. Sed, ne dicant, nos expaciari extra hujus loci septa, ipsa verba Christi planè excludunt fictitiam præsentiam corporis ipsius in altari sive in mensa. Primò, quia corpus suum fractum, & sanguinem suum fusum indigitat. Atqui ea hora, qua Christus Cœnam cum Apostolis comedit, corpus suum fractum, hoc est, mortificatum, & sanguinem suum fusum non porrexit, neque porrigere potuit. quippe quia vivebat adhuc. Sic etiam post resurrectionem corpus Christi mortuum (in sensu conjuncto) in toto mundo non est & in æternum non erit. Nunquam Cœna celebrata est sic, ut, dum celebraretur, Christus esset mortuus. Ideoque in recordationem, nominatim mortis, agi præcepit. Secundò, Christus de Pane dixit, *hoc est corpus meum*. Si panis est corpus Domini, quid

opus est, corpus Domini esse in mensa localiter? Panem autem vocari corpus, non tantùm primitiva Ecclesia credidit, sed etiam altera pars symboli demonstrat, Poculum, quod est genimen vitis & vocatur sanguis Domini; & explicatio Apostoli, dicentis, *Panem, quem benedicimus, esse communionem corporis Christi:* item, *multos uno pane vesci;* &, *alios dignè panem comedere, alios indignè.* Verba igitur Christi docent tantùm, ita suum corpus ibi esse, quatenus panis est corpus. Ad quæ verba qui quid addiderit, mendax reperietur. Adde, propterea panem vocari corpus Domini, ut nobis *communio corporis Domini* obsignetur, quòd *de uno pane comedentes multi unum corpus simus.* Atqui hæc unitas non requirit præsentiam corporis Christi. Nisi negare velimus, nos uno spiritu in unum corpus baptizari. per quem arctiùs & indissolubiliùs conjungimur cum Christo, quàm nostra membra per unam animam. Imò ad illam unitatem ficta corporis Christi præsentia inutilis est. Joh. 6: 63. Fingunt, ad verba illa, H. E. E. C. M. à sacerdote pronunciata, Corpus Domini incipere esse in altari, sub speciebus; mox in manu, ore, ventriculo sacerdotis aut communicantis esse. Sed, speciebus abolitis, ibi esse desinere. Quæ præsentia terminatur in desitionem præsentiæ, ea minimè est utilis ad unitatem. Unitas enim perpetua est, & perpetuam inhabitationem Christi postulat. Quid? quòd ita dicunt Christi corpus quoque esse in indignis & hypocritis? Atqui non sumus, non possumus esse unum corpus cum hypocritis. Christus in illis neutiquam est. Nam, in quibus est, eos sanctificat, justificat, vivificat. Accedit, quòd panis sic est corpus Domini, quemadmodum Calix est Novum Testamentum. quod ut verum sit, non est necesse, ut Novum Testamentum in calice contineatur. Denique, si calix non aliter est sanguis, quàm quatenus & Novum Testamentum est, sanguis in eo non continetur. Neque potest, si *calix Novum Testamentum est*; quod nobis non aliam participationem Christi promittit, quàm eam, qua Christus cum omnibus morte ipsius partis bonis fit noster. Ea autem fit certò & perfectè fide, per quam spiritus purificat corda, & Christus in nobis habitat, & nos in ipso sumus. Matthæus cap. 26: 29. & Marcus cap. 14: 25. verbis Christi, quibus poculum tradidit, annectunt ista: *Dico autem vobis, non bibam deinc de hoc genimine vitis, usque ad eum diem, quo id bibam vobiscum novum in regno patris mei.* Stupidus sit oportet, qui non intelligat; σκληροκάρδιος, qui neget, regnum Dei, quod Baptista &

Chri-

Christus præ foribus esse prædicaverunt, exordium habere à Christi resurrectione. Nam lex cum Christo cruci affixa est, cum ipso mortua & sepulta. Igitur Novi Testamenti exsecutio fit in regno cœlorum. Promittere Novum *Testamentum* & *regnum Dei* tantundem est. Declarant ergo verba ista Christi, quo sensu calicem vocasset Novum Testamentum: nempe quia pignus id volebat esse, Regni Dei mox mox inchoandi, ita ut de genimine isto vitis interim non esset bibiturus. Luc. 22: 18. Ut verò clariùs intelligerent Discipuli, quam ob causam calicem ipsis propinasset in adumbrationem regni cœlorum secundùm Novum Testamentum erigendi; dicit, se *cum illis hoc genimen vitis bibiturum esse in regno cœlorum*, sed *novum*. *Novum* autem dicit 1. pro *alio* sive ἑτέρῳ. Sic enim & καιναὶ γλῶσσαι sunt γλῶσσαι ἕτεραι. Marc. 16: 17. Actor. 2: 4. 2. pro hactenus inusitato. Quid enim est γέννημα τῆς ἀμπέλου αὐτὸ καινὸν, *genimen vitis idem novum*, nisi res symbolo obsignata, tunc quidem promissa in proximum tempus, mox autem veritate ipsa & corporali quasi forma eaque usum & spem Veterum superante typum expletura, imò post se relictura? Hoc igitur *novum genimen vitis* vocat, quòd inusitatum esset hactenus gaudium ex se tanquam vera vite promanans: quod discipuli sui ex resurrectione ipsius, & in regno ipsius percepturi erant, ipso cum ipsis & in ipsis lætante. *idem* jam tum se discipulis in symbolo & spe proxima propinare ostendit. Si Christi sanguis fusus in calice fuit in prima Cœna, quando is fusus est? quomodo, quod bibitur à discipulis, *genimen vitis* nuncupatur? Quomodo sanguinem suum Christus bibit cum discipulis, & cum omnibus fidelibus in regno cœlorum? Quomodo est *novum* & sic aliud ac distinctum ab illo genimine vitis, quod tunc potabant, id, quod in regno cœlorum potatur?

8. Omnia ista, quæ contra præsentiam corporis Christi in mensa Cœnæ disputavimus, consentanea sunt frequentissimæ monitioni Apostolorum, Christum in cœlo quærere jubentium; & voci Ecclesiasticæ, *Sursum corda*, in Cœna antiquitus usurpatæ; tum prophetiæ prænuncianti & improbanti alicujus Regis, hoc est, Romani, superstitionem, qua, spretis diis patrum suorum gentilium, *Deum arcium in sua theca erat culturus*. Dan. 11: 38. qui certè *Deo deorum* eidemque *Deo cœlorum* contradistinguendus est. Secundùm verba Danielis, verus Deus non est, qui dicitur ad nutum & dictum hominis esse in sua theca & in arcibus concludi & manibus homi-

num, quò volunt, portari: saltem non est ille modus colendi Deum dicere, eum in theca esse, in manibus portari, & in arcibus reponi atque includi.

De Transsubstantiatione.

9. Sed pergamus ad *secundum* mendacium: Christum ibi esse per Transsubstantiationem. quam esse conversionem totius substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis, manentibus tantùm speciebus panis & vini, definiens canonizat Concilium Tridentinum sess. 13. can. 2. Vocem hanc doctissimus Blondellus non reperit usurpatam ante Stephanum Augustodunensem, circa A.C. 1104. vel 1160. Innocentius III. certè in Concilio Lateranensi A. 1215. conatus est eam vocem obtrudere Ecclesiæ. & effecit, ut Scholastici ipsius dictum acciperent pro definitione Ecclesiæ per Spiritum sanctum factæ. Vide Scotum 4. sent. dist. 11. q. 3. n. 15. Nos de vocabulo non faceremus controversiam, quod inculpato sensu primitus, ut Græcis μεταβολὴ, μετατυπίωσις, μεταρρύθμισις, & similia, usurpatum videri possit; nisi cothurni instar alium sensum tanquam alium pedem admisisset, & cum tali definitione nobis obtruderetur. Unde liquet, id, ut barbarum (est enim alienum à phrasi Spiritus sancti) & ut inutile ad docendum, & scandalosum hoc tempore, repudiandum esse & abominandum.

10. Circa illud mendacium consideranda venit temeritas Scholasticorum in fingendo modo Transsubstantiationis, aut saltem præsentiæ corporis. Alii dixêre, *panem annihilari*. Bellarminus mavult, *non conservari*. quasi hæc diversum quid sonent. alii *converti panem*. & hi diversimodè. alii panis *formam perdi*, *materiam ab anima Christi informari*. Ita jam non panis esset corpus Christi pro nobis fractum in cruce, sed ὁ λόγος in qualibet Missa ultra corpus assumtum ex virgine hypostaticè sibi uniret materiam panis, & fieret materia panis, animata, cujus forma deperdita fuerit. Alii dixerunt, *forma* panis *manente materiam* ejus in corpus Christi *mutari*. Atqui sic corpus Christi subiret formam panis vice materiæ ejus. ita fieret panis. Rupertus Tuitiensis censuit, *panem assumi in ὑπόστασιν*. Sic Christus fieret panis ex farina & aqua coctus. Quod corpus panaceum non potest dici pro nobis datum. Johannes Parisiensis ad hanc assumtionem *interponit* corpus Christi. A quo nescio an abeant Consubstantiatores, qualis Cameracensis Cardinalis. Vide Bellarm. de Euch. 3: 11. Quis satis æstimet iram Dei, qui dederit Satanæ efficere, ut homines talibus portentis, quæ in Scriptura nullum

lum fundamentum habent, crederent: & in iis apicem religionis ponerent, & non recipientes acerbissimè persequerentur: & Ecclesiæ imponere necessitatem de talibus nugis loquendi & errantes coarguendi?

11. Bellarminus, ut *conversionem* tueatur, repudiat *annihilationem*, proque ea dicit *non-conservationem*. At ea est ipsissima annihilatio. Nam quis terminus non-conservationis? nihil. Quomodo fieri potest annihilatio? non conservando. Qui enim verbo jussit esse omnia, non aliter annihilare potest, quàm si jubeat abire in nihilum, aut, ut rectiùs loquar, si jusserit esse ad tempus, & ita non permanere. Bellarminus vocat *Conversionem adductivam*. Atqui ea non est vera conversio, sed unius substantiæ pro altera deperdita positio in certo loco. Est igitur Transsubstantiatio panis, Annihilatio & non-annihilatio; conversio & non conversio.

12. Fundamentum illius Conversionis est ipsis τὸ ἐστὶν. Nempe hæc verba; *Hoc est corpus meum*: ipsis significant, Hoc edulium, hæc substantia, quam vobis porrigo & non ostendo, est corpus meum; neque est amplius panis, quod erat panis, cùm id sumerem è mensa, neque accidentia hæc, quæ videtis & sentitis, sunt accidentia panis, sed accidentia corporis mei. Quod tamen postremum non audet Bellarminus. quem vide, de Euch. l. 3. c. 19. § 5. ubi negat esse *transaccidentationem* à Luthero objectam. & c. 20. §. *Strabus.* & cap. 21. §. *Quartam.* Atqui *non potuisset* (inquit idem c. 22. §. *Prima*) *ullo modo esse vera Domini sententia, H. E. C. M. si ita mutaretur totum in totum, ut nihil in utroque termino commune remaneret.* Quid igitur remanet? Accidentia. Ergo sunt accidentia primò panis, deinde corporis. Imò, inquiet, commune continens. Quis unquam adeò insanus fuit, ut accidentia, quantitatem, colorem, saporem, diceret continere substantiam: & tanquam vas, pyxidem, arcam, p, ostendi cum denominatione substantiæ? &, propterea esse veram conversionem, quia est commune continens? Et Christus non dixit, Hic continetur, sed, *hoc est.* Ita nihil dicunt illi homines ulla in parte, quod cum hominis conscientia & prudentia ac fide veri sermonis conveniat.

13. Transsubstantiationem Bellarminus non potuit demonstrare sub anathemate injunctam tanquam articulum fidei ante A. 1060. Putat autem eo anno id factum sub Nicolao II. qui Berengarium condemnavit. Atqui ibi tantùm damnatur opinio dicens, *panem & vinum*

vinum post consecrationem solummodò sacramentum & non verum corpus & sanguinem D. N. I. C. esse. Et nos dicimus, Panem esse corpus. & repudiamus, si quis dicat, ita solummodò esse sacramentum, ut non sit verum corpus Domini. Hoc enim esset negare id, quod ad rationem sacramenti potissimum est, usum pignoris, quem habet per substitutionem: quæ fit panem vocando corpus. Non, si Algerus, Lanfrancus, Guitmundus, homines ejus temporis, urserunt deperditionem panis, ideò censeri debent istis verbis damnari, qui credunt, panem manere. quos si damnarent, pleroſque patres damnarent. ut Ambrosium, qui lib. 4. de sacr. 4. operationem verborum Christi eam dicit, ut *sint, quæ erant, & in aliud commutentur, ut nos simus nova creatura.* Certè *operari, ut sint quæ erant*, non est *deperdere, quæ erant.* Simul igitur operatur verbum Christi, ut sint, simul ut commutentur. Et, qui potuit Nicolaus videri panem non deperditum statuentes damnare, qui dicat, *non tantùm in sacramento sed in veritate sensualiter corpus Christi tractari, dentibus teri*, &c. Quæ & olim fuisse prolata ad panis substantiam tuendam, etiam Durandus 4. sent. dist. 10. q. 1. n. 53. testatur. Nam hæc verba magis verificantur, manente pane, quàm deperdito. Quicquid sit de hac & sequentibus synodis, certum est, ante illud tempus, qui non crediderunt Transsubstantiationem Pontificiam, sed nostrum sensum tenuerunt, etiam ex hypothesi Pontificiorum, fuisse fideles, non hæreticos, quia nec contra Scripturam, nec contra traditionem Ecclesiæ senserunt; & nunc non judicari hæreticos, nisi ex illo capite, quia Ecclesia Romana, quæ id determinavit, falli non potest, & fidei domina est. Adeò ut illud nemo credere possit, nisi credat & hoc.

An corpus Christi in S. Cœna vivum?

14. Tertium mendacium tegula priorum est. *Corpus Christi ibi esse vivum.* Si enim ullo modo mortuum ibi esse dicerent, jam apertum esset, neque localiter ibi esse, nec panem converti. quia post resurrectionem nullo in loco Christi corpus potest esse mortuum. Corpus autem Christi priùs ibi nobis donari, ut mortuum, quàm ut vivum, ipsa verba Christi clamant; testatur primus scopus Cœnæ, qui est annunciatio mortis Domini; testantur, qui carnem & sanguinem fatentur significare corpus exsangue & mortificatum; inter quos est Cajetanus ad Joh. 6. testantur Patres, qui passionem Dominicam esse Cœnam nostram vel sacrificium Ecclesiæ asserunt. ut Cyprianus in epist. ad Cæcil.

15. Quar-

15. Quartum mendacium, Christum sub speciebus S. Cœnæ adorandum esse. Est is cultus Dei arcium in locamento suo. Dan. 11: 38. D. Jesus Joh. 4: 21. pronunciat, adesse tempus, quo neque in monte Garizzim, neque Hierosolymis adoraturi sint Deum. & v. 23. in spiritu & veritate Deum se velle adorari. Est quidem Deus ubique, & in omni loco adorandus: non tamen adorari se vult, tanquam veniens ad quem locum, nisi in quo memoriale nominis sui collocat. Manifestaverat se supra arcam & tabernaculum, templum gloria sua impleverat, ibi quærentibus se præsto futurum promiserat. Israëlitæ igitur, qui volebant videri Deo sacrificare apud celsa, dæmoniis sacrificare censentur. Certè, ubi Dei domicilium est, in quo plenitudo Deitatis corporaliter est, ibi, hoc est, cum fide inhabitationis ipsius, & mente gestuque ad illud directo debet adorari. Sed, postquam in cœlos ascendit, postquam majestatem suam supra cœlos posuit, dedignatur sibi domum fieri, Es. 66: 1. 2. Ergo & ibi adorari. Atqui propter fictam præsentiam corporis Christi in mensa & Templis & Ciboriis, non tantùm speciebus panis, adoratio iis affigitur. Proinde, qui sub speciebus adorat aliquid, nescit, quid adoret: & potiùs adorat eum, qui ipsi infudit illam temeritatem, quàm Filium Dei. *An Christus sub speciebus adorandus?*

16. Quintum est in Can. 1. sess. 22. Concil. Trid. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium* (can. 3. *propitiatorium, pro vivis & defunctis*, &c.) *anathema sit.* Sacrificium verum ac proprium ἱλαστικὸν, quo peccata expiantur, est obedientia integra perfectaque Filii Dei, quam is didicit in passionibus, in quibus, dum factus est pro nobis peccatum & exsecratio, Patrem, ut osorem peccati & justum judicem & sine labe justificatorem impii, sanctificavit. Vera hostia, ipse, qui eam præstitit. Verum altare, ipsius divinitas sanctificans & dignitatem addens. Verus sacerdos ipse spiritus æterni voluntate se immaculatum, & supplicationes cum lacrymis & clamore offerens. In hoc sacrificio est non tantùm perfecta remissio, sed & meritum, quippe δικαίωμα θεοῦ νόμιμ. Pecudum muta & ἄλογα sacrificia nihil nisi typi fuêre futuri, fidelium spem obsignantia. Solum Christi sacrificium est πλήρωμα consummans. Omnis obedientia, oratio, passio, largitas, studium, ministerium, labor fidelium, quæ est imitatio Christi, est quidem λογικὴ λατρεία *rationale sacrificium*, sed tantùm ἐυχαριστικὴ *gratiarum actionis*. Hæc veritas est. Ex qua assertio Papistica profectò non *An corpus Christi in S. Cœna offeratur?*

est. Unam oblationem, cujus virtute omnia peccata remittantur, ne Papistæ quidem negant. Et necesse erat, Anti Christos hoc non negare. Extra Ecclesiam enim se collocassent, qui in templo Dei debuerant considere. Sed videamus, quæ sit veritatis & falsitatis conferruminatio. Corpus Christi fractum, sanguis fusus adest in mensa, illud integrum vivumque, hic in membris & vasis. Corpus visibile, palpabile, in cœlum translatum, simile nostro, cui nos assimilabimur, adest invisibile, impalpabile, terrestribus mixtum, nostro dissimile. Corpus quantitate & figura præditum adest sine quantitate & figura. Corpus, quod spiritus non est, adest ut spiritus. Quod saltem definitivè in loco est, adest unum in pluribus locis. Quod oblatum est per mactationem, eadem oblatione offertur sine mactatione. Quod semel oblatum est, ut cessaret omnis oblatio, id offertur millies eadem oblatione mille temporibus. Ita non tantùm loci non diversificant corpus, sed nec mille anni diversificant unam eandemque actionem, neque vita & mors, nec sanguinis fusio & concomitantia, nec terrestre sub lege & cœleste legi non amplius subditum diversificant sacrificium. Quod oblatum consummat, consummatos accusat, & offertur pro consummatis, ut non consummatis. Quod habuit eam virtutem, ut peccata electorum fidelium expiaret inde ab initio mundi, id solutum in fine seculi non prodest nisi millies millieſque idem sine repetitione repetatur. Qui seipsum semel obtulit ad multorum auferenda peccata, is jam ab eo offertur, pro quo se obtulit, ut auferantur peccata ablata. quod tantundem est dicere, atque recipere eum demum dignitatem ut acceptetur è manu hominis, pro quo, si bene cum eo agitur, seipsum sanctificavit. Apostolus Paulus argumentatur, si non semel in fine temporum moriens peccata veterum potuisset expiare, necesse fuisse, ut ab initio mundi sæpiùs moreretur. Hebr. 9:26. Papistæ invenerunt, quomodo potuerit ab initio mundi usque ad consummationem seculi singulis diebus, & tamen semel mori & se offerre. S. Johannes fideles per infirmitatem peccantes vocat ad consolationem per fidem ἱλασμῶ semel præstiti pro peccatis totius mundi, quæ remittuntur, & ad intercessionem Christi: Papistæ ad quotidianum sacrificium & alia piacula. 1 Joh. 2: 1. 2. Zacharias item cap. 3: 9. testatur, Deum omne peccatum totius terræ uno die aboliturum fuisse. Nostri homines, id non factum esse, sed fieri etiamnum, garriunt. Paulus Christum non amplius recognoscit

ἔπαρα, hoc est, ut sub lege positum & sub exsecratione, 2 Cor. 5. vers. 15. hi contra Christum adhuc esse volunt victimam: quæ esse non potest, nisi ubi peccatum viget & lex & exsecratio. Christus in Cruce clamavit, Consummatum esse: nostri dicunt, nihil actum esse, nisi hodie & in secula offeratur. Prophetia & Epistolæ Apostolorum Christum recognoscunt, facta purificatione, sedentem ad dexteram Dei, & in throno Dei: Hebr. 1:3. Psalm. 110:1.4. Zach. 6:13. Hi post purificationem factam sedentem ad dexteram Dei ponunt in altari ad purificationem faciendam. Sacerdos summus semel ingrediebatur in sanctum sanctorum functus omnibus, quæ ad altare, extra castra, in priori tabernaculo facienda erant. Christus etiam cùm passus esset in statu legis accusantis & extra castra mortuus, quum iterum ex morte in habitabilem introductus esset, & Ecclesiam jam reconciliatam visisset, ascendit in cœlum semel, peracto sacrificio in terra, tanquam in sanctum sanctorum: hi docent, eum adhuc in terris fungi. Et quo jure igitur ingressus est in sanctum sanctorum? quomodo ἐμφανίζεται adhuc offerendus? Unxit Deus sanctum sanctorum, domicilium spirituale in terra cum cœlesti connexum, effusione spiritus sancti, data justitia & libertate accedendi ad Deum vivum: & hi cogunt nos micas veniæ è manu peccatoris mendicare, ut sub exsecratione constitutos & servos.

17. Sed quænam est denique ista oblatio? *Destructio esse sacramentalis.* Quod est *esse sacramentale* corporis Domini? *Esse sub speciebus*, & sic *esse cibum visibilem.* Ubi fit destructio esse sacramentalis, ut desinat esse cibus visibilis? In ventriculo sacerdotis, imò communicantis, imò muris. Ubi enim desinunt species, ibi desinit sub iis esse. quanquam eam sacrificationem Bellarm. velit fieri tantùm in stomacho sacerdotis. Vide eum de Missa 1. 27. §. *Septima propositio.* & §. *Tertiò*, & de Euch. 1. 14. *Resp. cum Algero.* ubi ista: *Sacramenti consumtio ut à populo fit, non est pars sacrificii; ut autem fit à Sacerdote sacrificante pars est essentialis. Cum manducatur Eucharistia, corpus Christi amittit esse sacramentale, & proinde desinit realiter esse in altari. desinit esse cibus sensibilis. Corruptis in stomacho speciebus, sine ulla sui læsione desinit ibi esse.* Et hanc vocat *veram & realem destructionem.* quasi diceres hominem destrui, qui exuit tunicam. Nescio, quid portentosius & cum majori ignominia & futilius dici de Christi sacrificio possit. Si probra & blasphemiæ sunt Crucifixio Christi quædam, fatendum est, à missificantibus Christum crucifigi, sed ipsis, non pro ipsis.

Hebr. 6: 6. Christus per passiones consummatus est ut princeps salutis, Hebr. 2: 10. 5: 8. 9. Si his creditur, semper consummatur sine passionibus, per destructionem realem non realem non ἓν esse, sed esse sacramentalis, hoc est, per τὸ desinere esse in stomacho sacerdotis; & nunquam est consummatus, nisi ubi missa desierit offerri, ut illi sperant, in fine seculi. In Cœna audimus, Novum Testamentum, atque ita remissionem peccatorum (Hebr. 8: 10. 12.) esse in fusione Christi sanguinis: Doctores Missæ dicunt, Novum Testamentum esse in destructione Esse sacramentalis. Hoc igitur sanè est Ἀληθὴς πεπεκυρωμένη διαθήκη, quod idem valet τῷ ἀϊδιεῖν. Gal. 3: 15.

18. Ad cumulum erroris accedit, quòd dicunt, *Pro defunctis offerri.* Pro quibus defunctis? Etiamne pro Abrahamo, Isaaco & Jacobo? Etiamne pro illis, qui in limbo erant, ut nugantur? Non diffitentur. quasi illi non in gloriam introducti essent vi sanguinis Christi fundendi. sed tamen præcipuè *pro defunctis non ad plenum purgatis*, offerri ajunt. Vide collisionem. Si per sacrificium Christi purgatio ad plenum eorum, qui non ad plenum purgati sunt per sanctificationem, sed tamen ex toto corde in Christum crediderunt, post mortem fieri potest: quî fit, ut ad plenum non sint purgati quoad conscientiam per sanguinem Christi in cruce effusum? Si autem sanguis Christi illos purgat ab omni peccato, quomodo non ad plenum purgati sunt, qui in fide decedunt? quorum corpus quidem est mortuum propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam? qui deponunt in morte corpus peccatorum carnis? Sed ad exenteranda marsupia, & devorandas domos viduarum & pupillorum opus erat πεφάσει *prætextu.* Matth. 23: 14.

An novi sacerdotes à Christo instituti?

19. Sextum mendacium est illa vox Concil. Trid. sess. 22. can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; quia* scil. *per mortem* Christi *sacerdotium ejus extinguendum non erat,* & ut *sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec se in æternum constitutum declararet.* cap. 1. *aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.* Apostolus quidem τὸ *Hoc facite* interpretatur ex parte per πίνειν, deinde per ἐσθίειν καὶ πίνειν, & denique per εὐλογεῖν, κλᾶν, κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν, 1 Cor. 11: 25. 26. 10: 16. 20. nihil autem de peculiari sacerdotio in institutionis Cœnæ commemoratione loquitur. Neque est verum, Christum sub speciebus corpus suum Patri in

Cœna

Cœna obtuliſſe, quod tunc fractum necdum erat, ut nec ſanguis fuſus. Porrò, ubi tum facta eſt deſtructio Eſſe ſacramentalis corporis Dominici? numquid in ſtomacho Chriſti? is enim ſolus ſacerdos tum erat. Sed non legitur Chriſtus comediſſe panem Cœnæ. Et verò noſtrum ſacerdotium eſt ſpirituale, commune omnium fidelium ad offerendam λατρείαν λογικὴν, in ſanctificatione ſui & omnium χαρισμάτων, quæ à Deo acceperunt, & καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ Κυρίῳ, quos Scriptura juvencos appellat & pro juvencis ſubſtituit, in altari cœleſti; quod eſt Chriſtus ipſe. Si ſacrificio externo offerendo & altari materiali locus etiamnum eſſet in terra, Aharonis poſteri ex promiſſione fœderis ſolis ſibi id vindicarent. Sed Chriſtus eſt ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec ipſis ſacerdotibus Aharonicis (qui in lumbis Abrahami decimati ſunt à Melchiſedeco) major, & ipſos induens ſalute. Sed Chriſtus, inquiunt, ſacerdos eſt in æternum. Ergo per mortem ipſius ſacerdotium non debuit extingui. Nefarius ſermo. Ergone id, in quo eſt functio ſacerdotii, eſt extinctio ſacerdotii? Ergo, ſi homo peccator Chriſto non ſuccenturietur, Chriſtus non erit ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec, quia mortuus eſt? Ergo nos decet ſacerdos, qui non ſit ſanctus, ſine vitio, ſine pollutione, ſeparatus à peccatoribus, altior cœlo? Ergo non recognoſcunt Chriſtum ſacerdotem ſecundùm vim indiſſolubilis vitæ? qui teſtimonium habet, quod vivat? qui habet ſacerdotium ἀπαράβατον *non tranſiens*, quia ipſe manet in æternum? Ergo Chriſtus non eſt ſacerdos coram facie Patris apparens in cœlis? Qui eſt ſacerdos in æternum, illi non ſucceditur; illius ſacerdotium ſucceſſione omni caret. Melchiſedec eſt ἀγενεαλόγητος. Nemo enim ex ipſo ſacrificat poſt ipſum. Ita & Filius Dei in æternum conſummatus: proinde nec in morte deponens ſacerdotium relinquendum aliis, neque miniſterio ullius ſacerdotis ad ſui oblationem indigens, ſed per ſpiritum æternum ſeipſum ſemel offerens & in perpetuum pro nobis in cœlo intercedens. Quamobrem non poſſumus ſacerdotes Papiſticos aliò referre, quàm ad eos, de quibus loquitur Hoſeas cap. 4. & quos paſſim prophetæ exibilant. quippe qui non contenti ſunt in hoc Deo ſervire, ut oblatio gentium ſit accepta, ſanctificata in ſpiritu ſancto (quod nec faciunt) ſed Chriſti partes invadunt, ut Kore & Dathan & Abirom Aharonis; & plebi dicunt, *Admove te ad te, ne accedas ad me: nam ſanctus ſum prae te.* Eſ. 65: 5. Plebem enim cenſent

non sanctam, non justam; & in fidelium corpore non magis esse destructionem Esse sacramentalis corporis Dominici sacrificium, quam in stomacho musculi: se verò sanctificatos, ut in stomacho ipsorum peragatur sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis.

De Missis in honorem sanctorum.

20. Horum errorum accessio est, Missas celebrare in honorem sanctorum defunctorum. Non satis erat sacramentum sacrificii convertisse in sacrificium, nisi etiam sacrificium Deo dicerent offerri in honorem hominis; & quidem corpus Domini; & quidem id, quod ad recordationem & commemorationem Christi institutum est.

Missa solitaria.

21. Item Missæ, in quibus nemo communicat, nisi offerens. De quibus dici non potest: *Vnum corpus multi sumus, quia multi de uno pane participamus.*

Canon Missæ.

22. Canonem missæ hîc pertractare longum esset. In Liturgia certè, quamvis antiqua, illud valde vitiosum est, quod sacrificulus sine præfatione dicit, *Hoc est enim corpus meum.* quasi ipse Christus esset. Vide Bellarm. de Euch. 4:13. §. *Secundò.* & 14. §. *Respondeo, verba illa.* Deus faxit, ut tandem, agnito errore suo, & spreta mercede Bileami, veritati dent locum, & sistantur cum omnibus sanctis veri sacerdotes, Christum, qui pro nobis mortuus est, in se manentem cum gratiarum actione Deo sistentes.

Caput LXVII.

De Sacramentis supernumerariis.

Numerus sacramentorum non verus.

Sunt, qui plura numerant sacramenta sive sacra signa. Cyrillus Hierosolymitanus addit Chrisma. & Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia πλεπλω μύρε. Sic Isidorus Hispalensis l. 6. orig. c. 19. & Rabanus c. 24. de instit. clericor. Alexander Alensis in summa p. 4. q. 5. n. 3. art. 2. duo principalia sacramenta à Christo instituta fatetur, § tertio. Thomas 3. q. 62. art. 5. duo potissima sacramenta dicit. Petrus Damiani duodecim dixit Sacramenta. Quod excusant, largè sumendo vocabulum id dictum esse. Nam is & inunctionem regis, & ordines eremitarum, monachorum, monialium sacramentis annumeravit. Scotus tredecim numeravit, unum, quod ajunt, sacramentum ordinis discerpens. Primus, qui septem numeraverit, notatur à Forbesio (à quo hæc mutuamur) lib. 9. c. 3. Hu-

go

go de S. Victore. qui floruit A.C. 1130. Quum Magister sententiarum receptus esset, ita omnes ferè numerarunt. Ut de quinque Romanensium sacramentis dicamus multa, non est admodum necessarium. Describenda enim nobis forent, quæ ab aliis dicta sunt: veluti, quæ à Johanne Forbesio lib. 9. historicotheolog. institutionum sunt tradita. Et nostri instituti est theologiam ex Scripturis tradere. in qua hæc sacramenta sive *sigilla justitiæ* non invenimus. Pauca igitur dicemus, & ea, quæ occasione eorum ex Scriptura non inutiliter animadverti possunt.

2. *Confirmatio* constans signo crucis, chrismate, ex oleo olivarum & balsamo, alapa, à solo Episcopo conferenda in nomine P. F. & S. S. Christum auctorem non habet: & post Baptismum ociosè & non sine ejus depreciatione adhibetur. quasi is non in nomen P.F. & S. S. fiat, & sic per eum tribus testibus auctoremur & juremus, & non sit sigillum baptisationis per Spiritum unum in unum corpus, nec tantùm *ad innocentiam*, sed etiam *robur & augmentum ad gratiam*. Præsumtionis plena verba sunt, *Confirmo te chrismate salutis*. Nam nec chrisma hoc externum est chrisma salutis, neque is, qui ungit eo chrismate externo, potest ungere Spiritu sancto: quo, ut chrismate salutis, ungimur à Deo. 1 Joh. 2: 27. Apostolus 2 Cor. 1: 21. 22. docet nos veram *Confirmationem & Unctionem*. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum & unxit nos, est Deus. qui & obsignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris*. Quæ verba docent, Deum nos unire Christo per fidem, & quidem, ut nos in eum firmet: simulque nos unxisse, quando nos fecit esse in Christo, regesque ac sacerdotes effeciisse: atque sibi notasse, ut propriam rem & hæreditatem servandam & curandam: & ad spem nostram Spiritum nobis dedisse pro arrhabone. Nam, dum fidem accipimus, Spiritum accipimus, cujus donum est fides, qui firmat, ungit, signat, & pignoris usum præstat. Quod igitur Deus dat, hoc homo dicere non potest se dare: &, quod Baptismo obsignatum est, hoc temere alio sacramento obsignatur, quasi per Baptismum non esset obsignatum. Perperam igitur dicunt, Confirmatum teneri ad fortiter confitendum Christum etiam in persecutione; baptisatum non teneri, nisi inquisitio fiat. Vide manipulum curatorum Guidonis de monte Rocherii, qui vixit A.C. 1333. tr. 1. cap. 2. & tr. 3. c. 2. *Confirmatus tenetur se expresse objicere persecutoribus fidei & confiteri fidem, etiam absque hoc, quod requiratur*. Impositio manus facta ab Apo- *Confirmatio.*

stolis,

ſtolis, ut baptiſati acciperent extraordinaria dona Spiritus ſancti, nec ejuſdem naturæ eſt, nec noſtri temporis. Hæc enim facta eſt, ut Euangelium confirmaretur (Hebr. 2:3.4.) donec id in publica omnium notitia eſſet, ita munitum & confirmatum, ut nemo, niſi præfractus & impudens, ejus divinitatem poſſet in dubium vocare. Noſtro tempori ſufficit, quòd omnes accipimus ſpiritum filiationis per fidem. Gal. 3: 14. 4: 6. Dionyſius in ſua hierarchia cap. 2. duplicis unctionis facit mentionem in deſcriptione Baptiſmi; ante Baptiſmum, quam dicit inchoante epiſcopo factam παναγώμως; & poſt baptiſmum, quam nominat τὴν δ' χύρι πλαστικὴν χείσιν. quadocet ſignificari, quòd ἡ ἱερὰ τ θεογνωσίας πλείωσις ἐνοῖ τὰ πλεσθέντα τῷ θεαρχικῷ πνεύματι. mihi p. 129. de qua p. 118. ὁ δὴ τῷ θεηγμένῳ τάτῳ μύρῳ τ ἀδρὰ σφραγισάμενος μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τ ἱεροπλεστικωτάτης εὐχαριστίας. *Qui ipſum divino myro ſignatum participem facit ſacræ Euchariſtiæ.* Illis omnibus præſcribitur μυσηρίον φωτισματος, *ſacramentum illuminationis*, hoc eſt, *baptiſmatis*. Unde apparet, Veteres hunc ritum baptiſmo adjunxiſſe; volentes ſignis docere. Maximus Scholiaſtes ex Apoſtolicis conſtitutionibus hæc recitat. ἔστι πίνειν τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τ θάνατον δ' κυρίου διδόμενον· τὸ δὲ ὕδωρ αὐτὴ τ ταφῆς· τὸ ἔλαιον αὐτὴ δ' πνεύματος δ' ἁγίου ἡ σφραγὶς αὐτὴ δ' σταυροῦ· τὸ μύρον βεβαίωσις τ ὁμολογίας. *Ergo baptiſmus in mortem Domini datur. Aqua pro ſepultura eſt: oleum pro Spiritu ſancto: ſignum pro cruce: myrum confirmatio confeſſionis.*

Pœnitentia. 3. *Pœnitentiam*, quæ eſt cordis contritio, hoſtiam Dei cum Pſalmo 51. æſtimamus: *confeſſionem* tum vitioſitatis ſuæ ad glorificandum Deum & gratias ei agendum, & peccati, de quo reprehenſus fuerit, quoque alium ſcandalizaverit, & humiliationem non ſuperſtitioſam aut mimicam, quaque proximo, imò, ſi publicum ſcandalum fuerit, Eccleſiæ *ſatisfaciat*, hoc eſt, veniam ejus deprecetur (ſic enim Cyprianus hoc vocabulo Latinè utitur) laudamus; neque contemnimus condonationem fraternam; in univerſum *pœnitentiam* (potiùs *reſipiſcentiam*) à Chriſto & Johanne prædicatam (quæ non eſt ſacramentalis, fatente Bellarmino) & ejus ſignificationem in verbis & factis bonis recipimus, quippe in qua eſt deletio imaginis Satanæ & refectio imaginis Dei. *Sacramentum* autem *pœnitentiæ Baptiſmum* μετανοίας agnoſcimus. Ignoramus *Pœnitentiam*, quæ *ſacramentum* ſive *ſacrum ſignum* ſit; deſtitutum forma viſibili; cujus materia ſit actus pœnitentis, forma actio vel dictio peccatoris abſolventis,

solventis, qui nec peccata remittere potest, (ut & meliores scholasticorum docent) nec ostendere, aliquem esse absolutum à culpa per contritionem; quia non introspicit corda & renes: quin & Pontificii ipsi contendunt, neminem verè scire, se fidem & charitatem veram habere. Porrò, eos, qui conteruntur, & ex amore Dei anguntur & cruciantur, esse absolutos, verbo Euangelii & baptismi ac Eucharistiæ sacramento sufficienter ostenditur. *Attritionem* (ita ineptè vocant timorem servilem sive pœnæ solius; & absurdè ei attribuunt *excludere voluntatem peccandi*) *cum* (qualicunque; non certè radicata in δοκιμῇ *experientia* fidei in Christum) *spe veniæ*, & *sacramento pœnitentiæ, disponere ad gratiam Dei impetrandam*, impia doctrina est Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. Sub qua doctrina quod mysterium foveant Jesuitæ, ostendit Ludovicus Montaltius in literis provincialibus epist. 10. & notæ Wendrockii ad eam. Apparet autem, utrosque, qui inter se digladiantur, in luto hærere. Qui contritionem requirunt, periculosè faciunt, quòd eam suspendunt à judicio sacerdotis, & sic dedocent homines sibimet attendere & semet excutere; deinde perperam faciunt, quòd eam distinguunt à fide; item, quòd negant ei justificationem, nisi cum intentione absolutionis humanæ quærendæ. Qui attritione contenti sunt, justificationem dant iis, qui in carne sunt; &, dum negant de attritis odium Dei, & iis amorem Dei non attribuunt, contraria dicunt. Nam, ubi amor Dei non est, ibi necessariò est odium aliquod Dei: quia est odium aliquod virtutum Dei, & voluntas, ne Deus sit talis, qualis est. Præter hæc omnia non oportet ea, quæ sunt disciplinæ & judicii Ecclesiastici, confundere cum sacramento sive sigillo. Fideles absolvunt, qui desinunt reprehendere pœnitentem, & cum eo gaudent, quòd ereptus esse videatur ex laqueis Satanæ & ipsi sine communione peccati ipsius cum ipso communicare possint. Tota autem firmitas consolationis fidelium pendet à bona conscientia μετανοοῦντος: non verò à judicio ejusve potestate aut nescio qua satisfactione. Tantum abest, ut necessaria sit recitatio peccatorum secretorum, ut ea recitatio sit μελέτη ἀναισχυντίας *exercitatio impudentiæ*, & omissio peccati ex timore confessionis sit ὑπόκρισις magis timentium homines quàm Deum, & gloriam apud eos quærentium; & auricularis confessio sit vinculum regni Papalis, 2 Tim. 3: 6. 7. contraria doctrinæ Christi, quæ est Matth. 18: 15. Nam Christus non jubet nos tenere peccata eis, qui ea non recitaverint in aures

noſtras; ſed, qui potuerit ἐλέγχεσθαι *redargui*, & redargutus fuerit, & obediverit, ei nos jubet remittere. Presbyteri non ſunt à Chriſto conſtituti judices, qui de culpa & contritione judicent, ſine quorum ſententia abſolvente nemo poſſit Deo reconciliari, etiamſi Deo confeſſus fuerit peccata. Qualia docet Bellarm. de pœn. l. 3. *Satisfactio* pro culpa & pœna ſive temporali ſive (ut Tapperus ſtatuit) æterna ab homine præſtari non poteſt; & ejus doctrina eſt Chriſto injuria: itemque doctrina de pœnis mutat ſtatum Eccleſiæ Novi Teſtamenti. Nam in Veteri Teſtamento fuerunt ſatisfactiones (id ſonat *Aſchám*) non tollentes ſed indicantes reatum, & Chriſtum præfigurantes. Quo dato, quod typicum eſt, &, quod reatum accuſat & juſtificare non poteſt, ceſſare debet.

Unctio extrema. 4. *Unctio extrema* eſt κακοζηλία ſigni olim ab Apoſtolis in miraculo uſurpati, ipſa quoque enervatio Baptiſmi: quam facetè dicunt ſacramentum *conſtitutum ad egreſſum ab Eccleſia*; quaſi non ad ſanitatem ungi debuerint per Apoſtolos ægroti, ſed ad mortem; &, quaſi mors piorum ſit *egreſſus ab Eccleſia* & non introitus ad Dominum, ſed ſeparatio à regno ejus; non ἐπένδυσις, ſed ἔκδυσις. 2 Cor. 5: 4. Vide Lancel. inſt. jur. Can. lib. 2. t. 1. § 3. & t. 7. Dicunt, hujus ſacramenti inſtitutionem vel promulgationem eſſe Jacob. 5: 14. Atqui is locus ad χαρίσματα ἰαμάτων (de quibus 1 Cor. 12: 9. 28.) pertinet: ut per ſe liquet. Ea autem ſunt vel extraordinaria vel ordinaria. Vult Jacobus presbyteros Eccleſiæ vocari; ut & in periculo mortis & in morbis inter ſe communicent fideles & communes preces fiant; & à tota Eccleſia per presbyteros curantur, qui non ſufficiunt ſibi ad medicinam procurandam.

Ordo. 5. Χειροθεσία miniſtrorum Eccleſiæ aut porrectio inſtrumentorum (nam dubitant) non eſt ſacramentum conferens gratiam gratum facientem; & in Epiſcopo fingitur à Bellarmino geminum, ad conſtituendam majoritatem Epiſcopi de jure divino; in quo meritò diſſentiunt alii Scholaſtici veteres & recentiores. Character indelebilis, unctio & raſura, νόθα & ſpuria ſunt in Chriſtianiſmo.

Matrimonium. 6. Matrimonium, licèt ſanctum & honoratum debeat eſſe, ſine auctoritate divina aſſeritur ſacramentum Novæ legis, ut loquuntur; quum non fuerit ſacramentum ſub Veteri Teſtamento. Matrimonium autem hoc eſt ſub Novo Teſtamento, quod fuit ab initio. Matth. 19: 8. Sed illi ſe condemnant, matrimonium tanquam opus carnis damnantes in clericis, eique præferentes eorum concubinatum

cubinatum & scortationem; & lupanaria veluti minus malum ad avertendum majus: & matrimonii rati votum ac juramentum, *fudusque* Dei, quod est inter virum & uxorem (Mal. 2:14.) solventes per votum phantasticæ religionis: & dispensantes de gradibus in lege prohibitis.

LOCUS VIGESIMUS SECUNDUS
DE
FIDE N. TESTAMENTI.

CAPUT LXVIII.

De fide egimus cap. 46. de fide Patrum cap. 47. nunc tempus est, ut & de fide Novi Testamenti agamus. Licèt enim *fides una sit* (Ephes. 4:5.) revera sub Veteri & Novo Testamento, quia Deus unus est, Rom. 3:30. Mal. 3:7. & Spiritus unus est, & Christus idem est, Hebr. 13:8. tamen fieri non potest, quin, ut credentium, ita ipsius fidei in credentibus, propter diversam ipsorum conditionem, magna sit differentia. *Fides una* *differt pro statu fidelium.*

2. Unde & Apostolus Gal. 3:23. 24. *fidem* & *fidei revelationem* rejicit ad tempora Christi, quemadmodum præcedenti tempori attribuit *spem*. Eph. 1:12. ut & supra monuimus cap. 47. § 12. Nam fides, qua quis credit promissioni, ratione boni, quod credit Deum velle dare, est spes. Quando autem salus reipsa parta ac parata est, ejusque causa in sua consummatione exstat, quoad hoc fides desinit esse spes, & non amplius est sitis ac fames sine cibo ac potu præsenti, sed merè & tantùm est fides: quæ, ut contemplatur Deum, qui loquitur & testatur, præsentem, ita etiam eum, cui testimonium perhibetur à Deo, ut auctori salutis, præsentem intuetur & tanquam Salvatorem amplectitur. Quæ intuitio & intentio in Salvatorem dicitur *vita æterna* Joh. 17:3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant & ante oculos habeant, & , quem misisti, Iesum Christum.* *Differt à Spe Veterum.*

3. Et meritò vocatur ea cognitio *vita*, quia habet sapientiam & prudentiam, & rectitudinem imaginis Dei, & in ea est lætitia ac beatitudo. Unde Christus Matth. 13:16. 17. *Beati oculi vestri, quia*

vident, & aures vestræ, quia audiunt. Nam multi prophetæ cupiverunt &c. & Matth. 11: 11. *minor in regno cœlorum major est Iohanne*, hoc est, felicior & beatior.

Quomodo in fide N. Test. sit spes?

4. Quamvis autem fides Novi Testamenti non sit spes, quoad causam salutis, & quoad fructus justitiæ, qui dantur in hac vita; tamen manet *spes*, quoad consummationem salutis, vitæ, victoriæ & beatitudinis. Unde fidem appellat Petrus 1 epist. cap. 1. v. 3. *spem vivam*, hoc est, talem spem, quæ in homine efficit lætitiam, alacritatem, robur & constantiam. Et Paulus Hebr. 6: 11. vocat πληροφοριαν της ἐλπιδος *certitudinem spei.* imò Hebr. 11: 1. *fidem* dicit magna sui parte esse *rerum sperarum pollicitationem.* Et Rom. 8: 24. *spe salvati sumus.* Tamen etiam *fides* in Novo Testamento ea quoque parte, qua est *spes*, magnam præcellentiam habet præ spe Veterum; non, quòd non Veteres eandem gloriam speraverint, sed, quòd spes Novi Testamenti suffulta sit exhibitione Salvatoris, & habeat eò majorem fiduciam & *gloriationem* in causa salutis exstante. Quam *gloriationem* fidei sive *spei* innuit S. Paulus Hebr. 3: 6. 14. Neque enim ea spes est dubia & vacillans atque languida, sed spes fidei certitudinem habens, & ipsa fides, quatenus ea nititur testimonio Dei & auctore salutis consummato, ejusque amore in cordibus nostris effuso per spiritum sanctum. Quare etiam dicitur, quòd *justitia Dei* sit *ex fide in fidem.* Rom. 1: 17. Phil. 3: 9. Justitiam enim Dei consequimur per fidem, ut credamus, nos justitiam & in justitia vitam æternam per fidem consequutos esse.

Processus fidei ad spem.

5. Qui processus à fide ad fidem cognoscendus est. Imprimis, qui audit verbum Euangelii, credit, id à Deo prodiisse, quia divinæ majestatis insignia adsunt traditioni ejus; &, quia id Deo dignum est & cum nomine ipsius convenit, & cum dictamine ac testimonio conscientiæ de propria imbecillitate & fœditate, deque divina tolerantia, & rectitudine hominis, ut amet Deum. Deinde, credit, in eo, quem Deus salvatorem nominavit, justitiam & salutem esse. Tum credit, verum esse, quòd omnis, qui reperitur in ipso, justitiæ & salutis sit particeps. Eum autem, qui ad ipsum confugit, hoc est, in ipso reperiri quærit, atque ita eum amplectitur, gloriam Deo dare, & amare Deum, & sic vitæ ac Spiritûs Dei participem, ac porrò in Salvatore esse. Ideòque ad eum confugit, eumque amplectitur cum siti ac fame justitiæ & servitutis justitiæ. Hoc dum facit, & sentit, &, tum in studio bonorum operum, tum in passionibus per patien-

patientiam experitur, atque ita signaculum Dei & arrhabonem Spiritus sancti in se videt. Quia autem credit, eum, qui habet arrhabonem Spiritûs, fundatam habere spem; credit, etiam sibi datam esse & justitiam & vitam in cognitione Christi & in ipso. 2 Petr. 1. v. 3. Quinetiam, quia Deum amat, & credit, amantibus omnia cooperari ad salutem, ipsisque dictum esse, Ne metuant, ac novit, Deum frustra amari non posse, credit & novit, se amari à Deo & hæredem Dei factum esse.

Fides Novi Testamenti differt à fide Veterum ratione Testium.

6. Qui in Veteri Testamento credebant promissioni, credebant etiam in Mosen. Exod. 14: 31. & c. 19: 9. hoc est, ei confidebant, & eo nitebantur, ut testi Dei fideli in tota domo ipsius. Num. 12: 7. imò in Mosen baptizati sunt, ut ei obedirent, 1 Cor. 10: 2. At, qui credunt in Novo Testamento, non solo Mose teste atque interprete verborum Dei ac servo ipsius nituntur; sed ipso Domino. Hebr. 1: 1. 2: 3. & baptizati sunt in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, Matth. 28: 19. trium testium, qui sunt in cœlo, & quorum monimenta exstant & testantur in terra. Pater enim testatus est per Spiritum, quem posuit in Mose, Prophetis, Apostolis & credentibus. Filius testatur per obedientiam usque ad mortem crucis, atque ita per aquam sive rem purificantem. Spiritus filiationis testatur per sanguinem, qui propter nomen Christi libenter profusus est ab amantibus ipsum. 1 Joh. 5: 7. 8. Deinde non sunt baptizati in Mosen, ut subjiciantur omnibus præceptis, quæ per Mosen tradita sunt populo Israëlitico: sed ut nominent Patrem, Filium & Spiritum sanctum; Patrem, Deum & Patrem suum; Filium, Redemtorem & Dominum; Spiritum sanctum Paracletum: & ita nominando Deum salvi sint. Joël. 3: 5. vel 2: 32. Ideoque, qui sub Veteri Testamento crediderunt, eo ipso, quòd crediderunt Mosi, quamdiu ipse Dominus locutus non est verbum consolationis & pacis, acceperunt Spiritum (Nam per Spiritum Dei crediderunt) servitutis ad metum, Rom. 8: 15. At, qui credunt in Novo Testamento, quia credunt Euangelio salutis (credunt autem, ut dictum, per Spiritum Dei) eo ipso, quòd credunt, habent Spiritum gratiæ, Zach. 12: 11. & adoptionis filiorum, per quem clamant, Abba, Pater. Rom. 8: 15. Gal. 3: 14. 4: 6. Nam in Veteri Testamento Spiritus Dei operabatur voluntatem suscipiendi & ferendi jugum per Mosen impositum, usque ad tempus liberationis; & amorem terreni pignoris (qui parit metum mortis) cum desiderio

Et ratione subjectionis, ac mensura Spiritus.

videndi hæreditatem mundi, quæ promissa fuerat Abrahamo. At in Novo Testamento operatur idem Spiritus lætitiam & gratiarum actionem meram & fiduciam accedendi ad Deum sine remora, sine trepidatione, in Christo, & in Christi nomine petendi à Deo omnia, quæ filii Dei à Deo Patre suo decenter possunt petere & expectare. Ideòque per eam fidem *fiunt filii Dei* sive se gerunt pro filiis Dei, Joh. 1: 12. & dicunt Deo atque ad eum *clamant*, *Abba, Pater*. Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. Jerem. 3: 19. *Et ego dixi, Quomodo te ponam in filiis* (quàm illustri & eximio loco te ponam in *filiis*) *& dabo tibi terram desiderii, hæreditatem decoris exercituum gentium! & dicebam, Pater mi, voces me, & à me sequendo ne avertaris.* Volebat Deus etiam in Veteri Testamento se *Patrem* vocari, sed, qui eos subjecissent pædagogis, & pararet hæreditatem, quam tempore suo possiderent more *filiorum* adultorum & pœdagogis non ampliùs subjectorum. Igitur in eo loco fit distinctio inter filios, quibus hæreditas nondum datur, & illos, quibus ea datur: ut & Gal. 4: 1.

7. Ideòque & à Mose in futurum fuit promissa *Circumcisio cordis* ad *amandum Deum*. Deut. 30: 6. Nam conscientia reatûs nondum expiati (quæ fuit in fidelibus Veteris Testamenti) & necessitas proferendi chirographum & se accusandi, itemque timor ac trepidatio circa pignora & umbras, fuit aliquid carnale & à peccato proveniens, & tanquam præputium aliquod. A quo circumciduntur corda per Spiritum filiationis, qui operatur fidem Euangelii ad gratiarum actionem, lætitiam, fiduciam, & in lætitia ac fiducia amorem puriorem, enixiorem, vividiorem: qui ejicit ex corde timorem omnem, qui tormentum habet; qualis est timor perdendi rem terrenam pignori datam. 1 Joh. 4: 18. Nam, quid superest, nisi lætitia & gratiarum actio? quando dici non potest, Quis ascendet in cœlum? Quis descendet in abyssum? Deut. 30: 12. 13. Imò, quum potest dici, Filius Dei descendit in inferiora terræ & ascendit: secundùm illud, *Ascendisti in altum, captivam egisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Psalm. 68: 19. Esaias cap. 9. comparat homines Veteris & Novi Testamenti ratione mœroris & lætitiæ. Adde Matth. 11: 28. Luc. 2: 10.

Ratione notitiæ. 8. Magna etiam fidei Novi Testamenti differentia est à fide Veterum, quia cum majore notitia est conjuncta. De qua re agit Apostolus Ephes. 3: 9. 10. Neque velum amplius incumbit faciei ipsorum, sed accedunt prope, & imaginem ipsam rerum contemplantur,

plantur, & retecta facie de gloria in gloriam, colluſtrati gloria Dei more ſpeculi, ad gloriam Dei transformantur, tanquam à Domini Spiritu. 2 Cor. 3: 18. Nihil enim reſtat revelandum ad intelligentiam myſterii Dei, quod non revelatum ſit.

9. Proficiunt autem promtiſſimè, quia clavis cognitionis in omnium ore eſt; per quam reſerant omnia promtuaria domûs Dei & ex fontibus ſalutis bibunt cum lætitia. Eſ. 12. *Ratione clavis.*

10. Et hîc inſignis ſe prærogativa pandit, quòd fideles Novi Teſtamenti credunt Deo immediatè & per voces ipſius docentur. Non enim tantùm accipiunt verbum Dei per ſolam traditionem: cujus divinitas non ipſis vocibus θεοπνευστις noſcitur, ſed rerum ipſarum divinitate. quemadmodum ante legem verbum Dei accipiebant. Neque per eas voces, quæ eſſent ænigmata: quarum clavis eſſet hominibus commendata. qui veritatem, quibus valerent, verbis explicarent. quemadmodum in Veteri Teſtamento docti ſunt. Sed docentur per ipſas voces Spiritus ſancti & θεοπνευστως & clavim & expoſitionem: ita ut nihil clarius fieri poſſit, &, antequam ſenſus omnes percipiant, imò etiam fatui, ſcire poſſint, has voces à Spiritu ſancto profectas eſſe, & in iis omnis veritatis explicationem contineri. *Ratione medii docendi.*

11. Quare, qui bibit de iis aquis, non ſitit ampliùs. Joh. 4: 14. hoc eſt, qui audit hoc verbum & credit, is nihil ad ſalutem neceſſarium ampliùs deſiderat, & novit, ſibi myſterium Dei totum revelatum eſſe, neque aliud verbum deſiderat; ſed ad Chriſtum in verbo patefactum, *fontem ſalutis*, accedit omni tempore, quoties vult, & *ex illo haurit aquas cum lætitia & hilaritate.* Eſ. 12: 3. & eſt πεπληρωμενοι *conſummatus:* quippe cui nihil deeſt, quod præterea deſiderare poſſit, (Hebr. 11: 40.) vel ad amorem Dei maximum, & gratiarum actionem, vel ad ſpem, vel ad ſapientiam ac prudentiam, vel ad ſubeundas cum lubentia & patienter perferendas afflictiones & tentationes, denique ut *ſibi benedicat.* Nam fidei Novi Teſtamenti cumprimis eſt הִתְבָּרֵךְ *ſibi benedicere.* Quod de gentibus dicitur Gen. 22: 18. 26: 4. quibus & *benedictio* præcipua datur præ Iſraële Veteri. Gen. 12: 3. ut Apoſtolus explicat Gal. 3: 8. 9. 10. 13. Illorum eſt *ſibi benedicere* propriè & πλειως, qui poſſunt de ſe dicere, quòd obtinuerint promiſſionem, quòd bene ſecum agatur, quòd beati ſint, ut eſt in Pſalmo 32: 1. quòd liberati ſint à reatu & condemnatione, & ab omni moleſtia, terrore ac timore, & juſtificati ab omnibus, *Fidei Novi Teſtamenti tollit ſitim, & eſt πεπληρωμενη.* *Fidei in Novo Teſtamento eſt ſibi benedicere.*

nibus, etiam iis, per quæ non poterant justificari. Quare Es. 65:16. prædicitur, futurum, ut *benedicens sibi* sive benedictionem sibi vindicans *in terra sibi benedicturus sit in Deo Amen*, hoc est, in Deo, cui, stipulanti confessionem, gratiarum actionem & glorificationem, respondendum sit, γένοιτο.

& gloriari in Deo,

12. Quod est *gloriari in Deo*. Atque, id esse fidei Novi Testamenti præcipuè, indicat Esaias cap. 45:25. *In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis.* Est autem *gloriari in Deo* (quod & Apostolus justificatis per fidem in Christum attribuit Rom. 5:11.) de se ipso magnum hoc bonum dicere, quòd Deus verus sit noster Deus, & nobis sit factus Deus; quemadmodum promissum est. Gen. 17:7. *Et fiam ipsis Deus.* & Jerem. 31:1. 33.

& Deum glorificare.

13. Quæ *gloriatio in Deo* etiam glorificationem Dei complectitur. Quemadmodum enim fides amplectitur verbum, quo narratur opus Dei, quod is fecit *ad laudem gloriæ gratiæ suæ*, Eph. 1:6. ita etiam fidei est confiteri id opus, atque ita *virtutes Dei annunciare*, 1 Petr. 2:9. & *laudem Dei narrare*. Es. 43:21. *Populus, quem formavi to mihi, laudem meam narrabunt.* Vide & Psalm. 117. & Rom. 15:9. 11.

Fidei Novi Testamenti descriptio.

14. Quid est enim fides, præcipuè Novi Testamenti, nisi *obsignatio, quòd Deus sit verus.* Joh. 3:33. sive ὁμολογία, hoc est, 1. confessio, & affirmatio animi, cum lætitia conjuncta, quòd non tantùm Deus revera sit, & mentiri non possit, sed etiam, quòd se & verum Deum, omni & sufficientia & potentia, & virtute ac decentia, & gratia abundantem; & veracem in promissionibus; & verè Deum peccatoris, verè amabilem ac laudabilem, ostenderit in Christo. 2. astipulatio & assensus in mandatum (quo præcipitur, ut confugiamus ad Salvatorem, & Deum amemus, ut Patrem) per obedientiam confugiendi & amandi, ad habendum fœdus cum Deo, & justitiam ipsius accipiendam: uti & assensus in omne id, quod ad glorificandum Deum & Christum, & ad spem firmandam facit. Nam, si fides Euangelii est assensus voluntarius in Euangelium, non potest esse sine apprehensione Christi & fiducia in ipso; neque etiam citra voluntatem gloriam Deo dandi & donum justitiæ quærendi, & ipsi gratias agendi, & spem suam confirmandi.

Fides est à Spiritu sancto.

15. Hæc fides non nisi à Deo & Spiritu Christi esse potest. Nam in ea hominis rectitudo est & imaginis Dei instauratio. Quippe in ea est cognitio nominis Dei, & virtutum, quibus Deus excellit, & propter quas glorificandus est, atque ita primæ veritatis; dein-

deinde amor ejus veritatis ac ſtudium; quod Apoſtolus vocat ὁσιότητα τῆς ἀληθείας, *pietatem veritatis*, ſive ſanctum ſtudium & amorem veritatis; in oppoſitione *concupiſcentiarum ſeductionis*, Eph. 4: 24. 22. Et, quantumcunque de Deo & ejus honore ac cultu dicere, confiteri, docere poſſunt vel gentes vel Judæi, quod Deo dignum eſt, id fides Chriſtiana amplectitur ſeriò: quod autem cum gentibus & Judæis non accipit, ſed abnegat & rejicit, id Deo indignum eſt: &, in quo deficit ſapientia gentilium & Judæorum, id Deo tribuit, tanquam præcipuam laudem, qua ſe Deus effert ſupra omnes deos (qui hanc gloriam ſibi ſumere auſi non ſunt) nempe quòd Deus non condonet peccata, niſi juſtificando peccatorem, ut ipſe ſit juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu: quodque ipſe ſit peccatori ſalutis cauſa per juſtitiam. Quam laudem qui Deo negat, Deum negat; eumque amare non poteſt: qui verò eam Deo tribuit, is Deum verè agnoſcit, & amat, & glorificat. Quo amore Dei concupiſcentiæ mortificantur & pietas exſuſcitatur. Quod non poteſt provenire à malo. Itaque ea fides arguit, Satanam eſſe revera devictum, & eum, cujus nomen prædicatur, ut Salvatoris & Filii Dei, quique fide accipitur, eſſe revera Salvatorem mundi & Filium Dei.

16. Neque ea ex homine eſt. Nam hominis concupiſcentia averſa eſt ab ea veritate, quæ eſt ſolidæ & ſinceræ pietatis matrix. Quod apparet ex omni impugnatione & perſecutione & detorſione ac corruptione Euangelii. Ideò dicit, quòd *teſtimonium Chriſti nemo accipiat*. Joh. 3: 32. & Apoſtolus, Quod Euangelium ſit gentibus ſtultitia, Judæis ſcandalum. 1 Cor. 1: 23. *Fides non eſt ex homine.*

17. Eſt enim fides hæc quædam rectitudo hominis, & ſic *juſtitia*, hoc eſt, debitum & officium, & cultus & obedientia laudabilis. Vide Ezech. 18: 19. 21. 22. Ideòque ei aſſignatur, quòd per eam *cor purificetur*. Actor. 15: 19. Prima enim vita eſt & recta ac ſancta cogitatio & voluntas in homine peccatore. Et ſine illa atque ante illam nulla eſt recta de Deo cogitatio in homine peccatore, neque amor ipſius, ſed ſolius concupiſcentiæ regnum. Nam, qui non credit, & in Novo Teſtamento non credit Euangelio, nec juſtificat Deum, nec glorificat, nec eum amat, ut eum velit talem eſſe, qualis eſt, & in ipſo delicietur. Ideò, qui credit in eum, quem Deus miſit, dicitur *opus Dei operari*, Joh. 6: 29. & ei obedire, Rom. 1: 5. & per ὁμολογίαν, confeſſionem & adſtipulationem ſubjici Euangelio, 2 Cor. 9: 13. & juſtitiæ Dei, Rom. 10: 3. Quemadmodum, *Fides eſt rectitudo & juſtitia ſive juſtum opus.* *opus Dei.*

Obedientia, dum, qui non credunt, dicuntur ἀπειθεῖς & ἀπειθοῦντες *inobedientes*, Joh. 3: 36. 1 Petr. 2: 8. non obtemperare veritati. Gal. 3: 1. 5: 7. Et, qui non credit in Filium Dei, Deum mendacem facit. 1 Johan. 5: 10. Quæ extrema injustitia est. Imò negat, Deum posse aut velle esse Deum peccatoris, quod promisit; aut putat, Deum esse similem sui. Psalm. 50: 21. Qui *cum Deo* non *facit fœdus super sacrificio*, v. 5. per *confessionem* (quo *sacrificio* peccator Deum colere potest, v. 14. 23.) nempe sacerdotis & sacrificii justitiæ (Psal. 51: 20.) ab ipso oblati, contra Deo sua de pecudibus sacrificia obtrudit, v. 8. 9. & de proximo, Dei fœderato, judicat; is Deum reputat sibi similem, nec peccato offendi admodum, nec velle sanctificari, neque verè justificare peccatorem, & sine justitia gloriæ participem facere. *Sacrificium,* Quæ est abnegatio nominis Dei. At fidei ὁμολογία & *confessio* est *sacrificium*, hoc est, Deo grata res & ejus veritati, sanctitati, potentiæ & bonitati celebrandæ conveniens. Ideòque elogio etiam *sacrificii justitiæ* inter cætera ornatur, ut Psalm. 4: 6. Deut. 33: 19. *sacrificium justitiæ,* Quantumvis enim non sit sacrificium illius justitiæ, per quam Deus sanctificatus est, & peccatum damnatum, ut peccata condonare & vitam donare posset, & donaret; tamen est sacrificium illius justitiæ ac rectitudinis, qua Deus remittens peccata, ut sanctus & justus, & per sacrificium ipso dignum sanctificatus & justificatus celebratur. Quod verè est *sacrificium*, hoc est, res Deo grata & accepta, & velut epulum Dei & δωρεα, qua ipse δωρεῖται. Hebr. 13. vers. 16. Neque dedignatur Scriptura in typis & emblematis sive ænigmatis statum Ecclesiæ novi Testamenti figurantibus (quale est templum Ezechielis) eam appellare *sacrificium pro peccato.* *sacrificium pro peccato.* Nam, quum post sacrificium Christi non sit oblatio pro peccato (quippe quum per illud *remissio* plenaria impetrata sit) non aliud est sacrificium pro peccato, quod fideles, quoties cæspitant, labuntur &. defectus suos deplorant, Deo offerre possunt, quàm confessio ἱλασμοῦ & provocatio ad intercessorem Christum, & petitio veniæ in nomine ipsius. ut discimus ex dicto Psalmo & Psalm. 51. vers. 8. 9. 18. & 1 Joh. 2: 1. 2. Joh. 14: 13. 14. Jacob. 5: 15. Quale sacrificium pro peccato offert David & Psalm. 143: 1. 2. & Hoseas offerre docet cap. 14: 2. 3. Id revera est *juge sacrificium*, quod Deo in Ecclesia offerri debet cum confessione, prædicatione veritatis, precibus, & omnibus fructibus justitiæ. Dan. 12: 11.

Fides non est ἀκρεμων. 18. Hæc fides, ut diximus, est unica matrix pietatis. Nam 1. veritas,

ritas, quam amplectitur, est secundùm pietatem, hoc est, apta & idonea ad pietatem ingenerandam. Tit. 1: 1. quòd ex dictis patet. 2. non possunt bona & mandata opera extèrna per membra fieri benè, si absit fides. Nam peccator faciens membris bona opera mandata, facit ea in duplici corde, & vel cum fiducia justitiæ propriæ, ac mala opinione de Deo; vel cum aversione à Deo, tanquam exigente debitum ad sufficientiam & satisfactionem. 3. per fidem resistimus Diabolo tentanti. 1 Petr. 5: 9. Eph. 6: 16. per eam consideramus opera Dei, quippe cognitione Dei nos oblectantes. Hebr. 11: 3. Per eam vincunt fideles mundum, & vicerunt. 1 Joh. 5: 4. 5. quia habent eum, qui vicit mundum; & Spiritum ejus, qui est major eo, qui est in mundo. Joh. 16: 33. 1 Joh. 4: 4. Per eam mortificarunt carnem suam cum concupiscentiis, Gal. 5: 24. tum ratione meriti Christi, tum ratione vivificationis. Per spem autem, quam habent, secastos servant. 1 Joh. 3: 3. Per eam justificati quærunt justificationem per opera, hoc est, ratificationem suæ justificationis apud Deum, & consummationem fidei suæ. Jacob. 2. v. 22. 23. 2 Petr. 1: 10. Hebr. 6: 11. & studeant Spiritum Dei, qui est spiritus fortitudinis, dilectionis & modestiæ, in se videre vivum & manifestum, velut arrhabonem suæ acquisitionis & conservationis ac hæreditatis. Eph. 1: 13. &, dum Deum in veritate Patrem vocant, studeant eum honorare; & ad eum perpetuò clamant precibus & suspiriis; & hæreditatem cœlestem quærentes, terrestrem abnegant; & regnum in mundo sibi promissum voto cordis amplectuntur & studio ac patientia quærunt: atque, diligentes eum, qui ipsos genuit, diligunt etiam eos, qui ex ipso geniti sunt, & ipsis vitant esse scandalo & tristitiæ, ac potiùs fructum lætitiæ ex illis & ex iis, quos lucrantur, capere gestiunt. Idque eò magis sub Novo Testamento, quia non arcentur, non dividuntur metu pollutionis, non distrahuntur servitute; & Christi regnum ad omnes penetravit: maximè autem, qui in pace vivunt, condolentes illis, qui adhuc in certamine sudant, & ostia cordium suorum patefacientes ad totum regnum cœlorum recipiendum. Hæc enim propria fidei opera & studia sunt, ad quæ sua natura ducit & impellit.

19. In fide utimur omnibus rebus, quas Deus creavit ad assumendum, cum gratiarum actione; scientes, eas nobis purificari per verbum Dei & per intercessionem Sponsoris, qui accepit dona in hominibus, cujus pedibus omnia subjecta sunt. Vide Rom. cap. 14. *Fides in rerum creatarum usu.*

v. 22. 23. 1 Timoth. cap. 4. vers. 3. 4. 5. Psalm. 68. vers. 19. Psalm. 8. vers. 7. 8. 9. Fides enim etiam circa libertatem à Deo datam & prædicatam versatur humiliter cum gratiarum actione, & prudenter ea utitur. Sed de libertate infra agendum erit.

LOCUS VIGESIMUS TERTIUS
DE
JVSTIFICATIONE N. TEST.

Cap. LXIX.

De Iustificatione fidei Euangelii.

Ratio ordinis. Postquam in superioribus de justitia fidei, cap. 48. & de justitia patrum ante legem, cap. 51. & de legis subintroductione; deque fide Novi Testamenti proximè egimus: nihil videtur nobis præterea agendum, quàm ut 1. præcipua quædam testimonia de gradu justificationis sub Novo Testamento consideremus, & ejus πλείωσιν ex iis demonstremus; 2. ut à justificatione Novi Testamenti removeamus falsas causas, quæ præter justitiam Christi, quæ est justitia Dei; aut cum abnegatione ejus à quibusdam errantibus introducuntur. In hoc igitur capite agemus de primo, in sequenti de altero. Et potest sanè fieri, ut hîc non alia dicere videamur, quam quæ & superiùs diximus: tamen, qui consideraverit, quàm tardi simus ad percipienda ea, quæ sunt Spiritus sancti, non ægrè feret, nos sæpe idem dicere. à quo & Scriptura sibi non temperavit consulens nobis. Fortè etiam erunt, quibus necdum videbimur satis vel rem explicasse vel confirmasse. Quare non est operæ parcendum. Imprimis, quia in hac re nucleus verbi Dei consistit: & explicatio hujus doctrinæ ad capitales controversias finiendas & periculosa dogmata evertenda est accommodatissima.

Iustificatio promissa. 2. Ut igitur inde incipiamus, promittit Scriptura *justificationem*, ut rem non prisci temporis, sed posterioris. Es. 45. 24. 25. *Tantùm in Iehovah (de me dixit) justitiæ*, hoc est, perfecta justitia *& robur invictum. ad eum accedit* quivis, vel, qui accedit, *& pudefient omnes exardescentes*

descentes in eum. In Iehovah justificabuntur & gloriabuntur omne semen Israëlis. In qua pericopa aliquis, qui vocatur Deus & Salvator, introducitur loquens & disceptans cum adversariis suis ipsum rejicientibus & in ipsum efferatis. Is autem introducitur recitans & narrans hæc verba, tanquam olim, antequam appareret, dicta, & de se dicta. Non venerat is ante Esaiam; neque alibi hæc totidem verbis dicta sunt. Nec de Esaia dicta sunt aut dici potuerunt, neque de ullo propheta illum secuto. Ergo intelligenda sunt de *servo Dei*, quem Deus *vocaturus erat in justitia*, hoc est, cum justitia, ut eam adduceret & donaret. Es. 42: 6. De quo dicitur cap. 53: 11. *In cognitione sui justificationem faciet* aut procurabit *Justus* (ille, qui jus habet accipiendæ & hæreditatis & regni & gloriæ) *servus meus* (qui dixit Jehovæ, Dominus es tu, quique debitum præstandi bonitatem Dei sanctis, qui erant in terra, exsolvit, omni justitia impleta, Psalm. 16: 2. 3. 10. Es. 1: 27. 5: 16. Es. 42: 1. 49: 3. 5. 6.) *multis*, hoc est, Judæis & gentibus electis. Jer. 23: 5. 6. *Ecce dies veniunt, & excitabo Davidi semen justum. — in diebus ejus salvabitur Iuda, & Israël habitabit securè: & hoc erit nomen ejus, qui vocabit ipsum, Iehovah justitia nostra.* cap. 33: 16. *& hoc erit, quod nominabit illam*, Hierosolymam: *Iehovah justitia nostra est.* Nomen vocantis Israëlem est Jehovah justitia nostra. Sic enim nominatur à vocatis. Et nomen vocatorum & salvatorum est, *Iehovah justitia nostra est.* Quia illorum gloriatio est, quod Jehovah sit justitia sua. nempe *semen Davidis justum.* Hæc est *justitia*, de qua dicit, quòd occursura sit venienti ab Ortu. Es. 41: 2. quòdque sit futura cingulum Christi, Es. 11: 5. hoc est, quòd Christus propter eam adductam jus potestatemque habiturus sit pacem faciendi, *ut habitet lupus cum agno.* Quod fieri non potuit, nisi interfectâ inimicitiâ, Eph. 2: 15. & Euangelio prædicato in mundo, & Ecclesia in mediis gentibus habitante, ita, ut hostes ipsius ei mentiantur. De hac justitia dicit Es. 54: 14. *In justitia confirmaberis.* q.d. justitia hæc apprehensa te tutum & securum præstabit, & conciliabit victoriam & regnum. Et Christus Matth. 6: 33. *Quærite ante omnia regnum Dei &* in eo *justitiam ejus*, nempe Dei. *cætera adjicientur vobis.*

3. Continet hæc *justitia* duo. 1. ἄφεσιν, *remissionem peccatorum.* 2. υἱοθεσίαν, *adoptionem filiorum.*

4. Quod attinet *remissionem peccatorum*, de ea sic Jeremias cap. 31. v. 31. in promissione Novi Testamenti, *Nam condonabo peccata*

ipsorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius. Quod repetit Apostolus Hebr. 8:12. 10:17. Et Apostolus Eph. 1:7. & Col. 1:14. conjungit *redemtionem* & *remissionem*: dicens, *Nos eam habere in Christo.* q. d. Ante Christi apparitionem eam non fuisse. Quinetiam inde conficit, non esse imposterum oblationem pro peccato. q. d. quamdiu fuit oblatio pro peccatis facta, & Christi oblatio exspectata, tamdiu non fuisse *remissionem* peccatorum. Qua de re paulò plura dicenda sunt, tum ne quid detrahatur sanctis Veteris Testamenti & fidei; tum, ne quid decedat meliori promissioni Novi Testamenti.

Quomodo remissio excludat oblationem pro peccato, atque adeò sit propria N. Test.

5. Verba Apostoli hæc sunt. *Vbi autem ἄφεσις remissio horum, non adhuc oblatio pro peccato est.* Ad ea verba sic annotavimus in Commentario. *Sexta ratio, ad probandum, quòd non debeat repeti Christi oblatio, sumitur ex promissione Dei apud Ieremiam de bonis Novi Testamenti, nempe quòd in illis contineatur* Remissio peccatorum. *Eam Apostolus annotat in Novo Testamento dari magis, quàm unquam antea. Antea enim fuisse quendam rancorem & iram. Fuit* non imputatio peccati *etiam* ante legem. Rom. 5:13. *nemo ad sanctitatem & vitam perveniisset, si Deus imputasset peccatum: fuit* justificatio, *ut Abrahami, ita filiorum Abrahami, apud Deum. sed, quia potuit lex intervenire exprobrans peccatum & imponens servitutem; & revera intervenit; neque tamen peccatum vel in sanctificatis pro merito punitum est, vel judicatum est in quoquam, ut ab accusatione depelleretur: fuit, quoad statum hujus vitæ, magis tanquam πάρεσις, conniventia & dissimulatio peccati,* Rom. 3:25. *quàm ἄφεσις* dimissio. *quam & alibi Apostolus assignat τῇ ἀπολυτρώσει* redemtioni. Eph. 1:7. Col. 1:14. *Confer Matth. 26:28. Sanguis Novi Testamenti, qui pro multis effunditur ad remissionem peccatorum. Marc. 1:4. prædicans baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum. Luc. 1:77. 24:47. Actor. 2:38. 5:31. &c.*

6. D. Calvinus sic annotat. *Videri quidem posit hæc parum firma illatio. Nam cùm olim innumeræ extarent in lege & prophetis de peccatorum remissione promissiones, victimas tamen pro illis offerre non desinebat Ecclesia. Proinde remissio peccatorum sacrificia non excludit. Verùm si singula propius consideres, habebant etiam patres sub lege easdem, quas hodie habemus de remissione peccatorum promissiones. Illis freti Deum invocabant, & de impetrata venia gloriabantur. Atqui Propheta, quasi novum quiddam & priùs inauditum adferat, promittit, nullam sub novo fœdere peccatorum fore memoriam coram Deo. Hinc colligere licet,* DIVERSO MODO NVNC REMITTI PECCATA, *quàm olim. Hæc porrò diversitas non in verbo,*

nec

nec in fide sita est: sed IN IPSO PRETIO REMISSIONIS. *Nunc ergo peccatorum Deus non recordatur, quia omnium semel facta est expiatio. Alioqui frustra diceretur à Propheta, fore hoc Novi Testamenti beneficium, quòd Deus peccatorum non recordabitur.*

7. Hæc ita declarat D. Paræus. *Videtur hæc ratio non satis valida. Si enim remissione peccatorum posita oblatio pro peccato locum non habet: sequetur, sub lege vel nullam remissionem peccatorum fuisse: vel, si fuit, sacrificia pro peccato offerri quotannis non debuisse. Videtur ergo remissio peccatorum sacrificia non excludere.* Respond. *Negari quidem non potest, quod sæpè est demonstratum, Patres sub lege easdem de peccatorum remissione promissiones habuisse, quas & nos habemus: & fide earum fretos Deum invocasse, atque veniam peccatorum consecutos esse: nihilominus verò sacrificia pro peccatis rectè obtulerunt. Ratio est: quia oblatio expiatoria vera nondum facta erat, in qua peccatorum remissio, quæ ipsis contingebat, fundata erat. Remittebantur enim eis peccata non propter sacrificia, quæ faciebant, sed propter oblationem Christi, cujus umbras offerebant. Interim ergo* PECCATA ETIAM REMISSA *sine expiatione vera* MANEBANT, *donec morte mediatoris tandem expiarentur. qua expiatione facta peccata tam ipsorum quàm nostra* VERE DEMVM *fuerunt* ABOLITA *in Dei judicio. Itaque remissio promissa in futurum sub Novo Testamento non de simplici peccatorum venia, sed de actuali peccatorum expiatione & abolitione per Christi expiatoriam victimam est intelligenda. Vnde apparet, in voce* Remissionis ὁμωνυμίαν *subesse: & de remissione quidem promissoria, qualis erat sub lege, sententia Apostoli non staret. Erat enim tunc talis remissio: & tamen tales oblationes pro peccato quotidie fiebant. De remissione verò impletoria, qualis est sub Novo Testamento, stat Apostoli sententia.* Idem ad v. 15. dicit: *In Novo Testamento habetur* PLENA REMISSIO.

8. Hæc nos utroque probamus pollice, & hæc, non alia, ubi de his rebus loquendum est, docemus. Cupimus verò ea etiam ampliùs illustrare, propter Judæos, Pontificios, Socinianos. Nam in his est errorum, quos fovent, jugulatio.

9. Ab initio dixit Deus Gen. 3: 15. *Semen tibi* (serpenti) *conteret caput: tu autem ei conteres calcem.* Efficitur, caput Serpentis non fuisse contritum, antequam semini contereretur calcaneus, hoc est, potestatem omnem, quam Diabolus obtinuerat in peccatorem & ejus filios, non priùs abolitam esse, quàm venit Semen, & is passus est ea, per quæ potestas Satanæ aboleretur. Item, à potestate Diaboli

Ius Diaboli in peccatores demum extinctum in morte Christi.

boli in peccatorem proveniſſe paſſiones Sponſoris. Cum quo convenit, quod eſt Hebr. 2: 14. *ut per mortem aboleret eum, qui imperium mortis habebat, Diabolum.* Clarum autem eſt, poteſtatem Diaboli in peccatorem non oriri ex dignitate Diaboli aut illius ullo jure, ſed ex vi peccati. Vim autem peccati oriri à juſtitia Dei: qui in conſcientia hominis dedit ipſi legem, quam ſi faceret, in ea viveret. Unde & *lex* (deinde pronunciata) dicitur eſſe *potentia peccati* 1 Cor. 15: 56.

Quamvis non omnem poteſtatem potuerit exercere etiam priori tempore.

10. Habuit igitur poteſtatem & δυνάμιν tum peccatum tum Serpens uſque ad mortem Chriſti: per quam ea potentia peccati & Diaboli abolita eſt. Quamnam verò? Numquid omnem? Minimè. Nam, ſi omnem potentiam habuiſſet, nec peccator Adam, nec mulier, nec ſemen ejus ullum fuiſſet ſanctificatum ad fidem promiſſionis & amorem tum promittentis, tum ſanctificantis ſe per paſſiones ſuas. Nam imprimis potentia peccati eſt peccatorem ſervum facere, Rom. 6: 14. 17. 2 Petr. 2: 9. Atqui dixit Deus: *Ponam inimicitiam inter te & mulierem*, hoc eſt, ſanctificabo mulierem, ut oderit tua facta & diligat me. Quod autem Diabolus non habuit potentiam impediendi ſanctificationem mulieris & ſeminis ejus, id procedit à dignitate & ſponſione Angeli Aſſertoris, qui, ut Sapientia Dei, unctus fuit ab initio. Proverb. 8: 23. & fuit apud Deum ſponſor & Mediator Teſtamenti gratiæ. Hebr. 7: 22.

Propter ſponſionem Mediatoris.

Quam poteſtatem Satana reliquerit Sponſio?

11. Quam igitur poteſtatem & vim habuit Peccatum & Satanas, cui divina juſtitia & lex ſuffragaretur? Duplicem. 1. Quòd verè Diabolus potuit objicere peccatori, donec veniret Chriſtus, peccatum & reatum (qui ex peccato oritur) nondum eſſe abolitum & expiatum. 2. Quòd potuit Sponſorem, quum is veniſſet, tanquam debitorem, qui peccata noſtra ſuſcepiſſet, affligere illis paſſionibus, per quas Deus erat ſanctificandus.

Status patrum.

12. Crediderunt promiſſioni Mulier & Adam, & Abel, Seth, Enoch, Noach cæterique Patriarchæ, Abraham, Iſaac, Jacob, uſque ad Moſen. Quis igitur illorum ſtatus fuit? Sanctificati ſunt per donum fidei: & *fidem* Deus *illis reputavit juſtitiam.* Geneſ. 15: 6. Quomodo? Numquid etiam, ut Deus ipſis ſignificaret, non opus eſſe ullo ampliùs ſacrificio ad peccati expiationem; & cauſam juris ad petendam hæreditatem jam extare? Neutiquam. Ita enim Chriſto & ipſius paſſionibus opus non fuiſſet.

Qualis remiſſio contigerit patribus?

13. Qualiſnam igitur remiſſio peccatorum & juſtitia illorum fuit? Habuerunt jus non metuendi, ſed confidendi Deo, ut clypeo

ſuo

ſuo (hoc eſt, Angelo aſſertore, ut ſponſore ſuo) & ab ipſo vitam æternam exſpectandi. *Iuſtitia* igitur illorum perfecta, πεπλήρωμένη & conſummata, non fuit: quia nondum habuerunt jus gloriandi, quòd nullum amplius à ſe chirographum exigi poſſet. *Peccatum* enim *erat in mundo*: & ſic aliquid *operans iram*, & *maledictio* introduci poterat. Nam *peccatum* & reatus *eſſe* dicitur, cujus expiatio nondum eſt facta. Rom. 5: 13. *Peccatum* autem, cujus expiatio facta eſt, dicitur *deletum*. Zach. 3: 9. Quamdiu peccatum eſt, & deletum non eſt, poſſunt etiam illi, qui credunt Deo promittenti, *concludi ſub peccatum*. Gal. 3: 22. & poteſt ab illis exigi χιρόγραφον ac confeſſio debiti. quemadmodum & in foro, licèt fidejuſſor datus ſit, ſi ſolutio facta non ſit, obligatio non caſſatur, neque reſtituitur. Sed, quamdiu nihil injungebatur faciendum, tanquam ad propitiationem peccati, & nihil operans iram erat; peccatum non imputabatur. Rom. 5: 13. Agebant enim filii Dei illo modo, quaſi peccatum non eſſet, ſive quaſi jam expiatum eſſet.

14. Et ea quidem erat *remiſſio*; quatenus revera ſanctificabantur & jus accipiebant ſperandi vitam æternam, & nihil cogebantur facere tanquam ad expiandum peccatum: ſed nondum erat *remiſſio*, qua acciperent jus non edendi chirographum, & gloriandi de expiatione facta. Remiſſio & Tranſmiſſio.

15. Ideoque ab Apoſtolo Paulo Rom. 3: 25. remiſſio peccatorum, factorum, antequam Chriſtus proponeretur ἱλαστήριον per fidem in ſanguine ipſius, vocatur πάρεσις, non ἄφεσις; *tranſmiſſio*, *diſſimulatio*; non *Remiſſio*: dum vocabulum ſignificans τὸ τέλειον, *quod perfectum eſt*, ei tempori appropriat, quo οἱ ἁγιαζόμενοι τελειοῦνται *conſummantur*, *qui ſanctificantur*. Cui reſpondet לְמַעַן תִּוָּרֵא Pſalm. 50: 21. Nam id extendi poteſt ad omnem patientiam Dei & diſſimulationem peccati: dum veram & ſufficientem victimam non exhibuit & peccatum non *exegit*. Eſ. 53: 7. Nam, quum Chriſtus ſe humiliavit, tum demum peccatum *exactum eſt*. quemadmodum etiam Annotationes Belgicæ animadvertunt n. 54. quòd Deus peccata ſub Veteri Teſtamento diſſimulaverit, quæ demum in Chriſto ſunt punita. Hebr. 9: 15.

16. Ipſum vocabulum πάρεσις *tranſmiſſio* ſignificat, ἄφεσιν nondum eſſe. Nam πάρεσις relinquit peccatum manens & expiatione indigens; ἄφεσις autem id tollit, & facit, ut nulla amplius expiatio imponi, exigi, præſtari poſſit.

Non est plena remissio, ubi est lex,

17. Postea, per causam transgressionis novæ Israëlitarum, introducta est lex. Rom. 5: 20. Gal. 3: 19. Non, quòd Israëlitæ credentes aut ulli redacti fuerint sub stipulationem fœderis operum, aut acceperint νόμον τὸν δυνάμενον ζωοποιῆσαι, eam *legem, quæ potest vivificare*, ut Deus stipularetur ejus obedientiam ad justitiam. Sic enim pugnaret lex cum promissione, & revera ex lege esset justitia; etiamsi nemo eam justitiam obtineret. Sed fuit introducta lex & promissioni apposita, ut simul concluderentur omnia sub peccatum, Gal. 3: 22. hoc est, omnes declararentur impuri, & quorum reatus necdum exstinctus esset; simul Israëlitæ concluderentur sub pædagogum, qui duceret eos ad Christum. Gal. 3: 24.

iram operans.

18. Si παράβασις non amplius *fuisset*, sed jam fuisset deleta, lex iram operans introduci non potuisset. Rom. 4: 15. Hæc igitur est *ira*, quam operata est lex, quòd coëgit eos, qui acceperunt promissionem, omnes Israëlitas, atque etiam eos, qui ei crediderant, aliquid facere, tanquam ad expiandum peccatum. Hoc dicitur *sub maledictione* eos ponere, & in *servitutem* redigere, & *impuros declarare*. Et lege *dogmatum* uti, atque eam exsequi, erat *chirographum sibi subcontrarium* scribere. Col. 2: 14. Nam ea, tanquam *chirographo, Deus eos obstrictos tenebat, ne possent reatum inficiari.* ait Calvinus. cujus cætera quoque annotamenta ad hunc locum sunt digna, quæ legantur. Non enim sic *iram operata* est *lex*, ut excluderet à spe vitæ æternæ eos, qui se promissioni gratiæ committebant, & Angelum Assertorem invocabant. Nam gentes quidem erant eo tempore *sine Christo in mundo*, Ephes. 2: 12. at Israëlitæ sine Christo non erant. Es. 63: 9.

Remissio peccatorum in Vet. Test. suspensa a sacrificio pro peccato. &, ea non obstante, promittitur, ut donum Novi Testamenti.

19. Notandum est hîc, quòd Israëlitis, tametsi promissionem eandem & fidem eandem habentibus, quam habuit Abraham, & consequenter cum Abrahamo justis apud Deum, imponitur lex jubens expiare peccata per sacerdotem & præscriptas victimas; quasi per fidem justi non essent: quodque iisdem, quum talia secundùm legem (in fide promissionis, procul dubio) fecissent, dicitur, peccata ipsis remissum iri. Vide Levit. 4: 20. 26. 32. 35. Et, illis non obstantibus, Jeremias prophetat, Deum *condonaturum peccatum* Israëlitarum sub Novo Testamento. Jer. 31: 34.

20. Facile est autem ex his colligere, Abrahamum, quantumvis justum, tamen non habuisse jus gloriandi de reatu extincto & expiatione facta. Quemadmodum & antea monuimus. Israëlitas etiam

etiam, quum sacrificia obtulissent, nondum eam gloriationem obtinuisse. Nam non instaurarentur eædem victimæ quotidie & quotannis, si jam expiatio peccatorum penitus facta fuisset: & non fuisset locus promissioni tanquam Testamenti Novi & gratiæ novæ, per quam condonaretur peccatum, velut necdum condonatum.

Qualis expiatio & remissio in Veteri Testamento?

21. Quòd igitur Israëlitæ dicuntur expiari per sacrificia & eis condonari peccata, id nihil aliud significat, quàm, eos, si in fide id facerent, neque fœdus Dei irritum facerent, & conversi essent à via sua mala, nominatimque ab opinione propriæ justitiæ, hoc edito chirographo, divinæ παρέσεως *dissimulationis* imposterum quoque participes futuros, & pignora terrestria rerum cœlestium, quæ tum illis data erant, ipsis subtractum non iri.

Sensus promissionis Ieremiæ.

22. Proinde, quòd Deus per Jeremiam promittit *remissionem peccatorum*, & *peccatorum oblivionem*, id clarè hunc sensum habet, Deum daturum populo suo συνείδησιν πεπλυμμένην *conscientiam consummatam*, & jus gloriandi in expiatione, & ἄφεσιν τῆς ἁμαρτίας *abolitione peccati* (Hebr. 9: 26.) eosque liberaturum esse à necessitate scribendi chirographi contrarium sibi; & justificaturum ab iis, quibus aut per quæ in lege Mosis non poterant justificari. Act. 13: 38. 39. *Notum sit vobis, quòd per hunc vobis* ἄφεσις *Remissio peccatorum annuncietur: & ab omnibus, quibus* (Nota, ὧν pro οἷς usitato genere loquendi) *non potuistis in lege Mosis justificari* (cerimoniæ enim non justificabant) *in hoc omnis credens* IVSTIFICATVR. Nam, quo non justificabantur, eo se ipsi accusabant & debitores fatebantur, dum solutio Sponsoris nondum esset repræsentata. Quo igitur accusabantur, ab eo, qui credit in Christum, justificatur.

23. Estque hîc probè advertendum, quòd *inimicitia* fuerit q. de fixa *in carne Christi*, Eph. 2: 15. dum ea rumperetur, tanquam velum, Hebr. 10: 20. & sic in ea inimicitia interficeretur, Eph. 2: 16. & per eam daretur creatio duorum in unum novum hominem, & reconciliatio perpetua, ibid. v. 15. 16. & accessus ad Patrem, v. 18. cap. 3: 12. Hebr. 10: 20.

Quomodo Patres in Veteri Testamento egerint gratias de remissione peccatorum?

24. David Psalmo 32: 5. gratias agit Deo, quòd sibi *remiserit pravitatem peccati suam*. At quomodo? Nempe ut est Psalmo 51: 9. *Expiabis me hyssopo, & purus fiam* & ibid. v. 20. *Tunc* (post reædificata Hierosolyma) *grata habebis sacrificia justitiæ*. Quæ loquitur de obedientia & passionibus Christi. Interim occasione ea se oblectat præsumtione lætitiæ Novi Testamenti, prædicans *beatum, cu-*

jus peccata ablata sunt. Psalm. 32: 1. Confer Rom. 4: 6. 7. 8. 9 Μακαριότης *beatitudo* tollit onus & accusationem legis, & iram, & κατάραν *execrationem.*

Gradus remissionis.

25. Quare in *remissione peccatorum* & *justificatione* hæc partim convenientia partim varietas est: unde, quæ φερώνυμος *sui nominis* & πλείαι *plenaria* sit, facilè intelligi potest. 1. Esse hæredem ex Testamento. 2. Habere Sponsorem apud Deum. 3. Non affici pœna peccati: inter quæ prima est non sanctificari, neque vocari. 4. Sanctificatum ad fidem promissionis habere consolationem & spem vitæ æternæ propter sacrificium imposterum offerendum: interim non habere gloriationem de sacrificio oblato. 5. Habere pignus cœlestis hæreditatis terrestrem hæreditatem. 6. Cum ea esse sub pædagogia conclusum sub peccatum in fidem revelandam; & facientem ea, quæ sunt legis, sperare mansionem & benedictionem temporalem in pignore. 7. Audire Euangelium de sacrificio oblato, justitia adducta, & causa salutis æternæ in sua consummatione extante, de regno Dei, deque libertate data ab accusatione legis & ejus jugo; & de eo lætari ac gloriari Deoq; gratias agere. In illis tria prima communia sunt omnium ἁγιαζομένων, *qui sanctificantur,* omni tempore. Quartum distinguit auditores promissionis ad auditoribus Euangelii. Quintum est Israëlitarum, quatenus possunt considerari tanquam vocati ad possidendum pignus, terram Canaan, sine jugo. Et ita considerantur in Decalogo, dum is primùm auditus est solus. Sextum est Israëlitarum introductorum in terram, cum onere Legis præcepti carnalis. Propter quam dicuntur simul esse sub *ira* & *maledictione*, etiamsi in fœdere Dei sint. Septimum est ἁγιαζομένων τετελειωμένων κ τῇ συνειδήσει *sanctificatorum consummatorum secundùm conscientiam*: & ea dicitur ἄφεσις *remissio* in plena significatione. Citra eum gradum autem ἄφεσις sive סליחה *remissio* dicitur quidem, verùm non in significatione ita plena: sed tantùm, prout conditio & οἰκονομία τ χρόνων *administratio temporum* permittebat: propriè autem dicitur πάρεσις *pratermissio, præteritio, dissimulatio.* denominatione facta à peccati & reatûs permansione sive necdum facta abolitione. quia est remissio sive non imputatio peccati adhuc integri & non destructi per sacrificium. Quæ tamen πάρεσις *transmissio* omninò hæredes vitæ æternæ faciebat.

26. Ex his autem liquidò probatur, 1. contra Judæos: quòd sacrificia

crificia & omnes purificationes legales non fuerint causæ remissionis peccatorum. Quin etiam illi, qui ea quotidie exercebant, nihilominus tamen exspectabant *Remißionem peccatorum* illiusmodi, ut, ea data, Deus diceretur *peccatorum non recordari amplius.* Quod in Veteri Testamento dici non poterat: quia in sacrificiis & καθαρισμοῖς *purificationibus* carnalibus erat ἀνάμνησις ἁμαρτίας *commemoratio peccati* & κατ' ἐνιαυτὸν *quotannis*, & per totum annum. 2. Contra Socinianos; quòd Christi oblatio sit satisfactio pro peccatis, & quidem tum nostris, tum etiam totius mundi, hoc est, etiam illorum, qui fuerunt sub Veteri Testamento: quodque patres in spe Christi facti sint hæredes vitæ, & propter Christi sponsionem & intercessionem sint sanctificati, omnibus beneficiis affecti, & in gloriam introducti: siquidem nullum peccatum propriè remissum fuit sub Veteri Testamento, & illi tamen justi suo modo appellati sunt; & justitia Dei postulavit, ut Christus proponeretur ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius propter πάρεσιν *præteritionem* à Deo tum exercitam; & Christus sub lege factus verè factus est κατάρα *execratio*, & eos, qui sub κατάρᾳ verè (ex parte) erant, ab ea liberavit, & causa salutis omnibus hæredibus simul factus est. 3. Contra Pontificios, nullam ampliùs dari oblationem pro peccato aut satisfactionem. Nam in Christo habemus τὴν ἀποκαταλλαγὴν *perfectam reconciliationem in uno corpore per Crucem*; quia Christus *interfecit inimicitiam in ea*, & in corpore suo. Ephes. 2: 16. hoc est, perpetuam & æternam pacem atque amicitiam conciliavit, non interrumpendam: quia in ipso sumus & censemur, & spiritu ejus imbuti, obsignati & certiorati sumus, & ipse interpellat pro nobis. Rom. 8. v. 33. 34. 1 Joh. 2: 1. 2. Hebr. 10: 10. — 23. Unde & Christo æternum sacerdotium juramento addictum est. Psalm. 110: 4.

27. Ex illis autem sequitur, neque afflictiones, neque ipsam destructionem corporis, sub Novo Testamento amplius posse nominari pœnas in fidelibus, q. iram testarentur. Sanè ea proficiscuntur à peccato, & per eas coërcetur caro, & in illis degustamus amaritudinem peccati. Et sunt παιδεῖαι *castigationes*, & πειρασμοὶ *tentationes* sive δοκιμασίαι *probitatis explorationes* atque experimenta ejus exhibent. Sed non amplius ulla afflictio corporalis vocatur κατάρα *execratio.* ut in Veteri Testamento fiebat.

28. Porrò *justificatio* Novi Testamenti non tantùm significat absolutionem conscientiæ fidelium à peccatis, sed etiam jus ad be- *Iustificatio complectitur & filiationem.*

nedictionem, & filiationem, cum qua conjuncta est hæreditas. Nam gentibus datur in promissione *benedictio*; & *beatitudo* assignatur ei, *cui remissa sunt peccata*. Psalm. 32: 1. 2. Rom. 4: 6. 7. 8. unde patet, Apostolum per *reputationem justitiæ* amplius intelligere, quàm remissionem peccati; nempe dationem juris pleni ac perfecti petendæ à Deo vitæ ejusque exspectandæ. De qua dicit Apostolus Rom. 3: 21. *Nunc autem sine lege justitia manifestata est habens testimonium in lege & prophetis*, hoc est, repræsentata, data, & in aprico posita, ut quæ omnibus in promtu sit ad eam amplectendam, & nullo amplius velo aut tegmine abscondatur. Hinc Joh. 1: 12. *Quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem, ut filii Dei fiant*, hoc est, se pro filiis Dei gerant. Secundùm promissionem, quæ est Hos. 2: 1. vel 1: 10. *Fiet, loco ejus, quod dicebatur vobis, Non populus meus vos; dicetur vobis, Filii Dei vivi.* Huc spectat Jer. 3: 19. *Quomodo ponam te in filiis!* Idque & Moses innuit Deut. 32: 5. & 19. *ob ægritudinem filiorum suorum & filiarum suarum*, quòd nimirum illis ægrè facerent, eosque secluderent, vexarent, persequerentur. Et, quia filii Dei sunt fideles Novi Testamenti, prope accedunt ad Patrem, Ephes. 2: 18. 3: 12. Hebr. 7: 19. Gal. 4: 6. Rom. 8: 15. scientes, omnia sibi in Christo donata esse. 1 Cor. 2: 12. Rom. 8: 32. Quod est ipsorum *jus à Deo*; quæ & *hæreditas* vocatur. Es. 54: 17.

Modi loquendi, quibus utitur Scriptura, ad indicandum, quòd posterius sit majus & perfectius præsenti.

29. Quemadmodum igitur ἄφεσις *remissio* & δικαίωσις *justificatio* in pleno gradu & significato tantùm est in Novo Testamento, & de eo ἐμφαλικῶς dicitur tantùm; ita tamen, ut non omninò non fuerit prioribus seculis: sic etiam alia vocabula in Scripturis alicubi communius quid & tenuius significant, alicubi valent ut ἀμφοτερώτερα ὀνόματα *præstantiora nomina*.

30. Ita, quum & angeli & homines dicerentur & essent *filii Dei*, tamen tum singulariter ad Christum & ἰδίως dictum est, *Tu es Filius meus*; ut significetur *filius Dei in potentia*: & hæredes Novi Testamenti *filii* dicuntur proprio quodam jure. Hos. 1: 10. vel 2: 1. Rom. 9: 26. Joh. 1: 12. Rom. 8: 14. 15. Gal. 3: 26. 4: 6. 7.

31. Similiter Scriptura prævidet, fore, ut Ecclesia aliquando dicat, *Iehovah rex factus est*. ut Psalm. 93. & aliis multis in locis. Unde in Euangelio prædicatur *Regnum Dei*. Et tamen eadem Scriptura docet & prædicat, *Dei filium* & regnum esse *ab ante*. Et, quamvis in Novo Testamento assecuti simus regnum Dei, tamen etiamnum oramus, ut *regnum Dei veniat*, & audiantur voces, quæ extant Apoc. 11: 15.

11: 15. *Facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti ipſius, & regnabit in ſecula ſeculorum.* Unde clarum eſt, aliquem modum aut gradum regni exſpectandum eſſe adhuc, qui necdum exſtiterit. Denique *regnum Dei* in gloria, poſt omnem regnationem in hoc ſeculo, ſperamus & exſpectamus. Ergo ſingulis temporibus *regnum Dei*, quod agnoſcitur præſens, appellatur ſecundùm modum illius temporis, quo agnoſcitur; &, quod promittitur ac ſperatur, ſecundùm modum temporis futuri.

32. Ita & David Deum appellat *Deum juſtitiæ ſuum*, & tamen Daniel cap. 9: 24. dicit *juſtitiam adductum iri.* & Eſa. 42: 6. Deus dicit, *Se vocaſſe ſervum ſuum cum juſtitia.* Et Pſalm. 40: 10. Chriſtus introducitur *prædicans & Euangelizans Iuſtitiam in cœtu magno.*

33. Nec abſimiliter S. Paulus πίστιν *fidem* dicit revelandam fuiſſe in poſterum. Gal. 3: 23. An igitur non fuit *fides* in Veteri Teſtamento? Atqui Abrahamus *credidit.* Sed *fides* ipſius erat *ſpes* futuri. Epheſ. 1: 12. τοῦ θεληλικότας.

34. Ejuſdem ſtili eſt, quòd רָצוֹן & εὐδοκία, *beneplacitum*, item יִרְצֶה ἀποδοχὴ differtur in ultima tempora. 2 Sam. 23: 5. Eſ. 49: 8. 61: 2. Luc. 2: 14. 2 Cor. 6: 2. quia nempe id, quod Deo gratum eſt, ut cauſa remiſſionis peccatorum & juſtitiæ dandæ, & propter quod omnia ſtudia & omnes orationes ac gratiarum actiones Deo acceptæ ſunt, antea non exſtabat.

35. Ita χάεις *gratia* per Jeſum Chriſtum exſtitit, Johan. 1: 17. quæ tamen vocatur & τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστὰ *ſtudia* ſive *gratia Davidis perpetua.* Eſ. 55: 3.

36. Eodem modo ἀναγέννησις, *regeneratio*, ut intret homo in regnum cœlorum, ſingularis eſt, quum Chriſtus datus eſt. Joh. 3: 3. 5.

37. Et, qui Chriſti ſunt, peculiari modo ſunt καινὴ κτίσις *nova creatio* 2 Cor. 5: 16. Epheſ. 2: 15. quia non ſunt amplius, ut veteres, *ſecundùm carnem*, &, ut Chriſtus ipſe fuit *ſecundùm carnem*, hoc eſt, ſub lege ex conditione naſcendi.

38. Ita *benedictio* ab Apoſtolo appropriatur *gentibus*, quæ non ſub lege ſunt. Nam ex eo, quòd gentes dicuntur *benedicendæ*, concludit, eas non eſſe ſub lege. Gal. 3: 8. 9. 10. 14 Quam *benedictionem* Apoſtolus collocat in eo, quòd *accipiant promiſſionem ſpiritus per fidem.* Gal. 3: 14. Dicitur quippe *Spiritus ſanctus necdum fuiſſe*, quum Chriſtus eſſet ſub lege & *necdum glorificatus eſſet.* Joh. 7: 39. Nempe, quia nondum erat *effuſus non ex menſura*, nondum poterat eſſe *ſpiritus filiorum*

rum adoptionis. Qui credunt Euangelio, *clamant, Abba, Pater*, & gerunt ſeſe pro filiis. Rom. 8. Gal. 4. Joh. 1: 12.

39. Iidem *accedunt* ſive *approximant ad Deum* & thronum ejus, quem habet in cœlis, quia nulla amplius eſt σκῆνη *ad tabernaculum prius.* Hebr. 4: 16. 6: 19. 7: 19. 9. 9: 8. 10: 19. Eph. 2: 18. 3: 12. Habent *circumciſionem cordis* novo & proprio quodam modo. Deuter. 30: 6. Phil. 3: 3. Col. 2: 11. 12. 13. 14. 15. Hebr. 10: 22. 23. Ita filii Novi Teſtamenti ſunt diſcipuli ſolius Dei. Eſ. 54: 13. Johan. 6: 45. Hebr. 8: 11. 1 Joh. 2: 27. Et habent ἀγάπην πλείαν *charitatem perfectam*, quæ foris ejicit timorem. Deut. 30: 6. 1 Joh. 4: 18. Rom. 8: 15. Rom. 5: 5. 2 Tim. 1: 7.

40. Ex quibus perſpicitur, quanta cum emphaſi dicatur in promiſſione Novi Teſtamenti Jer. 31: 33. *Et fiam ipſis in Deum, & ipſi mihi ſient in populum.* Quantumvis verè etiam antea ipſorum Deus fuerit, & non exiguis modis ipſis in Deum factus fuerit, hoc eſt, ſe Deum ipſorum præſtiterit. Inter quos modos eſt vel potiſſimus; quòd, ut Abrahami, ita & Iſraëlitarum, Deus poſt mortem ipſorum verè nominatus eſt; quia ipſi viverent. Luc. 20: 38.

41. Atque ita *Gloria Domini revelata eſt* Eſ. 40: 5. tametſi & antea *gloria Domini* diceretur apparuiſſe. Sed, ut Apoſtolus dicit 2 Cor. 3: 10. *non eſt glorificatum id, quod glorificatum eſt, in hac parte, propter majorem gloriam.*

42. Quemadmodum & μυστήριον ſalutis dicitur σεσιγημένον χρόνοις αἰωνίοις *tacitum temporibus ſecularibus* ſive *ſeculorum.* Rom. 16: 25. quia nunquam ante Chriſti apparitionem annunciatum fuit, ceu rebus ipſis *manifeſtatum.* ſed ipſe Dominus id incepit λαλεῖν *loqui*, Hebr. 2: 3. quanquam id διαγέλιον ſive ea annunciatio ſæpe fuerit promiſſa. Rom. 1: 2. 16: 26. Confer 2 Tim. 1: 9. 10. *Qui ſalvos nos fecit & vocavit vocatione ſancta: non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm proprium propoſitum, & gratiam, quæ data eſt* NOBIS *in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia: nunc autem manifeſta facta eſt per apparitionem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui mortem quidem abolevit, illuſtravit autem vitam & immortalitatem per Euangelium*, hoc eſt, vitam & *immortalitatem*, quæ datur dono Dei ex gratia, collocavit in aperto, & fecit eſſe omnibus paratam & expoſitam in auctore & datore ejus Jeſu Chriſto; qui *per Euangelium* prædicatur, & quidem NOBIS, non VETERIBUS: ut *manifeſtum* ſit, eam gratiam NOBIS antè datam eſſe.

CAP.

Cap. LXX.

De Meritis operum.

Convenit, ut, postquam de justificatione, quæ fit in Novo Testamento ad conscientiam fidelium, diximus, etiam de eo, quod ei contrarium est, pauca dicamus. Neque enim multa opus est dici: quia contraria non possunt esse simul vera. Demonstrata igitur vera justitia, & justificationis gradu summo, qui in hac vita contingit, in Novo Testamento; non potest obscurum esse, quid de alia omni justitia, quæ commendatur & quæritur ab hominibus, sentiendum sit.

2. Judæi olim *quæsiverunt legem justitiæ, & legem justitiæ non invenerunt. quia non ex fide, sed ex operibus. Nam impegerunt in lapidem offensionis.* Rom. 9: 31. 32. Cavendum igitur nobis, ne in simile judicium incidamus, non subjicientes nos justitiæ Dei. Rom. 10: 3. *Judæorum error circa justitiam est in cautelam.*

3. Sed quid dicemus Judæos sensisse? ut possimus ex eorum sententia præjudicium facere; & ut ipsi quoque intelligant, quid in ipsis Deus desideret, cujus judicia tamdiu illos premunt, ut desinant, se justos dicere, & justitiam Dei repudiare.

4. Numquid igitur Judæi judicarunt, se esse absque peccatis, & perfectâ obedientia justos esse coram Deo? Neutiquam. Nam quotidie pro peccatis suis victimas cædebant.

5. An dicebant, nullam esse satisfactionem & expiationem peccati per sacrificia? Neutiquam. Nam, ut dixi, quotidie eorum sacrificia erant coram Deo. Psalm. 50: 8.

6. An putabant, sacrificia sine conversione ad Deum & sine pietate ac justis factis prodesse? Fuit sanè in multis ea stultitia, ut putarent, eas ceremonias prodesse sibi, qui non amabant Deum, neque timebant. Sed tamen hoc dogma Judæorum non fuit. Quod perspicitur ex gloriatione Pharisæi, quæ ὡς ἐν πάπῳ proponitur Luc. 18: 11. 12.

7. In quo igitur ipsorum error consistit? Id clarum est ex Apostoli verbis. Quæsiverunt justitiam ex operibus, & non ex fide. An igitur abnegarunt fidem? Cùm scirent, Abrahamum credidisse, & hoc ipsi Deum reputasse justitiam. Gen. 15: 6. & justum fide victurum, Hab. 2: 4. &, qui credit, non confusum iri. Es. 28: 16. Sed illi ignorarunt fidem, quæ statim & immediatè atque adeò sola

justificaret. Quæ fides non potest esse alia, quàm quæ credit in Deum, qui justificat improbum & injustum, ut est Rom. 4. vers. 5. quemadmodum superiùs demonstratum est cap. 48. § 21. quæ accipit τὴν δωρεὰν τ̃ δικαιοσύνης, *donum justitiæ*. Rom. 5: 17. quæ confugit ad Salvatorem, & in eo reperiri quærit. Phil. 3: 9. Per *fidem* autem intelligunt opinionem propriam, quòd Deus fecerit hoc δόγμα *placitum*, quòd ita esse, quemadmodum ille Pharisæus erat, & talia facere, secundùm præcepta Mosis & seniorum, pro justitia acceptaturus sit; ut non imputet peccata, & sortem dare velit in futuro seculo. Cui opinioni suæ sine dubio justificationem non attribuerunt, nisi inchoatè & initialiter; ita, ut consummatio justitiæ ipsorum fuerit, sic esse & sic facere.

8. Qui comperiuntur ignorare legem Dei, qua præcipiuntur ea, quæ qui facit, vivit in eis, nempe ut causa vivendi sit ea fecisse, non verò gratia aut communio cum auctore salutis & justitiæ paratore ac datore. Quòd nempe ea lex veram obedientiam expertem omnis concupiscentiæ & lentitudinis & remissionis & cæspitationis ac peccati exigat. Quodque ea lex sit justa; quia fundata in veritate, & ejus notificatione, & inscriptione in cor per imaginem Dei. Quodque ea lex justitiæ non possit cum alia lege operum commutari per placitum. Quodque eam legem Deus voluerit non haberi pro abrogatâ: quandoquidem ejus mentionem etiam fecit post lapsum. Quodque omnis peccator sub maledictione sit. Quòdque is, qui subjectus erat legi Mosis & præceptis, quæ in placitis consistunt, & ea faciebat, fateretur, se esse sub maledictione. Quia enim illi, qui crediderant, ut Abraham, in præputio, non obstante imputatione fidei ipsorum pro justitia, jubebantur omnia præcepta carnalia facere & aliquid tanquam ad expiandum peccatum, offerre, sub pœna maledictionis; testimonium id erat, quòd fides, quæ reputabatur pro justitia, non esset gloriatio de abolito peccato per sacrificium, sed exspectatio sacrificii, per quod peccatum abolendum erat, quòdque, ni vellent maledictionis rei fieri, oporteret eos confiteri, maledictionem solutam & extinctam necdum esse.

9. Comperiuntur etiam ignorare finem legis Mosaicæ, quæ post promissionem introducta est. De quo disputat Apostolus Gal. 3. à v. 19. quòd Deus ipsis non dederit legem, quæ valeret vivificare (hoc enim Legi *præceptorum, quæ qui facit, in eis vivit*, impossibile erat, quia peccatum damnare non poterat, propter carnem, Rom. 8: 3.

&

& legi præceptorum in placitis impossibile erat; quia ex illa lege non erat exspectanda benedictio, quæ non uniebat Duos, sed potiùs divisionem faciebat; deinde, quia ex promissione erat benedictio: tum, quia sanguis pecudum & lotiones & alia istiusmodi non possunt auferre peccatum, nedum justum facere. &, quia lex potior moralis non poterat vivificare, lex longè inferior id multò minùs potuit præstare) sed quòd sub legem fuerint custoditi concluſi in fidem revelandam, & tanquam pœdagogo traditi, qui ipsos duceret ad Christum.

10. In exemplo igitur Judæorum videmus, quàm periculosum sit à lege justitiæ aberrare. Danda igitur opera est, ne ad eundem scopulum impingamus.

11. Neque putandum est, illos, qui nominant Christum, non posse in eundem offendere. Satanas enim se transfigurat in angelum lucis, &, quando id impedire non potest, patitur homines nominare Christum, si modò eos possit abducere à *justitia Dei* ad falsam justitiam. *Similis error inter Christianos.*

12. Habemus exempla hujus aberrationis. Pontificii fatentur, Christum satisfeciſſe pro peccatis nostris; sed, ut 1. per opus operatum justificemur in baptismo. & deinceps iterum iterumque per sacramenta alia. Voluntque justitiam hominis esse quendam habitum à fide distinctum, infusum in administratione sacramentorum, qui cum pravitate damnabili (nam concupiscentiam, quæ remanet in sanctificatis sive regenitis, non esse propriè dictum peccatum, aut saltem damnabile peccatum) tollat etiam reatum peccati, & justum constituat; si modò perseveret & justa operetur. 2. ut per opera bona homo regeneratus in baptismo (ut loquuntur) mereatur perseverantiam & vitam æternam. *In Pontificiis.* a b

13. Et hoc quidem *meritum* alii statuunt esse *meritum ex condigno*. quod non potest esse, nisi id opus, quod Deus, tanti illud faciens, quanti est, remuneratur datione gloriæ & vitæ æternæ. atque ideò inter hominem merum & Deum non intercedit. Ad quod requiritur, ut indebitum sit; ut ex tuo sit; ut Deo utile sit. Quæ Scriptura, ad extinguendam præsumtionem dignitatis, passim negat hominibus. Vide Luc. 17: 10. Job. 22: 2. 3. 35: 7. 8. 41: 2. Rom. 11: 35. In Christo solo reperimus dignitatem personæ cum perfectione obedientiæ ad postulandam & accipiendam gloriam, regnum & hæreditatem, & sic nobis parandam vitam æternam.

14. Alii modestiùs statuunt esse *meritum ex pacto*. Sed lex operum una est, quæ dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis*. Rom. 10:5. Ex qua lege Apostolus negat quemquam justificandum; & probat, quia *justus ex fide vivet*. Gal. 3: 11. 12. Quare, quum lex operum alia non sit, non potest etiam aliud *pactum* dari, ex quo *opera mereantur*: & *meritum operum ex pacto*, si credimus Apostolo & demonstrationi Spiritûs ac veritati paremus, cum justitia fidei conjungi non potest. Est autem hæc opinio vicina opinioni Judæorum de justitia suorum operum; nisi quòd illi consociabant expiationem peccatorum per sacrificia, hi autem, qui sic sentiunt & Christiani vocantur, adjungunt, q. in supplementum, satisfactionem Christi. Sed, quoad rem ipsam, & id, quod apud Deum pro justitia haberi volunt & causa juris petendi vitam, eadem est. Judæorum & Pontificiorum sententia.

Qua mente veteres merita dixerint?

15. Non accusamus hîc Veteres, qui dixerunt, *merita esse non justificandorum, sed justificatorum*. Quod quum dixerunt, satis ostenderunt, se per merita non intelligere opera, quæ essent causa juris petendi vitam æternam. Nam, si id sensissent, simul dixissent, *justificati esse merita*, & non justificati esse. Nam, qui debet habere merita ad acquirendum jus petendi vitam æternam, justificatus non est. Nam justus habet jus petendi vitam. *Merita* illi nominarunt, quæ non frustra fiunt in Domino, sed remunerationem ac compensationem habent, sive quæ sunt ἐχόμενα τῆς σωτηρίας *cum salute connexa*, justitiæ servitium, & ejus fructus atque obsignatio: quippe profecta ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta. Quem fontem non habent opera, quæ ante regenerationem & sic fidem ac justificationem fiunt: in quibus est cortex bonitatis, non radix.

Locus Joëlis 3. de meritis.

16. Merita autem Pontificiorum irridet Deus apud Joëlem cap. 3. v. 9. vel 4. *Atque etiam, quid vos mihi, Tyre & Sidon, & omnes termini Palæstinæ? An merita mea rependitis mihi? Et an bene meremini de me? Citò, velociter rependam vobis, quod meriti estis, in caput vestrum.* Nihil impedit, *spiritualiter* dici *Tyrum, Sidonem & omnem oram Palæstinam*, quemadmodum sanè alibi *Tyrus* spiritualiter dicitur per δήλωσιν πράγματος. Certa regula est: Hominem non rependere Deo pro suis meritis: neque adeò bene mereri de Deo. Et constat, qui ita existimant, se mereri, fieri hostes justitiæ Dei & eorum, qui ei se subjiciunt; atque eos saltem irridere & blasphemare tanquam bonorum operum & pietatis inimicos; atque instar habere Phœnicum

cum assitorum populo Dei, sed ad ejus communionem non pertinentium. De quibus quum dicit, *Quid vos mihi?* ostendit, quòd se gerant pro populo Dei. quippe qui velint videri bene mereri de Deo. Nam prisci Phœnices se pro hostibus Jehovæ ferebant, nec volebant videri benefaciendo mereri mercedem à Deo reddendam.

17. In Christi *Aschám* & *satisfactionem* impingunt cum Judæis Sociniani. qui cum iis etiam consentiunt, dicentes, sub Veteri Testamento delicta fuisse expiata per sacrificia: Non observantes, quemadmodum terra Canaan dicebatur hæreditas populi Dei, quum tamen eorum hæreditas Deus esset: & domus aliqua dicebatur domus Dei; quum tamen Deus non habitet in domibus manufactis: & altare dicebatur mensa Dei; quum tamen Dei cibus non esset, quod in altari adolebatur: & odor carnium crematarum aut thuris accensi fragrantia Dei; quum tamen eis Deus non possit delectari: ita expiationem dici, quod figura erat expiationis; & cum quo nihil aliud conjunctum erat, quàm ut, tanquam puri, in loco illo, qui sanctus dicebatur, versari possent: cujus respectu aliâs dicebantur impuri. quæ impuritas ut legalis ac ceremonialis erat, ita & purificatio externa, carnalis & ceremonialis erat. Quare toto cœlo aberrant, dicentes, eo tempore fuisse remissionem, quo facta fuit accusatio; & id expiasse, quod operabatur iram. Deum præterea injuria afficientes, quasi vellet justos dicere propter aspersionem sanguinis pecuini aut aquæ. quod ipsum minimè decet. Deinde Christum minimè necessarium facientes. Quid enim opus erat, Christum venire, si potuimus salvari ut Abraham; quem volunt salvatum sine Christo? Quem mira implicatione & sacerdotem dicunt ac sacrificium pro nobis obtulisse, & negant satisfeciisse ac verè redemtionem fecisse. Deinde eum faciunt pro Servatore ministrum non magis salutis, quàm condemnationis. Nam eum dicunt venisse ad novam eamque perfectiorem legem ferendam; & ei vitæ æternæ promissionem, non quidem novam, sed apertiorem adjunxisse. Quam ipse det parentibus sibi, procul dubio non alio modo, quàm quo dicunt eum sibi vitam reddidisse; nempe ut juxta voluntatem, quam habuit ante mortem, & spem, dictum ac petitionem, resuscitaretur. ita nimirum Christus excitat mortuos & vitam dat, quia juxta dictum ejus excitantur & vivificantur. Præterea dicunt, Deum ab obedientibus sibi pœnas peccati auferre: quum tamen iidem dicant, Deum ea per acceptilatio-

Socinianorum error.

nem condonare. Tum verò facta hominis an dicant causam remissionis peccatorum & justitiæ sive juris petendi vitam æternam, aut, quam omninò causam utriusque dicant, non satis liquet. Dicunt *causam sine qua non*, non, opinor, intelligentes causam veram eamque necessariam, sed, ut vulgo hic terminus à philosophis (quàm bene, ipsi viderint) capitur, adjunctum & circumstantiam necessariam, nempe ἐκ δόγματος, ex voluntate & placito Dei & propter herile ipsius imperium. Non possunt dicere, requiri perfectam obedientiam absque peccato ad justitiam. ideò nec audent veram causam justitiæ dicere sua facta. Quid igitur? Secundùm eos remittit peccata sine lytro & sanctificatione sui; & justificat sine justitia ac δικαιώματα aut *merito*. Proinde apud ipsos quod nomen sit Dei & quæ virtutes, quæ sanctitas, quæ veritas, quæ constantia, quæ laus & glorificatio; quod Euangelium; quæ pax; quæ justitia; quæ fides in ipsum, quæ gratiarum actio, quæ spes, quæ gloriatio in Deo; qui omnino amor ipsius: non videmus. Quod autem, ne Christus videatur actum egisse, ei perfectiorem legem attribunt, summè contumelioſi sunt, & in Deum & in Christum. Mentiuntur enim, quòd dicunt, quædam demum in Novo Testamento esse præcepta, quæ non fuerint in Veteri Testamento præcepta. Quibus quum ostenduntur eadem laudata & commendata veteribus, fingunt sensum mysticum, quo illa fuerint in lege comprehensa: impudenter asserentes à Christo aliam fuisse legem latam, quum ipse subjectus fuerit legi, quam invenit: de qua Deus dicit, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* non aliam vitam intelligens, quàm apud Habacuc, quum dicit, *Iustus in fide vivet.* Præterea facientes legem Christi contrariam legi Dei & Deo. Nam Deus dixit, Israëlitas nihil debere addere. Deinde in primo præcepto disertè vetuit, ne alium Deum haberent in conspectu suo, hoc est, in æternum. Atqui illi additum volunt, ut in Novo Testamento alium novum & modernum Deum ac Dominum nominemus. Idque in regno Dei. Quare in illis opinionibus nihil aliud, nisi Judaica amentia & stupor & pertinacia apparet. Cæterum de his & iis, quæ ad legem à Christo addita vel in ea mutata volunt Matth. 5. plenius egimus in Summa fœderis §. 358.—372. cap. XII.

LOCUS

LOCUS VIGESIMUS QUARTUS
DE
HÆREDITATE CHRISTI.

Cap. LXXI.

De Vocatione gentium.

Apostolus declarat Hebr. 1: 2. quòd Deus Christum *hæredem omnium posuerit.* Quo significatur, Deum decrevisse efficere, ut Christus habeat regnum in omnibus populis, nationibus, tribubus, linguis; & ut omnia subjiciantur pedibus ejus; nihilque adeò sit, quod non sit ad gloriam filii. Illa autem intelligimus esse, quæ non perierunt. Nam & ea *hæreditas* sunt, quæ habentur, non, quæ abjiciuntur & destruuntur.

2. Id convenit cum promissionibus & prophetiis. Promissio dicit, *caput serpentis confractum iri.* Non relinquitur igitur Diabolo regnum in mundo, neque ullus effectus peccati, neque quicquam, quod propter peccatum introductum fuit; ut sunt principatus, dominationes, potestates. 1 Cor. 15: 24. Gen. 9: 29. *Persuadebit Deus Iapheto, ut habitet in tentoriis Semi.* Significat, post divisionem futuram unionem inter posteros Semi & Japheti, ut habitent quasi in una domo; & quidem in tentoriis Semi, ex quo est Christus. Qui accedit ad Christum, habitat in tentoriis Semi. pro quo dicitur censeri in posteris & filiis. Psalm. 87: 4. 5. Abrahamo dictum est, *Omnes familiæ terræ in ipso benedictum iri*, ut exemplo benedictionis, & ut patre filiorum promissionis, & ut patre seminis, quod est auctor benedictionis. Gen. 12: 3. Ex quo intelligitur, quando eidem dicitur, *Patrem multitudinis gentium dedi te*, Gen. 17: 4. 5. vel, *Sic erit semen tuum*, Gen. 15: 5. id non tantùm exaudiendum esse de natis ex femore ipsius, sed etiam de illis, qui in vestigiis fidei ipsius ambulaturi erant, sanctificati à Deo, propter promissionem ipsi factam & ab ipso fide ratificatam, & propter Christum filium ipsius. Quum autem de Abrahami semine dicitur, id futurum peregrinum in terra non sua per quadringentos annos, & tum reductum iri in terram Canaan, & eam hæreditaturum; gentes autem benedictum iri

Promissio vocationis gentium.

iri in semine Abrahami: apparet, potuisse diversum tempus esse, quo gentes benedicerentur, & semen Abrahæ possideret terram Canaan. Quando autem semen Abrahami legem accepit, quam accepit per manum Mosis, quæ fuit commemoratio condemnationis, imperatumque est, ut omnibus diebus in seculum eam legem observarent (quod non erat benedictionis) intelligebatur, non parvum tempus à Deo decisum esse, quo exspectatio Christi proferretur, quoque duraret inclusio Israëlitarum in custodiam & gentium seclusio, atque ita benedictio promissa gentibus non exhiberetur. Eo tempore labente, plurimæ auditæ sunt prophetiæ de vocatione gentium & de regno Christi, quod habiturus erat inter ipsos. Primò in Mose. Gen. 49: 10. Deut. 4: 6. 29: 24. 25. 29. 32: 21. 43. in Psalmis. ut Psalm. 2: 8. 8: 2. 10. 22: 29. 40: 10. 11. 45: 10. 13. 17. Psalm. 68: 19. *Ascendisti in altum, abduxisti abductos, accepisti dona in hominibus; etiam refractarios ad inhabitandum decus Dei.* Psalm. 72: 3. 9. 10. 11. Psalm. 82: 8. Psalm. 86: 9. *omnes gentes, quas fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & gloriam dabunt nomini tuo.* Quod repetit Apocalypsis cap. 15: 4. Psalm. 87: 4. 5. 6. Psalm. 89: 51. Psalm. 96: 7. 8. 9. 10. Psalm. 110: 2. 3. Psalm. 117: 1. Quis enumeret vaticinia prophetarum; quæ id pollicentur? Neque id fieri opus est; quum ne Judæi quidem diffiteantur, Christo subjectas fore gentes. Apostoli his præcipuè utuntur. Amos. 9: 11. 12. vide Actor. 15: 16. 17. Hos. 2: 23. 24. Rom. 9: 25. 1 Petr. 2: 10. Es. 65: 1. Rom. 10: 20. Es. 11: 1. 10. Rom. 15: 12. Nobiles etiam loci sunt Es. 2: 1. 2. 3. 4. 14: 1. 2. 40: 5. 42: 1. 4. 52: 15. 53: 12. 54: 3. 56: 3. 66: 20. 21. 22. 23. Joël 3: 1. vel 2: 28. Jerem. 3: 19.

Vocatio gentium

3. De *vocatione gentium* loquitur Joël cap. 3: 5. vel 2: 32. *Nam in monte Sion erit evasio & in Hierosolyma, quemadmodum dixit Iehovah; & in superstitibus, quos Iehovah VOCAT.* Ad quod alludit Petrus Actor. 2: 39. *Vobis enim est promissio & filiis vestris, & omnibus, qui sunt longè, quotquot ADVOCAVERIT Dominus Deus noster.* Paulus Rom. 9. v. 24. *Quos & vocavit nos non tantùm ex Iudæis, sed & ex gentibus.* Idque convenit cum eo, quod est Gen. 21: 12. *In Isaac vocabitur tibi semen.*

est 1. allocutio gentium.

4. Ea *vocatio* est non tantùm gentium allocutio. de qua Es. 65: 1. *Respondeo iis, qui me non consuluerunt.* & Zoph. 3: 9. *Tunc convertam ad gentes labium clarum* vel *electum, ut omnes nominent nomen Iehovæ, ut serviant ipsi humero uno.* De qua gentium compellatione per Euangelium egimus supra cap. 63. § 39. Quam Apostolus luculenter probat

bat Rom. 10. ubi docet, non fuisse gentes vocandas & compellandas ordinario modo, sed missis nunciis ad eas. Quò pertinet etiam dictum Esaiæ c. 2: 2. 3. *& confluent ad eam gentes, & ibunt gentes magna —quia ex Sione exibit lex & verbum Iehovæ ex Hierosolyma.*

5. Et quidem, Deum locuturum ad gentes lingua nota & familiari ipsis, & non tantùm lingua ipsis ignota (ut olim sub Veteri Testamento factum est) patet ex d. l. Zoph. 3:9. item ex Es. 55:5. *Ecce, gentem, quam non noveras, vocabis, & gens* eorum, qui *non noverant te, ad te accurrent, propter Iehovam Deum tuum & ad sanctum Israëlis, quòd condecoraverit te.* Et adhuc clariùs cap. 28: 11. *Nam in sannis labii & in lingua alia loquetur ad populum hunc.* Quando voces Spiritus sancti, in quibus verbum veritatis & Euangelium salutis continetur, non sunt Hebrææ aut Judaicæ, sed Græcæ, ad faciliorem intelligentiam gentium (quæ illo tempore erant maximè & vocabantur *Græci*; à quibus omnis eruditio in Occidente profecta est) tum verbum Dei Judæis est barbarum & peregrinum, & Deus ad eos non loquitur verbum suum, quod reservaverat dicendum ultimo tempore, nisi sermone gentium. Nulli enim libri ab Apostolis scripti exstant in Hebræo sermone, sed in Græco omnes: licèt ab initio Apostoli omnibus linguis loquuti fuerint, earum nimirum gentium, ad quas mittebantur; & sic ad Hebræos Hebraicè. Ex quo tamen non consequitur, id non esse verbum Dei, quod in Judæorum ore reperitur; per quod illi ipsi condemnantur, quòd non habeant verbum Dei manens in se. Deut. 31: 19. 21. Joh. 5: 38. Tantùm hoc efficitur, Judæos non habere in sua lingua verbum illud bonum, Euangelium pacis, quod reservatum erat postremis temporibus; per quod mysteria verbi Dei explicantur. Cujus tamen Canon & firmamentum sunt voces, quæ, sine intelligentia & fide, in ore Judæorum reperiuntur. Nam, si Judæi sunt judicandi ex iis ipsis, quæ in ipsorum ore sunt, quòd non crediderint verbo Dei & mentem ejus non habeant, necesse est, eas voces, quas ipsi pronunciant, esse Canonem & regulam & radicem ac fontem illius verbi, quod Deus non loquitur ad ipsos nisi in lingua gentium, ipsis barbara.

per labium electum & clarum.

6. Sed ea vocatio non est tantùm compellatio, verùm etiam adductio. quia prophetatum est, qui à Deo vocati fuerint, venturos, & promissum est Abrahamo semen ex gentibus; & sic ei promissa est hæreditas mundi: & à Christo postulatur hæreditas, & à Patre ad postulationem ipsius datur, Psal. 2: 8. Sunt igitur filii promis-

2. gentium adductio.

sionis, Gal. 4: 28. atque ideò vocati Testamento. Hebr. 9: 15. & potenti verbo Dei, quo adducuntur omnia. Sic Deus vocat, quæ non sunt, ut quæ sunt; ut & filios Abrahami vocat. Rom. 4: 17.

per regenerationem,

7. Imò est regeneratio ex aqua & Spiritu. Joh. 3: 3. 5. hoc est, καινὴ κτίσις (Ephes. 2: 15.) ex merito Christi & ex potentia Spiritus filiationis.

qua ostenditur valor sacrificii.

8. Ostendit sanè Deus, qui sit valor sacrificii Christi; quando gentes vocat, & omnem oblationem sacrificiorum abolet: non minùs atque olim ostendit, quis sit valor condemnationis, quæ potentia peccati, propter legem, in omne genus hominum; quando gentes dimisit, ut irent in viis suis, & eas secluſit à populo suo, & faciem suam ab eis abscondit.

Gentes studiosius vocandæ occasione infidelitatis Judæorum.

9. Duo autem nunc præterea nobis circa vocationem gentium observanda sunt. 1. quòd non futurum erat, ut gentes studiosiùs & operosiùs adducerentur, nisi occasione recalcitrationis Judæorum; atque ita ad irritationem illorum. Deut. 32: 21. 2. quòd gentes non debuerint compelli ad suscipiendum jugum legis Moisaicæ. De qua re magna fuit Apostolo Paulo cum Judæis & pseudapostolis controversia. ut patet ex epistolis Pauli, nominatim ea ad Galatas; & Actor. 15: 1.

Sine lege.

10. Et videtur ea de causa Christus esse maximè rejectus à Judæis, quòd Apostolus Paulus inter gentes gentiliter viveret, & gentibus non pateretur imponi onus legis. Nam aliquamdiu pacem habuerat Ecclesia post persecutionem Sauli; & in gratia erat apud populum. Sed, quòd legi & moribus videretur præjudicium facere Apostolus, ea gratia ubique in eum consurrexerunt. Vide Galat. 6: 12.

11. Non debuisse autem gentibus legem imponi, clarum est vel ex eo: quia sine temeritate non poterat ipsis imponi. Nam, qui ipsis imponebant, nullum habebant verbum Dei; quod diceret, gentes non posse salvas fieri, nisi instituta illa observarent. Quare ex eo ipso, quòd Amosus prophetarat, gentes servatum iri, quæ de Dei nomine appellarentur, conficit Jacobus Actor. 15. gentibus non debere imponi onus. Petrus autem, quum accersendus esset à Cornelio præputiato, visione doctus nihil impurum habere, quod Deus sanctificasset; quum eò venisset, & Cornelium ac amicos ejus Spiritu sancto baptizatos videret, meminit, sibi nihil aliud à Christo injunctum esse, quàm baptizare gentes in nomen P. F. & S. S.

12. Ve-

12. Verùm Apostoli, ut scandalum omne de medio tollerent & gentibus consulerent, scripserunt ad gentes, 1. quid Spiritus sanctus præciperet. 2. quid ipsis visum esset necessarium admonere; tum propter Judæos, ne ipsis essent scandalo; tum propter gentium consuetudines, ne in iis perseverarent, sed ab iis abstinerent. Et Spiritui quidem sancto videri, nullum illis esse imponendum onus. Sibi tamen videri necessarium, 1. ut scandali causa abstinerent à sanguine & suffocato. Quia Moses habebat, qui ipsum legerent omni Sabbato. unde cognoverant Judæi, Noachi filiis talia præcepta data fuisse. 2. ut admonerentur de vitandis idolothytis; scil. ne contraherent societatem & communionem cum illis, qui idola colebant; & omnem scortationem, tum illam, quæ inter Judæos vigebat, tum illam, quæ à gentibus promiscuè exercebatur, diligenter vitarent. Nam neque à Judæis debebant discere πολυγαμίαν: neque divortia cum illis & cum suis popularibus debebant usurpare; neque, ut familiare gentibus erat, vulgare corpora aut misceri cum fœmina extra matrimonium. *Dogma Apostolorum missum ad gentes.*

13. Quod autem attinet dogma de εἰδωλοθύτῳ, docuit Apostolus, non præceptum esse ad anxietatem & scrupulum animo inferendum, ut cogerentur diligenter inquirere, an quid esset εἰδωλόθυτον, necne? Omnia enim licere Christianis assumere, quæ venduntur in macello. Dei enim esse terram & plenitudinem ejus. Ideoque rem Dei à filiis Dei posse cum gratiarum actione assumi. At, si ad εἰδωλεῖον vocentur & ad sacrificia mortuorum & epulanda sacrificia, ut sacrificia, aut, si quis in convivio moneretur, quod appositum esset, esse εἰδωλόθυτον, abstinendum esse. non propter conscientiam ipsius, quasi idolum aliquid esset: sed propter conscientiam monentis. ne scil. edens de idolothyto, ut idolothyto, videretur esse idolorum cultor. Nam Dei esse terram & plenitudinem ejus, ideòque non debere res Dei dari idolis, aut earum dedicationem aut assumtionem in nomine idoli approbari à filiis Dei. Alioqui libertatem nostram à nemine posse judicari, &, iniquum esse, eum, qui gratias agit de eo, quod gratiâ Dei assumit, blasphemari. Tamen, etiamsi nostra libertas non possit judicari ab aliena conscientia, non admittendum esse, ut usus rerum Dei per gratiam cedat in blasphemationem. Vide 1 Corinth. 8: 10. & 10: 25. 26. 27. 28. 29. 30. Confer Rom. 14: 16.

14. Vocatio gentium, quatenus est compellatio per præceptum *Vocatio gen-*

tium fit per præceptum fidei Euangelii.

& ſtipulationem, nihil eſt niſi præceptum pœnitentiæ per fidem Euangelii. Actor. 17: 30. 31. *Temporibus ignorantiæ prætermiſſis, Deus nunc denunciat hominibus omnibus ubique reſipiſcere: quia conſtituit diem, in quo judicaturus eſt habitabilem in juſtitia, in viro, quem deſignatè notavit, fidem omnibus faciens, reſuſcitans ipſum ex mortuis.*

Quo irritatur animus ingratus, in pœnam.

15. In Euangelio autem gentibus, ut & Judæis, proponitur veritas, quæ Deum decet, & cujus cognitione, amore & approbatione homo fit ſapiens & ad pietatem omnem ducitur. Ea in illo proponitur palam, ſine ænigmatibus & nudè: ut nulla ſit amplius opus inveſtigatione laborioſa & difficili. dummodo quis habeat oculos ad videndum & aures ad audiendum. Quod ut inſigne beneficium gratiæ eſt, in iis, qui per Spiritum Dei illuminatos oculos mentis habent: ita eſt vehemens irritatio illorum, qui putarunt, ſe aliam legem juſtitiæ in verbo Dei reperiſſe, ut Judæorum; ut etiam illorum, qui injuſtitiam amant: nec minùs illorum, qui concupiſcentias ſuas amant. Nam peccatum, ut irritat hominem occaſione legis ad concupiſcendum contra legem, ita etiam, occaſione remiſſionis promtæ & præcepti fidei, irritat carnem ad petulantiam, & ſecuritatem & laſciviam. Neque deeſt Diabolo ars ad miſcendam fraudem cum verbis Dei. Sed relinquitur ei opportunitas ſe transfigurandi in angelum lucis ad decipiendum homines per mendacium. Non, quòd Euangelii claritati quicquam deſit, ſed quòd hominibus deſit debita attentio, & debitus timor & amor veritatis. unde fit, ut vel, quæ dicuntur à Deo, non advertant, ſed quaſi audientes non audiant; vel de ſuo aliquid addant, præſtruentes lectioni & auditioni ſuas hypotheſes & ſua præjudicia (quæ ſtercora ſolet dicere Scriptura & offendiculum pravitatis. Ezech. 14.) aut nomini & auctoritati hominum addicti negligentiùs legant; ipſique interpretes & doctores non purè & ſimpliciter verbum Dei, ut in vocibus divinitus inſpiratis habetur, proponant, vel propter ignorantiam, vel propter temeritatem, qua, quum ſuſceperint interpretari Scripturas & docere, ea dicunt, quæ non ſatis explorarunt. Et Salvator Matth. 13. non una parabola explicat rationem, quare verbum Dei non radicetur, & ζιζάνια in agro Domini, qui eſt mundus, proveniant. In omnibus, qui fruſtra audiunt, deſiderat σωτῆρα. Sed diverſa cauſa eſt, quare σωτὴρ non adſit, in diverſis. Apoſtolus 2 Cor. 4: 3. 4. negat Euangelium eſſe tectum, niſi in pereuntibus, in quibus Deus hujus mundi, hoc eſt, Satanas, qui à mundo colitur,

tur, mentes infidelium occæcavit, ut non ſplendeat ipſis coruſcatio Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Ubi diligenter notanda duplex cauſa credendi, quam Satanas oppugnat & occultat. Una eſt *gloria Chriſti*, ut Filii Dei. Altera eſt, veritas nominis Dei & gratia ejus; quæ in Chriſto, ut viva imagine (quia unum eſt cum Patre, & Dei voluntatem fecit & ipſius nomen notificavit) ſpectatur. Omnis enim ferè hæreſis oritur ab incredulitate circa gloriam Chriſti, & circa juſtitiam, & circa gratiam. Chriſtus prædixit Luc. 17: 1. *fieri non poſſe, ut non veniant ſcandala.* & Paulus 1 Cor. 11: 19. *Oportet etiam hæreſes in vobis eſſe, ut οἱ δόκιμοι recti probique manifeſti fiant.* In eo enim cernitur potentia Spiritus & fidei virtus, ſi quis ſuperare ſcandala & verſutias Satanæ poſſit, &, ſoli Deo affixus, verbum ipſius ſcrutetur & id ante oculos habeat in cogitationibus, ſermonibus & omnibus, quæ agit.

16. Regnum autem ſic datum eſt Chriſto in gentibus, ut tandem totus mundus audiat Euangelium, Matth. 24: 14. & omnia regna ipſius fiant, Apoc. 11: 15. & *populo ſanctorum excelſorum*, h. e. fidelibus ſanctis, qui ſunt populus τῶν ὑψίστων, Patris, Filii & Spiritus ſancti, *ſerviant*, Dan. 7: 27. ſaltem mentiendo & ſubminiſtrando. Vide Deut. 33: 29. Tum *plenitudo gentium intrabit*, & *totus Iſraël* ſalvabitur. Rom. 11: 25. 26. 27. *Regnum Chriſti debet conſtituι in omnibus gentibus.*

17. Interim Chriſtus regnat inter hoſtes ſuos, & ſceptrum roboris ejus, quod Deus emiſit ex Sion, operoſum eſt tum ad ſubjiciendos ſibi, quos vult, tum ad eos regendos & conſervandos, tum ad deſtruendos adverſarios. Populum autem voluntarium, vel, qui eſt voluntaria oblatio, in die prælii & ſtrenuitatis ipſius ipſi adeſt in ornamentis ſanctitatis, cum verbo veritatis, cum bonis factis & patientia; accedentes ad Deum, ut ſacerdotes, &, ut reges & principes, cum ipſo bellum adverſus Satanam gerentes & regnum occupare ſtudentes, militum inſtar ſe abſtinentes à ſeculi hujus ſervitute & retinaculis. Pſalm. 110. Contra quem portæ inferorum non valent. Matth. 16: 18. Neque fieri poteſt, ut non habeat Chriſtus populum, qui nomen ipſius commemoret, & ſub ſignis ipſius militet. Eſ. 26: 13. Apoc. 14: 1. Qui quaſi certo numero ſunt, *centum quadraginta quatuor chiliades.* Quod nihil aliud ſignificat, quàm eos repræſentare duodecim tribus Iſraëlis, & in fide patrum ſtare, & Jehovam Deum ſuum verè nominare, ædificatos in fundamento Apoſtolorum duodecim & Prophetarum. Nam is numerus *Regnat interim inter hoſtes invicti.*

ex duodecim factus est. Vide Apoc. 7: 4. In quo capite quòd dicitur primò vidisse signatas tot chiliadas; postea autem vidisse numerum innumerabilem: id significat, super eodem fundamento non jam chiliadas sed myriadas & myriadas myriadum, in diffusione regni Dei, esse ædificatas: quod, ut dixi, ultimis temporibus exspectandum est. Quod dum exspectamus, petimus, ut Regnum ipsius adveniat, in charitate Dei & proximi desiderantes, ut voluntas ipsius fiat in terra sub cœlo, sicut in cœlo.

Cap. LXXII.

De Iudiciis infidelium.

Monuimus superiori capite, veritatis notificationem, ut insignem erga Ecclesiam & salvandos gratiam, & fidelium πλείωσιν esse, ita comparatam esse, propter carnis proterviam, ad irritandam vel superstitionem vel profanitatem vel cupiditatem hominum, & ita ad illos ad summam nequitiam & injustitiam impellendum. Quod est iræ. quam Apostolus docet Rom. 1: 18. à cœlo revelari; propterea quòd appareat, homines esse demonstratos inexcusabiles omnibus modis. Nempe ira magna est, dari hominibus occasionem summa audendi & iram in diem iræ cumulandi. Quare in ultimis diebus non fuit exspectandum, ut mundus melior esset, quàm antea fuerat, aut cessarent judicia Dei. nisi quando Deus voluit dare ἀνάψυξιν & ἄνεσιν quandam. Dies autem *refrigerii* aut *recreationis* promittit Petrus Actor. 3: 19. Paulus 2 Thess. 1: 7. *quietem* & refocillationem promittit in revelatione Domini ex cœlo cum angelis potentiæ suis. Sed nunc de judiciis videndum est.

Sub N. T. tempora dura.

2. Christus Matth. 24: 6. & sequentibus dura tempora prænunciat instare. Item Paulus 2 Tim. 3: 1. Etiam Joël cap. 3: 3. 4. 5. vel 2: 30. 31. 32. Actor. 2: 19. 20. 21. Moses Deut. 18: 19. *Et erit, quisquis non auscultaverit verba mea, quæ loquetur in nomine meo; ego requiram ab eo.* Actor. 3: 23. *Erit, omnis anima, quæ non audiverit prophetam illum, exscindetur ex populo.* Vide rursus Deut. 29: 20. 21. *Non volet Iehovah condonare illi: sed tunc fumabit ira ipsius & zelus ejus in virum illum — & separabit eum ab omnibus tribubus Israëlis.* Apparet, S. Petrum duos locos Mosis conjunxisse, & priorem per posteriorem explicasse, in sermone ad Judæos. Nam prior locus de vindicta in omnes loquitur, posterior de vindicta in Judæos inobedientes.

3. Fu-

3. Futurum autem erat, ut Judæi Christo non obedirent plerique. Quod significat Moses Deut. 31. & 32. & Psalm. 2: 1. 2. & Psalm. 81. & Psalm. 95. & Psalm. 118: 22. *Lapidem reprobarunt architecti, qui factus est caput anguli.* Esaias cap. 6. & cap. 8: 14. & cap. 53: 8. 65: 2. Hab. 1: 5. 2: 4. Mal. 2: 11. Omitto alia. Nam, quotquot loci testantur de passionibus Christi, etiam testantur, Judæos ipsi eas infligturos fuisse. Item, quicunque testantur de Judæorum supplicio; etiam incredulitatem testantur. *Judæi non erant obedituri.*

4. Quæ incredulitas ipsorum inde orta fuit, quòd nimis amarent terram illam, & urbem & politiam. Quam verebantur excisum iri à Romanis; si Jesum susciperent pro Christo. Putabant enim, populum illo duce rebellaturum esse Romanis & libertatem vindicaturum. Joh. 11. Deinde volebant retinere instituta Mosaica & templum. Nam ea facere putabant justitiam suam. Etiam sacerdotes & seniores videbant, suam prærogativam exspiraturam, si templum relinqueretur. Igitur in Psalmo 2. reges & judices & proximè accedentes ad Deum taxantur, quòd conati sint abjicere jugum Domini. Ut autem justitiam suam putarent usum illarum ceremoniarum, in causa erat, quòd Deum & legem ejus, in qua est typus imaginis Dei, non cognoscerent. Unde Christus Matth. 5. taxat Pharisæos & Scribas, quòd legem non rectè interpretarentur. ideoque nec justitiam veram vel cognoscerent vel haberent. Et alibi tribuit illis hypocrisin: & quòd convertissent cultum suum (qui est timor Dei) in observationem præcepti ab hominibus docti. Ex Es. 29. Hæc est radix fruticans veneno & absinthio; ex qua provenit is fructus, ut audientes adjurationem verbi Dei nihilominus sibi benedicerent, & pacem sibi pollicerentur, tametsi tota ipsorum cogitatio non esset nisi cogitatio cordis humani in pravitate sua obfirmati. Quæ vel maximè fuit origo omnis impietatis ipsorum. quòd sibi viderentur sapientes & prudentes, oculos ad videndum & aures ad audiendum habere; & non animadverterent, quanta corruptio in corde humano lateret, & concupiscentiam pro peccato non reputarent, quod irritam faceret justitiam propriam. Qua opinione inflati processerunt ad illam temeritatem, ut satiatos, qui audivissent Euangelium salutis & satietatem ac quietem in Christo reperissent, vellent cum sitientibus conjungere, & in eadem conditione vivere, eosque propterea omnibus odiis & vexationibus persequerentur. Vide Deut. 29: 19. Es. 28: 12. 66: 5. Propter

quam

quam causam etiam Christum Filium Dei in potentia non potuerunt agnoscere. Nam, qui de justitia Dei non rectè sentit, is quoque Christum non potest habere pro verè filio Dei. Unde factum, ut ipsum blasphemum judicarent: & miracula ipsius magiæ deputarent. Hinc porrò effectum est, ut de regno Dei non haberent rectam sententiam. idque agnoscere non possent. Incredulitatem ipsorum circa personam & altitudinem filii Dei Scriptura multis locis indicat. ut Deut. 32. ubi jubet rupi salutis dari magnitudinem, & Jehovam vocat. Ita Psalm. 95. Item Es. 41. 45. 48. 50. in quibus introducitur Christus disceptans cum Judæis de magnitudine sua. De quibus partim in commentariis nostris, partim in iis, quæ opposuimus Responsionibus & Quæstionibus Judaicis, egimus pleniùs. Omnis autem ipsorum labes inde orta est, quòd non attenderunt ad verbum Dei, quod ab initio audiverunt patres, neque operam dederunt, ut in vestigiis fidei Abrahami ambularent. Vide Mal. 4: 6. Ita Ezechiel Israëlitas incusat, quòd non attenderint ad verbum, quod Deus ipsis in Ægypto locutus erat. Atqui in Ægypto nihil aliud audiverunt, quàm, Jehovam velle esse Deum ipsorum; quod promiserat patribus: ideòque removerent à se abominationes oculorum suorum, & stercoribus Ægyptiorum non inquinarentur. Ezech. 20: 5. 7. Neque in Decalogo aliud continetur. Nisi quòd Deus ipsis in memoriam revocavit, in quibus præceptis deberent per μετάνοιαν se exercere, & ostendit, quanta puritas & perfectio esset necessaria ad justitiam: &, ut Dei sanctificationem exspectarent, dedit ipsis signum, Sabbatum. ut & in re ipsa apertum est, & Ezechiel docet. Jeremias autem docet cap. 31: 31. quòd fœdus suum irritum fecerint, ad quod eos invitabat per præceptum fidei & resipiscentiæ. Ex qua re apertissimum est, unicum σφάλμα Judæorum fuisse, quod non attenderint ad verbum, quod ab antiquo auditum erat, & fidem Abrahami non habuerint. quam si habuissent, facilè finem totius legis cognovissent, & suam justitiam non quæsivissent constituere; & in Christo non fuissent scandalisati, eumque dominum gloriæ agnovissent.

Judicium Judæorum.

5. De judicio ipsorum loquitur Esaias cap. 8: 14. 15. *Erit in lapidem offendiculi & offendent in iis multi & cadent & confringentur & illaqueabuntur & capientur. Offendent* scandalizati: *cadent*, gladio: *confringentur*, dissipato populo per gentes: *& illaqueabuntur*, ut indurentur in suis opinionibus: *& capientur*, non tam, ut captivi hominum

num fiant, sed magis, ut sint captivi Diaboli. Idem cap. 2: 4. *& judicium exercebit inter gentes.* Non sanè id unum judicium est. est tamen primum judicium, quo Judæos gentibus invidentes Euangelium & libertatem pessum dedit & velum impositum oculis mundi abstulit. Adde his c. 3. & 5. & 6. & 11: 4. cap. 53: 8. *à defectione populi mei, quæ plaga ipsis.* Et jam cap. 52: 11. suos jusserat Deus recedere ex Hierosolyma, ut impura. Sed cap. 66: 1. — 6. graphicè & falsam religionem ac gloriationem Judæorum,& eversionem urbis & templi describit. Longum esset, omnia, quæ huc faciunt, ex omnibus Prophetis convectare. Tantùm ex minoribus Prophetis illi, qui post captivitatem Babylonicam prophetarunt, & hujus judicii mentionem fecerunt, non sunt negligendi. Zacharias cap. 5. v. 1.—4. Volumen in quo scripta adjuratio, vestibulum templi implens, ostendit venisse in domum furis & perjuri. cap. 11. autem de Christi venditione & emtione, ut auferretur ab ipsis; deque pastione Christi per gratiam; & de vastitate & excidio terræ vaticinatur clarè. Quod convenit cum cap. 9. v. 10. *Et exscindam currum ab Ephraimo, & equum ab Hierosolyma, — & loquetur pacem ad gentes.* Omitto, quæ de planctu Hierosolymitano vaticinatur cap. 12: 12. Mal. 2: 3. denunciat Deus, se stercus festorum ipsorum in faciem ipsorum conjecturum; idque ipsos ablaturum secum. Et v. 12. se viro scortanti cum gente idololatrica excisurum *vigilem*, h.e. seniorem, & *Respondentem*, h.e. doctorem ac prophetam; *& offerentem munus Iehovæ* Deo *exercituum.* ut scil. Israëlitæ infideles dispersi in toto mundo non habeant Rempublicam, nec seniores, nec doctores, nec sacerdotes offerentes vel munus, nedum sacrificia & holocausta. Et c. 4: 6. ostendit, tantùm non percutiendam terram anathemate in adventu Christi. De cujus adventu cap. 3: 1. clarè vaticinatur. ut & de iis, quæ facturus erat. Hæc omnia conveniunt cum Mose, qui Levit. 26. & Deut. 29. & 31. & in Cantico cap. 32. luculenter & Συναγωγὴν & supplicium Judæorum explicat. Imò & Num. 24: 24. notat, naves ab Occidente venturas, quæ subjugent primò *Assyrios* (id fecerunt Græci sub Alexandro) & *Hebræos.* Id fecerunt Romani ex iisdem terris venientes. Transmarinos autem intelligi, clarum est. quia navibus dicuntur venturi. Daniel 9: 24. 25. 26. 27. Hierosolymæ ædificationem & ejusdem destructionem clarissimè prophetat. Sed de plerisque illis prophetiis alibi copiosiùs egimus. Inter omnes autem plagas nulla gravior est, quàm, quòd Deus de ipsis

dicit Deut. 32: 2. *Occultabo faciem meam ab ipsis: videbo, quis finis ipsorum.* Quo significatur, Deum longo tempore non patefacturum se ipsis. Quod Apostolus dicit Rom. 11: 32. *Conclusit — sub inobedientiam.* 1 Thess. 2: 16. *Venit in eos ira*, quæ *in finem* est, indesinens. Sic Jerem. 30: 23. *Ecce tempestas Iehovæ, æstus exiit, turbo protrahens se*: qui *in capite improborum manebit.*

6. Et huic continuationi supplicii ipsorum & abjectionis ac indurationis ipsorum plurimùm inserviunt scandala, quæ inter Christianos exorta sunt: quum nec verbum Dei ita explicatum est perspicuè & cum timore atque demonstratione spiritus, ut oportuit: & doctrina justitiæ Dei obscurata est: & de persona Christi disputatum est: & ingens illa multitudo Bestiæ abundans scandalis templum Dei velut fumus circumvallavit. Apoc. 15: 8. In qua multitudine vitis illa adulterina sita est. de qua Deut. 32: 32. Quæ etiam se hac gravat culpa, quòd propter eam Judæi non accedunt ad Deum & Christum.

7. Quanquam in illis est ferè universalis contumacia & contemtus omnium hominum, & dedignatio audiendi & cognoscendi. quam nemo, nisi Deus, de corde ipsorum auferre potest. Alioqui non defuisset ipsis, unde veritatem cognoscere potuissent. Quod & debuerunt facere. Nam ipsorum imprimis erat gentes docere. Indurat autem eos maximè, quòd Magistri ipsorum prophetias ita contorquent, ut, quod actum est, non videant, &, quod nunquam futurum est, expectent: nempe restitutionem templi; fascinati falsa interpretatione ænigmatis, quod est in postremis capitibus Ezechielis à cap. 40. Neque perpendentes, quum Deus non habitet amplius in templis manu factis, Es. 66: 1. sed constituerit majestatem suam supra cœlos, Psalm. 8: 2. & Jeremias cap. 3: 16. disertè dixerit, Arcam ampliùs non fore: sed Hierosolymam post solutam captivitatem Babylonicam futuram aliquando solium Jehovæ, hoc est, Jehovam in ea & ipsius vicis ac domibus visum iri: & tum gentes accessuras: porrò Dei non esse in domo lutea habitare: suum esse, eam prophetiam interpretari de spirituali aliquo templo; cujus figura fuerit terrestris ea domus. Cui spirituali domui ea figura secundùm omnia egregiè convenit. Eadem autem domui manibus structæ & civitati non convenit, neque vaticiniis de Hierosolyma & Sione. ut Psalmo 78: 57. 58. & 132: 13. Ex quibus cognoscitur, Deum, quamdiu templum habiturus esset in terra, non habi-

habiturum fuisse templum, nisi in Sione & Hierosolymis. At Ezechielis mons non est Sion; neque urbs Hierosolyma: neque templum in ea urbe; sed satis longè ab urbe remotum: neque in tribu Judæ, sed extra tribus omnes. In templum manufactum poterant introduci præputiati corde, & sic carne, licèt in carne circumcisi essent: at in templum spirituale non intrat, nisi circumcisus corde, qui carne incircumcisus haberi non potest. Nemo enim intrat, nisi fideles. Nemo judicatur frater & consors hæreditatis Dei in sanctis, nisi cujus fides ex verbis & factis sic cognoscitur, ut possit sperari, eum non mentiri. Totum spacium montis est sanctum sanctorum: non item mons Morijah. Sed & Esaias cap. 10: 20. 21. & Daniel cap. 9: 27. declaravit, hoc excidium esse כָּלָה וְנֶחֱרָצָה *totale & universale excidium.* nempe quoad politiam & sacerdotium priscum. Neque convenit diebus Christi & regno Dei is status rerum, qui fuit antea.

8. Neque enim ita Deus illos rejicere voluit, ut nulla supersit spes de ipsorum conversione & reassumtione. De qua spe agit Apostolus Rom. 11: 11. — 32. Et mirabile minimeque negligendum est, quòd Deus vult illos ita superesse in mundo, ut neque habeant cultum suum, quem habuerant sub Veteri Testamento, nec etiam sequantur alias religiones (quod sæpe antegressis ætatibus fecerunt) sed pertinaciter perseverent in recitandis tum scriptis Mosis ac Prophetarum, tum traditionibus patrum suorum. Quorum illa debuerunt testes esse contra ipsos, & nobis veritatem Euangelii demonstrare; hæ autem ostendunt causas contumaciæ ipsorum & radicem illam, fruticantem veneno & absinthio, aperiunt; nempe quàm indiligenter tractaverint Promissionem, & Prophetias; quàm fuerint affixi quæstionibus νομικοῖς; quàm fuerint addicti fabulis; in quanta existimatione habuerint magistros suos; quid de justitia & regno Dei cogitaverint: atque obiter multiplicem usum præbent Christianis, vel ad intelligendam linguam, quam Moses & Prophetæ scripserunt, vel ad historiam Euangelicam comprobandam, vel ad reliquias Catecheseos Veterum in iis animadvertendum. *Spes superest de Iudæis.*

9. Qui status hodiernus describitur ab Hosea cap. 3: 4. 5. *Diebus multis sedebunt filii Israëlis sine rege & sine principe, & sine sacrificio & sine uncto lapide, & sine Ephod & imaginibus.* q. d. Non habebunt politiam, non habebunt templum & sacerdotem, & non erunt ido-

lolatræ, ut gentes antea, vel etiam ut Papistæ, qui lapides ungunt, altaria sua, & imagines erigunt. *Postea convertentur filii Israël & quærent Iehovam Deum suum, & Davidem regem suum, & trepidabunt ad Iehovam & ad bonum ejus in fine dierum*, hoc est, convertentur ad fidem Dei & Christi, & ad regnum ejus, quod abnegaverant, & gratiam ejus amplexabuntur.

Locus Lev. 26. 10. Non omnia dicta, quæ huc aurigantur, licet colligere. & alibi id egimus studiosiùs. Non possum tamen non ponere locum illum illustrem, quem ipsi frequentant; qui est Levit. 26. In quo capite v. 3. Deus stipulatur, ut in statutis suis ambulent. Tum promittit ipsis, si id faciant, omnia bona temporalia, & præterea, quòd *daturus sit sanctuarium suum in medio ipsorum, & anima ipsius ipsos non sit fastiditura*; ut id auferat ab ipsis, atque ita ipsis dicat, *Non populus meus estis vos: & se ambulaturum in medio ipsorum, & futurum ipsis in Deum, & ipsos futuros ipsi populum.* Quæ promissiones significant continuatam benedictionem in bonis corporis; deinde continuatam sanctuarii & officiorum in eo peragendorum conservationem; donec ipse visitet ipsos, & conspiciendum se illis præbeat, & faciat, quod est Dei, qui vult esse Deus peccatoris, eosque liberet ab omni servitute, & bonitate omni cumulet, ut sint suus tantùm populus. Protestatur autem, se, qui promittebat, se ambulaturum in medio ipsorum, esse Jehovam Deum ipsorum, qui eos eduxisset ex Ægypto, ne essent servi Ægyptiorum. v. 11. 12. 13. Contra, si fœdus suum irritum faciant (quod jam cum patribus pepigerat; ut dicitur v. 42. &, ante legem datam, cum illis, quos eduxerat ex Ægypto. v. 45. collato Ez. 20: 5. 6. 7.) se omnis generis plagas ipsis, pro contumaciæ modulo, impositurum. nominatim se ipsos fastiditurum, & sanctuaria ipsorum vastaturum & non odoraturum thymiamata ipsorum: & terram vastam facturum, & ipsos dispersurum per terras hostium. v. 30. 31. 32. 33. ita terram sua Sabbata acturam. v. 34. quod factum in captivitate Babylonica per septuaginta annos. Tandem tamen ipsos confessuros pravitatem suam & patrum. v. 40. Tum deinde rursus se cum ipsis ambulaturum q. per temerariam occursationem, & eos introducturum in terras inimicorum suorum (nisi flectatur cor ipsorum præputiatum) & tum ipsos absoluturos peccatum suum, h. e. ad summum nefas progressuros. Nam se *recordaturum fœderis cum Iacobo & Isaaco & Abrahamo iniit*: (quibus scil. promiserat, se multiplicaturum semen ipsorum, ut hæreditent terram Canaan totam,

totam, & tum se illis fore Deum. ut est Gen. 17:8. quod supra dixerat v. 12. se ambulaturum in medio ipsorum) *& terram recordaturum.* v. 42. ut eam tanquam terram suam, in qua sanctuarium & σκήνωσιν habuerat, visitet, & in ea gloriam suam patefacturum (Es. 40:5.) atque ita *totius terræ*, quam Zach. 3: 9. quasi manu projectâ ostendit; sive *omnium familiarum terræ* (quibus benedictio in Abrahamo & semine ejus in promissione adscripta est, Gen. 12: 3. 22: 18.) ut peccata expiet, justitiam seculorum adducat, sanctum sanctorum ungat. Dan. 9: 24. Tum igitur terram derelictum iri ab illis (quorum scil. cor præputiatum non fuerit flexum) & ipsos peccatum suum consummaturos. v. 43. quemadmodum evenit, postquam Christus apparuisset, & Euangelium prædicatum & Spiritus filiationis fuisset effusus in omnem carnem. Tum separati sunt à se invicem, quorum cor flexum est, & quorum cor præputiatum flexum non est. Hi autem altera vice in terram hostium projecti & per totum mundum dispersi sunt. ut & Hoseas dicit cap. 9: 17. Hisce comminationibus (quibus promissiones intermistæ sunt, reductionis in terram, & parandæ redemtionis) subjungitur hæc q. notificatio Testamenti, v. 44. 45. *Atque etiam nihilominus, ipsis agentibus in terra inimicorum ipsorum, non rejeci eos, neque fastidio eos, ut consumam eos, ut irritum faciam fœdus meum,* quod *cum ipsis* pepigi, (hoc est, promissionem, quam ipsis addixi) *quòd ego Iehovah Deus ipsorum* sim. *& recordabor ipsis fœdus priorum, quos eduxi ex Ægypto in oculis gentium; ut fierem ipsis Deus. Ego Iehovah.* q. d. Quemadmodum olim ex Ægypto eduxi hunc populum, ut essent populus meus, ita etiam in ultimis diebus eos repetam tanquam meos, & me geram pro Deo ipsorum.

11. Accedat ad hæc clausula Cantici Deut. 32: 43. *Cantate, gentes,* quæ estis *populus ejus: quia sanguinem servorum suorum vindicat, & ultionem reddit hostibus suis, & expiavit terram suam, populum suum.* h. e. habet populum in tota terra sua, sive terra Israëlis, sive toto mundo, in qua saltem parte unquam habuit populum, in omnibus familiis terræ, expiatis & deletis peccatis eorum. *Locus Deuter. 32. vers. 43.*

Caput LXXIII.

De judiciis infidelium ex gentibus.

Quemadmodum beneficium prædicationis Euangelii ad omnes pertinet, ita etiam pœna neglectûs & contemtûs tantæ salutis. Hebr. 2: 3. Rom. 1: 18. 2: 9. Deut. 18: 19.

2. Gentium verò judicia etiam magna & insignia sunt ac diu protracta, multisque gradibus accumulata: inter quæ tamen Ecclesia in gentibus conservatur.

Fuga regum. 3. Primum est fuga regum cum exercitibus suis. Psalm. 68: 13. quòd scilicet Deus dedit Ecclesiæ multos gladios inservientes, qui persecutores cæderent & exscinderent. Es. 41: 2. Hoc incepit fieri per Constantinum Magnum. Secuta est destructio idololatriæ & sublatio philosophiæ se opponentis Christo & nomini ac regno ipsius.

Coërcito Diabolo, gentes mentiuntur Christo. 4. Ita solutis Diaboli laqueis, imò Diabolo coërcito, ut non tanquam Draco magnus in throno suo sederet ampliùs, sed in abyssum conjectus egredi non posset; quemadmodum olim palam populos aggressus erat eosque fascinaverat & seduxerat ad cultum suum & impugnationem apertam regni ac populi Dei; non tamen est secuta obedientia fidei in plurimis: qui vel ἀθεότητι se dederunt, vel Christo tantùm mentiti sunt. Quod per verbum כחש, *abnegare verum*, in Scripturis solet notari. ut Psalm. 66: 3. 81: 16. Pro eo dicitur etiam *labio blando loqui*. Psalm. 12: 3. Nam, quòd professi sunt nomen Christi & Christianorum, id Scriptura non habet pro תודה ὁμολογίᾳ, quæ est sacrificium, quo Deus glorificatur, Psalm. 50: 14. 23. & per quam fœdus cum Deo contrahitur, ibid. vers. 5. sed pro abnegatione odii ejusque occultatione ad blandiendum Deo & Ecclesiæ fallendi causa.

Regnum Bestiæ. 5. Ortum igitur est regnum & civitas Bestiæ, cui cessit thronus Draconis. Apoc. 13: 2. Ea verò est multitudo regnans per sua capita, habens civitatem unam sive rempublicam, etiam in diversis regnis; quæ vocatur Ecclesia & populus Dei: sed nihil habet nisi externa Ecclesiæ, est autem multitudo πεπωδῶν ἀνθρώπων fidem Christi & charitatem Dei non habentium.

Ejus adminicula. 6. Huic regno & civitati magnæ nomen Ecclesiæ occupanti inserviit etiam ignavia pastorum Ecclesiæ, malentium regnare, quàm

quàm laborare, & in labore ingenuam charitatem præstare. Apoc. 2: 4. 5. quibus throni dati sunt, in quibus consederunt, & judicium traditum est. Apoc. 20: 4.

7. Fuerunt sanè inter illos, qui in thronis consederunt, *patres*, sed pauci; plures autem *pædagogi in Christo*; ut Apostolus loquitur 1 Cor. 4: 15. qui ferula armati pronunciarent, quid dicendum faciendumve esset, & aliter loquentes aut facientes increparent, judicarent, ac ferula sua percuterent. ut pædagogi pueros solent regere. *In Christo* tamen; quia provocarunt ad Scripturam & in fidem atque obedientiam Christi & nomen ejus nominandum suos catechumenos adegerunt. Attamen illa judicii in thronos tenentes devolutio occasionem dedit hominibus animalibus eligendi loquelam eorum, quos videbant in throno sedere, & quibus judicandi potestas data erat, & faciendi, quod illos videbant facere, & censuras eorum ferendi, & sic mentiendi Ecclesiæ & illi adulandi. Permixti hîc fuerunt filii Dei, *pueri in Christo*, cum servis nequam: quemadmodum in magna domo solet fieri. *Pueri* quidem *in Christo* habuerunt timorem & amorem Dei & tenuerunt fundamentum, sed ad sapientiam, quæ est in sermone Dei non processerunt admodum, & multa imprudenter cum suis magistris dixerunt & fecerunt, parati tamen se emendare juxta verbum Dei. Sed animales homines non potuerunt recipere ea, quæ sunt spiritus sancti, neque cognoscere; ut docet Apostolus 1 Cor. 2: 14. tantùm verba quædam Dei dici non ægrè tulerunt, & ipsi dixerunt; gavisi autem sunt maximè suis consiliis & inventionibus.

8. Non diu defuerunt, qui nomen aliud in Ecclesiam introducerent & regulam ac legem aliam, & se dominos fidei facerent, urgentes, suum aut certè humanum verbum accipiendum esse, ut verbum Dei. Quos sub nomine *pseudoprophetæ* notat Scriptura. Nam, qui docet, verbum humanum esse accipiendum, ut divinum verbum, & ad hoc docendum se missum esse dicit, pseudopropheta est; sive suum verbum venditet, sive alicujus alius verbo se & alios adstringat: sive illud verbum habeatur, ut ἰδία ἐπίλυσις γραφῆς *privata* & privilegio data *interpretatio Scripturæ*, 2 Petr. 1: 20. sive Scripturis addatur, vel tanquam lex ex potestate lata, vel tanquam traditio non scripta, neque ex generalibus Scripturæ sententiis fluens, necessariò credenda & observanda propter nomen & auctoritatem tradentis. *Pseudoprophetæ.*

9. Ita

Ἀνομία & ἀπωλεία.

9. Ita non tantùm gentium plurimi ad fidem non pervenerunt, sed etiam ἀνομία & ἀπωλεία in Ecclesiam & in cœtum piorum penetravit. Quam Scriptura vocat *mortem secundam.* Quæ est *secunda* post *primam.* Nam prima quidem mors est ea, qua omnes mortui sunt in uno homine, ut reperiantur mortui in præputio carnis, 1 Cor. 15: 21. 22. Col. 2: 13. *Secunda* autem *mors* est defectio ab agnita veritate. quum quis, tanquam porcus ad cœnum revertens, aut canis vomitum resorbens, postquam cognoverit viam justitiæ, à sancto præcepto, fidei scil. in Christum, revertitur ad peccandi, hoc est, falsa loquendi & prava faciendi consuetudinem. Quorum posteriora sunt deteriora prioribus. 2 Petr. 2: 20. 21. 22. Hebr. 10: 26. Quod non ita accipiendum, quasi illi, qui secundò moriuntur (sic loquitur Judas v. 12.) fuerint participes resurrectionis primæ: sed, quòd *nomen habuerint viventium,* illuminati hactenus, ut & *virtutes seculi*, quod Apostoli *futurum* vocant, *gustaverint*, hoc est, gaudio affecti fuerint ex sermone veritatis, quem tamen non plenè cognoverunt; putantes, se vidisse, quum non viderint, & in concupiscentiis suis ac consiliis obdormiscentes, postquam de gratia Dei & justitia & sanctificatione audivissent.

Apoc. 5. vers. 1.

Locus 2 Thess. 2. vers. 11.

10. De hoc judicio severissimo loquitur Apostolus 2 Thessal. 2: 11. *& propterea mittet Deus ipsis efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed beneplacitum habuerunt in injustitia.* Quæ efficacia erroris immissa à Deo in hoc consistit, quòd 1. verbum Dei ipsorum culpa fuit neglectum & non versionibus & expositionibus veris, solidis, sinceris illustratum, ut mens Spiritus sancti pateret omnibus. 2. idem verbum fuit expositionibus ineptis opertum & obscuratum. 3. hæreses exitiabiles fuerunt excitatæ, & tamen à sedentibus in throno, qui erat in thronum nequitiæ erigendus, damnatæ: iis autem hæresibus mentes fuerunt occupatæ, ut alia omnia negligerent. 4. sedenti in throno primo data est potestas à regibus terræ. 5. Deus permisit Satanæ, ut se transfiguraret in Angelum lucis. 6. Plerique Christiani modulum puerorum in Christo non excesserunt. 7. Felicitas magna fuit sedentis in throno: & infelices fuerunt, qui cum ipso dimicarunt: vulnusque bestiæ sanatum est. 8. Deus non dedit hominibus σωτῆρα. quippe indignis: quum tam prope adducti tamen manerent in pristinis erroribus, & in obfirmatione cordis sui, non attendentes ad verbum Dei, sibi benedicerent & pacem pollicerentur, bonam autem conscientiam à se repellerent. 11. Quæ

11. Quæ porrò judicia ἀνομίαν secuta sint, longum esset exponere: neque necessarium est, quum totus orbis malis refertus ea testatur. Nam, ut non omnia prætermittamus, videmus Hierosolymam calcatam à gentibus, barbaros incubantes terris, in quibus Christiana Ecclesia floruit; paucos ubique, qui verbum Dei scrutentur & sapientiam, quæ in eo est in se ostendant; inter Reformatos schismata; eorum, qui se invicem fratres debebant appellare, bella & pugnas; multiplices apostasias. Denique mundum *secundò mortuum*. ut opus sit resuscitatione secunda. qualis sub Apostolis mundo contigit.

LOCUS VIGESIMUS QUINTUS
DE
Distinctione Ecclesiæ Novi & Veteris Testamenti, & Libertate Christiana.

Cap. LXXIV.

Ex præcedentibus intelligi potest, quantum intersit inter Ecclesiam Novi Testamenti & populum Judaicum sub Veteri Testamento: hoc est, inter œconomiam duplicem, quam Deus de filiis Abrahami decrevit. unde dicuntur *Testamenta Promissionis* Ephes. 2. v. 12. quòd in *promissione* duo testamenta continerentur, sive duæ partes consilii Dei de gubernandis diversimodè filiis Abrahami. Nam Abrahamo dictum est utrumque, 1. semen tuum hæreditabit terram hanc. 2. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quemadmodum priori verbo Abraham constitutus est hæres terræ Canaan; ita posteriori verbo constitutus est hæres mundi. Ex ipsa promissione apparet, hæc Testamenta distincta esse & non uno tempore exsequutionem habere: quia in promissione est dilatio adventûs Seminis, quod est causa benedictionis; quo repræsentato, gentes sibi benedicere possunt. Non potest autem fieri, ut, qui fue-

Differentia status Ecclesiæ oritur ex Testamentis.

runt in mundo, antequam semen illud veniret, eodem modo sibi benedicere potuerint, atque illi, quibus exhibitum est.

2. Neque enim potuerunt illi, qui antè fuerunt, gloriari, quòd peccatum non esset amplius, sed deletum extinctumque esset. Quanquam igitur justi fuerint per fidem, & non fuerit facta peccati commemoratio; tamen non fuit consolatio & gratiarum actio & gloriatio de ἀπολυτρώσει facta, & de ἀνταμώμαλι extante.

3. Unde Paulus dicit, *Peccatum in mundo fuisse usque ad legem.* Rom. 5: 13. Legem verò subintrasse, ut lapsus abundaret, 1. per accusationem. 2. per irritationem carnis: ut virulentia peccati in carne stabulantis noscceretur. v. 20.

4. Præterea ex promissione patet, Deum tantisper omissurum gentes, & Deum earum nominari non velle, easque sine Christo Sponsore & Intercessore futuras, donec Semen illud veniret. Quæ est q. professa inimicitia.

Inimicitia in carne Christi. 5. Unde intelligitur *inimicitiam fuisse in carne Christi*, quoad salvandos, defixam: quasi caro Christi, sub lege nati & minorati infra angelos, usque ad mortem, esset velum, quo non rupto aditus nec Judæis daretur ad gloriationem, nec gentibus ad fœdus Dei; negatâ ipsis vocatione: rupto autem, aditus daretur utrisque. Eph. 2. v. 15. Hebr. 10: 20.

Veritas & pax. 6. Unde cognoscitur prima & capitalis differentia inter omnes, qui fuerunt ante Christi mortem: quòd illi non potuerunt gloriari de *inimicitia interfecta*, de ἀπολυτρώσει, deque *causa salutis consummata*: hi autem, quibus Christus cognoscitur mortuus & sepultus, de pace & justitia ac salutis æternæ causa consummata gloriari possunt. Igitur, ut illi fuerunt constituti in *siti* & *expectatione*; ita hi fuerunt *exsatiati*.

Satietas. 7. Nam in Christo est *veritas* omnium promissionum Dei, 2 Cor. 1: 20. & nihil est, quod accedentes ad Deum removere, detinere aut impedire possit, quò minùs accedant ad Deum propè & ab eo petant, ut justi & filii, quæ ad vitam & pietatem necessaria sunt.

8. Habent enim *pacem*, *interfecta inimicitia*. Non enim dedecet Deum ampliùs benefacere peccatori, qui non ampliùs habet *conscientiam peccati*, sed cogitat peccata sua imputari non posse. Quæ cogitatio in Abrahamo & patribus fuisset falsa & Deo contumeliosa: nunc autem est vera & Deo glorioſa. Hebr. 9: 14. 10: 2. 22.

1 Joh.

1 Joh. 3: 21. Itaque habent cor circumcisum non tantùm à servitute peccati, sed etiam à conscientia peccati. Deut. 30: 6.

9. Consequentia autem hujus *pacti* est, ut, si fuerint priori tempore imposita præcepta gravia, molesta, iram testantia, reatum & peccatum commemorantia, & quorum exercitium sive functio esset exhibitio chirographi; ea præcepta post promulgatam pacem cessent & exspirent & functionem nullam exigant, neque accedentibus ad Deum imponenda sint: quemadmodum consequentia exhibitæ *veritatis* est, figuras & umbras, quæ datæ fuerint expectantibus & sitientibus, ut tibicines spei & exstimulatio desiderii, cessare atque aboleri. Quas umbras velle retineri & tractari à satiatis, & ipsam imaginem rei cernentibus, ac præcepta ea observari ac fieri, vocat Deus apud Mosen Deut. 29: 19. *satiatam* vel *potatam addere sitienti*, hoc est, satiatos redigere in statum & conditionem sitientium & promissionis ὑποκατάστασιν s. exhibitionem expectantium, qui nec conscientiam peccati deponere poterant, & à quibus chirographum exactum fuerat.

10. Quæ conditio satiatorum in sacris literis appellatur ἐλευθερία *libertas*, & opponitur τῇ δουλείᾳ *servituti*. De qua hoc loco quædam sunt dicenda. *Libertas.*

11. *Liber* statu est civiliter, qui dominum suarum actionum non patitur: sed facit, quod vult. Ita ut intelligatur, neminem posse velle, quod non animo jucunditatem affert: id autem demum jucundum verè esse, quod conscientiam bonam gignit. *Libera voluntas* dicitur, quia non potest agere nisi volendo. atque adeo cogi non potest. Quæ tamen quando vult, non, quod oblectat, sed, quod minùs molestum est, *invita* dicitur. Ita, quando vult, quod quidem oblectat, sed non sincerè, nempe, ut gaudium bonæ conscientiæ afferat, *captiva* meritò dicitur. In quo genere actionum servitus, quò magis ad promtitudinem connititur voluntas & libertatis à conscientiæ lege speciem affectat, eò magis servilis est. Rom. 6: 16. Nam & servitutis diversitas est. *Servus* est, qui dominum patitur; *bonus*, qui dominum benè amat, & ei benè obedit, atque ita, ut sibi & conscientiæ liber, servit; malus, qui dominum non amat, nec facit ea, quæ vult dominus, ut mereatur à bono domino amari, sed ut serviat cupiditati suæ malè; nequissimus servus est, qui malo domino & malè obedit & libenter. Qui cum videatur agere quasi liberrimè, maximè servus est, quia minimè suus est. Ita in servitute *Servitus.*

ſpecies libertatis eſt, & contra in libertate creaturæ ſpecies ſervitutis. Nam, qui bonum volendo conſcientiæ lætitiam alit, boni domini liberrimus ſimul & enixiſſimus ac devinctiſſimus ſervus eſt. Rom. 6: 18.19. Ipſe quidem Dominus, qui in ſanctitate ſua beatus eſt, ſine omni ſervitute liber eſt; ſervus autem bonus optimi Domini ipſa ſervitute liber eſt. Neque aliter creatura eſſe libera poteſt, quam ſi pleniſſimè ſit ſui Creatoris. Si creatorem habet, & ſua eſt. Si alîus eſt, quàm creatoris, etiamſi videatur maximè ſibi obſequi, non ſua, ſed ſerva eſt.

12. Hæc libertas eſt primus gradus libertatis Chriſtianæ. Non, quòd ea propria ſit Novo Teſtamento, ſed, quòd iis, qui in ſervitute illa & captivitate regni tenebrarum manent, nullum habeant jus, imò ſint *impuri*, *ipſiſque omnia* ſint *impura*. Tit. 1: 15. Ad quos ne *ſervitus* quidem impoſita populo Iſraëlitico in Veteri Teſtamento pertinebat. Nam ea erat exercitatio filiorum, quibus hæreditas parata erat; qui ſerviliter habebantur, ut libertatem filiorum eò ardentiùs deſiderarent. Patiebatur quidem cum illis Deus merè *ſervos*, & quorum hæreditas non erat, nec Deum patrem vocabant, in terra, quæ hæreditas populi Dei dicebatur, miſceri; ſed ad tempus. Illorum enim non erat manere in domo. Joh. 8: 35. Erat igitur hæc *libertas* etiam in Veteri Teſtamento; & ſequebatur liberationem à maledictione, peccato in ſervitutem addicente peccatorem, per ſponſionem Angeli Teſtamenti.

Servitus filiorum.

Libertas Chriſtiana quid?

13. Libertas igitur Chriſtiana eſt non teneri præcepto carnali, quod ad vindictam tranſgreſſionis, & ad confeſſionem reatûs & ad acuendam ſitim impoſitum fuerat populo Iſraëlitico: ita, ut, qui in Chriſto ſunt, λατρεύωσι *ſerviant ſoli Deo vivo*, nullis elementis mundi ſive rebus terreſtribus, juſtitiam dare non valentibus, & ſui tractationem lege imaginis Dei in nobis renovatæ non poſcentibus.

14. Quandoquidem autem ea lex erat impoſita toti populo, cujus maxima pars erat incircumciſa corde & rudis atque contumax; unde totus populus *pueris* comparatur, in quibus non eſt ſapientia & recta vel conſtans voluntas: ideò etiam pædagogis, tutoribus & œconomis, hoc eſt, ſenioribus, judicibus, principibus, legiſlatoribus ſubjecti ſunt. quorum reſpectu, qui ſubjecti fuerunt, *ſervi* appellantur; quum, qui præeſſent, haberent poteſtatem imperandi & coërcendi, quemadmodum illis bonum videbatur, & quædam facere illis liceret, quæ aliis non erant permiſſa, atq; ita quodammodo *liberi* viderentur,

derentur, Galat. cap. 3. vers. 28. qui etiam *dii* dicebantur.

15. Ergo, quum Christus nos liberaverit à præcepto carnali, consequenter etiam nos liberavit à potestate principum & qui imperium habebant in Veteri Testamento.

16. Christus est missus etiam ad prædicandam libertatem. Es. 61: 1. Ea qualis sit, &, quod fundamentum habeat, & quàm necessariò sit retinenda, docet Apostolus in epistola ad Galatas. In qua etiam recitat sermonem ea de re habitum Antiochiæ cum Petro coram omnibus. Ejus sermonis ordinem jam placet explicare, ut aliquod instar capiamus demonstrationis, qua utitur. *Christus prædicator libertatis.* *Locus Galat. 2. v. 14. 21.*

17. Defendit Apostolus eo non tantùm libertatem eorum, qui ex gentibus crediderant, sed etiam Judæorum, qui in Christum crediderant, quòd illi scil. non tenerentur *Iudaicè vivere*, atque ita gentes *cogere Iudaïζare:* sed in bona conscientia, quemadmodum Petrus fecerat ante adventum quorundam à Jacobo, *gentiliter vivere*, hoc est, omnibus vesci, & à nullo velut impuro abstinere. Liberos quippe esse utrosque à lege. Quod significat, 1. utrosque non teneri *lege præcepti carnalis*, sive τοῖς δόγμασι: quibus tenebantur Judæi usque ad Christum. Hebr. 7: 16. Eph. 2: 15. Col. 2: 14. 15. 16. 17. 2. neutros esse sub accusatione Legis operum, & maledictione, ejusque effectis, quæ imponebantur populo Israëlitico, tanquam *ira*, quam operabatur Lex in iis, qui nihil nisi promissionem habebant. Rom. 4: 14. 15. Facilè autem intelligitur, ex eo consequi, 1. quarum rerum usus propter legem placitorum Israëlitis illicitus erat, eum licitum factum esse. sic tamen, ut semper habeatur ratio ejus, quod expedit. 1 Cor. 6: 12. Quia non omnia, quæ licent, etiam expediunt. 2. quanquam omnia liceant, atque etiam ea non facere, quæ Judæi propter præceptum non faciunt, peccatum non sit, tamen non licere se subjicere alienę potestati, (rursus 1 Cor. 6: 12.) ad præceptum recipiendum ab homine de eo, de quo præceptum Dei non est, sive quod non propter præceptum Dei facere omittimus. Quia nempe libertas est insigne donum: quod non debemus nobis pati eripi. Ita, quantumvis ὡς ἄνομοι agamus in talibus (quippe, quæ in libertate facimus vel non facimus, de iis non habemus νόμον) tamen non sumus ἄνομοι Deo, sed ἔννομοι Christo, dum omnia, etiam libertati permissa, facimus in fide, cum gratiarum actione, in nomine Christi & ad gloriam ejus in charitate; & libertatem nostram non commutamus cum servitute. 1 Cor. 9: 21. *Libertatis usus duabus regulis inclusus.*

18. Imprimis S. Paulus contendit, vitiosum esse, si Judæi se subducant à fidelibus gentium. quia ipsos *cogerent Iudaïzare*, & imponerent ipsis legem, quam Deus ipsis non imposuit. Quippe, si gentes vellent aliquo loco esse inter Judæos, & illis utiles esse atque cum illis vivere, necesse erat Judaicè vivere. Sed nemo potest imponere legem cuiquam, quam Deus non imposuit: & nemo debet ferre sibi legem imponi in talibus.

19. Deinde probat libertatem Judæorum ex *justificatione*. Hoc modo. *Qui justificati sunt in fide Christi Iesu*, non sunt sub lege. Atqui *etiam nos, qui Iudæi sumus*, & sub lege eramus, *justificati sumus in fide Christi Iesu*. Ergo sub lege non sumus. Major probatur. quia, si lex nobis, justificatis per fidem in Christum Jesum, est necessaria, vel ideò est necessaria, quia ad justitiam facit, vel ideò observanda est, quia necesse est confiteri reatum. Neutrum autem verum est. Non primum. Nam credidimus in Christum, quia non poteramus ex operibus justificari. Non secundum: quia sic Christus foret *minister peccati* sive reatûs. Atque ita & Christus &, qui in ipsum credunt, semetipsos παραβάτας *transgressores* testarentur, si vel ipse eos vellet, vel ipsi vellent esse sub lege.

20. In vers. 17. non est tollenda interrogatio: ut Grotius facit. Sequitur enim, μὴ γένοιτο. quod non benè subjicitur, ubi non præcedit interrogatio. Apostolus autem, tanquam concedens antecedens, interrogat, an is, qui sibi id concedi postulat, etiam velit concedi consequens? q. d. Si vis tibi concedi, nos, qui *quærimus justificari in Christo, etiam ipsos peccatores* sive reos *reperiri*, an etiam vis concedi, *Christum esse ministrum peccati*, sive reatûs accusantis; ut Moses fuit? 2 Cor. 3: 7. 9. Lutherus hunc sensum vidit & rectè enunciavit his verbis: *Si autem illi, qui in Christo justificantur, inveniuntur adhuc peccatores, id est, pertinent adhuc ad legem & sunt sub lege, ut pseudapostoli docent, ergo nondum justificati sunt: quia lex accusat, & arguit, eos adhuc esse peccatores..... Ergo justificati in Christo non sunt justificati: Et sic necessariò sequitur, Christum non esse justificatorem, sed peccati ministrum. &, Christi proprium officium est, peccatorem per legem reum factum & constitutum amplecti & absolvere à peccatis, si Euangelio credit.* Et, *Fanatici spiritus invertunt omnia: ex Christo Mosem & ex Mose Christum facientes.* & probat ex 2 Cor. 3. *Mosem ministrum legis, quod* Apostolus *vocat peccati, iræ & mortis, & damnationis ministerium.*

21. Quidam interpretes, ut Chrysostomus, Theodoretus, & alii,

alii, ἁμαρτίαν hic acceperunt de peccato, quod cavendum sit homini; sive putetur esse in usu libertatis, quasi peccatum sit libertate uti, cujus Christus auctor extiterit: sive intelligatur peccatum, quod justificatus facere possit. ad quod faciendum homini libertas non datur. quod tamen imputant doctrinæ de libertate Christi ejus adversarii. Sed hîc ἁμαρτία *peccatum* consideratur, ut solet in scriptis Apostolicis usurpari: pro παράπτωμαῖι, & ἁμαρτία, quæ per unum hominem intravit in mundum, & homines omnes Adami filios reos agit, & dominatum in eos poscit, lege eos ipsi addicente, tanquam venditos sub peccatum, & stipendium servis suis solvit mortem. Ita enim de *peccato*, tanquam persona, sive adversario, solet loqui Apostolus magna cum emphasi. Vide Rom. 5: 6. 7. 8. 8:3. Non opus erat, ut Apostolus vindicaret doctrinam libertatis Christianæ apud Petrum & Barnabam atque eos, qui à Jacobo venerant, ab ea insimulatione, quasi per eam introduceretur licentia peccandi. Nam apud illos certum ratumque erat, gentibus non esse imponendum jugum legis. Ut patet ex Actis c. 15: 10. 28. 21: 25. itemque ex Gal. 2: 1. 2. 3. 5. 6. 7. in qua parte capitis narrat id ipsum, quod actum est Hierosolymis in colloquio missorum ab Antiochenis cum Apostolis, presbyteris & Ecclesia Hierosolymitana. ut exponitur Actor. 15. Et ideò etiam Petrus ab initio Antiochiæ cum gentibus gentiliter vixit. Et propterea fidenter Paulus Petro tanquam absurdum objicit, *gentes cogere Iudaïzare.* Proinde supervacuum est hîc cogitare de tacita objectione; quasi doctrina libertatis esset inimica sanctitati. Quam qui hic movent, non cogitant, Paulum hîc non habuisse rem cum iis, qui abutebantur ea doctrina, sed cum Petro, qui libertate non utebatur, quum oporteret. Neque ea objectio tantùm fuerat approbanda, Christum non esse ministrum licentiæ: verùm ad objectionem fuisset respondendum, Non sequi, eum, qui est auctor libertatis, esse ministrum licentiæ: idque fuisset ostendendum. Et, quum verba ferant eum sensum, qui habet demonstrationem libertatis ductam ab officio Christi; incongruum esset, eum sensum rejicere.

22. Christus igitur, qui nullo modo *minister peccati* est, non tantùm illo modo *minister peccati* non est, ut præbeat ἄδειαν ἁμαρτάνειν, *licentiam peccandi*, sed ne illo quidem, ut inserviat peccato accusanti & per legem nos mancipanti sibi in servitutem, atque etiam reos agenti & cogenti edere chirographum contrarium sibi etiam eos, *Christus nullo modo minister peccati.*

eos, qui crediderant promissioni. Neque enim Filius Dei venit in mundum, ut judicaret mundum, sed ut mundus salvaretur per eum. Johan. 3: 17.

Objectio, & responsio ad eam. 23. Quanquam autem Filius Dei, Angelus Dei, qui habitavit in rubo, per Mosen legem dederit, quæ fuit potentia peccati, 1 Cor. 15: 56. & operata est iram, Rom. 4: 15. tamen non fuit minister peccati, ut Moses. Nam primò locutus est ut Angelus Testamenti & Sanctificator Israëlis, & ad hoc apparuit in monte Sinai: quum verò Israëlitæ plerique irritum fecissent fœdus suum, & se non agnovissent, fecit Mosen ministrum condemnationis, atque ita dominationem exercuit in populum. Potuit quippe ministrum condemnationis dare, quemadmodum & ipse potuit fieri peccatum, & patiendo peccati potentiam confiteri; sed & simul enervare & tollere. Nam minister peccati inserviens condemnationi fieri non potuit: qui erat Mediator & Sponsor Testamenti. Ita etiam sub Novo Testamento potest inobedientes punire. quomodo non potuerit populum, qui habebat nomen filiorum, & in quo erant filii, castigare & ad salutem ac justitiam veram quærendam compellere? Nam non proposuit populo fœdus operum aut in ejus verba adegit, tanquam volens ea conditione eum habere populum; sed tantùm verbo gratiæ quædam per Mosem adjici curavit, quæ gratiam non everterent, sed tamen ejus fructum in hac vita minuerent, quo gavisi fuerant patres. nempe ut illis imponeret onus, quod, salva veritate Dei & gratia, imponi adhuc poterat, quamdiu peccatum non esset expiatum. Idque ut in ipsis desiderium adventus sui excitaretur; &, quum venisset, is esset eò jucundior. Quem non fuit dignum venire velut *Servum* ad *erigendum tribus Israëlis* & politiam eorum instaurandam, neque tantùm *ad reducendum retentos Iacobi*: ut ita salus esset restrictior: sed qui *datus est in lucem gentium, ut salus Iehovæ esset ad fines terræ*. Es. 49: 6. Nedum ut ipso dignum fuerit, in carne apparere ad potentiam peccati, reatus & condemnationis stabiliendam. Quippe qui Angelus assertor, sponsor & Mediator Testamenti esset. Ita Christus, quum se inciperet ostendere Servatorem mundi, non statim etiam gentibus prædicavit Euangelium, sed factus est minister circumcisionis. Rom. 15: 8. & vetuit discipulos suos in viam gentium ire. Matth. 10: 5. & Cananitidem pro *cane* à se repulit, sed ut eam fortiùs attraheret. Neque aliter occurrit iis, qui alacriter in via ipsius incedebant, & nomen ipsius commemorabant,

morabant, Es. 64: 4. hoc est, Apostolis & fidelibus. quibus se obtulit cum gladio stricto, tanquam hostis ipsorum: quum tamen eos vellet in gloriam assumere.

24. Docet nos Apostolus in hisce, quæ & nos suis locis asseruimus, quæque hujus doctrinæ fundamenta sunt; 1. Nullam esse vel justitiam vel possibilitatem justitiæ in mundo. quippe, nisi qui à Deo assumti sunt, sunt ἀμαρτωλοὶ. v. 25. 2. Israëlitas ipsos non fuisse ex statu reorum exemtos, quia Israëlitæ erant. quia & *natura Iudei* sive Israëlitæ necesse habuerunt credere in Jesum Christum, ut justificarentur ex fide in ipsum. v. 16. Euangelium enim, secundùm promissionem, prædicatur omnibus: & *non justificatur ex operibus legis ulla caro*, hoc est, ullus homo. Quemadmodum & David in Ps. 143: 1. 2. Deum rogat, ut *in veritate sua sibi respondeat, in justitia sua*, puta Dei: & *secum non intret in judicium*, quamvis *servo suo. quia coram ipso non sit justificandus ullus vivens.* Ergo 3. Judæis ante D. Jesum natum etiam necessariam fuisse justificationem per fidem. quia scil. non poterant justificari per opera legis, & sine justitia non poterant assumi ad Deum & ad vitam pervenire. Deinde filii Abrahami non poterant aliter justificari, quàm ut Abraham pater ipsorum justificatus erat. 4. Eis necessariam fuisse fidem in Christum ad justificationem. Quippe *non est aliud nomen sub cœlo datum in hominibus, in quo oporteat salvari* & justificari. Actor. 4: 12. 13. 38. 39. & Christus promissus fuit & præfiguratus, ut causa justitiæ futurus; & fuit nominatus, ut Angelus faciei assertor, qui esset apud Deum & salvaret tum patres tum filios. 5. Eos per solam fidem obtinuisse justitiam sive jus sperandi vitam æternam, etiamsi sub lege cogerentur esse. Nam Abraham sola fide justificatus est: & non datur justificatio partim ex fide, partim ex operibus; ut partim sit Dei, partim nostra justitia. Sed fides *imputatur ad justitiam*, & quidem ea fides, qua credimus in Deum, qui *justificat* improbum, Rom. 4: 3. 4. 5. quod non fit nisi in eo, in quo legi morimur. Rom. 7: 4. 3. 25. 26. Misceri enim fidei imputatio ad justitiam cum operibus non potest. Alia est fides, qua credimus, eum, qui opera præcepta facit, in iis vitam habiturum: alia, quæ imputatur ad justitiam. Illa enim non imputatur ad justitiam: quia in operibus est vita. & in peccatore est fides damnationis. Hæc ergo est illa, quæ credit in Deum, qui *justificat* impium. Quæ potest imputari ad justitiam, quia Deum justificat, sanctificat, glorificat: & per eam sumus in eo, in quo fi-

mus justitia Dei. Et ea non potest non imputari ad justitiam, quia Deus non potest vocari pater, & gloriari, & quæri, & arx salutis & ἱλαστήριον à Deo propositum (à quo Deus non abest) apprehendi frustra. Adeò ut falsissimum sit, quod Sociniani dicunt; Fidem posse non imputari ad justitiam: idque esse meri beneplaciti. Quum revera non possit imputari ad justitiam, nisi quo justitiam, apprehendimus: id autem, quod justitiam Dei apprehendit, propter eam ipsam causam non possit non imputari ad justitiam. 6. Israëlitas, antequam credidissent in Jesum Christum, hoc est, Christum in carne manifestatum, nihilominus mansisse sub lege, quia adhuc *reperti sunt peccatores.* Qui autem in Jesum Christum crediderunt, eos *justificari*, nempe, ut non reperiantur ampliùs peccatores. v. 17.

25. Post argumentum à *justificatione* ducit Apostolus etiam argumentum à *morte & vita.* Liberi sunt à lege, qui legi mortui sunt, ut vivant Deo. si quidem *per legem* ei mortui sunt, & quidem ad hoc, *ut vivant Deo.* Atqui, qui sunt Christi, ut qui jam credunt in Jesum Christum, *legi mortui sunt.* Nam *Christo crucifixi sunt.* Atque ita *per legem* & vi legis *legi*, ut *legi peccati*, mortui sunt: quia Christus factus est sub legem, & secundùm legem mortuus est pro fratribus suis. Ergo in illos lex, ut lex peccato inserviens ad condemnationem, non amplius potest, atque in mortuos, imò planè extinctos. Unde dixit Rom. 7: 6. κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, *aboliti sumus à lege, quæ mortua est in eo, cui detinebamur.*

26. Rursus vi ejusdem Legis, quæ, moriente Sponsore, facta est lex ejus, facti sumus ipsius, ut Deo vivamus, hoc est, per gratiam & gloriam Dei vivamus, & ei, ut vitæ nostræ auctori, fructificemus. vers. 19. Confer Rom. 7: 4. & phrasin θεῷ ζῆν cum Luc. c. 20: 38. Rom. 6: 10. 14: 7. 8. 2 Cor. 5: 15. Igitur credens in Christum *non ipse amplius vivit*, sed *Christus vivit in ipso.* Igitur sunt liberi, non servi, quia vivunt Deo; non autem vitam suam, ut veteres, coguntur transigere in servitute propter peccatum. Peccatum autem est à Diabolo, non à Deo. Et, si adhuc essent sub lege, etiam Christus caput suorum, cui lege addicti sunt, cujus membra sunt, esset sub lege. Atqui *lex* & jus *spiritus vitæ in Christo Iesu liberat à lege* & jure *peccati & mortis*, Rom. 8: 2. Proinde nihil restat, nisi ut illi, qui justificati sunt, *vivant in fide Filii Dei*, non in lege Mosis, in trepidatione ac servitute, sed in lætitia ei gratias agentes, qui *eos amavit & se ipsum tradidit pro ipsis.* v. 20. ita ut omnes actus eorum respondeant

ei

ei fidei & lætitiæ; non autem resipiant timorem, luctum, trepidationem servorum, quorum conscientia necdum purificata est. Tota vita fidelium est gratiarum actio. Habent enim παῤῥησίαν & καύχημα, & in futurum spem. Fidei porrò est quærere in se obsignationem & arrhabonem spiritus, & ejus intuitu perpetuò delectari. Igitur fides, Euangelii maximè, est radix amoris Dei, & quidem πλείν, sine metu, in lætitia. 1 Joh. 4: 18. Rom. 8: 15. 2 Tim. 1: 7. Deut. 30: 6.

28. Denique S. Paulus v. 21. argumentatur à *Gratia Dei*, & quidem, quòd indignum sit, & extremum exitium adducens culpa eam ἀθετεῖν irritam facere (ut frustra oblata & proposita sit) & aspernari. Atqui, si quis recurrat ad legem, sive propter justitiam, sive propter peccatum, is irritam facit gratiam Dei, aspernatur consilium Dei, fœdus ipsius rejicit, nomen ejus violat, & cùm justitiam Dei tum misericordiam abnegat: quin Christum dicit *frustra mortuum esse*. Nam, si ex lege est justitia, Christus frustra, sine causa & sine fructu, mortuus est. Quod non tantùm de lege ea intelligendum est, quæ perfectissimam obedientiam exigit, ut homo in ea vivat: sed de ea lege, quam Judæi arripuerunt, ut legem justitiæ. Qui non nesciunt, se peccatores esse; sed putant, peccata remitti partim libera Dei voluntate, (certè non ita, ut ejus remissionis causa necessaria sit τὸ δικαίωμα ἐκ νόμε) partim sanguine pecudum (& hoc rursus ex placito) partim proprer preces, partim propter obedientiam & bona opera, & observationem omnium præceptorum: & propter eadem, aut propter merita patrum, sibi vitam æternam datum iri. Quantum verò peccatum hoc sit, gratiam Dei spernere, & Christi sanguinem inutilem atque incassum fusum dicere, ostendit Deut. 29: 20. *Non volet Iehovah ei condonare*. Timere igitur hoc judicium debent, qui similia dogmata tenent, ex quibus sequitur, *Christum frustra mortuum esse*. Quod sanè illi faciunt, qui negant, nos habere in Christo δικαίωμα tollens culpas & vitam impetrans; ut Sociniani. Quorum error apertus est. Nullam enim causam relinquunt, quare Christus moreretur. Et dicunt, non aliter Christi mortem fuisse necessariam, quàm quia Deo placuerit eo modo nos justificare sub Novo Testamento, quem ipsi somniant, per præscripta nova præcepta. Quod certè sine morte Christi fieri potuisset: si maximè ponamus, hoc esse possibile, ut justificemur aliter, quàm vel ex perfecta obedientia legis operum, vel ex gratia Dei in Chri-

sto. Si Abraham sine Christo justificatus est, quid opus fuit Christum mori justitiæ nostræ causa?

Libertatis exercitium paulatim profecit.

30. Cæterum, ut lex ceremonialis paulatim abrogata est, ita paulatim etiam libertatis Christianæ exercitium crevit. In morte Christi desiit esse umbra præfigurans & chirographum accusans. Quum præputiati baptisarentur spiritu & aqua, Christiana Ecclesia observationem ejus intermisit. Ita tamen, ut quibusdam in rebus se accommodaret infirmitati Judæorum scrupulosè hæsitantium circa sanguinem & morticina & idolothyta etiam ignorata: quæ Judæi putabant observanda, quia non tam à Mose, quàm à Noachi tempore, valuisse videbantur. Interimque conversi ex Judæis legis ritibus liberè uterentur veluti obsidibus gratiæ patribus promissæ. Tandem cum Templo tota lex sepulta est, & fons apertus publicatus est pro peccato & menstruo. Zach. 13: 1.

31. Antequam cecidisset templum & lex dogmatum, non tenuit Christianos illa, sed lex charitatis docens diligere proximum, abstinentem timore peccati & Deo gratias agentem non vilipendere, libertate utentem non condemnare, per escam fratrem non perdere aut pati blasphemari bonum Ecclesiæ. Ejus enim libertatis, qua servimus Deo vivo, non exceptio sed pars est servire proximo, ædificando ad gloriam Dei, ut liberali exemplo charitatis eum nobis in hæreditatem acquiramus.

Libertas Christiana non obest subjectioni œconomica & civili,

32. Eodem pertinet charitas subjectorum œconomicè & civiliter erga superiores suos, ut tales. Cum qua qui putant pugnare libertatem Christianam, turpissimè errant. Vide 1 Cor. 7: 21. 22. Col. 3: 22. 23. In omni charitate est imago Dei. Ergo & libertas.

neque liberat à discrimine honesti & turpis.

33. Proinde penitus ignorare censendi sunt Christianam libertatem & esse δοῦλοι τῆ φθορᾶς Antinomi & Libertini. Quanquam enim Ecclesia non sit sub hoc pacto, *Qui fecerit ea, vivet in eis, & qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt, maledictus*; & sic non sit sub lege, sed sub gratia: non tamen esset sub gratia, si esset expers sanctificationis. Lex, olim damnans & ad peccandum proritans & occidens, nunc eis, qui sub gratia sunt, fit lex spiritus vitæ, addicens nos spiritui Christi ad vivificandum nos in Christo, λόγος ἔμφυτος *sermo insitus*, & revera νόμος βασιλικὸς τῆ ἐλευθερίας *lex regia libertatis*. Jacob. 1: 21. 25. 2: 8. 12. Ita Spiritus, inscribens legem, est רוּחַ נְדִיבָה πνεῦμα non tam ἡγεμονικὸν, ut LXX. quàm ἐλευθερικὸν, Ps. 51: 14. quem habentes est רוּחַ נְדִיבוֹת ἐκούσιος, ἐλεύθερος, ἐλευθερία βελτέ-

βουλόμενος, ingenuus, suæ spontis, se ipsum ultrò impellens in bonum & magis magisque superextendens & elargiens. Es. 32:8. ubi LXX. διστάσῃς σωτὴρ ἐβουλήσατο. Non est Christianus ἄνομος θεῷ, licèt homini, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ 1 Cor. 9: 21.

34. Ea autem lex, qua spiritus nos regit, est eadem, quam Moses protulit, & omnis Scriptura Veteris & Novi Testamenti explicat, non nova perfectior, nisi ut verbum dilectionis est verum in Christo, & in nobis 1 Joh. 2:8. tum quoad cognitionem tum quoad obedientiam. Nam illa, quæ & damnavit peccatum & cui Christus subjectus perfectum δικαίωμα invenit, & perfectum ὑπόδειγμα reliquit, & totum amorem exigit, est νόμος τέλειος *lex perfecta*, Rom. 12: 2. Jac. 1: 25. Neque Christus venit, ut nos novo pacto legali obedientiæ imperfectæ legis perfectioris obstringeret ad justitiam nostram constituendam, & quidem ἐκ δόγματος *ex placito*. Nam, si qua est legis accessio, ejus defectus non fuit sub execratione: itaque δόγμα est, si addatur; neque adeò perfectio legis. Nam δόγμα legem naturalem imaginis Dei non perficit, sed, si imponatur, hujus obedientiam manifestat.

35. Lex spiritus item minimè est δόγμα humanum, Col. 2: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 1 Cor. 7: 23. neque doctrina hominis ἀναπόδεικτος, quam Spiritus fidei & charitatis non docet per commune principium, 1 Joh. 2: 27. Jerem. 31: 34.

36. Satis hæc de *libertate* opposita *servituti* veteri. Accedit verò *Justitia.* ad hanc etiam *justitia.* quam Christus prædicaturus erat. Psalm. 40. v. 10. 11. Quæ in eo consistit, quòd fideles non tantùm habent pacatam conscientiam coram Deo, ut non cogantur metuere condemnationem, sed etiam, ut filii Dei, habent spem vitæ æternæ; quippe sibi donatæ in Christo, qui, ut non potuit sub lege rursus poni & non gloria & honore coronari, ita non potest non membra sua, fratres suos, peculium suum, ut justos, lætitia & gloria implere. Ex qua justificatione vidimus Apostolum aptissimè demonstrare libertatem fidelium sub Novo Testamento. Et gloriam quidem propter Christum Mediatorem Testamenti etiam in spiritibus suis consecuti sunt veteres; sed causa glorificationis ipsorum, τὸ δικαίωμα, non fuit. Unde patet, quòd cum quadam excellentia dicantur justificari fidelesin Novo Testamento.

37. Itaque, ut prisci in cœlum translati, καὶ πνεύματα, τετελειώθησαν, *consummati sunt*; quia gloriæ possessio excludit accusationem pec-

cati, & iram, & servitutem, & propositionem legis exigentis δικαίωμα: sic fideles Novi Testamenti πλήρωμα *consummantur* in terra, non quidem gloriæ possessione, sed causa utrorumque *justificationis*, & sic libertate & absolutione conscientiæ à reatu & à debito. Hebr. 11: 40. Quare &, qui in terris sunt, cum iis, qui in cœlis sunt, unum κεφαλαίωμα effecti sunt. Eph. 1: 10.

Separatio à populo carnali.

38. Quandoquidem igitur in Novo Testamento viget non stipulatio fidei & servitutis, sed stipulatio fidei per charitatem operosæ tantùm, consequitur, eos, qui volunt ambulare in figura & eis, quæ sunt sitis, exspectationis, & servitutis, fœdus Dei irritum facere & ejus amicitiam & justitiam à se repellere; atque ita se abscindere à populo Dei: ut illi omnes & soli, qui *confitentur* donum Dei, pacis, libertatis, justitiæ, populus Dei censeantur.

Relictio pignoris terreni.

39. Qua separatione facta, non tantùm per infidelitatem quorundam, sed etiam per eorum violentiam & odium, consequitur, à confitentibus relinqui terram, urbem, templum & politiam, ut coinquinata peccato inhabitantium, & deserta à Deo.

Extinctio timoris mortis.

40. Idque fieri ab illis eò libentiùs, quia sciunt, eam terram hactenus terram Dei & sanctam vocatam fuisse, quòd Deus vellet in ea solium gloriæ habere, sive in ea φανερῶς cum gloria sua. Quod quum sciant jam factum esse, &, Deum collocasse majestatem suam supra cœlos, ac ἱλαστήριον θεοῦ prostare publicè omni accedenti, neque sibi illam terram magis pignori datam, quàm gentibus, & nullam terram esse impuram, sed munus purum ubique offerri Deo, atque adeò totum mundum esse terram Dei Es. 14: 1. 2. seque esse admissos ad societatem cœlestium, & in supercœlestibus habere civitatem. Tum etiam, quia à Christo moniti erant, ut exirent, Matth. 24. secundùm Prophetias, ut Es. 52: 11. 12. & Deus prænunciaverat, terram omnibus plagis subjectum iri. Deuter. 29: 22.

41. Quæ animi liberatio à cura rei terrenæ & occupatione pignoris facit, ut mors non metuatur ampliùs, ad eum modum, quo eam prisci cogebantur metuere. In cujus timoris locum succedit anhelatio ad regnum cœleste & intrandum penitus in domum Dei (quod Apostolus vocat ἐπενδύσασθαι 2 Cor. 5: 2.) cœlesti beatitudine, cujus pignus habent in cœlo Christum, eos per se rapiente: & gloriatio in afflictionibus, ut quæ partim ad δοκιμὴν faciant & ad εἰρηνικὸν τῆς δικαιοσύνης καρπὸν, Rom. 5: 3. 4. Hebr. 12: 11. partim ad μαρτύριον & glorificationem Dei. Joh. 21: 19.

42. Quàn-

42. Quando autem terræ multiplices plagæ, dissolutio populi, abolitio pastorum sive rectorum ejus, destructio urbis & templi, & omnis pompæ carnalis abolitio supervenit: tunc ablatum fuit velum ab omnium oculis; &, cessante tota præceptorum carnalium mole, sola relicta fuit, loco promissionis, quam audiverant patres, Euangelii prædicatio; & clarissima demonstratio veritatis ejus, & regni, quod Christus accepit & gerit in cœlo sedens ad dexteram Dei. Nam eæ res factæ sunt secundùm prophetias, quæ testantur, eas non potuisse fieri, nisi Christus jam adduxisset justitiam & peccatum expiasset, & sanctum sanctorum unxisset. Dan. 9: 24.—27. Quando igitur illa facta sunt, id argumentum est, Christi regnum, quod est regnum justitiæ, inchoatum esse. *Veli ablatio.*

43. Relinquitur verò, nullum aliud sacrificium reliquum esse, quàm magnificationem nominis Dei, & confessionem: quod est sacrificium purum, & offertur in omni terra. Psalm. 50: 14. 23. Malach. 1: 11. Quod sacrificium qui offerunt solum, (offertur autem id in cujusque corde, sine interventione ullius hominis, Psal. 51: 18. Es. 11: 3. *odorabitur timorem Domini*) revera *sacerdotes* sunt. Et *altare* illorum, ad quod accedunt, expositum est omnibus. Ab eo nemo sub pœna mortis arcetur; quemadmodum ab altari terreno: sed potiùs omnes, ad offerendum victimas in eo, sub pœna mortis invitantur. Nec tantùm ad altare, sed etiam, ut summus sacerdos, ad ipsum ἱλαστήριον accedunt. Quod non est recluſum & reconditum, ut olim, sed προτεθειμένον, *in publico palam expositum.* Rom. c. 3: 25. Christus enim revera est ἱλαστήριον *propitiatorium*; in quo Deus propitius & habitans inter Cherubinos invenitur: qui & Cherubinos, hoc est, sanctificatos, sustinet & animat spiritu suo. Inde fideles appellantur ἱεράτευμα ἅγιον, *sanctum sacerdotum collegium*, 1 Petr. 2: 5. *Fideles sacerdotes.*

44. Sine dubio autem Spiritus, qui operatur πεποίθησιν *fiduciam* ad accedendum, est distinctus ab eo, qui operabatur timorem & accedere prohibebat, & servitutem ferre suadebat. Distinctus dico, non substantia, sed operatione. Ideòque dicitur שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *oleum alacritatis*, & *spiritus gratiæ & orationum.* Es. 61: 3. Zach. 12: 11. qui facit *filios.* Hos. 2: 1. Deut. 32: 19. qui non datur ex mensura, Joh. 3: 34. sed effunditur, secundùm promissionem, Joël. 3: 1. vel 2: 28. unde spiritus promissus appellatur Gal. 3: 14.

45. Eum igitur spiritum accipiunt, qui accipiunt donum obedientiæ fidei erga Euangelium. Illi enim statim constituuntur in regno

regno Dei & in conditione filiorum. Quæ est nova per novum quodammodo spiritum generatio & nova creatio in novum hominem, procedens ab efficacia meriti Christi & à jure ipsius, ut domini, & principis salutis consummati. Joh. 3: 3. 5. Eph. 2: 15. 2 Cor. 5: 17. Gal. 6: 15. Nam omnis novitas est effectus tum divinæ creationis, tum etiam meriti Christi. Hæc autem novitas est effectus & ἐνέργεια ἧ κράτους τ ἰσχύος ἧ θεῦ *operatio præpollentiæ roboris Dei* respondens & conveniens operationi, quam operatus est in Christo, Ephes. 1: 19. profluens à Christi immolatione & sanguine Testamenti effuso, Zach. 9: 11. & operatio *spiritus gratiæ*; qui non potuit dari, nisi Christo glorificato. Joh. 3: 39. Quippe illius est operari gloriationem in Salvatore & capite glorificato.

46. Quandoquidem igitur *Spiritum Domini* habent, & velum non ampliùs incumbit oculis ipsorum, nedum cordibus; & veritatem amant: consequens est, eos, retecta facie, tanquam speculum Soli oppositum, à gloria Dei colluστrari, & quotidie transfigurari à gloria in gloriam. 2 Cor. 3: 16. 17. 18. Quò pertinet cognitio plenaria mysterii Dei. si modò accedat debita attentio & scrutatio.

Quies. 47. Et hæc est quies, ἀνάπαυσις, מְנוּחָה, σαββατισμὸς θεῦ. Psalm. 95: 11. Es. 28: 12. Es. 56: 2. 58: 13. 66: 23. Hebr. 4: 9. Quod adeò non latuit Judæos, ut & Abarbenel ad Es. cap. 56. dicat, *In resurrectione mortuorum & diebus Christi esse universale Sabbatum*, שַׁבָּת קֹדֶשׁ/quod non diceret, si nesciret, Sabbatum esse umbram & signum futuræ sanctificationis, &, eâ datâ, cessatura, quæ sunt gravia ac molesta & iræ & jugi.

Regnum & hæreditas mundi. 48. Hisce si addideris, eosdem non modò liberos, sed *reges*, quorum sint omnia, quibus in Christo omnia subjecta, quorum pedibus substernitur Satanas, cum quo bellum gerunt de hæreditate mundi, quæ ipsis data est; atque ita esse βασίλειον ἱεράτευμα, & βασιλεῖς ἱερατικὸς, & βασιλείαν ἱερέων, Exod. 19: 6. 1 Petr. 2: 19. Ap. 1: 6. 5: 10. & *pacem* esse inter gentes, & duos factos esse unum: repereris verè per regnum Dei in Novo Testamento factum esse *novum cœlum & novam terram*. ut Esaias loquitur cap. 65. & 66. majestate Dei supra cœlos posita, Filio hominis ad dextram Dei collocato, cœlo solio gratiæ facto, eoque aperto ad adeundum Deum, & communicandum cum sanctis, qui sunt in cœlo, angelis à ministerio legis carnalis liberatis, diis nominatis, principibus & potestatem habentibus se subjicientibus Christo & cum fratribus in ter-

Pax gentium & unitas.

ra

rastantibus, totaque terra instar scabelli pedum ejus habente, ablata omni maledictione & insimulatione impuritatis per cerimonialem & imaginariam sanctificationem unius loci præ alio, gentibusque, quæ antea omittebantur,& hostes judicabantur, vocatis & accedentibus & Dei regnum requirentibus, & filiis compellatis, ac sibi de benedictione gratulantibus.

49. Quæ omnia exsequi volentes, quemadmodum in Scriptura explicantur, tempus deficeret. Videatur saltem Epistolæ ad Ephesios caput 2. in cujus fine unitatem inter fideles diversorum populorum inter cætera elegantissimè explicat comparatione templi: sine dubio respiciens ad Zachar. 6: 12. 13. *Ipse ædificabit templum Iehovæ.* Verum templum Jehovæ est Ecclesia, in qua *tota* Deus est propinquus omnibus, omnibus loquitur per voces suas, omnes inhabitat per Spiritum suum; & imprimis illa, de qua potest dici, *Populus tuus omnes justi.* Es. 60: 21.

50. Ex his, quæ jam aliquamdiu tractavimus, apparet, quàm luculenta & glorioſa sit *antiquatio tertia* effectuum legis operum connexorum cum peccato, quæ locum habuerunt in hac vita in sanctificatis & fidelibus, qui per verbum Promissionis ante Christi παρουσίαν ad fœdus Dei adducti sunt. qualia sunt *timor mortis*, de quo cap. 54. § 8. *iræ*, de qua ibid. § 21. 22. 23. 24. 30. 35. *servitus*, de qua ibid. 31. 33. 34. 39. 40. 41. 43. & similia. *Antiquatio legis tertia.*

51. Atque hinc proclive est dicere, quid sit *Ecclesia* Novi Testamenti, & quo jure dicatur *Ecclesia Dei vivi.* 1 Tim. 3: 15. idque in ἀϊδιαστολῇ populi Israëlitici. Qui quidem videtur vocari עֵדַת אֵל *cœtus Dei* Psalm. 82: 1. Prædicitur ibi, quòd Deus aliquando visitaturus esset populum suum,& se conspiciendum præbiturus omnibus. Illi erant עֵדָה *multitudo convocata*, & quidem à *Deo*, ut compareret coram ipso, & vocem ipsius audiret. Non autem omnes habebant verbum Dei manens in se. Joh. 5: 38. Inter eos tamen erant, qui voluntatem Dei cuperent facere, & salutem ac regnum Dei exspectarent. Hi propriè & cum effectu erant *convocatio Dei.* Cæteros Dominus ipse præsens vocavit, sed pleroſque non congregavit. Mich. 6: 9. In tali igitur cœtu apparuit Dominus: sed multis illorum dixit, *Non novi vos.* Matth. 7: 23. In cœtu erant & אֱלֹהִים *dii* dicti & appellati v. 1. 2. Igitur ille cœtus fuit illis nuncupatis *diis* subjectus. De quibus egimus cap. 54. § 33. 34. Sed Ecclesia Novi Testamenti illis non est subjecta. Quod testatur is Psalmus v. *Ecclesia Novi Testamenti est Ecclesia Dei vivi.*

7. 8. *Vt homo, moriemini, &, ut unus principum, cadetis. Surge, Iehovah, judica terram: quia tu hæreditatem cernes in omnibus gentibus.* Qui non tantùm singuli moriuntur, ut homines, sed cadunt, ut principes alii cadunt, quorum principatus cum ipsis, quum moriuntur, extinguitur, aut quibus viventibus principatus adimitur, illorum principatus & potestas non manet semper. Manet quidem, usque dum Jehovah in medio cœtus Dei stat, & cum ipsis disceptat; sed perpetuitatem non habet, quia cadit. Nam quis, nisi temerarius, dicet, illorum principatum non cadere, quibus denunciatur, casuros, ut ullus principum cadit. Atqui principes sic cadunt, ut potestas & principatus eorum etiam ipsis viventibus intereat & extinguatur. Deinde, quum *judicanda* est *terra* cum diis suis, non possunt manere illi dicti dii. quia per illud judicium separandi erant, qui Christo adhærescerent, & qui principibus addicti essent, & Christi fideles vellent illis subjici, ut in statu sitis fuerant subjecti. & principes ac populus illorum erant judicandi in *terra*. Deut. 29: 22. 23. Christi verò populus erat exiturus ex medio illius. Denique Jehovah hæreditatem erat creturus in gentibus. Non certè *dii* nominati, quibus mortem & casum prænunciavit, cum ipso, ut gentes iis subjicerentur, quemadmodam *terra* ipsis subjecta fuerat. Ideò dicit Esaias, quod principatus in humeros Christi venturus esset. Es. 9: 5. Idem Esaias cap. 2. vaticinatur, tempus aliquando venturum, quum Jehovah solus futurus sit magnus & altus. Quo intelligitur, omnem principatum & dominatum à cervicibus Ecclesiæ esse auferendum. Et Apostolus Col. 2: 15. dicit, Christum *exuisse principatus & potestates*, hoc est, principes & potestate præditos. Ubi notandum est verbum, quod significat exuere se, nempe ut veste. Quod commodè intelligi potest de iis principibus, quibus populus fuerat subjectus, quos Deus sibi ad regendum populum suum adjunxerat: quos Deus Christo subjecit. 1 Petr. 3: 22. Ephes. 1: 21. ut & ex Psalm. 8. intelligi potest. Nam, quum ei omnia subjiciantur, præter eum, qui ipsi subjecit omnia, intelliguntur etiam illi, qui nominati erant dii, & præ quibus ad tempus minor factus fuerat, nempe & angeli & homines, ipsi subjecti. Et hæc est circumcisio quædam & liberatio à re carnali, à lege præcepti carnalis. Nemo igitur potest cum ratione dicere, Christum quidem principes nequitiæ spoliasse (quod potiùs diceretur ὑποδύσας, ut opinor) ditione & regno suo, sed non exuisse se illis principibus, qui in throno & q. in cœlo erant collocati, ut

subji-

ſubjicerent ſibi populum Dei: quum manifeſtum ſit, aliquando tales principes & eam legem (quam concernit poteſtas eorum) non fuiſſe, & illa ſubjectio tota ſit res carnalis, & ea & lex & poteſtas regno gratiæ tanquam *κάλυμμά τι* fuerit circumpoſita. Quo alludit, quod eſt Pſalm. 102: 27. *ut veſtimentum mutabis*, hoc eſt, exues, ut aliud induas.

52. Non igitur eſt Eccleſia Novi Teſtamenti multitudo eos principes & proceres, qui fuerunt ſub Veteri Teſtamento, aut ſimiles illis ſequens, & iis obediens: quod faciebat magna pars populi Iſraëlitici in opinione perverſa de voluntate Dei ſubjicientis eos ipſis; ſed tamen tenebatur facere omnis Iſraëlita in omnibus, quæ non erant præceptis Dei contraria: quamdiu Deus ſub ipſorum *παιδείᾳ* volebat populum adigi ad ferendum jugum præcepti carnalis.

53. Sed eſt *Eccleſia Dei vivi*, hoc eſt, multitudo audiens verbum ipſius Dei ſolius, & illi credens, & per fidem in ipſum unita, congregata in nomine Chriſti ad narrandum & audiendum verbum ipſius, & juſſa ipſius faciendum; neque aliud *caput* præter eum recognoſcens, neque principes (juxta præceptum Chriſti, Matth. 20. v. 26. 23: 8. 9. 10.) nec legem: ſed quæ dicit, ut eſt Eſ. 33: 22. *Iehovah* eſt *judex noſter, Iehovah legiſlator noſter, Iehovah rex noſter.* Quæ, ut olim populus Iſraëliticus, יוֹם הַקָּהָל ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, hoc eſt, die magnæ illius concionis, vel q. comitii, quod Deus egit, ſtetit coram Deo ſuo, ut ipſius ſermonem audiret: ita accedit ad Deum, ad audiendas voces ejus, & ab ipſo *diſcit.* Joh. 6: 45. quod dicitur *ſedere coram Iehovah* Eſ. 23: 18.

54. De cujus unitate & pari ad Deum acceſſu ac propinquitate quum agit Apoſtolus, non poteſt ſibi ſatisfacere: gentibus tribuens, quòd *non ſint amplius hoſpites & inquilini, ſed cives ſanctorum*; & ſic Iſraëlitarum omnia jura habentes: ſed & *domeſtici Dei*; intrandi in domum Dei jus habentes magis, quàm ſacerdotes V. Teſtamenti: imò *domicilium* & *habitaculum Dei*, uni *fundamento*, cum Apoſtolis & Prophetis, eiq; ab Apoſtolis notificato & per Prophetas demonſtrato, *inadificati*: & eundem habentes *angularem lapidem; Ieſum Chriſtum: in quo tota ſtructura & colligitur & coaptatur & creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo gentes coadificantur in habitaculum Dei in ſpiritu.* Eph. 2: 18. 19. 20. 21. 22. qua ratione oſtendit, Chriſtum utroſque, Judæos & gentes, in ſe creaſſe unum novum hominem. verſ. 15.

LOCUS VIGESIMUS SEXTUS
DE
Capite Ecclesiæ: & Legibus ac judiciis Ecclesiasticis.

Cap. LXXV.
De Capite Ecclesiæ.

Postquam de populo utroque incepimus loqui, necesse est, ut de *Capite Ecclesiæ*, quod Ecclesiæ dat, quicquid est, diligenter agamus.

2. Ne verò hîc egrediamur Scripturarum cancellos & ὑπονοίαις, & ut ad divinam institutionem integri & non præoccupatis animis accedamus, utile erit verba Spiritus sancti de ea re proponere tanquam βαλεῖδα, & ὑπόθεσιν cogitationum nostrarum & sermonum.

Loci de Capite loquentes.

3. Paulus imprimis in hoc argumento multus est. Eph. 1:22.23. *Et ipsum* (Christum) *dedit Caput supra omnia Ecclesiæ; quæ est corpus ipsius, impletio omnia in omnibus implentis.* In quo loco obiter annotamus, τὸ πλήρωμα significare non id, quod implet, neque plenitudinem, sed id, quod completur. Id patet præcipuè ex cap. 3: 19. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ, *ut compleamini usque dum fiatis totum completum Dei*, hoc est, ut sitis pleni Deo. Ideo & significanter dicit τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληροῦμενα, non πληροῦντα. quia nempe seipso implet omnia in suis omnibus. Quemadmodum igitur *corpus* Christi dicitur, quod *Christus implet* ita, ut sit in ipso, & *in omnibus* ejus membris, *omnia*, Col. 3:11. ita Christus dicitur *Caput*, quia implet Ecclesiam velut corpus suum, & omnia ejus membra. Eph. 4: 13. *Donec perveniamus omnes ad unitatem fidei & cognitionis Filii Dei, ad virum perfectum, ad mensuram staturæ implementi Christi. Veri in dilectione crescamus in ipsum omnia, qui est Caput, ille Christus. Ex quo totum corpus coaptatum & coagmentatum per omnem commissuram suppeditationis secundùm efficientiam in mensura uniuscujusque membri incrementum corporis capit ad ædificationem sui in dilectione.* Coloss. 1: 18. *Et ipse* (nempe, *qui est*

estimago Dei, primogenitus, in quo omnia condita sunt, quique est *ante omnia, in quo habemus redemtionem*) est ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, *Caput illud Corporis illius, Ecclesiæ* &c. & cap. 2: 19. *Nemo vos tanquam arbiter aut judex obnoxios faciat* vel *tanquam victor præmio spoliet* (sic Chrysostomus τὸ καταβραβεύειν interpretatur) *volens* (ex motu proprio) *in humilitate & cultu angelorum, quæ non vidit, ingrediens, temere inflatus à mente carnis suæ & non retinens Caput illud, ex quo omne corpus per commissuras & vincula suppeditationem habens & coagmentatum crescit incrementum Dei.* Ex his igitur, quid *Caput Ecclesiæ* significet, explicandum est.

4. Apostolus Christum vocat Col. 2: 10. *caput omnis principatus & potestatis.* Id notat omnium principum primum & summum. Caput enim in homine summum membrum est. Etiam in Ecclesia Israëlitica רָאשֵׁי אָבוֹת πατριάρχαι, hoc est, patres summi putantur; &, quum Christus in gloriam intraret, & regnum occuparet, collecta erant רָאשֵׁי עָם *capita populi* Deut. 33:5. sive τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, *seniorum populi collegium*, sive Apostoli οἱ προεστῶτες τῆς ἐκκλησίας *Ecclesiæ antistites*, sive duces eorum, in quibus est omnis voluptas Dei. Psalm. 16: 3. quorum hi viderunt Christum ascendentem in cœlum, illi viderunt Christi unctionem. Ergo *capita populi* dicuntur vel *principes populi* illius antiqui; vel primi discipulorum Christi, sequentibus exemplum fidei & confessionis præbentes. Caput notat summum.

5. Sed, quando Christus *Caput Ecclesiæ* vocatur, & sic ἀρχὴ ipsius ad Ecclesiam notatur, arcta quædam necessitudo Christi & Ecclesiæ significatur. Quæ in multis partibus consistit: quarum memoriale est metaphora *Capitis*, propter quandam analogiam necessitudinis, quam habet caput cum cæteris Corporis membris in homine. Quanquam igitur ipsum nomen *Capitis* per se efficax sit ad illa significandum, tamen ad soliditatem demonstrationis vehementer facit, quòd vis ejus nominis tum parallelis nominibus tum claris definitionibus est in Scripturis tradita. Caput Ecclesiæ notat copulationem Christi & Ecclesiæ.

6. Igitur per nomen *Capitis Ecclesiæ* primò significatur Conjunctio Filii Dei cum Ecclesia, ita ut nec ipse sine Ecclesia, neque hæc sine Christo sit, ut caput sine corpore, corpus sine capite mutilum & nec Caput nec Corpus est. Chrysostomus ad Eph. 1: 22. πλήρωμα κεφαλῆς σῶμα καὶ πλήρωμα σώματος κεφαλή, *complementum capitis est corpus & complementum corporis est caput.* &, Λέγει δὲ πάντων μερῶν τὸ σῶμα συνέχειν, καὶ ἑνὸς ἑκάστου χεῖρός. *Per omnia enim membra corpus cun-*

constat, & unoquoque indiget. Pater Filio nos dedit & nos ipsi conjunxit 1. proposito gratiæ ante jacta mundi fundamenta, ut esset primogenitus *inter multos fratres.* Rom. 8: 29. 2. Uno spiritu. 1 Cor. 12: 13. operante fidem, per quam sumus in ipso, 1 Cor. 1: 30. & ipse in nobis. Ephes. 3: 17. Ex illa conjunctione est, quòd, ut Corpus est Capitis, ita Caput Corporis. Impossibile igitur, vel Caput non habere Corpus, & eos ipsos quidem, qui ipsi dati sunt, non accipere in membra; vel corpore aut membris suis privari, atque ita πηρῶσθαι, *mutilari.*

Communionem naturæ.

7. Secundò per emblema *Capitis* & *Corporis* notatur μετοχὴ τῆς φύσεως, *communio naturæ.* Hebr. 2: 14. Idem notatur per nomen *fratrum.* Rom. 8: 29. Et Apostolus eam conficit ex *datione puerorum* (יְלָדִים filiorum hominis) nempe ut eos *assereret* suos & liberaret. Et v. 11. *sanctificans & sanctificati ex uno omnes.* Ut & ἀπαρχὴ (1 Cor. 15: 20.) de eodem est φυραίμαλι. *primitiæ* sunt de eadem *massa.*

Competentiam ad redimendum.

8. Nam, tertiò, ubi communio carnis & sanguinis est, ut inter Caput & Corpus, ibi est 1. in Capite jus & officium diligendi, Es. 58: 7. Lev. 19: 18. Unde dicitur *potuisse*, legitimè, συμπαθῆσαι *indolescere.* Hebr. 4: 15. hoc est, fuisse ipsi jus & fas, rectum & sanctum fratrum causam suam putare, & pro iis sacrificium fieri velle; ad emendum eos sibi & ea emtione liberos faciendum. Rursus 2. in membris est competentia recipiendi ea, quæ sunt Capitis. Gal. 4: 5. Quæ communio *hæreditas* dicitur: quam nec Lex negare potest injusto, qui est membrum illius corporis, cujus caput est ὁ δίκαιος, *ille Iustus.* Unde &, quæ bona meritus est, *in* suis *hominibus dona accipere* videtur. Psalm. 68: 19.

Repræsentationem corporis.

9. Cum hoc communionis jure, quartò, vox *Capitis* significat repræsentationem totius corporis. Ob quam dicitur *secundus Adam.* Rom. 5: 14. 1 Cor. 15: 45. 47. sacerdos, sponsor, intercessor, victima & agnus portans peccata mundi.

Primatum & creationem corporu.

10. Quintò, ut caput est princeps membrum, ita Christus πρῶτος *primus:* quippe πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς *primogenitus in multis fratribus* & πάσης κτίσεως, hoc est, filius unigenitus & sic primus omnium, quum cæteri sint κτίσις *creaturæ* ipsius, & in ipso atque in ipsum facta sint omnia, & ipse sit ante omnes, Col. 1: 15. 16. 17. Ergo, quum *Caput corporis, Ecclesia*, appellatur, *factor* ejus appellatur. ut est Es. 54: 5

11. Sex-

11. Sextò, gloria capitis in corpus redundat; velut cùm coronam geſtat, vel adoratione afficitur, oſculo honoratur, denique omni cultu oculi ambiuntur: ita in Capite ſuo Chriſto Eccleſia glorificatur, extollitur, Epheſ. cap. 1. v. 22. *omnia poſuit ſub pedibus ipſius & ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ*, ut nihil non Eccleſiæ ſubjiciatur propter ipſum, cui omnia ſubjecta ſunt; & in ipſo *homo*, cujus Deus memor eſt; & *filius hominis*, quem in Filio viſitavit, *gloria & honore coronatus* intelligatur. Pſalm. 8: 5. 6. 7. Proinde nec Angelis nec principibus, qui in Veteri Teſtamento *dii* appellabantur, Eccleſia ſubjici poteſt, poſtquam Caput ipſius à ſervitute *deorum* (Pſalm. 8: 6.) abſolutum eſt. Hebr. 2: 5. neque ullus *agnoſcendus* eſt *ſecundùm carnem*, ſecundùm conditionem naſcendi, vel ut Judæus vel ut Græcus, poſtquam Chriſtus *ſecundùm carnem*, obnoxiam legi, *non amplius cognoſcitur*, 2 Cor. 5: 16. eaque, tanquam velo, rupta in gloriam intravit, nobiſque viam novam accedendi ad Deum in libertate patefecit, Hebr. 10: 20. *Communionem gloriæ datam Eccleſiæ in ipſo.*

12. Septimò, Apoſtolus nos docet, ſub nomine *Capitis* intelligere dependentiam totius Corporis & omnium membrorum à Chriſto. Nempe Caput in homine radicis inſtar habet. Et Chriſtus eſt *Radix Ieſſæ & Davidis*, Eſ. 11: 10. Apoc. 5: 5. & ſic omnium ſanctorum, Joh. 15: 1. Cæterum membra myſtici Corporis ſic dependent à Chriſto capite, I. ut ſint, & ad ipſum ſint, atque in ipſum vocentur & colligantur. Propter ipſum enim ſunt, qui ſibi acquiſivit populum peculiarem Eccleſiam; cui ſemen ac hæreditas & promiſſa & poſtulanti (interceſſione ſua) data eſt, propter amorem, quo & Pater ipſum dilexit & omnia dedit in manum ejus. In ipſo electi & ad filiorum adoptionem prædeſtinati ſumus, ut ipſe, qui *unigenitus* eſt, eſſet & *primogenitus in multis fratribus. In ipſo* verè *vocatum eſt ſemen.* II. Quoad diſtinctionem membrorum per varia χαρίσματα, διακονίας, ἐνεργήματα, & menſuram fidei & operationis cujuſque, ac porrò etiam gloriæ, Rom. 15: 3.—8. 1 Corinth. 12: 4.—12. 27. 30. Epheſ. 4: 7. 11. 12. 16. 1 Cor. 15: 41. In quo ἡ πολυποίκιλος σοφία θεῦ cernitur, Epheſ. 3: 10. καταρτισμὸν τοῦ σώματος *concinnationem corporis* per multas partes molientis. Epheſ. 4: 12. III. Quoad coaptationem membrorum, ut utilitatem invicem (ἐκ μέρους) impertiantur & recipiant: ut μέλη ἐκ μέρους, hoc eſt, *membra ad invicem.* 1 Cor. 12: 27. Hæc eſt ἁρμογή, quam Apoſtolus notat ἐν τῷ συναρμολογεῖν. quod eſt quaſi dicas εἰς ἁρμογὴν συλλέγειν. Epheſ. c. 4: 16. *Dependentiam omnium membrorum ab ipſo.*

IV. Quoad

IV. Quoad compactionem & coagmentationem totius corporis, ne pars à parte secedat, & sic corpus diffluat: sed sit unum. Hic est συμβιβασμὸς. Eph. 4: 16. Col. 2: 19. Unde κεφαλὴ γωνίας *caput anguli* & λίθος ἀκρογωνιαῖος *lapis angularis*, qui continet ædificium totum. Psalm. 118. vers. 22. Matth. 21. vers. 42. Ephes. 2. vers. 20. V. Quoad ἐπιχορηγίαν sive *suppeditationem* perpetuam, tanquam ex fonte nunquam mentiente, spiritus & ἐνεργείας sive operationis. Ephes. 4: 16. Hîc mentionem facit ἁφῶν καὶ συνδέσμων: *junctura-rum & vinculorum.* Quo non notatur, alios immediatè à Christo dependere, alios mediatè; ut quidam somniant: sed, membra Ecclesiæ sibi invicem communicare spiritualia charismata, ut bonis Christi abundent. Nam Christi est ἐπιχορηγία *suppeditatio*, membrorum invicem λειτουργία *ministerium.* VI. Quoad αὔξησιν *incrementum.* Eph. 2: 21. 4: 16. Col. 2: 19. unde & ἀκρογωνιαῖος *summus angularis lapis* dicitur, quia educit corpus suum εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα θεοῦ. Secundùm hæc dicit Apostolus, *Vivit in me Christus.* Gal. 2: 20. Hæc omnia sapientissimè ab Apostolo sub hieroglyphico *Capitis* adumbrata sunt, à quo nervi in omnia membra corporis sparguntur ad eorum compositionem & coaptationem, & subministrationem spiritus animalis ad operationem uniuscujusque partis juxta suam mensuram, & incrementum congruum. Quæ in corpore humano à Medicorum filiis accuratiùs considerantur. Neque verò mirabitur quis, perfectiora esse in Christo & corpore mystico, quàm in illo externo simulacro. VII. Quoad conservationem. Eph. 5: 23.

Directionem. 13. Ad illa accedit, octavò, quòd, ut in capite hominis sunt sensuum præcipuorum, nempe disciplinabilium, visus & auditus, & ejus, quo cibi utiles ab inutilibus dijudicantur, sedes; quæ est corporis lux: Matth. 6: 22. ita Christus est lux totius corporis mystici, Joh. 1: 4. 46. & unicus ipsius doctor. Matth. 23: 8. 10.

Parallela nomina. 14. Apparet, in nomine *Capitis* contineri, quidquid per *Mediatorem*, *Regem*, *Dominum*, *hæredem*, *fundamentum*, *lapidem angularem*, significari potest: & per eximium illud nomen *Sponsi* & *Viri* Ecclesiæ: quod est unius, & quidem Dei. Hos. 2: 18. 21. 22. Psalm. 45. v. 2. 10. Es. 54: 5. 62: 5. Joh. 3: 29. Matth. 9: 15. 2 Corinth. 11: 2. Ephes. 5: 23. 24. 25. 30. 32.

Vnum Ecclesiæ Caput. 15. Unum esse Caput Ecclesiæ, ostendit tum definitio & virtus ejus nominis, quæ in nullum alium competit; tum, quòd dicitur ἡ κεφαλὴ, atque ita ὁρίζεται *definitè notatur* is, qui est caput, ut intelligatur,

gatur, ut in aliis, ita etiam in hoc nomen præstantius esse sortitus; tum, quia jubetur *retineri*; tum, quia ea, quæ sub nomine *capitis* continentur, apertè uni appropriantur, ut *unus Dominus, unus mediator, unus vir, unus salvator, secundus homo, qui est Dominus à cœlo*; tum, quia ipsum emblema Corporis & Capitis, ut unitatem corporis, Eph. 4: 4. ita unitatem Capitis portendit. atque adeò, sive quis in omni eo valore, quo solius Christi dignitatem & opus significat, *Caput Ecclesiæ* aliud dicat, blasphemus & sacrilegus est; sive nihil denotet eorum, quæ Christo propria sunt, temere ludit nominibus Scripturæ & κενοφωνίαν in Ecclesiam & consequenter Scripturæ interpretationem introducit.

16. Quam κενοφωνίαν eo magis horremus, quia nomen *Capitis* &, quod ei nomini æquivalet, extra Christum in sacris literis ad diffamationem & judicium scriptum est; &, quia sub hujus vocabuli insolentia ea intelliguntur, quæ ad Christum pertinent, & important Ecclesiæ subjectionem, cui Christus est datus in Caput supra omnia. De quo pleniùs imposterum agendū est. Nunc illud observamus, quòd Apostolus Col. 2: 16. 18. 19. perspicuis verbis docet, eum, qui alios judicet in umbris, aut καταβρεβεύειν θέλων *in humilitate & cultu angelorum, non teneat* unum illud *Caput*, sed se ab illo segreget & extra corpus ejus collocet. Quo significat, Quandoquidem Christus est Ecclesiæ datus Caput supra omnia, nemini licere vel legem dicere Ecclesiæ vel eam judicare in eis, in quibus olim judicabantur, aut quæ novè præcipiuntur ab hominibus. Cujus rei ratio ostendenda est.

17. Antequam Christus appareret in carne & exaltaretur, fuit quidem Filius Dei, & is locutus est in Sinai, & per Mosen præcepta dedit, & populum subjecit Principibus & Sacerdotibus, & locutus est per Prophetas, atque ita jure Sponsoris & Mediatoris Testamenti & Regis ab initio uncti & designati egit cum populo; sed ut interim eum subjiceret diis nominatis, propter transgressiones. Quum autem Christus venit & mortuus ac sepultus est, & resurrexit, & regnum ac hæreditatem suam fecit, & in cœlo collocatus est ad dexteram Dei, tum demum *datus est Ecclesiæ caput supra omnia.* ut Apostolus clarè docet Ephes. 1: 20. 21. 22. Quo saltem hoc notatur, quòd eum ὠνόμασε nominaverit, ὥρισε definitè notaverit, ἀπέδειξε, declaraverit Ecclesiæ *Dominum & Christum*, principem salutis consummatum per omnia; in quo Ecclesia possideat omnia,

ut ab eo *impletionem* exspectare possit & debeat. Adeò ut in eo, quòd dicitur *Caput Ecclesia datus supra omnia*, intelligatur, quòd sit *Frater primogenitus, in quo Ecclesia habet omnia*. Quod de Christo necdum misso & humiliato & exaltato dici non potuit. Quo nihil obstante, propter ipsius, ut Angeli Testamenti, sponsionem, & nominatus est Veteribus auctor salutis & benedictionis, & in ipsius fide justificati sunt & glorificati omnes justitiæ & vitæ hæredes. Sed non habuerunt eam in fide lætitiam, ut potuerint in Christo gloriari, ut Sacerdote ac Salvatore jam fratre & jam consummato. Tunc igitur datus est Caput Ecclesiæ, quando, ut prodromus salvandorum & primitiæ, in throno gloriæ est collocatus; & sic *caput anguli factus est*, Psalm. 118: 22. ex statu *servi potestatem habentium* in statum *Principis* translatus. Es. 49: 7. *Sic dixit Iehovah, Vindex Israëlis Sanctus ejus: Contemtui animæ, abominationi gentis, servo potestatem habentium reges, quum videbunt, assurgent, principes, adorabundi se inclinabunt.* Es. 55. v. 4. *Ecce testem nationum dedi eum, principem & præceptorem nationum*, Nimirum τὸ *dedit eum Caput Ecclesiæ supra omnia* κατ' ἐξοχὴν intelligendum est, & in eo gradu ac modo, ut omnia ipsi cederent & subjicerentur. quemadmodum etiam dicitur, *adorabunt eum omnes dii*, Psal. 97: 7. pro quo Apostolus, *adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1: 6. Quæ *subjectio* non in eo versatur, ut tunc incipiant ipsi servire. Nam in ipso Deus creaverat & angelos & populi principes. Joh. 1. v. 3. Eph. 3: 9. Col. 1: 16. 17. Psalm. 82: 6. Et David eum agnoscit *Dominum suum.* Psalm. 110: 1. In hoc igitur *subjectio* illorum consistit, quod deponunt ministerium imponendi legem populo Dei, & eum sibi subjiciendi potestatem abdicant.

Caput LXXVI.

De legibus & judiciis Ecclesiasticis.

Qui judicat in umbris, & præcepta dat, caput non tenet.

Proinde, qui κρίνει καὶ καταβραβεύει judicat & potestatem usurpat in præjudicium cujusquam in *umbris*, in *præceptis hominum*, is, quemadmodum se Christo non subjicit, ita quoque *Caput non tenet.* Col. 2: 19. Imò se ipse caput facit. Nam, quum Christus immediatè immittat *suppeditationem* in omnes, ille interponit se & auctoritatem suam & nomen & voluntatem ac motum proprium, à quibus dependere vult Ecclesiam. Qui verò se pro capite gerit, & Christo, quod ei, ut capiti, competit, detrahit, is neutiquam *Caput tenere* dicendus est.

2. Qua-

2. Quapropter, quid de legibus Ecclesiasticis & judiciis sentiendum sit, diligenter explicandum est. nempe, quæ sit in Ecclesia & cœtu fratrum potestas præcipiendi vel judicandi? & quæ non? *Propositio.*

3. Apostolus Tit. 2: 15. dicit, *Hæc loquere, & roga* vel *exhortare, & redargue μετὰ πάσης ἐπιταγῆς cum omni præceptione.* Ex quo liquet, quædam esse dicenda in Ecclesia, imò ad omnes homines, *cum omni præceptione.* in quibus nemini permittendum est aliter loqui vel agere. *Quædam dicenda cum præceptione.*

4. Alibi idem Apostolus distinguit verba sua à verbis Christi: dicens; *Dicit Dominus, non ego,* & rursus, *Dico ego, non Dominus.* 1 Cor. 7: 10. 12. In quibus observare est, Apostolum id pro dicto Domini asserere, quod expresse à Domino dictum præceptumque erat: & rursus id suum dictum appellare, quod non expresse à Domino dictum erat, sed ex veris certisque principiis fluebat, & cum eo dicto, quod à Domino profectum erat, non pugnabat. Vide v. 12. 13. 14. 15. 16. Ita, quando dicit v. 25. *De virginibus mandatum Domini non habeo: consilium verò do, ut qui misericordiam consecutus sim à Domino, ut fidelis sim.* Quòd Apostolus noverat, qualia tempora ingruerent, &, quid Christianis exspectandum esset, nempe gladios, cruces, exsilia; gratiæ divinæ fuit. Prudentiæ fuit, judicare, illi statui non convenire nuptias. Fidelitatis, uti id indicare, ita nec conscientias illigare præcepto. *A verbis Domini distinguenda verba humana.*

5. Hinc possumus æstimare, quid de legibus Ecclesiasticis sentiendum sit. Quod Christus dixit, dicendum est: quod præcepit, præcipiendum est, hoc est, id quivis Christianus, multò magis ii, qui alios præcedunt, potest & debet exigere à fratribus. *Regula de constitutionibus Ecclesiasticis.*

6. De quo autem Christi verbum non exstat, id vel est indifferens; ut contrahere nuptias: vel est tale quid, ut de eo prudens illatio ex dictis Dei fieri possit; qualis illa, quam Apostolus facit de libertate fidelis conjugis, ad ferendam separationem infidelis; de qua dicit, *Ego, non Dominus*: vel est aliquid agendum vi præcepti generalis, in quo modus agendi (si is determinandus est, & non quovis modo rectè id agi potest) determinandus relinquitur prudentiæ charitatis: & tum est vel à singulis agendum; vel à cœtu. *Distributio rerum, de quibus videtur posse fieri determinatio.*

7. Quod attinet rem planè indifferentem, nulla est potestas in Ecclesiâ, per quam, quod indifferens est, possit fieri differens; atque ita, quod Deus purificavit, possit fieri inquinans ac polluens. Ita enim præceptum humanum incurreret in divinum jus, quo data *De prorsus indifferentibus.*

est fidelibus libertas; & in divinum præceptum, quo fideles jubentur stare ea libertate, qua Christus ipsos liberavit, neque δογματίζεσθαι sive *placitis* hominum se pati *obstringi*, neque servos hominum fieri, aut ἐξουσιάζεσθαι ὑπό τινος, *à quoquam redigi in ipsius potestatem.* Gal. 5: 1. Col. 2: 18. 20. 1 Cor. 7: 23. 1 Cor. 6: 12. & in jus Capitis & modum, quo is in totum corpus suum vult influere. Vult enim in omnes influere per legem positam in medio omnium, & cordibus omnium, minimorum æquè ac maximorum, inscriptam, ut scil. conscientia illorum vel per se & sponte, vel excitata per narrationem verbi & ὑποδεῖξιν ejus, quod ex lege fidei in Christum fluit, judicet, hoc faciendum, illud non esse faciendum.

De illatione ex verbo Dei & interpretatione.

8. Quod attinet illationem ex verbis Dei, ea quidem tradenda est, & docenda, hoc est, omni vi demonstrationis asserenda & confirmanda: atque etiam ad credendum & obtemperandum eum obligat, qui convictus fuerit; eique repugnare & resistere per φιλονεικίαν *contentiositatem* & σοφίσματα ac cavillos est *irrisoris* & ἐμπαίκτου: attamen, si quis necdum perceperit eandem cum cæteris ὑποκάλυψιν *revelationem*, & non abominetur eos, qui ad eam profecerunt, cumque iis in eodem canone, quousque una pervenerunt, ambulet, Phil. 3: 16. fundamenti verba pronuncians, & paratus discere ex sermone Dei, nihilque temere dicens aut faciens, non est judicandus. &, si non est judicandus, neque præcepto obligandus. Neque est ulla potestas in Ecclesia, quæ possit efficere, ut id, de quo verbum Dei expressum non extat, ita recipiatur, propter auctoritatem dicentis & definientis, atque si expressis verbis in sacra Scriptura extaret. Atque ad hunc modum sentiendum est de omni interpretatione Scripturæ, sive ea sit versio, sive expositio: nullam esse potestatem in Ecclesia, qua possit vel versio vel expositio aliqua fieri authentica & eundem locum obtinere in Ecclesia, quam in ea obtinere debent voces Spiritus sancti.

Quæ agenda sunt singulis vi præcepti generalis, sub quam potestatem cadant?

9. Quod attinet ea, quæ agenda sunt à singulis, vi præcepti generalis, quæ tamen agi possunt non uno modo; charitatis & prudentiæ est consilium dare; & est ejusdem charitatis ac modestiæ bonis consiliis obsecundare. Nam, si obligamur vel inimico malam præbere aut tunicam concedere, vel angarianti obsecundare, si spes sit eum lucrandi, quantò magis tenemur obsecundare fratri & ductori consilium danti, & roganti, ut, quod utile nobis est, & minimè obesse potest, faciamus? Matth. 5: 39. 40. 41. Hebr. 13: 17.

Atta-

Attamen ad talia imperandum multa potestas est, nisi patria & herilis ac civilis.

10. Quod verò attinet ad ea, quæ cœtui vel apud cœtum agenda sunt ex præcepto generali, & possunt agi non uno modo; nec omni modo semper rectè fieri possunt; determinandi potestas est in Ecclesia. Quemadmodum enim singuli pro se potestatem habent determinandi modum sui officii privati, ita etiam in Ecclesia est potestas determinandi modum officii communis. Quò pertinet canon Apostolicus 1 Cor. 14: 40. *Omnia decenter & ordine fiant.* *Quæ in cœtu debent fieri vi præcepti generalis.*

11. Facile autem est intelligere, si Ecclesia vel fratres in nomine Christi congregentur solo privato jure, potestatem hanc esse penes patresfamilias, qui in ea societate sunt, aut, qui tanquam patresfamilias in ea societate sunt, hoc est, qui non debent esse in potestate aliorum, qui in eadem societate sunt. quemadmodum uxores, liberi, servi in potestate maritorum, patrum & dominorum suorum esse debent. Et eum, qui ordini per eos constituto non paruerit, peccare contra legem Dei, quæ præcipit hoc agendum esse, quando licet & fieri potest, eo modo, quo commodè fieri potest, fratribus in unum congregatis; & contra confœderationem à fratribus in unum convenientibus pactam; &, si aliquis illorum sit, qui in potestate maritorum aut patrum aut dominorum esse debent, contra reverentiam & obedientiam illis debitam.

12. Cæterum per se evidens est, quod diximus de iis, quæ cœtui incumbunt agenda aut curanda, sub illis non contineri, quæ ad actum ipsum mandatum nihil faciunt. veluti, qua veste debeat esse indutus, qui loquitur. Potest enim homo loqui in quavis veste; neque in hoc opus est alia regula, quàm ut vestitus sit honestus & gravis. Quod fieri non potest, si sit abhorrens à moribus civitatis. Ridiculus enim fiet. *A mandato generali non pendent illa, sine quibus actus mandatus rectè geri potest: neque restingenda sunt ad certum modum, quæ quovis modo rectè fiunt.*

13. Item, sub illis non contineri *ritus*, quos dicunt, *significativos*. ut si quis sumat albam vestem, insigne (nescio, utrum monumentum; an ostentationem?) puritatis & innocentiæ. Nam, 1. quum de ordine & decore servando præceptum sit, rituum significativorum instituendorum & determinandorum potestatem positam esse in Ecclesia, non apparet scriptum esse. Satis evidens est 2. tales ritus & πλεπὶς, quæ Ecclesiam præcedentibus seculis obruerunt, originem traxisse ab imitatione gentilium πλετῶν & gesticulationum. Si inde non repetatur, nescio, unde eos mutuari possimus, nisi à Judæis. Dein- *Ritus significativi.*

de 3. illis opus non est. Pietas, religio, cultus, confessio, ædificatio sine illis consistere potest. Non convenit, id addi ad actus religiosos, quasi ad eos pertinens, quo ii carere possunt: quodque non auget religionem. Et 4. si unus ritus introducatur, quis alterum excludet? aut tertium, quartum? Ne nimii fiant, rursus nova moderatione & delectu, & potestate ad eam moderationem faciendam opus erit. Præterea 5. in iis, qui ea omittat, nemo judicandus est. Atqui judicabitur, si fiat definitio, & potestas sit definiendi. Quod si potestas definiendi non est (de quo dubitandi magna causa est) non licebit submitti ei, qui talia constituerit tanquam ex potestate. 6. Quod vestes attinet, legimus Ezech. 42: 14. 44: 19. sacerdotes non debere accedere ad loca populi cum vestibus sacerdotalibus; ne sanctificent populum vestibus suis. Convenit, templum Ezechielis esse ænigma Ecclesiæ novi Testamenti. Si in eo sacerdotes sunt, sunt, qui aliis præcedunt accedentes ad altare, quod est Christus, &, qui alios docent. Si vestes sacerdotales essent, utique secundùm hanc prophetiam deponendæ essent apud populum; ne scil. faciant se respici à populo tanquam sanctiores, aut eum sibi subjiciant, ac potestatem in eum usurpent, aut inter fratres aliter quàm fratres se gerant (quod vetat Petrus 1 Petr. 5: 2. 3.) fidemque earum & obedientiam ad se revocent; atque ita populum reum faciant anathematis. Nam, qui caput non tenet, sub anathemate est. Et *sanctificare populum vestibus suis* (quod prohibet fieri) nihil aliud potest significare, quàm devotum & sacrum, κάθαγμα & ἀνάθημα facere. Nam ἀναθέματα sive *devota* sacra erant Deo ad ἐξολόθρευσιν, *abolitionem*. Quare temere hæc definiuntur; & magis 7. quia vix potest abesse neglectus proximi, qui scandalisari potest; sive sit aliquis innutritus talibus gesticulationibus & deditus, ut confirmetur in sua opinione & consuetudine; sive non assuetus talibus, qui causam habet cogitandi, hæc non tam signa esse puritatis, quàm magistratus; imprimis, si etiam accedat judicium, superstitiosos esse, qui talia non faciunt, nec audent facere. qui ut absque ullo scrupulo omnis coloris vestem, si id populare sit, gestaverint; ita mutare vestem obeundi ministerii causa (quasi id ad circumstantias religionis pertineat, & facere pietas quædam sit & cultus, non facere inobedientia & superstitio) vident se non posse, nisi ut hominibus placeant, qui ita fieri volunt, & 8. dicunt, *Quod volumus, sanctum est.* A quali θελήματι Apostolus non vult nos pendere. Col. 2: 18. Ubi

verò

verò est ἐξουσία, ibi quoque est θέλημα κυριακὸν καὶ καθολικόν. Si igitur 9. *regnum Dei* ea ratione dicitur, quòd est regnum solius Dei, & in eo quæritur glorificatio Dei per sermonem, qui narret præcepta & facta Dei, & eas actiones, quæ solent ex fide & charitate edi, & non sapiunt scenam; & non est in regno Dei ἀρχὴ & *principatus humanus*; sed omnibus pariter sola obedientia erga Christum relicta & commendata est; Christus autem nullibi colorem vestis determinavit aut modum; neq; potestatem determinandi hominibus tradere potuit in talibus (Nam sic principatum instituisset, quem se instituisse negat) & inutile est Ecclesiæ, in eam invehi cerimonias, in quibus carnales &, qui hominibus placere volunt, possunt pios multis parasangis præcedere & παραδοκιμεῖν; neque debemus sapientiores esse Deo, qui Ecclesiam non mutis simulacris, utut significantibus, nec ritibus humanæ inventionis voluit edoceri: sed verbo & symbolis paucis, quæ & pignora esse voluit: quæ cum ritibus aliis non debent permisceri: patet, quanta causa sit timendi peccatum in talibus constituendis & usurpandis. Velim scire, si potestas est in Ecclesia legem faciendi de ulla re, de qua Christus neque in genere neque in specie quicquam dixit, quæque non est circumstantia necessaria actionis in cœtu peragendæ, & quidem talis actionis, quæ, nisi uniformiter agatur, in cœtu commodè ac sine perturbatione agi non potest (nam de talibus in cœtu constituendi potestas est) quem finem & modum ea potestas habeat? & 10. ex qua parte legis Dei, quæ ad omnes pervenit, & in omnium ore est, ea potestas pendeat? Nam, si à lege Dei pendet, non est mera ἐξουσία *potestas*, sed necessitas determinare de talibus; quemadmodum necesse est determinare modum actionis in cœtu agendæ, quæ non quovis modo rectè & commodè agi potest. Si verò à lege Dei non pendet, quis tandem præter Christum in Ecclesia legislator est? Dices, Ductoribus obsequendum esse. Dico & ego, sed ducentibus in via; sed non καθοδηγοῦσι jurique nostro & libertati & fidei præjudicium facientibus. Hi non sunt ἡγούμενοι *ductores*, sed volunt esse ἄρχοντες *principes* & κύριοι *domini* & κατεξουσιάζειν *potestatem exercere* in fratres. Qui ἡγοῦνται *ducunt*, dicunt unus alteri, *Ambulemus in via Domini. Nam lex exivit ex Sion & verbum Dei Hierosolymis.* Es. 2. Sed principes dicunt, *ne tangas, ne edas, ne contrectes*, sic vestiaris, hoc geras, hoc ritu utaris: hoc est nostrum δόγμα *placitum*, hoc θέλημα, hæc *voluntas*, hoc ἔνταλμα *præceptum*, ad quod faciendum

dum habemus ἐξουσίαν *potestatem*. 11. Si ἀρχὴ & ἐξουσία *principatus & potestas* ad imponendum jugum, Gal. 5: 1. Es. 58: 6. 9. non habet locum in Ecclesia, velim scire, in quibus rebus non habeat locum principatus & potestas, si in talibus, quæ sua natura indifferentia sunt, locum habet ἐξουσία *potestas* & νομοθεσία *legislatio* humana; & satis est ad eam potestatem introducendam, quòd talia sint ἀδιάφορα & habeant significationem?

Ordinationes Apostolica distincta.

14. Apostolus facit mentionem suarum διατάξεων *ordinationum*. In iis sunt quædam, quæ aliter habere non possunt. ut 1 Cor. 7: 17. Est & ordinatio, quæ aliter habere poterat. nempe de stipe pro Hierosolymitanis colligenda die Dominica 1 Cor. 16: 1. Quod seriò commendaverat Tito, id dicit se διατάξασθαι *mandasse*. Tit. 1: 5. Alia silentio involvit. ut 1 Cor. 11: 34. Hæ *ordinationes*, vel hæc, si mavis, *mandata* sunt fidelia Apostoli monita ac consilia, quorum utilitas non poterat latere, quæque ab ipsorum fiducia (quam habebant de ipso; quem & consulebant, parati consilium ipsius sequi, cui scirent datum esse à Christo esse fideli) facilè poterat impetrari.

Judicium Ecclesiæ mandatum.

15. *Judicium* Ecclesiæ & fidelibus mandatum est. Es. 56: 1. *Observate judicium & facite justitiam. Justitiam facere* est veritati adstipulari, Deo gloriam dare, justificantem in Christo justificare, & proximum amare, ut Christus nos dilexit. *Judicium* verò *observare* est distinguere 1. veritatem à falsitate, bonum à malo, tenebras à luce. 2. fratres à non fratribus; & bonum facientibus collætari, malum verò facientibus indolescere; neque communicare cum aliorum peccatis. Juxta illud Psalm. 97: 10. *Diligentes Dominum, odio habete malum.* & Rom. 12: 9. *Exosi malum, agglutinantes vos bono.*

16. Hoc *judicium* differt à judicio, quod in Veteri Testamento à Senioribus exercebatur, & à fidelibus. Nam Seniores illos puniebant, qui legem Mosis transgrediebantur, atque etiam Principibus non parebant per contumaciam & proterviam. Deuter. 17: 12. Item reges, qui suis imperiis non obtemperabant. Quòd si capitalis pœna infligi non posset, sub חֲרָמִים & execratione ponebantur; (quod nominarunt שַׁמְּטָה postremo tempore) mulctisque afficiebantur aut è Synagoga ejiciebantur. Johan. 9: 22. Es. 66: 5. Esr. 10: 8. Fideles singuli, utut tenerentur proximos quosque veritatem & mysterium fidei docere, & errantes ac temere loquentes (veluti Sadducæos) reprehendere, & de אָלָה *adjuratione* divina commonefacere; tamen non poterant se subducere ab iis, qui, quum erra-

errarent, & multi essent ac potentes in populo, non impediebantur in templum Dei intrare. Deus apud Ezechielem cap. 44: 7. 9. vitio vertit Levitis, quod introduxerint in domum Dei *præputiatos corde & sic præputiatos carne*: hoc est, quòd non distinxerint inter fideles & errantes ac infideles. qui, licèt circumcisi essent in carne, tamen, quia præputiati erant corde, etiam præputiati carne habendi erant. Exemplum sunt Sadducæi, Idumæi, & alii, qui obiter circumcisionem admiserunt. At in Novo Testamento, ut ex antè dictis de legibus intelligere est, nullum judicium est juxta dogmata sive placita, sed, ad agnoscendos fratres & cives Dei, quæruntur verba fundamenti, confessio, quòd Jesus sit Christus; subjectio sub sermonem Dei; & vacuitas ab erroribus evertentibus fundamentum, à contradictione ac oppugnatione veritatis, à positione alius fundamenti & scandalis præter doctrinam invectis. De quo judicio loquitur Christus Matth. 18: 17. *Erit tibi ut ethnicus aut publicanus.* Apostolus Paulus Rom. 16: 17. *Rogo vos, fratres, ut animadvertatis eos, qui dissidia & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & recedite ab eis.* 1 Cor. 5: 11. *Nunc autem scribo vobis, ne commisceamini, si quis, qui nominatur frater, sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebriosus, aut raptor: cum tali ne comedatis.* ut vel invitetis velut amicum, vel ab eo invitati accedatis honoris causa. — *& tolletis malum de medio vestri.* v. 13. confer v. 2. 4. 1 Cor. 16: 22. *Qui non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema. Maranatha*, hoc est, *Dominus noster venit.* Quod symbolum militiæ Christianæ est. 2 Th. 3: 14. 15. *Si quis autem non obedit sermoni nostro per epistolam, hunc notate, & ne commiscemini ipsi, ut verecundia afficiatur: & non ut inimicum habete, sed monete, ut fratrem.* 2 Tim. 3: 5. *& hos aversare.* Tit. 3: 10. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem rejice; sciens, quod eversus sit, talis, & peccet à se ipse damnatus.* confer Actor. 13: 46. 2 Joh. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne suscipite eum domum, & Ave ei ne dicite. Nam, qui ipsum jubet salvere, communicat cum operibus ipsius malis.* Quæ ex scriptis Veteris Testamenti huc faciunt, multa sunt. Sed illa clara & satis sunt. Ex quibus perspicuum est, 1. quosdam esse judicandos non fratres. 2. inter illos tamen non omnes hostes habendos esse. 3. illis, qui habendi sunt pro non-fratribus, quum pro fratribus se gerant, neganda esse testimonia approbationis & gratulationis: idque propter eam causam, ne communicemus cum ipsorum operibus malis: &, si ad nos

veniant, rejiciendos esse; alioqui cum luctu esse cum ipsis versandum. Nam, quibus non possumus impertiri τὴν φιλαδελφίας & fraternæ conjunctionis, illis tamen tenemur præstare τὴν ἀγάπης quæ sunt dilectionis, qua carnem nostram & lucrifactionem proximi diligere tenemur.

Observationes de judicio.

17. Sed, non statim omnes, qui peccant verbo aut facto, habendos esse pro ethnicis, hoc est, alienis à fide, aut publicanis, hoc est, facto fidem, quam profitentur, abnegantibus, docet Servator Matth. 18: 15. 16. 17. *Si autem peccaverit in te frater tuus*, qui te læserit, aut scandalisaverit, *abi, & redargue eum inter te & ipsum solum. Si te audiverit, lucratus es fratrem tuum. Si autem non auscultaverit, accipe tecum adhuc unum aut duos: ut in ore duorum aut trium testium confirmetur omne verbum. Si autem non obtemperaverit illis, dic Ecclesiæ. Si autem & Ecclesiam neglexerit audire, sit tibi ut gentilis aut publicanus.* Ex quibus patet, 1. multa facienda esse, ut proximus lucrifiat. 2. Ecclesiæ etiam consulendum esse, ne per eum, qui scandalosus est verbis aut factis, incestetur aut propter eum infametur. 3. interim, dum admonetur scandalosus, consulendum esse ipsius existimationi apud alios; ne pro studio ædificandi invalescat ψιθυρισμὸς & καταλαλιὰ, *susurratio & obtrectatio*, 1 Petr. 2: 1. Jacob. 4: 11. & *extensio digiti*. Es. 58: 9. 4. cujusvis Christiani esse privatim redarguere peccantes. 5. unicum instrumentum correctionis esse ἔλεγχον, hoc est, demonstrationem peccati per manifestam rationem aut per sermonem Dei. Nam & unus & plures & Ecclesia non aliter agit, neque aliter postulat obsequium, quàm τῷ ἐλέγχῳ *redarguendo*. 6. justum & debitum esse obtemperanti condonare. Luc. 17: 3. 4. 2 Cor. 2: 7. Quæ condonatio consistit in omissione reprehensionis & consolatione resipiscentis. 7. judicium Ecclesiæ totius, quo quis judicetur & declaretur non frater, sed vitandus, debere præcedere ἔλεγχον, qui coram *Ecclesia* fiat & quasi ab omnibus. 1 Cor. 14: 24. Eam publicam redargutionem, consentiente Ecclesia factam, verisimile est intelligi ab Apostolo 2 Cor. 2: 7. *Satis est talis objurgatio facta à pluribus.* Nam per πλείονας solet Apostolus *plures* significare. ut patet ex cap. 4: 15. *propter plurium gratiarum actionem.* 8. Judicium autem, quo quis judicatur habendus pro ethnico aut publicano, esse illorum, à quibus debet haberi pro ethnico & publicano, manifestum est; & ejus vel judicii vel tractationis rationem non esse dictum ullius hominis aut nomen auctoritatemque; sed, quia constat, ἔλεγχον esse

factum,

factum, hoc est, redargutionem & demonstrationem; & ei non obediviſſe eum, qui pro ethnico aut publicano habendus est, atque ita Deo immorigerum esse, dum in suo peccato & scandalo, temere loquendo & agendo, perseverat; similiter manifestum est. Nam, si dictum hominis aut hominum, & non ἔλεγχος sive redargutio & demonstratio per verbum Dei facta & contumaciter rejecta, causa est & ratio habendi aliquem pro ethnico aut publicano, jam ἀρχὴ καὶ ἐξουσία *principatus & potestas* imperiumque in Ecclesiam introducitur. Pontificii censent, per *Ecclesiam* hîc significari Papam vel solum vel cum concilio Episcoporum. Mirum alicui videri possit, quomodo *Ecclesiam* (quæ vox respondet τῷ קָהָל, & notat populi totius cœtum: ut apparet ex Actor. 7: 38. collato Deut. 9: 10. 10: 4. 18: 16. Vide etiam Lev. 4: 13. 14. 21. 16: 33. Num. 10: 7. & alios multos locos) in Papam aut Episcopos commutent. Sed ratio illorum est, quia, propter obedientiæ debitum, quod dicit Papa, pro judicio totius Ecclesiæ habendum est. Neque alia interpretatione aut ratione fieri potest, ut vox *Ecclesia* videatur significare unum aut paucos homines. Sed, quum omnino fieri non possit, ut non tota fraternitas pro ethnico aut publicano habere teneatur eum, qui veræ & solidæ redargutioni inobediens exstiterit, manifestissimum est, totius fraternitatis esse judicare de redargutione legitimè facta & inobedientia ac contumacia ejus, qui à sermone aut facto malo ac scandaloso non vult resipiscere.

18. Hoc judicium, quo peccans redarguitur, & resipiscenti venia datur atque ignoscitur, at contumax sub reprehensione retinetur, ut luctus super eo sit, donec habeatur pro ethnico aut publicano, pertinet ad claves regni cœlorum. Nam in eo est τὸ *ligare* & *solvere*. De quo Christus dicit Matth. 18: 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in cœlo.* Quod non potest aliter intelligi, quàm judicium Ecclesiæ, secundùm ἔλεγχον & *redargutionem* legitimam, esse ratum apud Deum, neque esse habendum pro humano judicio. Ita dicit, *Qui vos audit, me audit: qui vos rejicit, me rejicit.* Et Matth. 18: 5. *Qui receperit puerum talem in nomine meo, me recipit.* Et Psalm. 37: 22. *Benedicti ejus* (hoc est, à justo) *hæreditabunt terram, & maledicti ab ipso exscindentur.* Probè notandum est, quòd Servator hæc, quæ commemoravimus ex Matth. 18. dixerit in eo sermone, quo voluit docere, Ecclesiam non habere opus *principatu* & *potestate*. quod ex v. 1. capitis liquet. *Ligatio & solutio.*

19. Ad *ligationem* etiam pertinet precatio, qua fideles peccantem immorigerum *tradunt Satanæ, ad interitum corporis, ut anima ſervetur in die Domini.* 1 Cor. 5:5. Quod non opus eſt de pronunciatione miraculi (qualis eſt occiſio Ananiæ & Sapphiræ, & excæcatio Elymæ magi) intelligere; ſed de precibus, quibus oretur Deus, ut ſpiritum peccantis velit ſervare, & ea gratia per afflictiones corporis, etiam morbos lethales, ſi opus ſit, eum humiliare. Quæ preces minimè pugnant cum charitate, ſed ei optimè conveniunt. Ut autem precibus Eccleſiæ ſeriis & fidelibus pro ſanitate, vita & ſoſpitate averruncatur Satanas; ita contra per iſtiuſmodi preces æquè fideles traditur homo peccans Satanæ ad afflictionem corporalem. 1 Tim. 1: 20. dicit Apoſtolus, *Quos tradidi Satanæ, ut caſtigati diſcant non blaſphemare.* Unde apparet, intentionem tradentis Satanæ eſſe caſtigationem & conſervationem animæ illius, qui ſcandalum admiſit. Cæterum in eo non ſubſiſtere Eccleſiæ cenſuram, verùm etiam pro re nata eò uſque procedere, ut ſcandaloſus judicetur non habendus pro fratre, non tantùm à privatis & ſingulis, ſed & à cunctis, ſatis manifeſtum eſt: quia Salvator omnibus & ſingulis imperat, ut contumacem habeant pro ethnico aut publicano; & Apoſtolus jubet malum ex medio tollere; addita etiam ratione, quòd parum fermenti totam maſſam fermentet: ac rurſus jubet ſcandaloſos devitare, & cum eis non commiſceri. Prudentiæ autem eſt, diſpicere, qua ratione commodè & abſque violentia fieri poſſit, ut is, qui peccavit, ſit ἀσωλακτος, & non gaudeat teſtimonio Eccleſiæ & conſortio ejus in iis rebus, quæ fidelibus datæ ſunt à Deo, & ad quas accipiendas fratrum opus eſt miniſterio, conſenſu & conventu: ad hoc, ut illam appareat eſſe ἀγνὴν *incontaminatam*. Vide 2 Cor. 7:11.

20. S. Johannes jubet pro peccantibus non ad mortem orare: ſed non jubet orare pro peccantibus ad mortem. 1 Joh. 5: 16. Hoc eò dicit, ut non deſiſtamus orare: quia non eſt facile dicere, quis peccaverit ad mortem. De quo ſi conſtet, non vult nos nimium afflictari. Simile eſt Jerem. 14: 11.

21. Et hactenus de judicio egimus, quatenus id vel ſingulorum eſt vel totius Eccleſiæ. Quæ autem partes in eo ſint rectorum Eccleſiæ ſpeciatim, quum de miniſtris Eccleſiæ agemus, pateſcet.

LO-

LOCUS VIGESIMUS SEPTIMUS
DE
MINISTRIS ECCLESIÆ.

Cap. LXXVII.

De miniſtrorum Eccleſiæ vocatione & functione tum ſingulorum, tum congregatorum in Synodis; deque lege cœlibatus.

Christus caput Eccleſiæ unicum eam non tantùm regit ſecundùm ejus formam ſpiritualem, quæ inviſibilis eſt in ſe, hoc eſt, donum fidei & charitatis & ſpei; ſed etiam ſecundùm ejus conditionem externam & viſibilem. Ab ipſo enim eſt verbum & vocatio, qua colligitur; ipſe diſtribuit chariſmata ad utilitatem totius corporis; ipſe unicuique membro ſuam operationem aſſignat; ipſe facit, ut Eccleſia συναρμολογουμένη *aptè & congruenter collecta* καταξισμὸν *concinnationem* & αὔξησιν *incrementum* capiat per χαρίσματα *dona* variè diſtributa. donec excreſcat in templum ſanctum in Domino. Eph. 2: 21. confer cap. 4: 13. 16.

2. Cæterum, quum inde conſtet, eſſe quædam χαρίσματα data ad corporis, hoc eſt, Eccleſiæ utilitatem, operæ precium eſt diligenter conſiderare, quænam illa ſint, & quas διακονίας, quæ *miniſteria* pariant; item, quomodo homines accipiant eas διακονίας *miniſteria*; &, quomodo eæ διακονίαι non obſtent, quò minùs Eccleſia Novi Teſtamenti in omnibus pendeat à Chriſto capite. Nam Satanæ artificium eſt, ut ſub nomine διακονιῶν *miniſteriorum* invehat καταχυριεύοντας & καταβραβεύοντας, μὴ κρατοῦντας τὴν κεφαλήν, *dominantes* & qui *ſe judices* Eccleſiæ conſtituunt *adverſus eam, non retinentes Caput*. Col. 2: 18. 19. Tum de Synodis miniſtrorum aut miſſorum ab Eccleſiis pauca adjiciemus. denique videbimus, an miniſtris Eccleſiæ poſſit imponi lex cœlibatûs. *Propoſitio & partitio.*

3. Ipſa χαρίσματα varia eſſe, docet Apoſtolus 1 Cor. 12: 8. 9. 10. ut ſunt λόγος σοφίας *ſermo ſapientiæ*, h. e. ſapientiam divinam explicans, veritatem exponens & demonſtrans, indicans viam vitæ; λό- *Varia chariſmata.*

γ& γνώσεως *sermo cognitionis* sive *prudentia*, quo homines docentur, quod optimum est eligere; quod malum est, cavere: πίστις *fides* testimonii divini & Christi fidelis amplexatio; ἰάματα *sanationes*, δυνάμεις *virtutes*, προφητεία *prophetia*, διακρίσεις πνευμάτων *discretiones spirituum*, γένη γλωσσῶν, *genera linguarum*, ἑρμηνεία γλωσσῶν *interpretatio linguarum*. Quibus adde ex vers. 28. ἀντιλήψεις *adminiculationes*, κυβερνήσεις *gubernationes*: & donum hoc, quod Apostoli præcipuum habuerunt, ut essent testes resurrectionis Domini. De quibus χαρίσμασιν illud in genere observandum est, qualiscunque ordo sit ministeriorum in Ecclesia, operam dandam esse enixè, tum ut nulla charismata sint infrugifera; tum ut vel varietas vel jactatio charismatum nullam afferat confusionem & conturbationem sive ἀκαταστασίαν. Neque enim omnia neque omnium dona sunt omnis loci & temporis. Vide 1 Cor. 14: 12. 16. 19. 20. 23. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 35. 39. 40.

Ministerium eò spectat, ut charismata non sint inutilia; & ut vitetur confusio.

A Christo ministeria.

3. Unus Dominus, qui per unum spiritum diversa χαρίσματα *dona* distribuit, etiam diversas διακονίας dat. 1 Corinth. 12: 4. 5. Ipsa διακονία est χάρισμα. Rom. 12: 6. 7. 15: 15. 16. Eph. 4: 11. Non omnes, qui cum Christo ederunt & biberunt, & vivum è mortuis conspexerunt, etiam constituti sunt Apostoli. A Christo est & habere donum, quo prodesse possis; & habere occasionem, ut prosis; & habere ministerium, ut non tantùm necessariò prodesse debeas (1 Cor. 9: 16. 17.) sed & habeas locum & tempus & ordinem, ut prosis, nemine impediente & turbante; &, pro re nata, cœtum, qui obligetur ad audiendum & obediendum.

Primi doctores & rectores patres.

4. Ab initio, ex quo verbum Dei in paradiso auditum fuit, patres liberorum doctores & rectores fuêre. Et Deus parentibus institutionem & directionem liberorum suorum diligenter commendat. Quin &, Abrahamum se eo fine agnovisse testatur. Gen. 18: 19. Et legem Dei Solomoh nominat legem patris & matris. Multiplicato genere humano, qui cum Deo facerent, à reliquis se separavêre, *nuncupantes nomen Iehovæ*. Vulgantes deinde matrimonia cum filiabus hominum *filii Dei* educarunt liberos, qui *viri nominis* extitêre. quod si ex analogia aliorum temporum intelligendum est, nimiam in rebus conscientiæ auctoritatem significat. Post diluvium Noachus filiis doctor fuit & sacerdos. Glisscente numero, Noachi nepotes commenti sunt metropolin generis humani, sedem *Nominis*, sub quo *Unus populus* contineretur, qui *eosdem sermones* loque-

Viri nominis ante diluvium.

Consilium hominum de instituenda civitate.

loqueretur, hoc est, ut dissensiones de veritate & justitia ex genere humano excluderentur. Id commentum *Babylonem* genuit; cui novi temporis *Babylon συσχέσει* in radice, in judicio.

5. Labentibus ad idololatriam gentibus, Patriarchæ domi promissionem inculcarunt suis, cum amicis & fœderatis suis Dei nomen invocarunt. Ita Melchisedek *sacerdos Dei altissimi* fuit: Abraham *propheta* vocatus est: Ijob inter amicos de pietate collocutus sacerdotium obiit. Quum Moses & populus in Ægypto essent, Seniores ei præfuerunt, sacerdotium primogeniti aut, qui ad hoc lecti essent, ut pro populo sive familia sacrificia offerrent, habuerunt, Exod. 19: 22. 24. 24: 5. Primogeniti quidem fuerunt Deo consecrati, Exod. 13: 2. donec Levitæ pro ipsis ministerio altaris addicerentur. Num. 8: 16. 17. Quorum officium fuit docere populum. Mal. 2: 6. quod & seniores fecerunt in omnibus portis: præcipuè qui, præsidente Pontifice aut Judice, sederunt in eo loco, quem Deus elegerat. Deut. 17: 9. 12. Illorum mos fuit per *χειροθεσίαν manûs impositionem* ordinare magistros; qui nonnullam habebant jurisdictionem, etiam antequam summo *principum* collegio ascriberentur. Horum fuit, omnem transgressionem non tantùm contra legem, judiciis à Deo præscriptis, sed etiam contra instituta majorum, legis violationem caventia non sancientia, verberatione aliisve pœnis arbitrariis (Ezr. 7: 23. 24. 10: 8.) vindicare.

Patriarcharum διαδοχή.

Seniores populi.

Levitarum ministerium.

6. Fuerunt etiam Prophetæ (quibuscum Deus locutus vel per somnium vel per visionem, vel per spiritum, vel per vocem) frequentes à Deo missi, qui habuerunt discipulos & auditores, quibus, pro re nata, etiam in solitudine habitationes constituere. Prophetæ licentiam loquendi neque à sacerdotibus neque à senioribus acceperunt. neque impediri potuerunt, ut non in nomine Domini loquerentur privatim, in templo, in atriis, in conclavibus, in circulis hominum, in foris, in compitis, in portis, nisi qui non in nomine Domini contraque legem loquerentur & ad falsos Deos ducerent. Quibus bona, non verbo Dei definita & ex fœderis promissione pendentia, promittentibus eventus non suffragabatur, contemtu puniebantur. Deut. 13: 1. 2. 3. 4. 5. 18: 22. Jerem. 28: 8. 9. qui contemtus sæpè recidit in pios prophetas verbum Dei asserentes & judicia ejus, quæ semper ob oculos versari & nunquam insuper haberi debebant, denunciantes.

Prophetæ.

7. Tandem, postquam promissus prodromus Dei *Angelus*, alter Elias,

Baptista.

Elias, Baptista suo tempore & loco sibi mandata loquens & *cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres reducens* apparuisset, testimoniumque post se venturo perhibuisset, ipse *Dominus*, ut *propheta*, prodiit in medium & in cœtu Dei in medio *Deorum* ἔλεγχον & κρίσιν *redargutionem* ac *judicium, verba Dei loquens*, protulit, (tantum abest, ut à *principibus* sumserit רשות ἐξουσίαν) ac *coram suis* discipulis *fuit* in veritate *ut Deus & Angelus Dei*. Hebr. 1: 1. 2. 3. Deut. 18: 18. Psalm. 82: 1. Zach. 12: 9. non ut θεὸς λεγόμενος *Deus nominatus*. nam illis minor fuit statu, servus factus, neque fuit minister condemnationis, ut illi post Mosen, in cujus cathedra sedebant; & ipse erat ὁ λόγος θεοῦ, & ipsis *dixerat*, *Vos estis dii*. Psalm. 82. & in Scripturis appellatus Jehovah & *Sanctus Israëlis*, atque ita *à Deo sanctificatus*, eo nomine dignum se omnibus modis præstitit.

Christus.

Apostoli & 70.

8. *In diebus carnis suæ*, hoc est, quamdiu sub lege fuit, ut sub eam natus erat, misit τοὺς δυώδεκα, & rursus alios septuaginta, qui prædicarent *regni Dei adventum propinquum*. Luc. 9: 2. 10: 1.

Ministeria in regno Christi

9. Suscipiendus in cœlum præcepta dedit discipulis suis, & in regno suo *posuit in Ecclesia primò quidem Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, &c.* 1 Cor. 12: 28. 29. *dedit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores*. Eph. 4: 11. Ita Rom. 12: 6. *Habentes charismata diversa, sive prophetiam*, habeamus *juxta analogiam fidei*. (Potest quis habere prophetiam etiam privatim extra ministerium: ideò *prophetia* præmittitur; *ministerium*, complectens quædam sequentia, succedit) *sive ministerium*, obligationem exercendi charismatis in obligatis ad ædificationem recipiendam & juvandam, *in ministerio*; in specie, *sive docens*, docendi ministerium habens, *in doctrina: sive adhortans, in adhortatione: sive communicans*, (qui nominatim *Diaconus* dicitur) *in simplicitate*: *qui præest*, (*Senior, Episcopus, Pastor,*) *in studio*: *qui miseratur* (privatus eleemosynam impertiens) *in hilaritate*.

ex charismatibus Ecclesiæ inservientibus pendent.

10. Ex his patet, tot posse dari διακονίας sive *ministeria*, quot sunt charismata Ecclesiæ inservientia. Non dari autem ministerium, ubi non datur charisma.

Apostoli.

11. Primi sunt *Apostoli, testes resurrectionis dominicæ divino suffragio designati*, Act. 1: 22. 10: 41. virtute ex alto induti, signis & distributione Spiritus sancti comitati, ad verbum Dei sine errore in omnibus gentibus, sermone vel etiam scripto, ad perpetuum usum Ecclesiæ Novi Testamenti in prophetando, prædicandum, & ad fideles ubique in cœtum

cœtum colligendum & eum cœtum ordinandum. Horum officium temporarium est. Illis non succeditur. Nam per hos Christus & Euangelium annunciandum erat, atque ita *lex Dei in medio Israëlis to tius ponenda*, Jer. 31:33. ut à nemine posset ignorari voluntas Dei. Quia nullum aliud verbum debet expectari, quo reveletur lex Dei, & testimonium ipsorum ἐβεβαιώθη, non opus est Apostolis post Apostolos. Nullus inter ipsos fuit princeps & caput, à quo cæteri, tanquam delegatam potestatem habentes, dependerent. Nullus Apostolus esse potest, qui judicando erret constanter & sequaces suos in errorem & injustitiam judicio suo inducat, & destitutus sit signis Apostoli, & moribus sit conscleratis, ut ne pro fratre quidem haberi possit. Nullus Apostolus habuit auctoritatem quicquam loquendi ἀναποδείκτως. Nullius non doctrina per sacras literas Veteris Testamenti examinari, & missio probari debuit. Hoc enim debuit ab illis dici, quod Moses & Prophetæ antè testati erant auditum iri: ut ita simplicissimam & planissimam probationem haberet veritas præconii illorum. Extra *charismata* est omnium Ecclesiarum dependentia tanquam à *capite*, & *doctore*, sepositis sacris literis & earum auctoritate, docente per legislationem; & potestas in reges & populos terræ; nedum totum mundum. Itaque nec inter Ἁγιωνίας *ministeria* est monarchia Ecclesiæ & mundi, illius directa, hujus saltem indirecta. Post Apostolos nullus liber Canonicus fit, nullus articulus fidei novus prodit. Omnia enim, in quibus Ecclesia ad sapientiam proficit, debent ex certo principio & fundamento, ex *sermone Dei* & *testimonio Iesu Christi*, Apoc. 20:4. deduci. Sic fit, ut frater non doceat socium amplius; tanquam ἰδίαν ἐπίλυσιν aut ἴδιον λόγον ἔχων *privam* & propriam, in nomine ipsius dicendam, *expositionem*, aut *privum sermonem* habens: quippe lege Dei in omnium ore versante.

Eorum ministerium, quoad effectum, in perpetuum durat, quoad functionem cessat.

12. *Prophetæ* sunt, qui spiritu, partim mysteria operum Dei non explicata revelante, partim illuminante ad intelligentiam & applicationem scripturæ, præditi sunt. Unde peculiaris Ἁγιωνία est Scripturæ interpretum. 1 Cor. 14:29. *Prophetæ.*

13. *Doctores* sunt, quibus concredita est illa οἰκονομία & quasi villicatio, ut sanam, quæq; secundùm pietatem est, doctrinam per κατήχησιν τῶν πρώτων στοιχείων *familiarem institutionem ac traditionem primorum elementorum* insinuent; sive etiam κατηχητὰς & προδιδασκαλοῦντας *informatores & exhortatores* futuros accuratiùs forment & instituant, *Doctores.*

per λόγον σοφίας *sermonem sapientiæ*, non sine ἑρμηνείᾳ γλωσσῶν *interpretatione linguarum*, apud eos, quibus Deus loquitur ἐν ἑτερογλώσσοις *sermone* ipsis *peregrino*, ut Germanis Hebræo ac Græco. 1 Corinth. 14: 21. Es. 28. vers. 11.

Pastores. 14. Insignis Ἀλληγορία est τῶν ἐπισκόπων *curantium* (רֹעִים diceres ex Es. 56: 10. quod valet σκοπὸς) sive πρεσβυτέρων *seniorum*, qui & ποιμένες *pastores*, ex Jer. 3: 15. & Es. 56: 11. ἡγέμονοι *ductores*, πρωτοστάται *primo loco stantes* & q. antesignani dicuntur.

Episcopi & seniores iidem. 15. Constat, nomina illa ἐπίσκοπος & πρεσβύτερος ab Apostolis indifferenter capi. Vide Actor. 20: 17. 28. 1 Tim. 3: 2. Phil. 1: 1. Tit. 1: 5. 7. 1 Petr. 5: 1. 2. 3. in quibus vel alterutrum πρεσβύτερος & ἐπίσκοπος occurrit in pari officio, vel iidem Episcopi, qui & Presbyteri, appellantur. Estque id in confesso apud veteres; nominatim Hieronym. in com. epist. ad Titum, epist. ad Ocean. & Euagr. & novos scriptores. quos alii dudum nominarunt. Atque ita in Veteri Testamento זְקֵנִים πρεσβύτερος honoris vocabulum fuit in principibus. Nam iidem & שָׂרִים ἄρχοντες dicebantur, quod erat vocabulum potestatis & imperii. Sic γερουσία, *Senatus*.

16. Hieronymus. *Antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.*

17. Id ita esse apparet ex eo, quia pariter omnibus incumbit *pascere* Ecclesiam Dei, ἐπισκοπεῖν, ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας θεοῦ, *curare Ecclesiam Dei*, vigilare pro animabus gregis, ut qui rationem reddituri sint, manus imponere iis, quibus regendi officium committitur, pro ratione doni (quod variè acceperunt) laborare in verbo. Actor. 20: 28. 1 Petr. 5: 1. 2. Hebr. 13: 17. 1 Tim. 4: 14. 5: 17.

Iudicium quomodo seniorum? 18. Judicium ad eosdem simul pertinuisse, liquidissimè inde constat, quia id est τῆς ἐκκλησίας *cœtus*, Matth. 18: 17. 18. τῶν πλόνων *plurium*. 2 Cor. 2: 6. Neque potest commodè scandalum *indicari Ecclesiæ*, nisi per presbyteros. Quorum officium, quum ipsis innotuerit scandalum, ut apparet, est rursus seorsim ἐλέγχειν *redarguere* peccantem & *admonere*, & nisi resipiscat, de periculo commonefacere. Ad quod faciendum non opus est, ut majore potestate instruantur, quàm quæ data est à Christo duobus vel tribus fratribus ad conveniendum & redarguendum eum, qui peccaverit. Ita non est, quod Pontificii disputent Presbyterorum Ecclesiæ Reformatæ potestatem; quæ non exercetur nisi redargutione & increpatione ad emendandum

dandum peccantes instituta, cum supplicatione aliquando, 2 Cor. 5:20. Psalm. 45:13. & lacrymis. Actor. 20:31. Nam, si vellent dominari in Ecclesia, legesque ferre & Scripturam indemonstrabiliter interpretari, & jurisdictionem (qualem nominant & urgent atque exercent Pontificii) exercere, denique ad suum nomen & auctoritatem alligare credentes, fatendum esset, missione & jussione Dei destitui nostros seniores. qua & illi ipsi fictitii Principes Ecclesiastici cum suo auctore Papa omnino destituuntur.

19. Cæterum, ad eam rem meliùs intelligendam, interest scire, qualem πρεσβείαν & κυβέρνησιν, &, ut ita dicam, ἡγεμονίαν agnoscant Scripturæ. In *pascendo* sanè primum est docere. Quod quanquam non omnes rectores faciant necessariò publicè, in cœtu; tamen omnes debent esse διδακτικοὶ, 1 Tim. 2: 2. ἀντεχόμενοι τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου *affixi sermoni fideli secundùm doctrinam* sive doctrinæ apto, *ut valeant & adhortari in doctrina sana & contradicentes redarguere.* Tit. 1:9. &, *qui laborant in sermone & doctrina*, præ cæteris *bene præsidentibus, maximè duplo honore digni habendi sunt.* 1 Tim. 5:17. Doctrina autem non est unius, neque pendet ab unius licentia, 1 Corinth. 14. v. 24. 29. 30. 31. 32. 33. Præterea doctrina omnis debet esse subnixa τῇ ἀποδείξει τοῦ πνεύματος *demonstratione spiritûs*, & fieri διδακτοῖς ἀπὸ πνεύματος λόγοις *doctu à Spiritu sancto vocibus* (quæ habent auctoritatem divini testimonii, qua omnes ab humana sapientia & philosophia doctæ voces destituuntur; & de quibus constat, quod sint *sani sermones*, non parientes pravas cogitationes, ut insalubres cibi pravos in corpore succos) & ab omnibus judicari, non autem esse ἰδίας ἁπλότητος sive procedens ex privilegio non errandi & obligandi aliorum fidem. 2 Cor. 4: 2. 1 Cor. 2:4. 5. 13. 1 Tim. 6:3. Neque enim opus habent tenentes Scripturam, ut quis eos doceat, nisi ut unctio docet ipsos, & veritas est & non est mendacium; quod ex veritate non est. 1 Petr. 4: 11. 1 Cor. 2: 4. 4: 2. 14: 29. 2 Petr. 1: 20. 2 Cor. 1: 24. 1 Joh. 2:27. 21. neque habere κυριεύειν τῆς πίστεως, *dominos fidei*, ne ipsos quidem Apostolos, 2 Cor. 1: 24. ut debeant accipere aliquid non per Mosen & Prophetas antè dictum & per Apostolos sic prædicatum, propter nomen Cathedræ, hominis, multitudinis. In cæteris jubentur ποιμαίνειν μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως *pascere non ad coactum sed ad voluntarium obsequium*; (finis enim omnium, quæ in Ecclesia dicuntur & aguntur, est *fides* & *charitas*) neque habere gregem Dei, ut domini suas *sortes* & patrimonia.

Quale regimen agnoscat Scriptura? & an id non admittat plures Episcopos sive curantes?

1 Petr. 5: 2. Quæ in vocatione ministrorum, in constitutione boni ordinis, in judicio, in omni denique negocio Ecclesiastico observanda sunt. Hæc quum ita se habeant, causa nulla est, quare non plurium pastorum sive episcoporum in una Ecclesia locus sit. Fatendum interim est, posse Ecclesiam senioribus dare aliquam potestatem id separatim curandi, quod Ecclesiæ curandum erat, & correctionem errantium & temeraria loquentium ac scandala facientium ipsis singulariter commendare. unde dicit Catech. qu. 85. *Ecclesiæ indicantur, aut iis, qui ab Ecclesia ad eam rem sunt constituti.* Quòd si etiam patres familias, qui sunt in cœtu, aut civitas iis aut eorum alicui in bonum Ecclesiæ partem civilis potestatis concedant (quanquam id in malum cedere potest) apparet, eos tunc quasi *pædagogos in Christo* agere; ut Apostolus loquitur 1 Cor. 4: 15. utentes potestate, quam habent patres in liberos, aut atrienses in conservos, aut in filios familias sibi commissos pædagogi. quali pædagogia multi νηπιάζοντες delectantur, ac etiam indigent. Attamen illorum est, ut *patres*, non potestate, sed affectu & cura agant. ut ibidem Apostolus innuit. Interim patet, Ecclesiam non posse abdicare & à se transferre *judicium*, quod vel privatim exercendum est in prima aut secunda commonefactione, vel etiam in publica redargutione, ἐπιπλήξει *correptione*, ἐλεγχοῖς & vitatione contumacium adversus *demonstrationem* & *redargutionem* in nomine Dei & verbis ejus factam. quam etiam Catecheseos mentem esse, minimè putandum est. quia seorsim & absque Ecclesiæ assensu non potest fieri redargutio, quæ debeat haberi pro redargutione Ecclesiæ, ut contumax, non parens redargutioni Ecclesiæ, à singulis habendus sit pro ethnico & publicano. Quare, & denunciationem exclusionis à regno Dei secundùm testimonium Euangelii in nomine Christi publicè omnibus infidelibus & hypocritis fieri debere, docet Quæst. 84. qui est verus ἔλεγχος. Et, quando hoc agunt seniores, quod eis ab Ecclesia commissum est, & ejus causam tuentur & ordinem defendunt, accipiendi sunt tanquam Ecclesia, imò ipse Christus. Interim timeo, nescio quomodo, vocabulum *Ecclesia repræsentativa*, non minùs quàm *Christi repræsentativi*. Quæ vocabula lubentes relinquimus Babyloni. In cujus schola *Ecclesia repræsentativa* dicitur vel unus singularis homo vel collegium ita Ecclesiam repræsentans scilicet, ut in suo sensu & judicio contineant sensum & judicium totius Ecclesiæ, propter auctoritatem: quemadmodum Principes repræsentant populos. Bellarm. de Conc. 1: 16.

20. Per-

20. Pergit Hieronymus: *Postquam verò unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Non igitur ab institutione dominica est, ut episcopus differat à presbytero. Sed nec ab Apostolis. in quorum scriptis ne minimum quidem vestigium apparet illius ἐξουσίας ὑπερεχούσης *potestatis supereminentis.* Et eos, quorum hoc decretum est (nisi malimus credere, inoleviſſe morem & imitatione multorum in omnes transiviſſe. Nam concilium Nicænum can. VI. in talibus τὰ ἀρχαῖα ἔθη *priscas consuetudines* confirmat) perspicuum est fundamenta jecisse Antichristianæ dominationi. nec obviam iviſſe schismatibus. Nam, quum non licuit dissentire, aut quicquam facere absque episcopo, neque ii judicari potuerunt à suis collegis presbyteris & Ecclesia, sed episcopis *datum est judicium*; & hæreseων difficilior fuit eradicatio, & facilior errorum non ita evidentium, sed paulatim serpentium, introductio, & minor Episcoporum labor ad veritatem discendam & docendam, & minor Ecclesiæ cura; contra invaluit communis *dormitatio.* Matth. 13:25. Denique quid est *elevare thronum suum supra stellas Dei,* (Es. 14:13.) nisi subjicere sibi episcopos sive presbyteros? S. Johannes se *presbyterum* duntaxat appellans (ut Petrus, tametsi Apostolus esset, se συμπρεσβύτερον vocitavit) accusat τὸ φιλοπρωτεύοντος Διοτρεφῆ 3 Joh. 9. cui assignatur usurpatio potestatis non recipiendi, quos vellet, utut fratres, & volentes recipere prohibendi & eos ex Ecclesia ejiciendi. In quo imago est Episcopi sumentis ἐξουσίαν *potestatem* in presbyterium & Ecclesiam. Et respondet τὸ φιλοπρωτεύειν τῷ πρώτῳ, de quo Matth. cap. 20. v. 27. *Unde prælatio Episcoporum?*

21. Interim Deus per providentiam suam, ad Ecclesiæ tentationem & hypocritarum manifestationem, sivit ita paulatim gliscere & ἐξουσίαν & δυνάμιν *potestatem* ac *potentiam* Episcoporum, ut tandem evaderet in ἀξίωμα *pastoris stulti.* Zach. 11: 15. sub quo tamen & Ecclesiam suam conservavit. *Dei dispensatio circa exaltationem Episcoporum.*

22. De variis ordinibus Pontificiæ Ecclesiæ judicandum est juxta limites χαρισμάτων Ecclesiæ concessorum & οἰκονομίαν ipsi commissam. Reprehendendum interim, quod sacramentum faciunt *ordinem.* *Ordines Pontificiorum.*

23. Διακονία omnis, *ministerium omne,* est à communi Domino. 1 Cor. 12: 5. Necesse est igitur, ut quis sine mandato ejus sibi ministerium *Ministerium à Christo.*

nisterium non assumat. Extat certè mandatum ædificandi proximum generale: sed & ad prædicationem Euangelii inter gents speciali missione & mandato opus fuit, Rom. 10: 15. (quod acceperunt Apostoli à Domino) &, ut quis certum cœtum habeat sibi demandatum & vicissim devinctum, legitimam vocationem intercedere oportet. Primitus Euangelistæ, Apostoli Ecclesiarum & Apostolorum συνέκδημοι *comites*, vix sine prophetia constituti sunt.

Quomodo ministri possint constitui à Magistratu & ab Ecclesia?

24. Possunt doctores invitari à Magistratu, ut veritatem doceant, vel erudiendæ juventutis vel conservandæ & amplificandæ doctrinæ causa, vel etiam ad plantandum Ecclesiam per vocationem. Ubi Ecclesia plantata & collecta est, nemo illi debet obtrudi vel se obtrudi pati; sed presbyterii & plebis consensus requiritur: manente salva approbatione Magistratus, maximè illius, qui, ut oportet, honoraria laborantibus constituit. Unitas enim ἀδελφότητος *fraternitatis* & conspiratio & ἐπισυναγωγὴ *coitio* ad mutuam ædificationem omninò conservanda est. Licèt interim & paucis convenire fas sit in nomine Christi. Mal. 3: 17. Matth. 18: 20. Quo jure, & propter communis officii exigentiam, etiam presbyterio licet convenire seorsim, ut consulant de rebus Ecclesiæ utilibus &, pro re nata, cum ea communicandis, omnique conscientiæ approbandis. Actor. 21: 18.

Vocatio legitima.

25. Tum igitur habet *Vir Dei* bonam conscientiam suæ vocationis, quando 1. sibi conscius est saltem mediocris aptitudinis ad officium obeundum: & charitatis Dei & proximi, ad illud *concupiscendum*. 2. Piorum desideriis ad λαχνίαν suscipiendam invitatur, & cum consensu Ecclesiæ, observato ordine, qui quovis loco secundùm generale præceptum de ordine servando (qui variare potest) constitutus est, recipitur: & ab iis, quorum interest pacis & veritatis vigorem procurare, approbatur, aut saltem non prohibetur, ut sine incommodo gregis & regni Dei non possit officio publicè fungi. Sic enim fit, ut inter doctorem sive pastorem Ecclesiæ & Ecclesiam sit fœdus Dei, Ecclesia stipulante institutionem publicam & privatam in nomine Domini, illo restipulante audientiam & obedientiam in eodem nomine, & utrisque in hæc consentientibus, sibique invicem fidem dantibus.

Ecclesia officium in vocando observandum.

26. Ecclesiæ partes in deligendo pastore sunt, considerare imprimis requisita Episcopi descripta in epistolis 1. ad Timotheum & ad Titum. Qui citò & temere manus imponit, cum alienis peccatis

tis communicat. 1 Tim. 5:22. nec minùs certè, qui secundùm concupiscentias sibi coacervant doctores, prurientes auribus, cupientes audire, non quod verum est, quod Deus dixit, sed quod vanum & fatuum est, & tinnulum, aut histrionicum, aut λοιδορίας, aut χενολογίας καὶ ἀλογίας. 2 Tim. 4: 3. Mich. 2: 6. 11. Es. 30: 10. Rom. 16: 18.

27. Χειροθεσία *manuum impositio* ab Apostolis & πρεσβυτερίῳ usurpata est in ordinandis ministris Ecclesiæ, ut in conspectum Ecclesiæ producti tanquam approbati ab illa ipsi commendarentur atque ita in officio faciendo essent extra ἀνάδικον ἀλλοτριεπισκοπίας *exprobationem invasæ curationis* & non legitimæ vocationis. Hanc χειροθεσίαν præcedebat χειροτονία suffragatio aut approbatio Ecclesiæ. 1 Tim. 4: 14. 5: 22. Actor. 14: 23. Postmodum ἐπίθεσις χειρὸς χειροτονία dicta est & Episcopis supra presbyteros collocatis attributa. Inservit etiam χειροθεσία unitati Ecclesiæ. Nam per eam minister in collegium cooptatur & Ecclesiæ jam institutæ præponitur. Et sanè finis illius ritus fuit, ut nemo audens privatim colligere cœtus & separare ab Ecclesia absque suspicione sub nomine Christiani conventus latere & venena spargere facilè posset: quinimo ut medium esset continuandi ministerii & κατηχήσεως ab Apolis ad omnes Ecclesias per omnia secula. Χειροθεσία & χειροτονία differunt.

28. Attamen futurum erat, ut lupi graves intrarent in gregem & ex ipsis Pastoribus surgerent loquentes perversa, ut abstraherent discipulos post se; Act. 20:29.30. imò φιλοπρωτοῦντες dominatum constituerent in Ecclesia & successio ordinationis (quanquam ordinatio in Episcopum majorem presbytero vel Archiepiscopum vel Episcopum Oecumenicum non sit ab Apostolis, sed humani instituti) fieret emplastrum tegendæ illegitimæ potestatis; & tandem non paterentur se reprehendi & sanam doctrinam non ferrent, & ejiciendo δοκίμους *probos ac rectos* ex Ecclesia, seipsos abscinderent. Quo tempore justum atque rectum erat etiam δοκίμοις, qui per hæreses manifesti fiunt, & à corrumpentibus Ecclesiam non feruntur, in nomine Christi convenire vel ternis, Matth. 18: 20. inter quos (à finitimis & jam ordinatis pastoribus destitutos) qui ministerium susciperent, mandato prædicandi Euangelii & lege charitatis, verbo evocante ex Babylone & jure conveniendi in nomine Christi, & συμφωνήσει fratrum satis fuerunt instructi. quemadmodum Matthias accepit apostolatum partim electione fratrum, partim sorte, præeunte *Impositionis manuum abusus.*

eunte verbo Dei, quo declaratum erat, Judæ curationem alium acceperum. Neque ad reformandam Ecclesiam opus est alia missione, quàm mandato non credendi pseudoprophetis, & iis contradicendi, sub spe divinæ gubernationis, per quam è Babylone educerentur vel expellerentur. Nec porrò ad reformationem opus est miraculis tanquam extraordinariæ missionis aut veritatis testibus. Præsertim eo tempore, quo prædictum est, pseudoprophetas facturos mirabilia & prodigia in nomine Christi.

Presbyteri perpetui, alternantes.

29. Bonum est, presbyteros eosdem semper invigilare Ecclesiæ & in eo totos esse, ut βαθμὸν καλὸν verorum ἀνθρώπων Θεῦ acquirant. Quòd si Ecclesiæ sit ea angustia, ut eis διακονίῳ πνεύματι reddere non possit, vel etiam metus tyrannidis aliud suadeat: ut multi ἀνὰ μέρος *per vices* possunt linguis loqui, vel prophetare; ita multi ἀνὰ μέρος, ut אֲנָשִׁים תָּמִים ἄνθρωποι ἐνδελεχισμοῦ (in quo est stationum vicissitudo) possunt fungi Ecclesiæ curatione. 1 Corinth. 14:27. 30. 31. Ezech. 39:14. Et optandum esset, plurimos dignos ea διακονίᾳ reperiri & invicem tum in functione ἀγωνίᾳ *studium*, tum extra eam ὑπακοῇ *obsequium* probare. *Fratres* enim *una confidentes coram Domino* sibi invicem per vices possunt esse πρεσβύτεροι, ἡγούμενοι, *præstites, ministri, ductores.* quemadmodum & docentium est non semper loqui, sed vicissim, si quid alii reveletur, audire. 1 Corinth. cap. 14. v. 30. 31.

Discrimen inter regimen seniorum Israelu & Ecclesiæ Christianæ.

30. Probè autem hîc observandum est discrimen inter regimen sacerdotum ac seniorum sedentium in Cathedra Mosis & regimen Presbyterorum Ecclesiæ Christianæ. Illi enim spectabant illum populum, cui lex Mosis imposita erat; & erant armati etiam gladio, & tum legibus suis sepiebant legem institutorum Mosaicorum, ut populus à legis istius transgressione longiùs arceretur: & secundùm legem pœnas irrogabant ejus transgressoribus, ac suorum mandatorum spretoribus imminebant. Sed Presbyterium Christianum non spectat nisi eos, qui ipsis se volunt associare per nomen Christiani, sive confessionem fidei in Christum; ut ii in fide integri sint & in vita irreprehensibiles; ut unâ sive uno humero omnes colant Deum narrando gloriam Dei & sancta opera faciendo: & non utitur gladio aut ulla tali corporali coërcitione, aut privatione dominiorum; neque legibus suis subjicit Ecclesiam. Quare Papa, qui hoc facit, ex regno Christi facit regnum mundanum, & servitutem reducit, legem & tempora mutat, & gignit bestiam, quæ fuit & non est,

est, quanquam est, hoc est, talem politiam hominum animalium fingit, qualis *fuit* sub Veteri Testamento externa appellatione ipsius Dei, & qualis sub Novo Testamento Dei appellatione *non est* (non enim, qui in illis rebus occupantur & tali cathedræ subjiciuntur, Ecclesia in Scripturis appellantur) quanquam *est*, quia vocantur in Scripturis suo modo Ecclesia, qui Christi nomen profitentur. *Non est*, quia legem, quæ à Deo non prodiit, tenet; *est*, quia nomen Christi & formulam pietatis habet, &, ad tempus, in eorum meditullio vera Ecclesia fuit, à mentientium Christo multitudine circumdata.

31. Quia ἀδελφότης, & sic communio sanctorum, se extendit in totum mundum, &, qui in diversis locis agunt, alii aliorum membra sunt; quantum ejus fieri potest, tenentur Ecclesiæ aliæ aliis prælucere, communicare, subvenire, opitulari. Quanquam igitur nec unus fidelis ab alio, nec Ecclesia una ab alia dependeat, sed omnes sint fratres unum dominum & præceptorem & judicem recognoscentes, Matth. 23: 8. 9. 10. quia tamen junctura inter membra & communio & mutua ædificatio per verbum Christi esse debet, rectum etiam atque utile est, ut plurium Ecclesiarum (& pro re nata, si fieri possit, totius orbis) doctores, rectores, missi conveniant, & de rebus officii sui & necessitatibus Ecclesiarum deliberent; ad alias item Ecclesias consilii vel dandi vel petendi aut ὁμονοίας patefaciendæ causa, ad πληροφορίαν multorum, veniant. *Quam* enim *bonum & suave est sedere fratres etiam una*, Psalm. 133: 1. nempe *coram Domino*, Es. 23: 17. ut magistro. Quorum communio in doctrina & benedictione comparatur cum rore, qui simul cadit in montem Hermon & in montes Sion, v. 3. *Vbi duo vel tres in nomine meo congregati erunt, ero in medio ipsorum.* Matth. 18: 20. Et Ecclesiæ Novi Testamenti dicitur Es. 54: 2. *dilata locum tentorii tui & cortinas tabernaculorum tuorum extendant, ne parcas &c.* Apostolus Paulus, ne in vanum curreret, aut currisset, hoc est, ne prædicatio ipsius ullo pacto inutilis redderetur, missus ab Antiochensibus venit Hierosolymam, ut patesceret, quod verbum Dei Hierosolymis egressum esset, Actor. 15. Gal. 2: 1. 2. Es. 2: 3. Ecclesia Hierosolymitana cum Apostolis reliquis Ecclesiis tum præcepta Spiritus sancti, omninò & semper tenenda, tum fidele suum consilium, necessitati temporum accommodatum, fraternè exposuit. Actor. 15: 28. (confer modum loquendi 1 Cor. 7: 10. 12. 25.) miseruntque tum illa ad *Synodi.*

Antiochenos, tum hi ad Ecclesias, qui traderent ea observanda. Cujus communicationis fructus fuit, ut Ecclesiæ constabilirentur fide. Actor. 15: 27. 30. 32. 40. 16: 4. 5. Paulus Miletum evocavit Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ. Actor. 20: 17. Quum is venisset Hierosolymam, apud Jacobum Presbyteri congregati fuerunt. Actor. 21: 18. Idem in omni profectione secum habuit συνεκδήμους τῆς ἐκκλησιῶν *comites peregrinationis missos Ecclesiarum.* 2 Cor. 8. vers. 18. 19. 23.

32. Utilis autem cum primis est Conciliorum sive Synodorum congregatio ad excitationem studii unanimis & curæ doctorum & rectorum Ecclesiæ, ad collapsa redintegrandum, ad componenda dissidia, ad detegendum hæreticorum versutias, ad demonstrationem veritatis, & Φανέρωσιν τῶν δοκίμων *manifestationem proborum.*

33. Modus autem definiendi controversias in Conciliis non est imperiosus & jurisdictionalis sive αὐθεντικὸς aut ἀρχιτεκτονικὸς, sed, qualis omnis Ecclesiastica institutio, ministerialis; dum ii, qui congregati sunt, & ad eundem profectum ac sensum pervenerunt, fiunt τύποι reliquis, explicando orthodoxam fidem & hæresin convictam improbando. Unde fit, ut in Ecclesiis particularibus consentientium fiat conjunctio arctior, ut, quo usque pervenerunt, eodem canone ambulent, Phil. 3: 16. pertinaciter verò dissentientium & à veritate & à profectu ac relictione erroris, & peccata sua ac mendacia retinentium secessio, &, pro re nata, exclusio.

Synodi errare possunt. Non datur auctoritas, propter quam debeat recipi decretum Synodi.

34. Neque tamen multitudo Episcoporum in unum conveniens est exemta periculo errandi; ne quidem, si Papa intersit. Cùm ne Cathedra quidem Mosis, habens promissionem, ab errore immunis fuerit. Neque ullum Concilium valet propter auctoritatem approbantis Papæ, neque ullum non valet propter illius improbationem (is quippe Ecclesiæ caput, Magister & Princeps & Judex ἀνυπεύθυνος non est) neque ullum profuit, nisi veritatis demonstratione & hæreticorum confusione & divina cooperatione in hominibus, sive ad credendum veritati, (secundùm illud: *Redibit judicium ad veritatem, & id sequentur omnes recti corde.* Psalm. 94: 15.) sive saltem ad extorquendam confessionem veritatis per simulationem. Multa etiam Concilia in multis hallucinata sunt: neque facilè dabitur aliquod sine nævo.

Convocatio Synodorum cujus?

35. Possunt, Bellarmino fatente, rectores Ecclesiarum in provincia aut provinciis sponte convenire. Neque est id propterea

Con-

Concilium imperfectum, si non adsit Papa: æquè atque si in Gallia agatur Synodus sine Eugubino. Quin &, si Romanus tergiversetur, perfectum erit Concilium orbis, reliquis consentientibus. Nec Papa nec ullus Episcopus alius habet potestatem cogendi Episcopos, ut in Synodum conveniant. Imperator, Rex, Princeps in suis terris Synodum cogere potest, quoties utile videbitur. In Ecclesiis provincialibus lex διατάξεως obligat ad conveniendum tum propter mandatum magistratus pii, tum propter postulationem & votum Ecclesiarum (Nam, qui munus regendi & docendi subit, se obligat ad curandum & vigilandum pro Ecclesia cum collegis suis) tum propter ipsam charitatem.

36. Qui hoc tempore Ecclesiarum communionem fugiunt, ob nescio quam umbram imperii & jurisdictionis, iis optandum est, ne fiant auctores spargendi ovilis dominici, & lupos sub specie ovium admittant, sed potiùs, ut, in ipsis impleatur promissio Zoph. 3: 19. *Sese angemes*, ut discedant *à cœtu*, *congregavi*: atque etiam, ut Deus sit rex in monte Sion & coram senioribus ejus Gloria. Es. 24: 23. *Obiter de fugientibus conventus Synodicos.*

37. Posse ministros Ecclesiæ esse cœlibes, quum donum continentiæ acceperint, & tempora dura id postulent, ut se eunuchisent propter regnum cœlorum, extra dubium est. Sed non est id requisitum episcopi & doctoris. Et nulla est potestas in mundo, quæ possit facere illicitum, ne pastor & curans Ecclesiam ducat uxorem & liberos alat atque in timore Domini educet. Licet enim uxoratis & docere & admonere & cum Ecclesia judicare: & sacramenta administrare; quia & uxoratis licet eis uti. Naturalis illa inclinatio ad habendum adjutorium se dignum & videndi liberos, semen sanctum, & progenitoribus gratias referendi in nullo potest damnari; & amor conjugis est res bona & ejus proculcatio est res improba, & factum ejus regis, qui se effert supra omnia. Dan. 11: 37. Omitto fructus hujus legis, concubinatum, scortationes, lupanaria, adulteria, & his graviora. Quæ argumenta sunt, à spirituali scortatione non abesse, qui hisce ita implicantur, ut cogantur tantùm non defendere. Omitto, quòd ratio legis nulla justa allegetur. In Veteri Testamento sacerdotes uxorati erant. In Novo Testamento etiam cessat impuritas legalis, quæ functioni in Veteri Testamento poterat obesse. Sola ratio est, ne uxorati clerici (sic vocant) plus suis principibus dediti sint propter charitatem suorum, quàm Papali hierarchiæ. Constat, à Christo & Apostolis nihil præ- *De cœlibatu ministrorum Ecclesiæ.*

ceptum fuisse de hoc cœlibatu. Et Apostolos pleroſque uxoratos fuisse. Qua fronte igitur præciperent aliis cœlibatum? Constat, Paulum in episcopo requisivisse, ut sit unius uxoris vir. Non igitur abominantur conjugium, sed scortationem; qualis est polygamia aut adulterium cum quavis. Idem præcipit, ut matrimonium habeatur honestum in omnibus. Hebr. 13: 4. Sic enim dicit: *Honorata nuptiæ* sunt *in omnibus* (sine discrimine ergo) *& lectus impollutus* est: *scortatores verò & adulteros judicabit Deus.* Item, ut liberum cuique sit habere uxorem. 1 Cor. 7: 2. *Propter scortationes quisque suam conjugem habeat.* Si imperatur habere, jam nefas est non habere. Sed non est nefas non habere conjugem. ut ex v. 1. patet. Ergo mens Apostoli est, permittendum esse unicuique, ut, si velit, conjugem ducat. Ita loquitur & Christus Matth. 19: 12. *Qui potest capere, capiat.* q. d. Statuere permittite unicuique, quid possit capere. nulli ponatur lex. Ideò & Paulus 1 Cor. 7: 37. à consilio virginitatis retinendæ vult abesse ἀνάγκην *necessitatem.* Qualis est voti. Non licet votum facere de re, quæ non est nostræ potestatis. Apostolus innuit 1 Tim. 5: 14. juniores, si non nubant, occasionem dare adversario (ita solet Scriptura Antichristum vocare) convicii causa, hoc est, ut laudanda virginitate nuptias criminetur. *Iam enim nonnullos aversos esse post Satanam.* Et clariùs 1 Tim. 4: 3. docet, à spiritibus seductoribus esse præceptum non ducendi uxorem. Dicunt, se non prohibere matrimonia. Licere per se unicuique matrimonium contrahere, dummodo ne sit clericus. Ergo tenentur altero: vel prohibent nuptias, vel cohibent spiritum, & charismata coërcent. Nam propter hanc legem non potest uxoratus suum charisma Ecclesiæ per ministerium impendere. Et an etiam efficere possunt sua lege, ut uxorati non sint digni curatione Ecclesiæ & sapientiam habeant ad eam docendam? Apostolus testatur, se de Virginibus præceptum à Christo non habere. 1 Cor. 7: 25. Quis igitur dedit eis potestatem legem figendi, ubi nulla est? Sola hac re se is, qui hoc præcipit, ostendit Deum & supra Deum evehit. Et, ut introduceretur hæc lex, magna sævitia & crudelitas usurpata est. Legatur Sigonius de regno Italiæ. Nicolaïtas vocabant episcopos sive presbyteros, qui conjuges habebant. Præceptum hoc Apostolus refert inter illa, quæ non sunt admittenda, & quæ feruntur ab eis, qui non tenent caput Col. 2: 21. *Ne tangas, neque gustes, neque contrectes.* Dicent, nihil hîc de conjuge. Imò nec de pecunia: nec de ulla re. Ergo intelligi

ligi non potest, quis contraveniat Apostolicæ admonitioni præceptum dans, quod dare non licet? Manifestum est, de nulla re dandum esse tale præceptum: & non dicendum esse, Tu *non tanges mulierem.* Qua phrasi utitur 1 Cor. 7: 1.

LOCUS VIGESIMUS OCTAVUS

DE

Habitudine Ecclesiæ ad regnum mundanum.

CAPUT LXXVIII.

Quanquam Daniel cap. 2. ostendit, Lapidem de monte cæsum, & sine manibus latum (qui Christum significat) comminuturum esse omnia regna, quæ in Colosso erant exhibita Nebucadnezari: tamen regnum Christi non adversatur regnis, principatibus & civitatibus; quamdiu Ecclesia in mundo est, donec aboleat omnem principatum & omnem potestatem & potentiam, & regnum tradat Deo ac Patri. 1 Cor. 15: 24. Nam & reges ei Prophetia assignat curatores & reginas curatrices: imò pronunciat, gratia & veritate constabiliri thronos. Eadem vaticinatur, reges gentium in civitatem Dei illaturos gloriam suam. Apoc. 21. Interest autem cognosci, quomodo differat regnum humanum à regno Christi, & quomodo reges ejus curam suscipere oporteat, ut non convertant regnum Dei in regnum humanum. *Regnum Christi non adversatur regnis mundi.*

2. Principiò Christus dicit Joh. 18: 36. *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Quo significatur, regnum Christi non geri humano & mundano more; ideòque non esse numerandum inter ea regna, quæ in hoc mundo sunt. In regnis hujus mundi hoc agitur, ut plures simul habitent in pace, & bonis suis uti fruique possint, & propterea legibus atque edictis pareant. Ad quod homines invitat amor pacis & bonorum temporalium; continet autem eos metus. Hoc totum est in regnis mundi; quatenus sunt regna hominum mundana. Nam humana potentia se non extendit ulteriùs. Eique rei inser- *Regnum Christi non est de hoc mundo.*

viunt ministri, qui sunt caro & sanguis, cum armis carnalibus, 2 Cor. 10: 4. Christus dicit, *Si regnum meum ex hoc mundo esset, ministri mei certarent pro me, ne traderer Iudæis.* Nam in regno mundano omnes cives militant & dimicant pro capitis regii conservatione & honore ejus. Christus innuit, fore, ut à Pilato tradatur Judæis. Eam rem non impeditum iri à ministris suis; quanquam facilè impediri possit. Neque id contrarium esse regno suo. Se igitur & suos, etiamsi tradantur occidendi, non privari regno. Regnum suum tale esse, ut in ejus externa facie possint homines scandalisari. ut est & Matth. 11: 6. Deinde v. 37. ostendit, se gerere regnum suum per testimonium veritatis: & obedientiam populi sui consistere in intelligentia vocis suæ & ejus receptione; hoc est, in receptione veritatis. Id nullius humani & mundani regni potentia efficere potest. Christus ostendit, quorum id bonum sit. *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam*, h.e. qui à Deo regenitus est ad amorem veritatis, quæ & natura cognosci potest & à Deo hactenus revelata est. Quæ est veritas; quæ aliter se habere non potest & est origo omnis cognitionis, sapientiæ & prudentiæ, quæ est in mundo. Qua carens homo in tenebris ambulat, &, quid agat, nescit, neque ullius rei precium aut finem novit, & stultitia necessariò laborat. Unde gentes dicuntur *caci* & *surdi*. Es. 42. Ex qua re clarissimè patet, quæ sit regni Christi natura atque indoles, & quare non possit esse de hoc mundo.

Ecclesia quid? 3. Id quod etiam convenit cum ipso nomine *Ecclesiæ*. Ἐκκλησίαν Græcis dici legitimam populi concionem, satis compertum est. Act. 19. v. 39. ἔννομος ἐκκλησία. Hebræis id קָהָל. Est & עֵדָה excitorum ex condicto multitudo. Hoc de multitudine & societate justorum Ps. 1: 5. עֵדָה etiam de evocatis ex universo populo ad certum negocium dicitur; de συγκλήτῳ βουλῇ, aut similiter. Duo hæc conjunguntur Prov. 5: 14. בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה ἐν μέσῳ ἐκκλησίας καὶ συναγωγῆς. q. d. in medio comitii & concionis populi, præsidentibus iis, qui ad hoc sunt κεχειροτονημένοι, vel, in medio cœtus ex condicto collecti. Syrus in versione Novi Testamenti τῇ ἐκκλησίᾳ exponit ܒܥܕܬܐ. quod est Hebr. עֵדָה. Hoc tamen Lxx. haud temere aliter vertunt, quàm συναγωγὴν. Adeò ineptum est, non tantùm falsum, quod Catechismus Romanus inculcat, populum Novi Testamenti magis *Ecclesiam* dici, ut Veteris Testamenti *synagogam*; quod *hic pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena & caduca tantùm bona spectaret.* Vocem קָהָל reddunt Lxx. nunc ἐκκλησίαν nunc συναγωγὴν.

Non

Non ita inconſtanter debebant loqui. Actor. 7: 38. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ reſpondet ei, quod eſt Deut. 9: 10. 18:16. בְּיוֹם הַקָּהָל Lxx. τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἐκκλησίας. Intellige *diem* divini *comitii*. Conjunguntur ἐπαλλήλως duo illa vocabula, ut כָּל קְהַל עֲדַת יִשְׂרָאֵל Exod. 12: 6. & dicitur הַקָּהִיל הָעֵדָה & de illa הַקָּהָל ἐκκλησιάζειν καὶ ἐκκλησιάζεσθαι. Quod ſine dubio ſignificat *congregationem in unum locum*. Dixerim, עֵדָה (quod à יָעַד *convenire fecit*, Mich. 6: 9. unde וְנוֹעַדְתִּי *& ſiſtam me adeundum ibi filiis Iſraël*. Exod. 29: 43.) dici multitudinem omnem, cui ex condicto convenire fas eſt. קָהָל multitudinem collectam. Vide Jud. 21: 5. 8. Ibidem עֵדָה dicitur multitudo conſcriptorum. v. 10. quibus ſuperponuntur זִקְנֵי הָעֵדָה. v. 16. Ea multitudo, de qua noſtra eſt tractatio, nullum vocabulum reſpuit eorum, quæ ſociatam multitudinem quovis modo deſignant. Quorum ſingula tamen certam emphaſin habent. Celeberrimum nomen eſt ἐκκλησία, & diſtinctiùs ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος *cœtus Dei vivi*, 1 Tim. 3: 15. (קְהַל הָאֱלֹהִים Nehem. 13: 1.) aut Χριστοῦ. Matth. 16: 18. Qui genitivus ſignificat relationem peculii ad dominum, populi ad regem, conſociatorum ad auctorem ſocietatis, convenientium ad vocantem, & finem conventus, nempe ut cum ipſo ſint, & ipſius alloquio & ἐμφανισμῷ ac quaſi aſpectu fruantur. Eſſe in voce ἐκκλησίας notionem τῆς κλήσεως *vocationis*, apparet ex Actor. 2: 47. ubi προσθέναι σωζομένους τῇ ἐκκλησίᾳ reſpondet ei, quod dictum v. 39. ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, *quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter*. Item, quòd eadem multitudo vocatur ἡ κλῆσις *vocatio*, οἱ κλητοὶ, οἱ κεκλημένοι *vocati*. 1 Cor. 1: 26. 24. Eſt ſanè *vocatio* aliquando nihil niſi compellatio per verbum ab hominibus demonſtratum; unde κλητοὶ *vocati* dicuntur etiam, qui non attrahuntur nec ſequuntur vocationem. Matth. 20: 16. 22: 14. πολλοί εἰσι κλητοὶ, *multi ſunt vocati*. Sed ea vocatio, quæ in modò commemoratis locis inſinuatur, unde ἡ ἐκκλησία dicitur, eſt potentior tractio divinæ virtutis cum ſuo effectu, qui eſt venire & accedere, Joh. 6: 44. reſpondens ei vocationi, qua Deus *vocat ea, quæ non ſunt, ut quæ ſunt* vel *quaſi ſint*, Rom. 4: 17. & *ætates ab initio*, Eſ. 41: 4. quæ eſt juſſio Dei, ut res ſit, Pſal. 33: 9. Nam per verbum promiſſionis tanquam declarationem Teſtamenti naſcuntur Abrahamo filii Rom. 9: 8. Gal. 4: 28. Cujus verbi ſpecimen eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Rom. 9: 7. Quod verbum ab ipſo Deo immediatè profectum ſtat in æternum & potens eſt omnia efficere, quæ per id jubentur; etiam regenerationem mortuo-

mortuorum in peccatis, imò excitationem filiorum Abrahami ex lapidibus. 1 Petr. 1: 23. 24. 25. Matth. 3: 9. Hæc est vocatio illa sancta, secundùm propositum & gratiam datam in Christo Jesu ante tempora secularia. 2 Tim. 1: 9. Rom. 2: 28. Nec tamen sine *vocatione*, quæ promiscuè secundùm imperium immortalis Dei per homines proponitur, fit ea adductio. Rom. 10: 14. quam Deus secundùm electionem gratiæ procurat τοῖς ἰδίοις καιροῖς, *suis temporibus*, 1 Tim. 2: 6. itaque & locis. Igitur in descriptione Ecclesiæ alicubi tria hæc, κλητοὶ, καὶ ἐκλεκτοὶ, καὶ πιστοὶ *vocati & electi & fideles* distinctè conjunguntur, Apoc. 17: 14. Sunt enim sanè multi vocati, pauci electi. nec tamen omnes, qui electi, etiam jam vocati vel fideles. Sed, qui & præconii κατηχήσει vocati, & ab æterno electi in Christo, ut essent sancti, Ephes. 1: 4. & jam verbum ἀκοῆς in bono corde (quod præparat Dominus) cum fide (qua Spiritus sanctus corda purificat, Actor. 15: 8. 9.) exceperunt, ii sunt, qui una voce nuncupantur propriè ἡ ἐκκλησία. Ita patet, in usu sacro, τὸ ἐν non vacare, sed indigitare τῷ ἐκλογῷ τῷ ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς, h. e. *secretionem* (nempe ex multis pereuntibus) opere ipso factam *per sanctificationem spiritus* regenerantis *ad obedientiam* fidei & in fide *aspersionem sanguinis Iesu Christi*, hoc est, justificationem, *secundùm præagnitionem Dei Patris* sive electionem factam ante mundi jacta fundamenta. 1 Petr. 1. v. 1. 2. *Electio* enim, quæ fit in tempore, est fructus electionis æternæ: quæ uno nomine veniunt. Quæ utraque intelligenda Psalm. 4: 4. הִפְלָה יְהוָה חָסִיד לוֹ *segregavit Iehova pium sibi.* Hi sunt שְׂרִידִים *superstites*, *quos Dominus vocat.* Joël. 3: 5. Vocatione enim salvantur, 2 Tim. 1: 9. ut sint superstites multis pereuntibus; *primogeniti in cœlo descripti*, Hebr. 12: 23. ubi nosce, descriptionem sive conscriptionem Dei facere, ut sint ἐκκλησία; & congregationem, ut sint πανήγυρις. si nempe per ἐκκλησίαν intelligamus id, quod est עֵדָה; per πανήγυριν id, quod est קָהָל. Sed de vocibus non est laborandum; quum, utrumque debere intelligi, duorum vocabulorum conjunctio indicet satis.

Ecclesia in sola vocatione fundatur.

4. Ex dictis intelligere est, Ecclesiæ originem esse genus humanum maledictioni obnoxium; (ex mundo Joh. 15: 19. 17: 6. uti & Israël ex Amorrhæis dicitur esse, Ezech. 16: 2.) auctorem Deum per electionem & separationem à mundo; quæ fit per vocationem. Quæ vocatio non est præceptum carnale, vocans ad opus carnale

&

& externum, neque præceptum humanum, ſecundùm quod judicentur, qui conveniunt ad ei parendum, juſti, qui verò ei non parent, injuſti; ſed eſt ſancta illa vocatio fœderalis, qua ſervantur, quicunque ſervantur, 2 Tim. 1: 9. nempe ad pœnitentiam & fidem ſive promiſſionis ſive Euangelii de Chriſto. Nam in Chriſto per ſpiritum ipſius unum fiunt. cui per fidem in ipſum inſeruntur. Unde dicuntur *per Deum*, immediatè, *vocati in communionem ejus.* 1 Cor. 1: 9. Unionis autem cum Chriſto fructus eſt juſtitia. A purificatione cordis per fidem & juſtitiæ dono *ſancti* dicuntur. Utrumque enim notat ἁγιάζειν alicubi. Hebr. 2:11. 10:10. 14. 12:14. A juſtitiæ dono *juſti.* Unde *cœtus juſtorum* Pſalm. 1: 5. 69: 29. Eſ. 60: 21. Quanquam & alicubi ſic dicantur à fructibus juſtitiæ, ſtudio rectitudinis, aut veritate cauſæ in mundo oppugnatæ. Unionem etiam vox *Eccleſia* notat. Nam ἐκκλησία, ſive ſit קָהָל, ſignificat multitudinem congregatam; ſive ſit עֵדָה, notat multitudinem conſcriptam & ad conveniendum paratam. *Vnitas* Eccleſiæ eſt in Patre & Filio, Joh. 17: 21. per unum ſpiritum, baptiſantem in unum corpus, & fidem unam ἰσότιμον; quemadmodum & una vocatio & una vocationis ſpes eſt. Eph. 4: 4. 5. 1 Cor. 12: 13.

Sancti.

Juſti.

5. Ex quibus apparet, revera Eccleſiam, in qua Chriſtus rex eſt, non eſſe de mundo, & ad modum regni mundani. Nam interna & inviſibilis eſt Eccleſiæ forma, ut corpus unum eſt; quæ eſt communio cum Deo in Chriſto per fidem. Unde & Eccleſia magis creditur, quàm videtur. ut dicimus in Symbolo, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam.* Cant. 6:8. *Vna eſt columba mea, ſincera mea, una matri ſuæ, clara genetrici ſuæ. Viderent eam filiæ, beatam prædicarent; reginæ & pellices, celebrarent eam.* Luc. 17: 20. 21. *Non venit regnum Dei cum obſervatione, neque dicent, Ecce hîc, aut ecce hîc. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*

Forma Eccleſiæ inviſibilis.

6. Secundùm hanc formam internam Eccleſia, quæ eſt in cœlis, cum ea, quæ in terris eſt, conjungitur. Nam, quorum Deus eſt Jehovah, illi Deo vivunt, & habent manſiones in cœlo introducti in gloriam & ſecundùm ſpiritum ſuum conſummati. Matth. 22: 32. Luc. 20. 38. Joh. 14: 2. Hebr. 2: 10. 12: 23. neque adeò à fratribus ſuis, qui in terra ſunt, dividuntur. Fratribus, dico. nam omnes filii Dei ſunt. Unde & Eccleſia ἀδελφότης. Unde rurſus patet, Eccleſiam ſecundùm id, quod propriè eſt, non eſſe de hoc mundo.

Et ſecundùm eam cum cœleſtibus conjungitur.

7. Eccleſia, quæ in terris eſt, quanquam, quoad formam ſuam

Eccleſia mani-

festatur per fructus.

propriam & genuinam, invisibilis est; nihilominus tamen per fructus fidei manifestatur: nempe per confessionem & ἀναφορὰν. Rom.10:9. 1 Petr.2:12. Matth.5:14.15.16. Phil.2:15. 1Cor.11:19. In ea Ecclesiæ manifestatione duo consideranda sunt. 1. manifestatio verbi Dei, per quod fit κλῆσις *vocatio*, in mundo, cum potenti convictione & ἐλέγχῳ spiritus, (Joh. 16:8.) adigente homines ad ejus receptionem & narrationem, sive per mendacium (quo hypocritæ mentiuntur Deo & Christo, Deut. 33:29. Psalm.18:45. 66:3. 81:16.) & πρόφασιν *ostentationem*, sive ἀληθείᾳ *veritate*, Philip.1:18. Circa hanc manifestationem occupatur fides & charitas & prudentia. Fides, credens, ibi esse fideles, ubi verbum Dei prædicatur & ἔλεγχῳ spiritûs ac κλῆσις non rejicitur, neque scandalis deturpatur: charitas, sperans benè de singulis profitentium, cum illis fraternitatem colens, non relinquens aut destituens ὑποσυναγωγὴν & καταγνόησιν ἀλλήλων εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων: prudentia, ἐν τῷ προσέχειν ἀπ' ἀνθρώπων καὶ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα. 2. manifestatio τῶν δοκίμων, quando hæreses & scandala præter acceptam à Deo & Christo doctrinam invehuntur. 1 Cor. 11:19. nempe per redargutionem & tandem ἔκκλισιν. Eph. 5:11. Tit. 3:10. 2 Thess. 3:14.15. Matth. 18:15. 16.17. Rom. 16:17. Ps.139:21. 22. Prov. 28:4. Ita *loqui* est argumentum *fidei*. Psalm. 116:10. 2 Cor. 4:13. Sed ea manifestatio non est talis, ut per eam certò constet cuivis, quinam sint verè fideles; sed ut in genere constet, Deum adhuc habere populum in mundo & Ecclesiam, quam velit repurgare à scandalis: quivis autem fidelis apud se ex arrhabone spiritus (quo obsignatur, quique est ut ψῆφος λευκὴ, cui inscriptum nomen, quod nemo novit, nisi qui id accipit) possit certus esse de communione sanctorum, & ut in bona conscientia confessionem & patientiam & laborem & opera tanquam testimonia fidei suæ possit allegare, 2 Cor.4:2.13. Jacob.2:18. ad hoc, ut apud homines sint ἀνεπίληπτοι καὶ ἀκατάγνωστοι. Neque aliud opus est in mundo quæri, & inveniri, quàm cœtum vocatorum, ut cum illis conjungamur, ut fratres, ad mutuam ædificationem & glorificationem Dei; &, quò magis in fratribus abundant fructus spiritus, eò magis lætemur: ubi autem scandala superinvehuntur, cum δοκίμους faciamus. Neque aliud medium est ejus inveniendi, quàm ἡ κλῆσις ἡ ἁγία & ἀναφορὴ ἀξία τῆς κλήσεως. Ita Ecclesia est στῦλος *columna* & מעמד οἰκοδόμημα πηγμελιωμένον & ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *veritatis stabilimentum*, cujus basis est veri-

veritas. 1 Tim. 3: 15. Quia igitur ea vocatio per verbum non agnoscitur, nisi ab eo, qui verbum Dei habet manens in se; &, Ecclesiam Dei esse in eis, qui audiunt & loquuntur hoc verbum, sola fide tenetur; &, eos, qui sic loquuntur & sic faciunt, esse pro fratribus & civibus sanctorum accipiendos, non aliter, quàm auctoritate divini præcepti, nobis constat; apparet, mundum non posse Ecclesiam verè agnoscere, aut Ecclesiam de hoc mundo esse. Quare, qui nobis ostentant παρατηρητὸν *observabilem* instar urbis terrenæ & regni ac populi mundani, cujus nomine solo obstricti teneamur eam sequi tanquam infallibilem magistram veritatis; & talis Ecclesiæ notas præter vocationem divinam in Scripturis contentam comminiscuntur; in errore maximo versantur & seducunt simplicia corda ab obedientia divinæ vocationis ad placita hominum & doctrinas dæmoniorum.

8. Ecclesia, sive cœtus, qui non colligitur tantùm in nomine Christi, Matth. 18: 20. (qui non videtur in mundo, sed quem credimus esse in cœlo & tamen nobiscum esse per majestatem, gratiam & spiritum suum) sed colligitur in nomine hominis vel hominum; neque sequitur vocationem solius Dei, sed præceptum hominum: cujus cœtus quisque eligit dicere & facere, quod ille cœtus ad nutum hominis alicujus, tanquam Capitis, aut hominum, tanquam capitum; maximè, si etiam statuat, id Caput esse in certo loco, cujus loci hoc privilegium sit, ut, qui in eo præsidet & regnat, sit caput Ecclesiæ; idque credat propter dictum illius, qui in eo loco regnat & propter auctoritatem & multitudinem cœtûs ei assentientis: est revera populus mundanus & regnum mundanum; neque convenit in nomen Christi, neque habet vocationem Dei, aut unitatem spiritus in fide. Nam illa αἵρεσις & *electio* obediendi hominibus non est fides. *Ecclesia falsa.*

9. Talis cœtus in Scriptura appellatur *Civitas* in contradistinctione *Civitatis sanctæ*; & *Babylon*, propter analogian priscæ Babylonis. Ut enim prisca Babylon erat urbs, in qua colligebantur, qui volebant sequi *nomen* eorum, qui in ea urbe residebant, ad idem dicendum cum ipsis, tanquam custodibus sermonum, quos audiverant à Noë & quos cuncti loquebantur, quum consilium inirent eam urbem ædificandi, ut sic essent & manerent unus *populus*; (qui populus de mundo erat) ita spiritualiter appellatur Babylon civitas sive politia conflata ex hominibus, qui consentiunt ad loquendum *Civitas magna Babylon.*

& faciendum, quod aliquis homo in certo loco resides aut solus aut cum suis collegis & multitudine sibi obedienti dicit & facit. Multitudo autem hoc modo & hoc animo atque in hoc nomen collecta & regnans vocatur in Scriptura *Bestia*, h.e. multitudo hominum animalium spiritum Dei non habentium. Quæ civitas quando commiscetur cum regno mundano, in quo per imperium quæritur pax & secura inhabitatio, ut populus diversa ratione diversis obediat, & principes regesque potestatem suam tradant Bestiæ & ejus Capitibus, fit *regnum divisum*, ut Daniel dicit 2: 41.

Bestia.

Comparatio Ecclesiæ falsæ cum Israele secundum carnem.

10. Fuit olim populus Israëliticus per legem præcepti carnalis subjectus principibus, & per voluntatem obediendi præcepto illi (quæ voluntas in multis non fuit charitas & sancta voluntas) collectus ad eos principes; aliquando etiam reges habens; aliquando serviens regibus mundi. qui populus fuit appellatus *populus, Ecclesia, cœtus Dei*: sed partim synecdochicè propter sanctos, qui in medio illius erant; qui bona voluntate & charitate colligebantur ad faciendum præceptum carnale in fide & spe Salvatoris: partim propter inhabitationem Dei in medio ipsorum: partim propter elementa divinæ institutionis, quibus utebantur. Secundùm hoc igitur is populus erat regnum mundanum. Sed, quoniam tale præceptum carnale non est, neque à quoquam imponi potest vel idem vel simile præceptum, neque secundùm illud judicium exercetur, & non sunt *dicti dis* (1 Cor. 8: 5. 6.) Ecclesia Christiana non est hac ratione ampliùs de hoc mundo. Neque enim in mundo habet terram, quæ nominetur hæreditas, neque figuris atque umbris subjecta est, neque sub ira & maledictione constituta est, & Christum habet caput supra omnia. Nullus in terra est, ad quem verbum Dei magis factum sit, quàm ad alium; à quo verbum Dei exiverit; ad quem solum pervenerit. Nullum ampliùs verbum exspectandum est, quod sit necessarium Ecclesiæ ad doctrinam pietatis.

Ecclesia non pendet à regno mundano.

11. Neque adeò Ecclesia, quæque illa dicit aut facit, nedum ipsius fides & affectus, pendet à potestate & imperio ullo mundano. Quæ enim credit, credit propter divinum testimonium; non propter humanam auctoritatem: quæ loquitur; quia credit, loquitur, &, quia Deus confessionem veritatis ab ea exigit. quæ facit, facit, quia sancta sunt, aut licita & non inutilia atque noxia. Diligit Deum, quia bonitatem ejus gustavit: proximum, quia diligit Deum. Non facit, quæ Deus vetuit; quia à nullo homine permitti possunt. Et,

si

si congregatur, in nomen Christi congregatur; non humano jussu atque imperio. In quo consistit *libertas conscientiæ*. quòd non tantùm nemo potest cogi, ut judicet, hoc verum esse, quod judicat esse falsum (quæ est non tam libertas conscientiæ, quàm impotentia hominis, qui non potest animum alterius sibi subjicere, & animi natura, ut non possit ad fidem & amorem cogi) sed etiam, quòd non potest rectè & justè impediri, quò minùs dicat & faciat, quod Deus jussit dicere & facere. Quia enim conscientia est *conscientia Dei*, & nullum habet dominum, nisi Deum, imò est lucerna Dei radians in cordibus, debet esse libera, ut non impediatur obsequi Deo. Quo non animadverso, periculosè erratur. sive, ut quis se aut alium faciat *dominum* non *fidei* (nam ea nisi à Deo teste & ejus veritate & amabilitate non adstringitur, & non nisi à Deo creatore existit) sed dicti & facti alterius: vel, ut quis putet, omne animi judicium & λογισμὸν omnem esse dictamen conscientiæ; eoque liberum esse debere dicere & facere, quod sentiat quisque & judicet. quum tamen in judicio animi possit esse *opinio*, quæ à *scientia* differt. ut pulchrè Hippocrates in Lege: δύο γὰρ ἐπιστήμη τε καὶ δόξα· ὧν τὸ μὲν ἐπίστασθαι ποιέει· τὸ δὲ ἀγνοεῖν. *Duo sunt Scientia & Opinio: quorum alterum facit scire, alterum ignorare.* *Libertas conscientiæ.*

12. Quemadmodum autem in Ecclesia ea, quæ Deus præcepit, sunt quidem commemoranda, ut præcepta, sed non indigent auctoritate humana, ut recipiantur pro Dei præceptis; neque per auctoritatem humanam efficitur timor & amor Dei, sed tantùm ὀφθαλμοδουλεία, ut quis propter præceptum humanum velit dicere & facere, quæ præcipiuntur, & profiteri, se ea credere; quæ est hypocrisis: ita, quæ à Deo præcepta non sunt, sed libera, præcepto hominis (etiamsi is maximam potestatem habeat) non possunt determinari & fieri non libera; ita quidem, ut religionis putetur esse facere, quod Deus non mandavit, aut non facere, quod Deus permisit. Ideoque ibi, ubi conveniunt fratres in nomen Christi, talia præcepta non habent locum: sed vel domi, vel in civitate. ut, si paterfamilias velit filium gestare albam vestem, aut pisces edere; vel princeps velit judices, senatores, advocatos, professores esse togatos. *Libertas Ecclesia adimi non potest.*

13. Neque adeò Ecclesia potest habere formam mundani regiminis. Licèt enim *civitas* vocetur, tamen non est civitas, cujus caput sit homo aut homines, sed est *civitas Dei*. quotquot autem ad eam accedunt, & ejus cives fiunt, fiunt servi Dei. Ita, quod rectè *Ecclesia civitas, sed Dei.*

edicitur in ea civitate, à Deo edicitur; quod vetatur, à Deo vetatur; quod judicatur, à Deo judicatur. Neque enim judicium, quod in Ecclesia agitur, aliud est, quàm approbatio divini judicii, quod jam in verbo Dei extat. Nihil enim debet in Ecclesia ligari, quod non in Scriptura sit ligatum; nihil solvi, quod non sit in ea solutum, nempe ut sit manifestum ad conscientiam ejus, qui judicat, hoc verum justumque & à Deo mandatum esse, ut, quem consolatur, consoletur; quem terret, terreat; quem vitat, vitet. Quomodo qui judicatur, potest scire, etiam de se ita in Scriptura judicari. Nam, quem consolamur, frustra consolamur, nisi verbum Dei proferamus, quod ipse sibi sentiat loqui velut filio. Qui autem terretur & vitatur, non potest habere bonam conscientiam in eo, in quo ex Scriptura redarguitur: imò, quia sentit, se verè redargui, ideò irascitur adversus eum, qui redarguit, & in ipsam Scripturam. Ita ut futilissimum sit, quod dicitur ab illis, qui regnum Dei in regnum hominis convertere laborant, Scripturam non ita judicare, ut, qui absolvitur & condemnatur per eam, intelligat, se absolvi vel condemnari. Judicium per ἔλεγχον & *redargutionem* agendum est. Id, quando vident recti corde, sequuntur. Nam, qui damnant, quos homines damnant, & absolvunt, quos homines absolvunt, ii non sunt recti corde; servi hominum, non Dei.

Ecclesia est obedire Principibus.

14. Quare, quotquot in Ecclesia conveniunt in nomen Christi, quod attinet potestatem politicam, privati sunt; & ex eo, quòd in nomen Christi conveniunt, sive ut fideles, sive etiam, ut doctores & rectores, non habent potestatem in Republica, regno & civitate humana.

15. Atque ideò Ecclesiæ ab Apostolis injungitur, ut, sine exceptione, potestatibus superioribus subjiciatur. Rom. 13:1. 1 Petr. 2:13.14. Et ab eis damnantur, qui κυριότητα & καταφρονῆσιν *dominationem contemnunt*, & δόξας, h.e. *eminentias*, sive homines aliis hominibus præpositos, *blasphemant*. 2 Petr. 2:10. Judæ v. 8. In qua subjectione continetur obedientia in omnibus, quæ salva conscientia licet facere aut pati: nisi si civile remedium sit, ne iniqua patiaris. quemadmodum Apostolus Paulus usus est provocatione ad Cæsarem, ne Judæis traderetur; sciens, utilius esse gentibus, ut tanquam vinctus Christi circumduceretur, &, si ita Deus vellet, Romæ moreretur, quàm ut statim à Judæis opprimeretur & occideretur. Quòd si autem magistratus id imperet, quod Deus vetuit, v. c. thurificare;

re; aut id vetet, quod Deus jussit, v. c. Euangelium prædicare & Christi nomen nominare; parendum non est. Deo enim magis obediendum est, quàm hominibus, Actor. 4: 19. 5: 29. ubi Apostoli non parent Synedrio. Parendum enim erat Deo, qui eos miserat, ut ad populum, & in ipsa urbe Hierosolyma, Euangelium in nomine Christi prædicarent. Nam lex Dei Hierosolymis exire debebat. Qui igitur tale officium habet, quod sibi mandatum est, debet facere. Alioqui ut illi, qui audire nolunt, irritentur, nihil necesse est. Matth. 7: 6.

Ecclesia debet reges habere nutricios.

16. Quanquam autem Ecclesia, ut dictum est, nec sit mundanum regnum, nec dependeat à mundano regno; tamen promittit Scriptura, *Reges fore ejus nutricios.* si ita placet vertere אומנים, quod propriè significat *gerulos*, qui infantes in ulnis gerunt. Quo actu designantur *Curatores*: & sic, *principes fœminas ubera præbituras.* Es. 49. v. 23. Ex quo patet, posse imperium & potestatem Ecclesiæ prodesse. Reges enim possunt eam fovere, & principes eam lactare. At non possunt propterea reges populorum esse reges Ecclesiæ. Solius Christi nomen hoc est. Idem sentiendum est de aliis nominibus Christi, quæ (nisi præter usum Scripturæ exinaniantur, aut per blasphemiam tribuatur regibus, quod Christi est) regibus tribui non possunt.

17. Multa autem facere Principes possunt cum bono Ecclesiæ, quod etiam tenentur facere. Nam ad hoc à Deo potestatem acceperunt. Et gloria ipsorum est Regnum Dei in populis, qui ipsis subjiciuntur, vigere. Neque alia ratione vera subjectio amoris obtinebitur à populo, quàm si is non tantùm obediat propter iram, aut propter conscientiam, sed etiam per amorem dignum sanctis, & φιλω, qualem gerimus erga parentes. Ideò Sapientia dicit Proverb. 16: 12. *In justitia stabilitur solium.* Quod maximè de illa justitia intelligendum esse, qua Deus glorificatur & justificatur, quis dubitet? Ita Prov. 20: 28. *Gratia & veritas teneant regem, & fulciat gratia* sive studio pio *thronum suum*, hoc est, Rex ne relinquat gratiam & veritatem, quæ per Jesum Christum facta est, & fulciat thronum suum pietate.

Quomodo reges debeant esse nutricii Ecclesiæ?

18. Sed multa possunt principes facere cum bono Ecclesiæ, non tradentes potestatem suam; quod de regibus scortantibus cum Bestia prænunciat Scriptura Apocal. 17: 13. sed eam retinentes & ea utentes. qualia sunt, pacem & æquabile jus præstare omnibus, ut,

qui

qui longinqui sunt à Deo & qui propinqui, se invicem non infestent. Es. 57: 19. non pati maledici Deo & Christo; ut Nebucadnezar edixit Dan. 3: 29. ne quis שלה *errorem* aut sequius aliquid diceret de Deo sociorum Danielis, sub pœna capitis: dare locum, ubi conveniant, qui volunt, in Christi nomen: dare fideles doctores, qui doceant audire volentes veritatem; dare doctoribus salaria de bonis civitatis: curare, ut, qui docent, veritatem doceant: opus Dei egregiè facientes & pios honorare: inordinatè agentes coërcere: imprimis confiteri nomen Christi & in nomine ejus congregari cum fidelibus, & in ea congregatione se submittere redargutioni ex verbo Dei; atque ita gloriam suam, hoc est, populum suum, adducere ad civitatem Dei, tum verbi prædicatione procuranda, tum exemplo. In quibus omnibus beneficiis hæc cautio est, Principem non debere per ea Ecclesiam facere suam & à Christo rege abalienare; sed ita cogitare, se ea re cultum præstare Deo debitum.

Princeps in Ecclesia versatur, ut frater.

19. Quemadmodum verò princeps, si in privati domum veniat cænaturus, personam principis deponit, & non præsumit imperare alienis servis; aut, si negocium habeat commune cum sociis, id non facit suæ potestatis, quia summam potestatem in civitate habet; ita, si veniat in societatem Ecclesiasticam, quæ (ut diximus) non est mundana civitas aut respublica, non eripit patribus familias & iis, qui tanquam patres familias in ea societate sunt, jus suffragii in constituendo ordine: neque imperat vel eleemosynas vel tributa, aut aliquid simile agit pro potestate. imprimis Ecclesiæ relinquit votum, quod habet, in electione pastorum: ut ita possit fieri, quæ debet, confœderatio inter docentes regentesque ac fratres. idque eò minùs facit, quia etiam ii, qui potestatem habent in liberos, uxores, servos, tamen non pro potestate agunt, sed ita agunt, ut, quod agunt, omnibus approbent; memores, Ecclesiam esse societatem fratrum.

Potestas quomodo possit communicari Ecclesiasticis?

20. Et, quamvis princeps habeat potestatem doctores & rectores doctrina & vita scandalosos removendi, & stipendio, quod civitas dat, privandi; bene tamen facit, si collegio rectorum (non sine assensu Ecclesiæ) det potestatem de iis judicandi: dummodò curet, ne illi ea potestate abutantur, præsertim ad dominationem exercendam in fratres, aut ambitionem suam; & Ecclesiæ non eripiatur jus reprehendendi & redarguendi scandalosos, aut cogatur cum alieno peccato communicare. Potest enim potestas politica com-

communicari: dummodò id non fiat cum præjudicio regni Christi, ita ut illud mutetur in regnum mundanum. Rex & princeps non potest alteri dare potestatem, quam ipse non habet.

21. Cæterum, quæ officia magistratus sint & maximè in colenda Ecclesia, tum Solomoh non uno loco explicat in Proverbiis, tum etiam Ezechiel ostendit in descriptione templi & civitatis sanctæ. Quæ ruminari æquum est eos, qui volunt ministerium suum Deo approbare. Nos ea hîc explicare prolixitas vetat.

22. Quando sic Ecclesia fovetur à regibus & civitatibus, tum populi & regna ei serviunt, & sunt hæreditas ipsorum. Quod *regnum* vocat Scriptura. De quo sequenti loco.

LOCUS VIGESIMUS NONUS
DE
Statu Ecclesiæ in hoc seculo.

CAPUT LXXIX.
De Lucta.

Fideles in hac vita infirmitate circumdati sunt.

Ecclesia est à regeneratione & justificatione *sancta*: sed quilibet fidelium, quamdiu in hoc seculo agit, gerit *corpus peccati & mortis*. Rom. 6: 6. 7: 24. quod *corpus peccatorum carnis* dicit Col. 2: 11. significans *membra* (Rom. 7: 5. 23.) sive oculos, aures, linguam, os, palatum, manum, pedem, & si quæ alia membra sunt, quæ hominem scandalisare possunt, & scandalisant, quamdiu in hoc seculo est. *Peccata* autem *corpori* imputat; quemadmodum & *concupiscentias* ei attribuit Rom. 6: 12. Sed tamen ea corpori non simpliciter assignat, sed propter *carnem*, hoc est, vetustatis illius, in qua nascimur, reliquias.

2. Constat inter omnes, non statim, qui crediderunt & baptizati sunt, perfectos esse & carere omni eo, quod malint in se non esse. *Fomitem* id quidam appellant. Apostolus appellat *concupiscentiam & peccatum, & carnem, & malum*. De quo malo & ejus gravitate egimus cap. 32. § 55. & reliquis.

3. Cum hoc igitur malo luctatur homo regenitus per totam vitam. Perfectio enim non est in corpore mortali. Quare enim & moreretur, si in corpore esset perfectio? *Moritur* enim *propter peccatum.* non, ut id puniatur; sed, ut deponatur. Rom. 8: 1. 10. Quare etiam in mortem baptisamur, ut deponamus aliquid carnis in morte, & mors ipsa sit quædam circumcisio. Col. 2: 11. Ideò & Apostolus Phil. 3: 12. negat, se jam apprehendisse, aut consummatum esse, sive perveniisse ad hoc, ad quod à Deo apprehensus fuerat, quodque responderet valori ac potentiæ resurrectionis Christi ex morte. Et Rom. 8: 23. docet, nos *primitias spiritus habere, & suspirare, exspectantes redemtionem corporis*, hoc est, plenum effectum redemtionis, à Christo peractæ, in corpore, sive liberationem corporis ab omni miseria & malo, proficiscentem à Christi redemtione. Si ἀπολύτρωσιν & plenam liberationem *exspectamus*, utique necdum eam possidemus. Christus nos jussit semper orare, ut Deus nobis dimittat debita nostra. Quod non feciisset, si ullum tempus esset, quo non haberemus necesse confiteri peccata nostra. Quis enim potest dicere, *purificavi cor meum, purus sum à peccato meo?* Prov. 20: 9. Quis potest dicere, *Non facio malum, quod nolo?* Et, si quis hoc posset dicere, quis potest dicere, *facio bonum, quod volo?* Rom. 7: 19. Galat. 3: 17. Et, si quis hoc posset dicere, quis potest dicere, *Volo bonum, ut oportet?* (quum Apostolus affirmet, nos *ne, quid oremus, quidem scire, quemadmodum oportet.* Rom. 8: 26.) aut odi malum, quemadmodum oportet; & cum nullo peccato alterius communico; sed sum κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν *separatus à peccatoribus?* quod de Christo solo dicitur Hebr. 7: 26.

Infirmitas non pugnat cum perfectione sinceritatis.

4. Id verò minimè pugnat cum ea τελειότητι *perfectione*, quæ dicitur *sinceritas, integritas, simplicitas.* quæ תמים in Scriptura appellatur. Cujus est bonum velle & malum odisse. nempe bonum, non tantùm, quia utile est, sed magis, quia justum est & sanctum veritate delectari. malum verò non tantùm, quia noxium est & in hac vita miserum facit, aut quia æternos dolores advehit, sed, quia pugnat cum amore finis & privat vero bono, Deo, quem glorificari in homine per ipsius impletionem est finis hominis. Cum qua integritate pugnat *cor duplex*, quo eligitur bonum verbum & bonum factum per concupiscentiam; & omittitur sermo malus & factum malum, non ex odio, sed per fraudem ad mentiendum hominibus & Deo. Cor fidelium etiam in pugna est integrum. Habet enim verè charitatem:

licèt

licèt non in totum sit liberatum à titillatione concupiscentiæ, quæ à membris provenit: dum nimis timemus penuriam aut dolorem aut probrum aut mortem; nimis libenter videmus lucem & alia, quæ oculo & carni grata sunt; non ita laboramus in bono, ut oportet; non ita oppugnamus malum, & sòcietatem peccantium ac peccandi vitamus, ut oportet: vel non ea modestia ac mansuetudine cum proximo agimus, ut oportet; neq; tam promtè & perfectè condonamus, ut oportet: neque pro salute proximi facimus ac patimur, quod oportet: in multis præoccupamur, nescientes sæpè, quid faciamus: nimio plus, quid liceat, quàm, quid expediat, cogitamus. tamen deploramus hos defectus, & veniam petimus, & suspiramus ad Deum, ut nos conservet à malo: atque ita non in carne sumus, aut secundùm carnem vivimus. Rom. 8: 1. 5. 8.

5. Ita manifestum est, non esse in nobis justitiam & potentiam, quæ sint causa vitæ nostræ. Incendimur verò ad preces. Desideramus liberari à corpore mortis. Sumus μετεμπαθεῖς circa eos, qui peccant. Demonstratur *vis* Spiritus, *quæ in imbecillitate consummatur.* 2 Cor. 12: 9. Manifesta fit potentia meriti Christi. Excitantur peccatores ad amandum Deum, qui condonat pravitatem, & delictum & peccatum, & ea non imputat sanctis; qui sine macula hanc vitam non transegerunt. *Vtilitas lucta.*

6. Excitat etiam diligentiam precandi titubatio & lapsatio, ut abundemus eò magis, & eò firmiùs stemus. Nam, quòd non sumus divites in Deo & donis Spiritus sancti abundamus, id ex eo est, quòd non petimus, non laboramus, ut oportet; non prudenter deligimus sodalitates atque amicitias; non subtrahimus corpori fomenta cupiditatum; in vanis occupationibus volutamur; terrestria quærimus. Culpæ igitur est non esse in gradu perfectiore. Ideò Apostolus monet, ut nos ipsos tentemus, hoc est, periculum nostri faciamus, annon spiritum fortitudinis & potentiæ acceperimus, conando facere aliquid boni & resistere malo. 2 Cor. 13: 5. Idem in seipso exemplum nobis præbet, ut humilitatis, ita studii; quum dicit Phil. 3: 12. 13. 14. *Non, quòd jam apprehenderim, aut jam consummatus sim. Persequor autem, si & apprehendam, ad quod & apprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me ipse non puto apprehendisse. Vnum autem, quæ retrò sunt quidem obliviscens, & ad illa, quæ antè sunt, me superextendens, scopum versus incitor ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Monet porrò, ut *Spiritum non contristemus, quo obsignati sumus*, hoc est, *Defectus est à culpa.*

ut ei non præbeamus causam auferendi à nobis lætitiam, & nos contristandi atque percellendi; ut sic per tristitiam ad lætitiam revertamur. quemadmodum David contristavit Spiritum, qui coactus est in *tristitia secundùm Deum restitutionem lætitiæ* petere. Eph. 4: 30. 2 Cor. 7: 10. 11. Ps. 51: 10. 13. 18. Potius est, ut imbuamur eo זֵעַר & desiderio, quod congruit desiderio Spiritus sancti. Nam, ut est Jac. 4: 5. *putatis ne, quòd in vanum Scriptura dicat, Adversus invidiam desiderat Spiritus, qui in nobis domicilium cepit?* Tribuit Scriptura Deo & Spiritui ipsius קִנְאָה. Id notat & *invidiam*, quando de homine dicitur malo bonum alterius videnti. Innuit autem Scriptura, non minorem ardorem esse Spiritus, quàm est invidiæ in hominibus malis. Apostolus Rom. 6: 19. docet, ut tam studiosè & enixè, libenter ac promtè membra nostra sistamus serva justitiæ, atque olim peccato & injustitiæ ea stitimus.

Doctrina hujus utilitas, ad humilitatem & studium.

7. Hæc, quæ diximus, & ad humilitatem & ad studium faciunt. Ad humilitatem, ne nobis placeamus, si quid videamur boni cogitavisse, aut dixisse, aut fecisse. Ad studium; tum, quia spiritus mensura uberior non sine precibus & contentione virium datur; tum, quia tentatio multiplex parata est nobis in hac vita & in via nostra, ad quam armatura Dei (descripta Eph. 6: 13.—19.) opus est; tum, quia interest semper in se videre arrhabonem Spiritus integrum & non obscuratum aut debilitatum.

Caput LXXX.

De Persecutione & afflictionibus.

Afflictiones propria piorum

Narrat Lucas Actor. 14: 22. Paulum inculcasse fidelibus, *Oportere, ut per multas afflictiones intremus in regnum cœlorum.* Ita & Christus prædixit discipulis Joh. 16: 33. *In mundo afflictionem habebitis. Sed este bono animo: ego vici mundum.* Paulus Rom. 8: 36. ex Psalmo 44: 22. ostendit, Christianos *occisum iri propter Dominum, & pro ovibus mactationis habitum iri.* cum quo concinit Psalm. 22: 30. Idem Apostolus 2 Tim. 3: 12. docet, *Omnes, qui voluerint piè vivere in Christo Iesu, persecutionem passuros.* Atque hæc, & multa alia, prædicta sunt de sorte fidelium & eorum conditione, quam in hoc seculo habituri sint. Ita tamen, ut & *tempora refrigerii* & *regnum* Ecclesiæ simul promittantur. Hæ autem afflictiones sunt propriæ piorum, præter eas, quas homines effugere non possunt. Quales jam

& communes.

ab

ab initio Adamo & Evæ prænunciatæ sunt à Deo Gen. 3: 16. 17. 18. 19.

2. Quemadmodum enim filii Dei non statim liberantur ab omni ignorantia & errore & inclinatione ad peccatum & consuetudine mala & concupiscentia corporis & infirmitate carnis; ita quoque non statim liberantur ab omni molestia, labore, fatigatione, ærumna, miseria, dolore, vanitate, afflictione. Quæ sunt ut frenum & lupatum aliquod carni. Et ita sunt hominibus carnalibus; qui sunt ut equi & muli. Psalm. 32: 9. παιδείαν *castigationem* appellat Scriptura, ratione filiorum Dei; & sub מוסר *disciplina* comprehendit. Earum afflictionum omnium usus est debilitatio corporis sive *carnis*, hoc est, vitiositatis & vetusti hominis enervatio. Ita Apostolus docet 2 Cor. 4: 16. *etiamsi exterior noster homo corrumpitur, attamen interior renovatur indies.* Ex quo apparet, in iisdem afflictionibus magnam differentiam esse piorum & impiorum: ut verè dici possit, quod rursus est Psalm. 32: 10. *Multi sunt dolores improbi, &, qui confidit Iehova, eum gratia circumdat.* Nam pii, dum experiuntur corroborationem interioris hominis, hoc est, bonæ voluntatis, lætitiam & pacificum fructum justitiæ accipiunt; & à concupiscentiis suis arcentur. At impii &, dum peccant atque fruuntur concupiscentiis suis, magnas habent molestias, inquietudines, concertationes, adversitates, & malam conscientiam, &, dum privantur suis cupiditatibus, torquentur & cruciantur eò magis, quò conscientiam tum magis audiunt conviciantem.

Communes παιδεία.

Differentia piorum & impiorum in afflictionibus.

3. Quomodo autem filii Dei ex *afflictionibus* percipiant *pacificum fructum justitiæ*, explicat Apostolus Rom. 5: 3. 4. 5. *Non tantùm verò, sed & gloriamur in afflictionibus, scientes, quòd afflictio patientiam operetur, patientia verò experimentum, experientia verò spem, spes autem non confundat.* Spes est dulcissimum vitæ condimentum. Ea nascitur in afflictionibus. Nam in afflictionibus datur patientia. Cujus usus non est in rebus prosperis. In patientia autem experientia fidei & charitatis. numquid sc. possimus Deum solum amare & mundo huic valedicere, & proximo injuriam facienti condonare. Quæ experientia exhibet τὸ ἐμφαίνειν Spiritus in suo nitore & claritudine. Qui facit spem, eamque non languidam, quæ absolvatur per *forsan*, sed quæ non frustretur, non pudefaciat, sed *exspectationem* pariat. quippe *quum charitas Dei sit effusa in cordibus nostris per Spiritum Dei*, hoc est, dum sentimus, nos à Spiritu Dei sanctificari & recreari, sentiamus, nos à Deo diligi.

Fructus pacificus justitiæ ex afflictionibus.

Gloriatio in afflictionibus.

4. Ideò dicit nos gloriari in afflictionibus. Quod non ita licebat in Veteri Testamento. Nam habebant pignus terrestre & promissiones terrestres ei annexas, quas cogebantur adamare. Ideoque illis crux pudenda erat. Et omnia mala tum erant quædam accusatio impuritatis & præterea exprobratio non satis diligenter curati fœderis divini & legis ipsius.

5. Præcipuè *διωγμοῖς persecutionibus* exagitari & tradi in manum hostium Dei prisco tempore erat admodum inglorium. Nam Deus volebat haberi Deus illius populi & rex & vindex illorum. Ideoque, nisi aliquo delicto & prævaricatione se polluissent, nulla noxa ipsis à quoquam poterat inferri.

6. At in ipso populo rebelli multa erant perferenda fidelibus & prophetis. Sed id probro cedebat ipsis & dedecori, propter dedecus populi. Quum verò cum populo traditi in manus & ditionem hostium pro pietate adibant pericula, ut Daniel & socii ejus, &, qui tempore Antiochi non voluerunt sibi præputia facere & sacra facere idolis; habuerunt quidem gloriationem in martyrio suo, quòd propter Deum occiderentur: at iidem rursus confusione faciei impleti sunt, quòd propter fœdifragos in eas angustias redigebantur. Vide Dan. 9: 7. 8.

7. At Apostolus docet, sub Novo Testamento afflictiones omnes carere pudore & probro; exceptis iis, in quas homo se sponte & ultrò vitio suo conjicit. Nam in Novo Testamento non est hæreditas, quæ pignori data sit; qua privari videatur esse divina indignatio; nulla accusatio peccati aut condemnatio. Solus igitur manet usus *παιδείας*, aut *δοκιμασίας*, (quem ostendit Psalmus 26: 2. ubi se fidelis anima offert explorationi) aut *μαρτυρίας* sive glorificationis Dei. Nam ita dicitur Joh. 21: 19. *Quali morte Deum glorificaturus esset.*

Martyrium.

8. Passionibus enim glorificatur Deus, quando, qui propter pietatem & veritatis amorem persecutionibus exagitantur, agunt Deo gratias, & hostibus ignoscunt & libenter tolerant mala, ut alios lucrentur. Nam &, qui propter veritatem patitur, fidem facit, se eam adamavisse, & de ea non dubitare, neque quærere bonum terrestre vel aucupari hominum gratiam; & tanti facere vera bona, ut nulla damna hujus vitæ curet; & verè diligere proximum, qui non defugiat pro illis acerba pati aut etiam mori. Non, quòd omnis, qui fortunas jactat vel corpus tradit cremandum, habeat

beat & charitatem; sed, quòd, si veritatis odium sit causa persecutionis, & quis propter eam mala constanter ferat, & ea ferens non possit argui officii violati, rectè credamus, eam esse veram patientiam & à spiritu roboris ac charitatis proficisci; quia Scriptura prophetavit, fideles pro nomine Christi animas suas libenter posituros.

Apostolorum passiones.

9. Apostoli imprimis multa passi sunt pro nomine Christi: adeò ut Paulus 1 Cor. 4: 9. dicat, *Opinor enim, quòd Deus nos Apostolos extremos demonstrarit velut morti addictos, quia theatrum facti sumus mundo & angelis & hominibus.* Ubi obiter observanda ironia. Vult enim subinnuere, Apostolos non esse postremos, qui primi post Christum à Deo tanquam morte digni & ad mortem damnati essent theatrum facti. Plures etiam alios eadem via incessuros. At Corinthii videbantur putare, se jam regnare. Est in iis passionibus manifestatio regni Dei & abundantiæ Spiritus gratiæ; sed apud eos, qui tum animadverterunt & nunc animadvertunt, quid Spiritus sanctus operetur in homine. Et ad fidem faciendam Euangelio permultum fecerunt eæ passiones. Nam non tantùm libenter tulerunt crucem Christi, sed etiam sciverunt antè, se vinciendos, se tollendos in crucem aut alio genere mortis interficiendos ac tollendos de medio. Ideò non possunt videri doctas fabulas composuisse & hominibus imposuisse lucri sui causa; sed propter πλησφορίαν, quam habebant, &, quia aliter non poterant, testati esse judicandi sunt, & prædicasse, quæ prædicarunt & testati sunt.

Afflictiones ab efficacia mortis Christi.

10. Apostolus, quum loquitur de suis afflictionibus, & pace Corinthiorum, dicit, in se operari mortem Christi, in ipsis vitam Christi. 2 Cor. 4: 12. significans, à Christi morte & passionibus consequi & coercitionem & humiliationem & mortificationem carnis & corporis nostri; & ipsi nos necesse esse assimilari: & rursus à vita Christi & justificatione ipsius & jure procedere consolationem, recreationem & refrigerium ac tranquillationem.

Reliquiæ passionum Christi.

11. Idem passiones suas vocat *reliquias passionum Christi*, quas dicit se *libentissimè adimplere in carne sua pro Ecclesia.* Col. 1: 24. significans, 1. quæ patiuntur fideles, esse passiones Christi. Nam Christus in membris suis militat, in iis opprobrio afficitur & patitur. Non tantùm in corpore suo oportuit Christum pati ad expiandum peccatum & adducendam justitiam, sed etiam in membris suis. Quare optimo jure Apostolus passiones suas vocat reliquias passionum Christi. 2. eas passiones cedere ad utilitatem Ecclesiæ. quanquam hoc

pro

pro re nata alio atque alio modo fiat. Aliter Apostoli passiones profuerunt Ecclesiæ, aliter singulorum fidelium: aliter afflictiones communes constanter & in fide ac charitate toleratæ prosunt; aliter persecutiones. 3. fidelium esse, libenter *vicissim adimplere* passionum Christi *reliquias*, hoc est, ad glorificandum Christum & ei gratias agendum & quasi vicem referendam paratos esse, ut, quemadmodum Christus passus est pro ipsis, ita ipsi quoque pro regno Christi & corpore, Ecclesia, velint pati. Vide Joh. 13:34.

Pati gloria. 12. Quomodo pati sine dubio est gloria quædam. Nam quid glorioſius fieri potest, quàm pro Christo & ipsius corpore pati? At id in oculis mundi probrum est. Ita ut & passiones fidelium sint mundo scandalum; in quibus vel maximè ostenditur vis fidei & Spiritus sancti, & vera charitas, tanquam aurum in igne, probatur. 1 Petr. 1: 7. Quare non videmur abs re judicare, Esaiam cap. 61:7. Christianos hoc elogio designare, quòd *opprobrium cantent partem suam*, hoc est, in cruce Christi glorientur. Quod qui faciunt, eos sine dubio non pudet communionis crucis Christi, ut non velint cum ipso pati: adeò ut rectè dicere possimus cum Apostolo, *Si compatimur, ut etiam conglorificemur.* Rom. 8: 17. 2 Tim. 2: 12. Nam fieri non potest, ut Christi Ecclesia non experiatur odia mundi, & persecutiones. Si earum nos pudet, Christo digni non sumus.

Afflictiones libamen. 13. Apostolus suas passiones & mortem suam comparat cum σπονδῇ *libamine*, quod affundebatur sacrificio. 2 Tim. 4:6. Et revera jacturæ, damna, dolores, perpessioneſque Ecclesiæ ad Christi sacrificium accedunt, tanquam libamina. Non ad expiandum peccatum, sed ad honorandum Deum, &, haud scio, an non ut vinum Dei, quo Deus delectatur, & ad alacritatem effertur; ut vociferetur tanquam heros à vino, Psalm. 78: 65. impletus charitate & zelo, quo consumti fuerint sancti pro domo Dei cum Christo. Nam & lacrimæ piorum in utrem Dei colliguntur & in rationes ejus referuntur. Psalm. 56. vers. 9.

Tentatio moderata. 14. Utcunque magnæ sint *tentationes* (nam ita vocantur afflictiones, quatenus per eas manifestatur fidelium sinceritas, & palearum levitas) tamen Deus eas ita moderatur, ut fideles eas possint sufferre, 1 Cor. 10:13. Psalm. 34:20. ut per eas non absorbeantur. Nam nihil potest eos separare ab amore Dei in Christo. Rom. 8: 35.

Tentatio per felicitatem periculosior. 15. Ubi advertendum, non solas afflictiones & miserias meritò vocari *tentationes*, sed etiam res secundas & omnium rerum affluentiam.

tiam. Quæ quidem tentatio periculosior est. De qua Elihu Job. 36:16.17. Enimverò de afflictionis utilitate legendum est id caput à v. 8. Et totus liber huc spectat: quanquam inter justos & improbos sit maxima differentia, quoad spem; tamen quoad statum miseriores esse pios in hoc seculo. Quod & Apostolus probat 1 Corinth. 15: 19.

CAPUT LXXXI.

De Corruptione introducta in doctrina & regimine.

Singuli fideles & doctores possunt errare.

Quum fideles infirmitate circumdati sint, non est mirum, eos etiam ignorare multa & non animadvertere & dormitare & errare ac labi posse. Neque est ulli dubium, quin singuli possint errare & impingere; etiam magni doctores. Apostolus ad Corinthios scribens 1 epist. cap. 3. v. 1. monet eos, *se non potuisse ipsis scribere, ut spiritualibus, sed ut carnalibus, ut pueris in Christo.* Innuit, qui Euangelium recipiunt, & veritatis amorem accipiunt, atque ita in Christo sunt, posse tamen in multis esse instar puerorum, & multa ignorare, de multis habere opiniones vanas, & in multis offendere. ut est Jac. 3: 2. Idem cap. 2:6. *Sapientiam loquimur in perfectis* sive adultis. q.d. Adulti & provecti vident sapientiam, quæ in nostris sermonibus est. Porrò autem innuit, scripta sua necessariò fuisse sibi accommodanda rudiorum captui: atque adeò non tantùm fuisse scribenda ea, quæ attentis & sapientibus satis essent, sed & de illis, quæ pueris essent necessaria: quæ propter sapientes & prudentes non fuerat necesse scribi.

2. Quum igitur constet, singulos potuisse errare, & Apostolus testetur, se non potuisse Corinthiis scribere, ut spiritualibus; considerandum est, an post excessum Apostolorum non potuerit fieri, ut plerique essent tantùm pueri in Christo, & non animadverterent, quæ advertenda erant, atque ita errores tum doctrinæ tum regiminis inveherentur, iique fierent quasi communes. Nam de eo dubitant quidam, qui volunt, principium credendi primum, quoad nos, esse Ecclesiam. qui negant, potuisse fieri, ut errores fierent communes aut quasi communes, hoc est, plerorumque. Nam alioqui Ecclesiam totam interituram fuisse. Quod fieri non potest. Contendunt autem, quod plerique dixerint & fecerint, id verum ac rectum esse. Quod si igitur ostendamus, potuisse plurimos aberra-

re, planum fiet; eam opinionem esse ἀνοσιαν. Præterquam quòd fidei non est, eligere dicendum & faciendum, quod plurimi homines, qui Christiani nominantur, dicunt & faciunt. Fides enim in solo Dei testimonio requiescit: & testimonium Dei in Novo Testamento per ipsius Dei voces, & per sapientiam, quæ in eo est, recognosci debet.

Ecclesia tota tamen non potest deficere.

3. Et nos quidem facile damus, totam Ecclesiam deficere non posse. Nam id pugnaret cum Christi jure & regno & cum promissione ipsius. qualis est ea, quæ extat Matth. 16: 18. *Super hac petra ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt ei.* Vinci igitur à Regno Satanæ non potest. Et Matth. 24: 24. *ut seducant, si possibile, etiam electos.* Vide etiam Apoc. 13: 10. 20: 4.

4. Ex quo illud consequitur, non potuisse fieri, ut q. totam Ecclesiam invaderent tales hæreses, quæ cum verbis fundamenti & veritate fundamenti sic pugnarent, ut veritas fundamenti non posset ab ignorantibus simul teneri cum hæresi. qualis hæresis est, Christum non esse Deum & hominem, aut, Eum non esse justitiam nostram. Nam, ut Ecclesia sit, hoc est, ut sit numerus aliquis credentium, necesse est esse, qui credant, Euangelium esse à Deo, in Mose, Prophetis, & Euangelio contineri viam ad vitam æternam, Christum esse Filium Dei unigenitum & verum Deum, & eum esse justitiam nostram & causam vitæ æternæ: quique parati sint & quærant ex sermone Dei & testimonio Jesu proficere ad omnem sapientiam & prudentiam.

5. Hæc autem fides non statim excludit omnes ignorantias & errores: licèt excludat positionem alius fundamenti & admissionem alius legis, & voluntatem obediendi hominibus. quæ, ut dixi, non est fides.

Sed potest in Ecclesia esse multiplex error.

6. Ergo clarum est, si non esset in fidelibus debita attentio ad omnia, potuisse fieri, ut, salva fide & charitate, multiplex in Ecclesiam intraret abusus & magna seges verborum futilium & inanium.

Scandala prædicta.

7. Jam videndum est, quid hujus exspectandum aut potiùs cavendum fuerit, quod factum est. Christus dicit Matth. 18: 7. *Væ mundo à scandalis.* &, *Evenire non potest, ut non veniant scandala.* Luc. 17: 1. & Matth. 24: 11. *& tunc scandalisabuntur multi.* Et Paulus 1 Cor. 11: 19. *Oportet & hæreses in vobis esse; ut probi atque recti manifesti fiant.* Et specialiùs Petrus 2 epist. cap. 2: 1. *quemadmodum olim fuerunt pseudoprophetæ*

phetæ in populo; ita in Christianis futuri sunt falsi doctores, qui subintroducent hæreses exitiabiles, & sibi accersent celerem interitum, negantes herum, qui ipsos mercatus est. Quod illorum est sine dubio, qui dicunt, Christus non est Deus. Quod si verum est, ne dominus quidem est; sed servus est. licèt is non tantùm Ecclesiam emerit peculium suum; sed etiam ipsos multis modis obligaverit, ut sibi serviant, tanquam potestatem habenti & imperium. Ubi vocabulum δεσπότης notandum est, quo significatur jus imperandi, veluti creaturis suis. Quod jus est solius Dei. Ideò & Judas v. 4. clariùs dicit, quòd *unicum δεσπότην herum Deum & κύριον ἡμῶν Dominum nostrum Iesum Christum negent.* Qui Christum negat δεσπότην *herum*, is eundem negat *dominum*, hæredem omnium. *Qui Filium negat, Patrem non habet.* 1 Joh. 2: 23. Quem autem non habet, eum procul dubio negat. Ea est Judæorum cum Christo contentio, quam Prophetæ non uno loco repræsentant; cujus etiam judices facit insulas Esaias cap. 41. Hanc litem cum Ecclesia Christiana egerunt post Judæos omnes, qui de persona Christi perversas doctrinas docuerunt, Pauliani, Arriani, & horum susceptores, qui, retenta eadem negatione unitatis Patris & Filii, hæresin variarunt, inter se compugnantes. Qui tamen Christiani dici & haberi voluerunt. Quibus deinceps Musulmani succenturiati sunt. Quibus annumerandi & Sabelliani; qui confundendo Patrem & Filium effecerunt, ut Filius non possit esse Mediator & Sponsor Testamenti, atque ita Salvator Ecclesiæ. Nam, qui mitti & servus fieri non potuit, is quoque Salvator Ecclesiæ & Mediator apud Deum esse non potuit. Atqui Pater non potuit mitti & servus ac mediator fieri. Horum igitur doctrina ad mysterium Dei & Patris & Christi evacuandum comparata fuit: in quo continentur omnes thesauri sapientiæ & prudentiæ reconditi. Col. cap. 2. vers. 3.

8. Et hos quidem debuit Ecclesia fugere & à se separare. quippe qui fundamentum non retinerent, & cùm salutem per Christum partam tollerent, tum idololatriam in Ecclesiam introducerent. Aliorum quoque facilè deprehensa est prævaricatio, qui corruptionem hominis & necessitatem salvationis negabant, & gratiam sanctificantem tollebant: asserta potentia hominis ad faciendum, quæ mandata sint. Pelagianorum videlicet, & eorum, qui eorum doctrinam incrustarunt & interpolarunt. *Quæ debuerunt fideles fugere.*

9. Aperta etiam fuit exorbitatio Donatistarum se abscinden-

tium à toto corpore & fraternitate universa propter communicationem cum Cæciliano: sive fictum fuerit crimen, cujus Cæcilianus insimulatus fuit; sive verum fuerit peccatum, de quo is non debito modo Ecclesiæ satisfecerit, aut de quo Ecclesiæ non constiterit.

10. Novatianorum quoque immodestia fuit reprehendenda, negantium, recipiendos esse, qui post baptismum peccaverint & pœnitentiam egerint.

Zizania. 11. Sed præter has & alias similes corruptelas etiam alia quædam pervasit Ecclesiam; quam Salvator depinxit proventu zizaniorum in agro. Matth. 13:25.26.38. Docet, Patrem familias in agro suo seminasse bonum semen: dormientibus autem hominibus, inimicum superseminasse zizania: ea animadversa esse, quum adolesceret seges & fructificaret. Prohibitos autem esse servos ea colligere, ne forte & frumentum exstirparent. Interpretatur autem *bonum semen filios regni*; & *zizania filios mali*. Sententia autem hæc est: Christus Apostolos & fideles in toto mundo (qui agri infrugiferi & nullam herbam ferentis instar habebat: quemadmodum patresfamilias serere solent in arvo, ex quo diligenter omnia germina exstirpaverint) seminavit semen suum & bonum. qui sunt ex regeneratione, quæ est ab aqua & spiritu: & Christum cognoscunt & verbum ipsius, & regnum Dei norunt, & Deo serviunt, & ab eo facti sunt reges & sacerdotes. Quòd dicuntur *dormiisse homines*, id significat, curam, attentionem & laborem refrixisse in hominibus, ut nec verbum Dei ita doceretur & exponeretur accuratè, quemadmodum oportebat, & verba & facta hominum non ita examinarentur. *Inimicus* est Diabolus. Is per incuriam hominum superseminavit & inter germina Christi enasci fecit eos, qui similitudinem haberent filiorum regni & essent filii Mali, hoc est, gentes introduxit in Ecclesiam & civitatem Dei. Nam antea gentes erant ut arenæ, nunc transformavit eos Satanas in frumenta, quoad speciem externam. Planum est, zizania habere aliquid commune cum frumentis. Post illa deprehenditur, zizania esse in medio frumenti: quum nempe germina fructum ferrent. Quum quidam essent steriles atque ἄκαρπα, vel etiam malum fructum ferrent, cognitum est, esse zizania sive filios mali in agro. At vetuit Dominus colligi zizania ante tempus messis; ne simul frumenta eradicarentur. Notatur, potuisse fieri, ut frumenta putarentur zizania. Inde patet, significari, quòd frumenta habeant aliquid, propter quod zizania existimari possint: nempe,

quòd

quòd vel parum fructus ferant, vel aliquid mali fructus in ipsis conspiciatur. Et in herbis quidem alia ratio est, quare possint bonæ cum malis evelli, nempe vicinitas; ut in hominibus, qui frumenta dicuntur, & filii regni sunt, alia ratio est, quare possint evelli cum zizaniis, nempe similitudo quædam cum filiis Mali. Unde clarum est, dari quandam similitudinem cum filiis Mali, quæ non impedit, quo minus sint filii regni, qui eam similitudinem cum filiis Mali habent. Ea autem similitudo alia esse non potest, quàm quòd vel non proferunt eosdem fructus cum πλείοις *adultis*, dum non pari zelo & pari cum scientia contradicunt eis, qui errant & falsa loquuntur, & mala faciunt, vel etiam partim ea loquuntur, & eadem faciunt. Significat præterea eadem parabola, futurum fuisse, ut servi Dei, qui animadverterent, semen malum esse superseminatum in Ecclesia, cogerentur filios Mali cum filiis regni congregatos tolerare; donec Deus ipse per Angelos suos eos à congregatione sanctorum separaret. Quando autem servi Dei coguntur eos ferre, qui filii Mali sunt, propterea, quia sperari potest, eos esse filios regni; planum est, consequi, ut, quod errantes dicunt & faciunt, videatur esse commune; quod autem servi Dei sentiunt, vel non audiatur in publico, vel videatur esse singularis paucorum sententia. Qua ratione fieri potest, ut, quod rectum est, videatur esse paucorum; quod pravum est, omnium. Quid verò, si & ipsi docentes vel doceant ac faciant illa, quæ non oportet, vel non contradicant iis satis fortiter, qui aberrant ab eis, quæ cum veritate & communi fide conveniunt? Nam quis dixit, inter doctores non fuisse futuros, qui temeraria loquerentur? Aut ubi testatur Scriptura, non fuisse futurum, ut maxima multitudo Christianorum aliquando essent pueri in Christo? Quin extant prophetiæ, in quibus exhibentur querelæ piorum de corruptione & commaculatione Ecclesiæ. ut Psalm. 12:2. 3. *Salva, Domine; quia defecit pius, ad pugilli parvitatem redacti sunt fideles ex filiis hominum. Temerarium loquuntur quisque cum proximo suo; labium blandum loquuntur corde duplici.* Et Es. 64: 6. *Et extitimus tanquam impurus omnes, & ut vestis menstruata omnes justitiæ nostræ, & emarcuimus, ut folium, omnes nos, & pravitates nostræ, ut ventus, auferunt nos.* Superbi admodum hominis & insensati foret, asseverare, hæc non potuisse evenire sub Novo Testamento: quamquam &, qui prophetiam intr ospexerit, facilè intelliget, hæc esse verba exprimentia piorum cogitationem & querelam, quam habituri erant parte temporis,

quod secutum est Christi apparitionem in carne & Judæorum abjectionem.

12. Quum inventus esset liber legis in templo à sacerdote, isque legeretur coram rege Josia, rex vestes suas laceravit, & toto animo atque corpore cohorruit, quum videret ea peccata in Israëlem irrepsisse, quæ Moses prædixerat, & consideraret, quas plagas Deus esset comminatus. Nunc homines sunt corde ita adamantino, ut, licèt videant corruptelas, easque descriptas videant in Scripturis, licèt videant Ecclesiam à pastoribus ipsius propemodum proditam esse, & omni genere scelerum contaminatam, tamen contendant, multitudinem tantam Christianorum (qui Catholici dicti sunt, quia se ab hæreticis apertis segregarunt) non potuisse errare; ideoque, quod illa multitudo credit post patres suos & docet aut doceri vult, esse veritatem. Itaque, quæ evidenter mala sunt, &, quæ à Spiritu sancto atro carbone notata sunt, defendunt & tuentur. nec tantùm tuentur, sed, quum omittere possent salva fide & conscientia, & propter ea videant contristari multas myriadas eorum, qui cupiunt secundùm certum verbum Dei vivere; & Judæos Turcasque offendi; tamen non tantùm ea faciunt & loquuntur, sed & improbari nolunt, &, qui propterea contristantur, &, quia timent peccatum, nec faciunt, ipsosque rogant, ut ea non faciant ac loquantur, eos pertinacissimè & sævissimè persequuntur.

Specimina corruptelarum: in doctrina,

13. Neque deterius est, quædam specimina proferre. Apostolus vult caveri illam perversam ταπεινοφροσύνῃ atque *humilitatem*, qua θρησκεία exhibeatur *angelis*. Col. 2: 18. Et tamen sunt, qui δουλείαν volunt exhiberi Angelis & beatis spiritibus, qui in ipsorum consortio sunt; eosque invocant, & ad eos suspirant, & eos intercessores ac hos mediatores per merita sua apud Deum esse volunt. Idem ibidem monet, non esse ferenda humana δόγματα, si quis dicat, Ne habeas, ne tangas, ne gustes: & tamen sunt, qui legem paupertatis imponunt, & cœlibatûs, & abstinentiæ à certis cibis, saltem per aliquos dies. Idem Apostolus post Danielem monuit, venturos, qui nuptias prohibeant, à cibis arceant. At sunt, qui id faciunt, & reprehendi nolunt. Apostolus docuit, post peccati remissionem nullam esse oblationem pro peccato. Illi tamen offerunt. Christus dixit, Non credendum esse dicentibus, *Hîc est*. Illi tamen dicunt. Lex, Prophetæ, Euangelium vituperat eos, qui se incurvant coram imaginibus. Illi tamen faciunt. Imò & Dei imaginem faciunt.

ciunt. Christus dedit Ecclesiæ sacramentum panis & vini. Illi calicem auferunt. Scriptura vult Episcopum unius mulieris virum, & scortatores ne pro fratribus quidem haberi vult. Illi non tantùm cœlibem esse volunt, sed & scortatorem non ineptum putant ad sua sacrificia. Et hæc istiusmodi sunt, ut nulla sit necessitas, quare ea sic fieri debeant. at illi volunt sibi licere: & nemini volunt licere ea reprehendere. Quod verò attinet regimen, Christus disertis verbis prohibuit ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν *principatum & potestatem* exercendam in Ecclesia, idque Apostoli porrò adstruxerunt: & tamen videmus, regnum & principatum in Ecclesiam introductum esse, & eos ordines esse constitutos, quorum nomen non extat in sacris literis. Nam Papa aut Monarcha Ecclesiæ, Patriarcha, Archiepiscopus, Cardinalis, Episcopus major presbyteris in catalogo ministrorum Euangelii & Ecclesiæ non reperiuntur. Rursus Scriptura præcipit diligenter, ut ab Ecclesia judicium exerceatur. & tamen videmus id ab Ecclesia esse ablatum per eos, qui volunt dominari; atque adeò neminem lugere propter peccata alterius. sed ejus judicii loco susurrationem & obtrectationem & τὸ πλήττειν κονδύλῳ *pugno ferire* intrasse. *in regimine.*

15. Omnia hæc inde, quòd homines *sanos & à Spiritu sancto doctos sermones*, hoc est, eas ipsas voces, quibus Deus voluit Ecclesiam erudire, & *doctrinam, quæ est secundùm pietatem*, tradere, minùs curarunt: atque inde coacti sunt quorundam hominum, tanquam prophetantium, auctoritatem efferre, certo loco aut ordini privilegium dare, ut verba ipsorum exciperentur, tanquam si in Spiritu sancto loquerentur. Qui, quum vellent sapienter agere, stulti facti sunt. Ex quo consequitur, ut stultitia illorum sit omnibus modis defendenda. Sed in sequentibus amplius de hac Ecclesiæ corruptela est agendum. *Origo corruptelarum.*

CAP. LXXXII.

De Commixtione Bestiæ cum Ecclesia.

Apocalypsis meminit *Bestiæ* cap. 11: 7. 13: 1. &c. 15: 2. 16: 10. 17: 3. 7. 8. 11. 16. 17. 19: 19. 20. 20: 4. 10. Interest scire, quid illa sit; quia cum magno periculo conjunctum est, id ignorare. Ex sua descriptione noscetur. *Ascendit ex abyssо, habet septem capita & decem cornua, & in iis decem diademata: in capitibus nomen blasphemiæ.* *Bestia.*

Est

Est similis pardo & pedes ursi habet & os leonis. Draco dedit ei potentiam & thronum suum & potestatem magnam. Loquitur blasphemias. Bellum facit sanctis & eos vincit. Adorant eam omnes habitantes in terra, quorum nomina non sunt scripta in libro agni. Ei conjungitur alia Bestia, quæ persuadet habitantibus in terra facere imaginem bestiæ, quæ faciat omnes accipere signaturam bestiæ. Ejus civitas vocatur *Babylon. Bestia gestat meretricem.* Quæ dicitur esse *civitas illa magna habens regnum in reges terræ.* cap. 17: 18. *Bestia duos testes interficit, quorum cadavera jacent in foro civitatis magnæ, quæ dicitur spiritualiter Ægyptus, & Sodoma, & in qua Dominus noster crucifixus est.* De hac Bestia loquitur Apocalypsis, postquam dixisset, *gentibus datum esse atrium exterius; quæ civitatem sanctam sint calcaturæ menses quadraginta duos.* cap. 11: 2. Nos de his pleniùs scripsimus in libro de Ecclesia & Babylone. Nunc igitur breviùs rem explicabimus.

2. Imprimis ponimus, liquere satis, gentes fuisse ingressuras in cœtum fidelium. Cœtus enim fidelium est *sancta civitas.* atque hoc etiam significatur per hoc, quod ipsis *datum sit atrium exterius.* h. e. quòd eis datum sit habere cum fidelibus communia externa; ut nominationem nominis Christi, professionem fidei Christianæ, sacramenta, congregationem cum fidelibus. Id congruit cum prophetiis, quæ dicunt, *gentes Deo & Christo mentituras*, propriè *abnegaturas*, q. d. Deo dicturas, & Ecclesiæ, non odimus vos; jam reconciliati sumus vobis. Id vocatur *blanda loqui.* Psalm. 12. Id & Esaias significavit cap. 11. v. 6. 7. ubi prophetat, lupos, ursos, leones cum agnis, vaccis gravidis stabulaturos, & communi pabulo usuros, & pueris regendos se præbituros. Id significatur etiam cap. 2: 4. *populos cusuros gladios suos in falces.* Et Psalm. 72: 3. *Ferent montes pacem populo.* De qua *pace* loquitur Michæas cap. 5. v. 4. *& erit tanta pax: Assur, quum venerit in terram nostram, & quum calcabit palatia nostra, excitabimus in eum septem pastores & octo unctos hominum.* Nam, & gladios servituros præconi Euangelii misso ab oriente, prænunciat Esaias c. 41. v. 2. & Israëlem occupaturum terram gentium, cap. 14: 2. Vide & cap. 61: 6. Quum autem certum sit, multos esse, qui θεοφάσι prædicant Christum, & non excipere semen, ut terram bonam, ut fructificent; clarum est, quando gentes accedunt, & cohabitant fidelibus, & blanda loquuntur, & odium abnegant, tum rectè dici gentes intrare in civitatem sanctam, & in atrium exterius: in quo sunt etiam fideles, sed pergentes ad altare & studentes coædificari

aliis

allis fidelibus in templum ſanctum in Domino, neque tantùm exteriora illa habentes, ſed videntes ea, quæ in ipſo ſancto ſanctorum, hoc eſt, in cœlo, ſunt. Hæc igitur commodè tanquam idem ſignificantia accipi poſſunt. Manifeſtum autem eſt, *gentes*, quæ calcant *civitatem ſanctam*, eſſe eos in gentibus accedentibus ad civitatem Dei, qui non ſanctificantur.

3. Secundùm hæc ponimus, *Beſtiam* eſſe partem illarum gentium, quæ in ſanctam civitatem & atrium exterius intraverint. Saltem, hoc veriſimile eſſe. Saltem, poſſe eſſe. Habere autem Beſtiam illam thronum, & poteſtatem, & regnum in civitate aliqua magna, atque adeò eſſe populum, evidens eſt. Neque dubitari poteſt, eum eſſe populum Romanum. quia ſuccedit *Draconi*; qui eſt Diabolus indutus populo primo perſecutore, ſub quo Chriſtus natus eſt, à cujus conſpectu fugit Eccleſia, qui coactus eſt cedere Eccleſiæ. deinde, quia Civitas illa magna eſt ea politia, & id territorium, in quo Chriſtus paſſus eſt. Atqui Chriſtus in Romano territorio paſſus eſt. Nam *civitas, in qua* Chriſtus *crucifixus eſt*, non eſt Hieroſolyma, neque ullum adeò oppidum. Nam extra mœnia crucifixus eſt. Rurſus verò ponimus, hanc civitatem poſſe intelligi dicionem Romanam. Quod ſi concedatur eſſe verum, ſequetur per ſe, Beſtiam eſſe populum, qui eſt in imperio Romano.

4. Quòd verò Beſtia hæc ſeptem capita habere dicitur, & ea capita eſſe ſeptem montes, id ferè cogit, Civitatem intelligere latiſſimè patens imperium. ut &, quòd decem cornua & decem reges, ac proinde decem regna, aliquando ad eam pertinent.

5. Cum hac Beſtia ſive hoc imperio conjungitur Beſtia altera habens duo cornua, ut agnus. Quod eſt evidens ſignum, hanc alteram Beſtiam eſſe alterum regnum, eorum videlicet hominum, qui præ ſe ferunt, ſe habere poteſtatem eam, quam Chriſtus habuit, ad ſolvendum & ligandum: qui putant ſibi dictum, Quemadmodum Pater me miſit, ita ego mitto vos; & ſub ejus dicti prætextu obtinent auctoritatem. His tribuitur ſigna facere coram Beſtia prima & ad eam loqui. Quemadmodum autem cap. 13. duæ beſtiæ conjunguntur, ita cap. 16: 13. *beſtia* & *pſeudopropheta*. & cap. 19: 20. ubi dicitur *pſeudopropheta feciſſe ſigna coram Beſtia & ſeduxiſſe eos, qui ſuſceperunt ſignaturam Beſtiæ, & adorantes imaginem ejus*. Ergo *beſtia altera* & *pſeudopropheta* idem ſignificare poſſunt. nempe doctores ſeducentes, & quidem jactantes certam aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & *Beſtia altera*

eam opinionem habentes apud sectuctos. Quum verò *Meretrix* eidem bestiæ dicatur insidere, quis neget, posse intelligi eundem pseudoprophetam, quatenus sibi subjicit Bestiam, & omnem potestatem ejus coram ea facit? Ex quo conficietur, per Bestiam intelligi populum Romani imperii, quatenus subjicitur rectoribus & doctoribus, qui putantur errare non posse; atque ita Ecclesiam Romanam. Clerus autem ille vocatur & urbs sive civitas. Nam & in clero illo regnum est: & pendet ab urbe dominante, Roma. Ita *duplex regnum* in pedibus Colossi significatum Dan. 2. hîc erit. *Babylonem* verò vocari posse eandem civitatem, sic patet, si cogitetur, non tantùm idololatriam similem & coactionem ad eam in ea civitate vigere, sed etiam idem esse consilium constituendæ hujus civitatis, quod illius fuerat. Signaturam autem Bestiæ esse legem Bestiæ, perspicuum est. Et imaginem bestiæ Spiritu præditam & loquentem esse posse eum hominem, cui videtur Spiritus sanctus præcipuè adesse, & qui potestatem docendi sine errore ex motu proprio habere putatur, ita ut in ipsius sensu, dicto, potestate conspiciatur totius Ecclesiæ potestas & sensus. quare vulgò solet dici *Ecclesia representativa.*

6. Quòd autem bestia post Draconem bellum facit sanctis, id signum est, bellum utrumque non esse uniusmodi. Nam Draco vim faciebat, ut homines abnegarent Christum; Bestia verò sub nomine Christi & ut Ecclesia vim facit, ut suscipiatur lex, quæ est lex Bestiæ, non Dei. Et Bestia vincit sanctos, ut nihil possint, & vix appareant quandoque, in quibusdam etiam errent, & non videntes profunditates Satanæ taceant, & Isabelem sinant docere: non tamen, ut non sint, aut signaturam Bestiæ suscipiant.

Confirmatio applicationis. 7. Hæc quum sint tam plana & tam rebus exstantibus similia, hoc est, id, quod nos Bestiam intelligimus, sit tam simile Bestiæ Apocalypticæ, & tam sit dissimile Ecclesiæ, quid dicemus? Numquid eorum, quæ in Apocalypsi prophetantur, nihil factum esse? aut, post quædam, quæ facta sunt, non continuò reliqua ordine sequi, sed magno & incerto intervallo ea à præcedentibus separari; veluti regni Draconis mutationem in regnum Bestiæ? aut, in rebus illis, quibus verba prophetiæ conveniunt, eam non compleri, easque ad implementum non pertinere? Quod si dicimus, & addubitamus, nihil unquam poterit fieri secundùm prophetiam, quo dicamus prophetiam impleri. Exspectandusque erit propheta, qui

dicat,

dicat, quæ verba per quæ facta impleta sint. Sed &, si quis propheta venerit, carebit fide. Quia sciri non poterit, an à Deo missus sit. Christus ipse, si in applicatione prophetiæ hæsitamus, demonstrari ex Scripturis non potest. Numquid etiam dicemus, Ecclesiam esse, quod est simile Bestiæ oppugnanti Ecclesiam?

8. Apostolus post prophetas & Christum prædicit ἀποστασίαν & ἀνομίαν, *defectionem* & *discessionem à lege*. Quod est סוּרָה / Vide 2 Th. 2: 3. 8. 2 Tim. 3: 1. Matth. 24: 12. Eam autem consistere non tantùm in rejectione veritatis, quæ in vocibus Dei continetur, sed etiam desertione verbi Dei sive vocum, quæ testimonii divini auctoritatem habent, & receptione alius legis, qualis est signatura Bestiæ, apertum est. *Ἀποστασία & ἀνομία.*

9. Quæ quum manifesta sint, discipiendum quoque erit, quibus modis & gradibus evidentibus, quos ex Scriptura animadvertere est, atque animadvertimus, commixtio illa Ecclesiæ cum Bestia profecerit. quam *captivitatem Babylonicam* possumus appellare, non abludentes à prophetico stilo. Apostoli igitur jam tum, quum Euangelium prædicarent, obtestati sunt, ἀγνωσίαν θεοῦ *ignorantiam & neglectum Dei* in quibusdam esse: Quosdam jam aversos esse post Satanam: *Spiritum Antichristi jam in mundo esse.* 1 Joh. 4: 3. Quo dicto sine dubio notatur, Diabolum jam tum ipso illo tempore, quo prædicabatur Euangelium, hoc meditari & machinari & ad id omnia (Deo id permittente & in pœnam hypocritarum decernente) parare, ut haberet commeatum, ad Antichristum aliquando producendum in scenam. Nam sciebat Satanas, se mox ex regno suo, quod habebat in gentibus, quas ad nutum exagitabat, esse ejiciendum. Quare se ad hoc comparavit, ut se transfiguraret in angelum lucis. S. Paulus dicit, *Mysterium legis mutandæ* (rejectio legis est ἀνομία. quæ futura erat per susceptionem alius legis. quam Daniel appellat חֲשַׁנֵּית דָּת *mutationem legis*. Dan. 7: 25.) *jam tum operosum esse.* 2 Thess. 2: 7. Imò S. Johannes dicit, *ultimam horam* esse. nempe, in qua Antichristus venturus erat. Quod probat, quia jam Antichristi multi extiterint. 1 Joh. 2: 18. Exempla autem Antichristorum sunt falsi fratres, de quibus Apostolus conqueritur Gal. 2: 4. 2 Cor. 11: 26. & pseudapostoli. de quibus 2 Cor. 11: 13. &, qui Christum prædicabant non castè atque integrè. Philip. 1: 16. Nam omnes hi Christo erant contrarii. Sed maximè ii, qui Ecclesiam in leges suas adigere volebant, & inter fideles nominari gestiebant,

Commixtio Bestia cum Ecclesia, sive Captivitas Babylonica.

Antiquitas radicum defectionis.

bant, & potestatem exercere in fratres conabantur. De quibus frequens Apostolo querela & admonitio. Vide saltem 1 Cor. 1:11. 12. 4: 6. 2 Cor. 11: 20. Galat. 6: 12. Col. 2: 18. 19. 20. 21. 22. 23. 1 Petr. 5: 2. 3. 3 Joh. 9. Constat porrò, fuisse prima ætate Ebionem & alios, qui de Christo & de Deo locuti sunt perversa. Exstant libri de priscis hæresibus. Hæ Christianos inter se commiserunt; hæ ipsos inter se suspectos fecerunt, ita ut se invicem odissent & alius alium traderet. Matth. 24: 10. In disputatione cum hæreticis maluerunt quidam uti argumento præscriptionis, quàm demonstratione Scripturarum. Qui neophyti erant, & dicendo aut disputando exercitati inter gentes, quum intulissent pedem in Ecclesiam, voluerunt scribere de fidei dogmatibus, & in multis hallucinati sunt. Credibile etiam est, institutionem fuisse non satis exactam & examussitatam, quæ viva voce fiebat. idque inter persecutiones perpetuas.

Initia evectionis Bestiæ secundæ.

10. Quum autem Judaicæ & perversæ opiniones in hæreticis essent, facilè potuit evenire, ut, qui meliora sentiebant, colligerentur separatim & suis doctoribus non tantùm arctiùs adhæresceret, sed & alios doctores negligerent, & suos efferrent.

Nomen Episcopi uni presbyterorum datum.

11. Annotatum porrò est, Alexandriæ usque ad Heraclam & Dionysium episcopos, presbyteros unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominasse. Quem morem à Marco Euangelista initium sumsisse, Hieronymus dicit epistola ad Euagrium. Ex quo patet, Episcopum apud Alexandrinos nihil aliud fuisse, quàm πρεσβύτερον ἢ πρεσβυτέρων. Idem Hieronymus docet in ea epistola, *presbyteros esse episcopos*; &, quod Alexandriæ ab initio factum est, id alibi post initia Ecclesiarum factum esse. Sic enim dicit, *Quòd autem POSTEA unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est; ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet.* Nam alioqui procul dubio, ubi ordinis habenda ratio fuit, vetustissimus præsedit. Et licet existimare, id potiùs factum esse propter πρεσβείαν & τάξιν *majorem honorem & ordinem* in collegio, maximè si quid per collegium presbyterorum agendum esset, quàm ob aliam causam. Sufficiebat enim, unum esse collegium presbyterorum in civitate, ne scinderetur Ecclesia; &, ut fratres inter se communicarent, sufficiebat, si in eodem nomine & idem loquentes & sentientes convenirent. Si quis autem se separaret, & ad fratres non accederet, aut aliquis sibi cœtum colligeret,

Examinatur ratio hujus facti ab Hieronymo assignata.

ret, (quod non poterat fieri, nisi alia loquerentur & à cæteris dissentirent) sufficiebat tales, ut αἱρετικὸς, rejici aut devitari, & fideles ad eos non accedere, neque eis, ut fratribus, communicare. Si autem in societate Christi anorum existerent scandala facientes, sufficiebat, rectos se iis opponere. Ad quod nihil πρωτοκαθεδρία faciebat. Nam quis poterat τὸ πρωτόθρονον præstare à scandalo & schismate immunem, ut non abstraheret discipulos post se? Fidei erat & charitatis, veritatem & justitiam asserere. Et, si quidem plures essent recti & rectis assentientes, necesse erat, vel pudefieri malè sentientes, vel discedere. Sin plures essent, vel in uno cœtu vel passim, qui perversa loquerentur, rectorum erat ab eis declinare, ne communicarent cum peccatis alienis. Hîc sola superfuit difficultas de bonis collatis ad ministerii conservationem & viduarum pauperumque sublevationem, & ædibus congregationum; quorum scilicet ea essent. Quæ potissima solet esse causa persecutionum; quando accumulatæ sunt ἀγάπαι & datur illis ἐντυφᾶν. Perspicuum est, si spectes jus, dupliciter responderi posse. Vel enim consideratur intentio & professio societatis convenientium in nomine Christi in genere, vel in specie. Si in genere; quod eo fine collatum est, ut conventus in nomine Christi celebrari possent, & ministerium conservaretur, id debere ad eos fines adhiberi, atque id requirere justitiam, & revera esse tales oblationes Christo factas. Si in specie consideres administrationem illorum bonorum, ut ad illos usus cedant: videtur votum quidem & desiderium esse illorum, qui primi eas opes conferunt, ut in eum usum cedant; sed tamen & voluntas ipsorum etiam fuisse, eas esse in potestate patrumfamilias cujusque cœtûs, ut ab iis & illorum cura rectè administrentur. Igitur, si maxima pars in cœtu deliret & à via abeat & rectos à se expellat, id ferendum est. Neque enim facile est remedium, quo recti possint recuperare ea bona, ut ex voto & desiderio eorum, qui primi contulerunt, rectè administrentur. Neque verò præsumuntur voluisse, ut per vim & turbam rectè sentientes ea bona retineant. Quod nec prudenter poterant velle, nec rectè. Ecclesia Catholica cum Donatistis egit super hac re coram judice seculari, ut probaret, hos esse schismaticos. Similiter, si pars major societatis convenientium in nomen Christi redeat ad saniorem mentem, in confesso esse debet, eos, qui in ea societate non sunt sub aliorum manu & potestate, habere jus administrandi ea bona & ea convertendi in debitos

usus. Neque possunt ii, qui ab iis dissident, jure repetere ea bona, quia olim ea societas, quoad majorem partem consensit in eorum errorem. Quòd si societas ea bona reliquerit in manu Civitatis ac Principis, aut bonis civitatis utatur, rectum quidem erit jure experiri adversus aberrantes, qui eos expellunt à bonis illis; sed nulla ratio est, quæ permittit ipsis vi uti. Tota enim societas privatorum loco est in civitate. Quòd si alii casus eveniant, quid patiendum sit potiùs, quàm vel charitas lædatur, vel jura civitatis confundantur, docebit conscientia. Sed è diverticulo in viam redeundum est. Putamus, satis patere, monarchiam inter presbyteros minimè fuisse necessariam vel utilem ad ullum opus in Ecclesia aut pro ea rectè agendum. Nam, ut ἐφοδιώκτης sit (qui in Veteri Testamento πυπ dicebatur) potestate præditus & imperio, necessarium non videtur. Potest enim id sine imperio agi à fraternitate, quod ad excitationem pigrorum facit. Nam, si Episcopus presbyteris superpositus deses sit & luxuriosus, quis eum rediget in ordinem? Ecclesia certè cum presbyterio. Ergo & Ecclesia cum presbyterio presbyteros non rectè fungentes suo munere poterit in ordinem redigere. Quare concludimus, πρεσβείαν in Veteri Ecclesia tantùm spectasse ad honorem & ordinem, & non fuisse potestatis.

Potestas Episcoporum.

12. Hieronymi ætate sola χειροθεσία superiores erant: quam χειροτονίαν vocabant. Ita & Chrysostomus testatur. *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* Ita Hieronymus. Chrysostomus 11. homil. in Tim. τὸ γὰρ χειροτονίαν μόνον αὐτῶν ἀναβεβήκασιν (οἱ ἐπίσκοποι) καὶ τοῦτο μόνον δοκεῖσι πλεονεκτεῖν τοῦ πρεσβυτέρους. Augustinus dicit, *secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major est.* epist. 19. Postquam unus ex presbyteris in summo collocatus est, placuit quoque ei aliquod singulare πρωτεῖον tribui. Visum est incivile & inordinatum, agere quid presbyteros aut Ecclesiam sine Episcopo. Facilè ex eo secutum est, ut nihil agi posset, cui Episcopus non fieret auctor. Ita paulatim potestas Ecclesiæ translata est ad episcopum. Unde non mirandum, quòd Apocalypsis dicit, Bestiam secundam facere omnem potestatem Bestiæ prioris coram ea. Eadem cap. 20: 4. animadvertit, *collocatos fuisse thronos, & quosdam in eis consedisse, & judicium eis datum esse.* Quæ verba, si literam spectes, significant, thronos episcopales erectos esse. Si vim, notant, Novam quandam potestatem & gradum in Ecclesiam introductum esse, &,

quibus

quibus ille gradus datus fuit, illis etiam judicandi potestatem traditam transcriptamque esse. sive consisterent intra denunciationem anathematis & excommunicationem, sive privarent officiis, sive in monasteria includerent, sive carceri manciparent, sive multam indicerent, sive curiis traderent, sive denique ipsi per ministros suos interficerent. Nam ad hæc omnia tandem profectum est. In ipsa excommunicatione magna severitas & plusquàm Ecclesiastica correptio inest, si ii, quibus fratres commisceri non debent, etiam habiti fuerint excluſi ab omni commercio, alloquio, officio, tanquam aqua & igni interdicti. ut Franc. Duarenus notat de sacr. Eccl. minist. & benef. lib. 1. c. 3. Quomodo judicium Ecclesiæ, quo se studebat immaculatam servare, commutatum est in supplicium corporale; & charitas negata iis, quibus debebatur. Nam, cui jus fratrum negatur, ei non adimitur officium humanitatis & charitatis, & reverentiæ & honoris & obedientiæ, quod lex imperat. Pro *gentili* habere, non est officia omnia negare. Ita non liceret conjugi fideli cohabitare infideli conjugi. Contra mentem Apostoli 1 Cor. 7: 12. 13. Quibus natura & lex Dei reverentiam & cultum imperat, eò magis fides. Sed eadem charitas postulat, ut cum significatione luctûs & timore propter ipsorum erga Deum inobedientiam & periculum cum ipsis agamus. Quòd autem illis *datum* dicitur *judicium*, id sine dubio significat, judicium, quod competit & injunctum est Ecclesiæ, in eos translatum esse. Nam datum intelligitur ab hominibus, quod illis injunctum erat: & aliter *datum*, atque id jam habebant; quatenus imperatum erat judicium exercere & presbyteris & Ecclesiæ. Quando autem sedentibus in throno datum est judicium, tum sine dubio etiam remisit charitas, quæ fuerat in Apostolis & Euangelistis & fidelibus eorum successoribus. qui plurimum laboraverant. A quo labore abhorrentes amarunt in thronis sedere & potestatem ac judicium exercere. De quo defectu loquitur Apocal. 2: 4. 5. Procedente tempore ad Canones conficiendos se contulerunt, & sæpe frivolis suis Canonibus anathemata adjecerunt. Datum est etiam eis judicare de causis privatorum, si quis apud eos litigare mallet. Quando autem imperium Romanum incepit senescere in Occidente, ausi sunt etiam primæ sedis Episcopi Imperatores Græcos anathemate percutere, & sacris interdicere; populosque ab eorum obedientia revocare; reges deponere; & imperium transferre ad alios: à Græcis primò ad Francos. idque,

post-

postquam à Græcis ipsorum primatus confirmatus esset, ipsique Oecumenici episcopi appellati. Conveniens autem fuit, ut, qui per ipsos imperium accepissent, eos vicissim locupletarent & populos suos eis subjicerent. Tametsi Carolus in venerationem imaginum Nicææ stabilitam non consensit.

13. Satis, putamus, ex hisce patere, quomodo Ecclesia, permistis ei gentibus, circumdata populo regnante, maturè acceperit pædagogos, & ii acceperint regnum in populos: ut, qui constituant bestiam alteram, proclive sit videre. Ii enim sunt omnes episcopi non modò pædagogiam, sed & dominatum exercentes in Ecclesia. Quotquot autem illorum sibi assumserunt auctoritatem, ut in nomen suum juraretur, vel aliquid dixerunt & docuerunt servandum à fidelibus, maximè, qui falsa & temeraria locuti sunt, & ea teneri voluerunt, pseudoprophetæ sine dubio vocandi sunt. Sed nunc de conservatione Ecclesiæ in ea commixtione dicamus pauca.

Caput LXXXIII.

De Conservatione Ecclesiæ in regno Bestiæ.

Bestia sanatio ex vulnere q. lethifero est causa auctoritatis Bestiæ.

Ut de conservatione sanctorum sub regno Bestiæ melius cognoscamus, adhuc de Bestia quædam addenda. Imprimis, per quid acceperit auctoritatem? Apocalypsis dicit, ejus caput unum fuisse quasi mactatum ad mortem; sed convaluisse. Ideò omnem terram admiratam post eam. Quum Julianus rerum potiretur & reduceret idololátriam, maximè in Græcia convulnerata est Bestia. Nam in iis partibus Julianus præcipuè superstitionem restituit. Visæ autem sunt gentes, quæ accesserant ad Ecclesiam terram viventium, & jam inter vivos numerari cæperant, vel relapsuræ, vel non porrò accessuræ; nec imposterum populus Christianus, ut sub Constantino & filiis ejus fecerat, regnaturus; atque ita videbatur Imperium illud Christianum animam agere. Sed, Juliano interfecto, & Joviano, qui Christi nomen confitebatur, substituto, sanata est Bestia, hoc est, rediit imperium ad Christianos, sed maximam partem Christi ignaros. Tum igitur omnes homines *admiratio cepit*. Nam visum est id maximum Dei opus. Quod & revera magnum Dei opus fuit, & à multis est celebratum. Sed pauci animadverterunt, tunc sanatam esse Bestiam, & Bestiam nominarunt Ecclesiam. Nam, quod de Bestia eos dixisse tradit Apocalypsis, id proprie

priè in Eccleſiam competit. *Quis eſt ſimilis Beſtiæ? quis poteſt pugnare cum ea?* Nempe Licinius, Maxentius, tyranni omnes victi profligatique erant, Julianus occiderat. Videbatur Beſtia eſſe is populus, de quo dictum eſt, *Portæ inferorum non prævalebunt ei.* hoc eſt, populus & Eccleſia Dei, jam regnans, ſecundùm promiſſionem. Cui à Moſe dictum eſt Deut. 33: 29. *Beatus tu, Iſraël; quis, ut tu? populus ſalvatus in Deo ſuo, clypeo auxiliari tuo, & qui eſt gladius celſitatis tuæ; & mentientur inimici tui tibi, & tu ipſorum celſa calcabis.* Hoc elogium igitur errantes plurimi Beſtiæ attribuerunt, &, putantes, ſe Deum adorare, qui ſcil. dediſſet hoc regnum Eccleſiæ, quam exiſtimabant eſſe populum de hoc mundo, Draconem adorarunt, qui hanc poteſtatem dedit Beſtiæ: &, qui elegerunt dicere & facere, quod ille populus dicebat & faciebat, Beſtiam adorarunt.

2. Beſtiæ ſic ſanatæ datum eſt os, ad loquendum magna & blaſphemias. Permiſit Deus Beſtiæ loqui. Beſtia ſive populus Romanus, nominatus *Eccleſia* ab hominibus, incepit haberi pro *magiſtra*. Nam *loqui* eſt docere. Chriſtianorum eſt *loqui*, confitendo, narrando verba Dei, celebrando opera Dei. Quibus ſupra hoc *datur os ad loquendum*, illis conceditur docere, tanquam magiſtris & auctoritatem habentibus & ab erroris periculo immunibus. *Magna*; quæ ſuperant captum & poteſtatem atque officium loquentium. *Blaſphemias*, verba non convenientia cum gloria Dei. *Beſtia loquitur.*

3. Dicitur autem *aperuiſſe os in blaſphemiam ad Deum, ad blaſphemandum nomen ejus, & tabernaculum ejus & eos, qui in eo habitant.* Omnes errores hîc intelliguntur, & anathemata contra veritatem pronunciata. Diſtributio tamen hæc blaſphemiarum non caret ſapientia. Tria ſunt, quæ in Euangelio ſunt ſpectanda maximè. 1. Manifeſtatio nominis Dei. quòd revera ſit talis, qualis nominatur; nempe *Iehovah*, & quæ adduntur ei nomini Exod. 34: 6. 7. 2. *Tabernaculum Dei*, hoc eſt, Is, in quo eſt Deus hominibus propitius & habitans inter ipſos. nempe Chriſtus. 3. *Qui in eo habitant*, hoc eſt, qui in Chriſto ſunt & in eo cognoſcunt Deum & cum eo communionem habent. qui ſunt fideles. De quibus rectè loqui non poteſt, qui non rectè loquitur de Dei nomine & de Chriſto, in quo ſolo eſt omnis communio hominum cum Deo. Ad hæc igitur capita revocandæ ſunt blaſphemiæ; &, quæ dicta non conveniunt cum veritate nominis Dei, cum vero ſenſu de tabernaculo Dei, & de habitantibus in eo, ſine dubio blaſphemiæ ſunt. *Beſtia loquitur blaſphemias.*

Bestia occidit duos testes.

4. Dicitur cap. 11. v. 7. duos testes, qui coram Deo stant, postquam testificationem suam expleviſſent, oppugnasse, viciſſe, interfeciſſe: ſed non potuiſſe ſepelire cadavera eorum. Non dubium eſt, quin Beſtia occidat Martyres Dei. quemadmodum Antipas *martyr Dei* ſive *testis* appellatur Apoc. 2: 13. Sed mihi valdè dubium eſt, an hîc intelligantur *ſancti* confitentes nomen Chriſti & eam confeſſionem morte obſignantes. Neque enim hi duo, ſed plurimi ſunt. Deinde nulla ratio apparet, cur duo dicantur. Et martyres nulli relicti ſunt inſepulti jacentes in foro civitatis magnæ. Præterea voluntas Beſtiæ fuit hos teſtes ſepelire; quorundam autem è gentibus ſtudium fuit, ne ſepelirentur. Nulli etiam ſunt martyres, qui, videntibus hominibus, aſcendant in cœlos, ſequente terræ motu. Accedit, quòd idem tempus eſt interfectionis ipſorum & quo prophetant in ſaccis. Rectiùs per teſtes intelliguntur duæ claſſes prophetantium, ſive verba Dei θεόπνευστα loquentium cum auctoritate divina, ad fidem hominum ſtabiliendam. Duæ claſſes ſunt Prophetæ, qui loquuti ſunt ante adventum Chriſti, & Apoſtoli. Alibi hoc teſtimonium τῇ προφητείᾳ attribuit Apoc. 19: 10. Alibi ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ *ſermonem Dei* dicit; in quo ſcilicet eſt ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ *teſtimonium Ieſu.* Apoc. 20: 4. Hæ duæ claſſes teſtium rectè dicuntur ex Zach. 4. duæ oleæ, vel duo filii olei, hoc eſt, duo Spiritum Dei habentes, qui ſtant coram domino totius terræ. Poſſunt & cum duobus candelabris comparari. Secundùm illorum verbum clauditur cœlum & aperitur, & ignis de cœlo deſcendit in hoſtes eorum. Teſtantur autem hi in Scripturis. In iis vivunt, in iis interficiuntur. Vivunt, quando ſic audiuntur, ut mens illorum percipiatur & recipiatur, & ita faciant hoc in animis hominum, quod ſermo Dei vivus dicitur facere, Hebr. 4: 12. Interficiuntur, quando hebetatur acies dictorum ipſorum, & ea fiunt inefficacia in animis audientium. Quod fit per detorſiones & interpretationes calumnioſas, pravas, ineptas, per diſputationes frivolas, per λογομαχίας, per quas deſtruitur fides audientium. 2 Tim. 2: 14. Dum enim de rebus credendis in utramque partem diſputatur & Scriptura non ſimpliciter & planè ad omnem conſcientiam explicatur, apud auditores hoc efficitur, ut putent, vel dubium eſſe, de quo diſputatur, & facilè deſtrui poſſe atque adſtrui, vel ſermonem Dei eſſe ἄδηλον & ambiguum & indigere expoſitione privata habentis privilegium exponendi cum auctoritate. Non poteſt eſſe dubium, quin apud illos Scriptura ſit

mortua

mortua & impotens ad illuminandum, redarguendum, docendum, convertendum, quibus certum est, Scripturam debere exponi secundùm traditionem & per dictum Capitis Spiritum sanctum habentis. Iidem tamen illi testes non omnibus mortui sunt, quando, à Bestia occisi, mortui sunt Bestiæ & incolis terræ. Sunt enim, qui retinent sermonem Dei & testimonium Jesu. Per hos stat, ne sepeliantur & ab hominum oculis amoveantur hi testes. Tamen & apud illos *prophetant in saccis*, q. mœsti, & opprobrio atque sordibus obruti. Dum scil. lux Scripturarum non est tam clara, ut esse possit; & relinquit in hominibus multas ignorationes & hallucinationes; neque eos ita consolatur & exhilarat, quemadmodum exhilarat eos, qui eam rectè intelligunt, & habent manentem in se. prout dicitur Psalm. 19: 9. *Mandata Dei recta, lætificantia cor: præceptum Dei clarum, illuminans oculos.* Jam, quum res manifesta sit, ita verba Prophetiæ accipi posse, &, hunc sensum verum esse, temerarium fuerit, negare, per hanc rem gestam veram fieri prophetiam.

5. Ex his autem patet, etiam sub Bestiæ dominatu tamen verbum Dei conservatum esse. Quod ad conservationem Ecclesiæ permultum facit. Nam, si verbum Dei interiisset, actum fuisset de Ecclesia. Nam quomodo verba fundamenti & testimonium Jesu potuissent conservari, si Scriptura fuisset abscondita & de medio sublata? *Verbum Dei manet sub regno Bestiæ.*

6. Porrò Bestia *bellum facit Sanctis*, hoc est, eis, qui *retinent sermonem Dei* & aliud verbum aliamque auctoritatem non admittunt; & *testimonium Iesu*, hoc est, veram sententiam de Christo, ipsiusque merito & justitia donata, & regno, & communione per fidem; & in ea fide piè vivere studeant, vitantes inquinamenta mundi. Bellum facit, hoc est, eos impugnat & premit, & cogit ad probandos suos errores. *Bestia bellum facit sanctis.*

7. Bestia *vincit Sanctos*. Non certè penitus: nempe ut non sint, aut ut deficiant à fide, aut signaturam Bestiæ suscipiant. Victoria igitur hæc consistit 1. in diminutione. Effecit Bestia, ut pauciores converterentur ad Deum; & pauciores essent fideles. Psalm. 12: 2. Es. 57: 1. 2. in humiliatione. Effecit, ut vix auderent loqui, & sese absconderent: aut etiam in miserabili statu essent, & interficientibus essent obnoxii. 3. in conspurcatione. quòd & fidelibus multi adhæserunt errores & ignorantiæ. Apoc. 2: 20. *Bestia vincit Sanctos.*

8. Quòd autem conservata sit Ecclesia, testatur Scriptura. Do- *Conservata est*

Ecclesia sub regno Bestiæ.

cet enim, in libro Agni scriptos esse, qui salventur. Christus dicit, Ecclesiam, quamvis portis Inferni includatur, tamen victum non iri. hoc est, non subactum iri, ut obediat Bestiæ; neque extinctum iri; etiamsi in civitatem illam veniat, in qua *Mors* & *Infernus* regnat. Apocal. 6: 8. *Mors* ibi significat eum, qui est causa mortis secundæ

Mors secunda.

per doctrinas suas. *Mors* autem *secunda* est induratio post agnitionem Euangelii & Christi. Nam, ut prima mors contracta est in Adamo; ita, qui nomen habent viventium, &, sermone audito, gavisi sunt, quum desciscunt à veritate agnita & ad aliud fundamentum abeunt & in peccatis ita indurantur, ut putent ea etiam approbari à Scripturis, secundò mortui dicuntur. Quæ periculosissima mors est. Nam posteriora hæc deteriora sunt prioribus. 2 Petr. 2: 20.

Infernus.

Hæc mors perculit gentes, quum venerunt in dicionem Bestiæ. *Infernus* autem est potestas principum scortantium cum Bestia, & ei potestatem suam tradentium, & resipiscere ac reviviscere non permittentium. quemadmodum, qui in inferno sive intra terram sunt, vitam recipere & à luce illustrari non possunt.

Christus regnavit & Sancti.

9. Non potuit regnum eripi Christo. Imò, dum Bestia regnare videtur, regnat Christus, &, qui retinent sermonem Dei. Apocal. 20: 4. *Et vixerunt*, inquit, *& regnaverunt cum Christo*, hoc est, participes fuerunt *resurrectionis primæ*; quæ est mundi vivificatio ex morte in peccatis. Col. 2: 13. Eph. 2: 5. Quæ *prima* facta est per Euangelium ab Apostolis nunciatum. A qua *secunda resurrectio* mundi ex eadem morte, futura post conjectam Bestiam in stagnum ignis, distinguitur temporis ratione. *Regnaverunt cum Christo.* quia 1. ingressi sunt in regnum Christi, & vicerunt Diabolum & mundum. 2. cum Christo regnum habuerunt in mundo; quippe & gentes Christo & ipsis mentitæ sunt, adeò ut Bestia cogeretur nomen Christi præ se ferre, & inter omnes populos, ad quos pervenit nomen Christi, fuerunt etiam electi. qui facti sunt hæreditas ipsorum. Bestia igitur, quæ visa est regnare & vincere, non regnavit, sed Christus & Sancti.

Sancti nomen Patris Agni in frontibus gesserunt.

10. Qui dicuntur *electi*, *vocati*, *fideles*, & *cum Agno* fuisse. Apocal. 17: 14. 14: 1. & *nomen Patris ipsius* gessisse *in frontibus*, hoc est, confessi esse Dei nomen & virtutes in Christo manifestatas, & eum solum Patrem suum, Deum suum, Doctorem & Dominum suum nominasse; & præter ipsius auctoritatem nullam aliam agnovisse. Cui

Retinuerunt sermonem Dei.

æquivalet *retinere sermonem Dei*; & aliud χάραγμα non suscipere in fron-

frontem aut dextram. Apoc. 20: 4. Et, ut intelligantur ædificati in fundamento, quod posuerunt Apostoli & Prophetæ, qui sunt duodecim tribuum Israëlis ἀπαρχή, symbolicè & ænigmaticè per numerum duodenarium in se ductum (nempe per centum & quadraginta quatuor) significantur. Apoc. 14: 1. Et, ne pauci esse putentur, pro singulis tribubus duodecies mille numerantur. Non, quòd non plures sint, sed, quòd saltem illo numero sint. quasi dicat Spiritus, Apostolos tantùm esse lucratos, ut, minimum, pro singulis Apostolis sint duodecies mille. Qui numerus confutat illos, qui putant, quia promissa est major multitudo Ecclesiæ Novi Testamenti, ideò omni tempore futuros fuisse plures Christianos, quàm olim fuerint Israëlitæ. Atqui, quemadmodum Deus non voluit omne semen Israëlis numerari, ita nec nostrum est omne semen Christi numerare. Deo notus est ille numerus: quia & Dei est obsignatio. qui novit, quot inter Israëlitas olim & postea, sub regno Bestiæ, inter Christianos signaverit. Quandoquidem nos illud signum videre non possumus, nisi in nobis ipsis; sufficiat nobis, credere, esse signatos saltem duodecies mille: & multas illas myriadas, quas numerant homines, non necessariò esse numeratos Agni. Ideòque quemque esse distinguendum signo, quod gerit in fronte, hoc est, nomine, quod nominat. Nam, qui nominant nomen Jehovæ, salvi fient. Si vellemus ad majorem numerum attendere, verendum esset, ne in nos competat increpatio, qua percelluntur, qui instruunt Turmæ mensam, & Numero crama coronant. Es. 65: 11.

144000.

Multitudo Christianorum in comparatione Israelitarum.

11. Signaturam autem Bestiæ ex analogia phraseos Scripturæ interpretamur legem & dogmata Bestiæ. Nam Deus præceperat populo, ut mandata sua essent ipsis pro signis in fronte & in dextra manu. Deut. 6: 8. *In fronte*, ut nomen Dei in promtu haberent, & se paratos ostenderent præceptis ipsius obsecundare; *in dextera*, ut in actione ea aspicerent tanquam regulam ac normam, non aliter, ac si essent in manu ipsorum scripta. Postulat igitur Deus & professionem nominis sui, & obedientiam. Ita & Bestia postulat professionem nominis sui & obedientiam suorum præceptorum. Quisquis se nominari vult, & sua præcepta observari, quæ non sunt præcepta Dei, ad Bestiam pertinet.

Signatura Bestiæ.

12. Esse autem, qui eam signaturam non receperint, testatur Prophetia Apoc. 20: 4. Hoc enim esset ἐπιγαλεῖν καὶ ἀνομεῖν. Neque alio argumento nobis opus est, ad demonstrandum, quòd Ecclesia

Amplius demonstratur, Ecclesiam conservatam.

clesia fuerit sub illo Regno, quàm, quòd Prophetia testatur, eam fuisse futuram; quodque verbum Dei non potuit tolli de medio; per quod Deus potuit esse efficax, in quibus voluit. Sed verò etiam id ostendit, quòd, quemadmodum prædictum est, ita Ecclesia certis temporibus emicavit. Nam fuerunt auditæ voces, ut aquarum multarum, ut tonitrui magni, ut cithara canentium. Apocal. 14: 2. hoc est, reprehensa est communi murmure corruptio, & multorum acriores invectivæ auditæ sunt, & audita est confessio & gratiarum actio patientium propter nomen Christi. Quod magnis libris docent docti, qui vel de mysterio iniquitatis scripserunt, vel Catalogum testium veritatis ediderunt. Quare importuna admodum est interrogatio, ubi fuerit Ecclesia Reformata ante Lutherum? Quotquot enim fideles fuerunt, qui tenuerunt sermonem Dei & testimonium Jesu, & præcepta hominum non suscepерunt, ii nostri sunt; licèt fortè in multis & illi fuerint lapsi; sed tamen parati Deo obedire, & nullum aliud fundamentum ponentes, nec fundamentum ignorantes.

13. Pro conservatione sui agit Ecclesia Deo gratias etiam in Ps. 73: 23. *At ego semper tecum: tenuisti manum dexteram meam.* & Ps. 23. *Etiam quum ambulo in præcipitio vertiginem faciente, non timeo malum. quia tu mecum. Virga & pedum tuum, illa consolantur me.* Vide & Ps. 139. v. 11. & seq. Ostendunt id quoque querelæ piorum in Psalmis de corruptione, & preces ad Deum, quibus se petunt conservari. ut Psalm. 12: 2. *Salva, Domine.* Item v. 8. *Tu, Iehovah, servabis illos: retinebis ex generatione* hac, *qui* erit *in seculum.* electos ad vitam retinebis manu tua. Nam נצרים *retenti* dicuntur *electi* Es. 49: 6. *retentos,* non omissos, *Israëlis ad reducendum.* Pertinet huc etiam tanquam gratiarum actio & celebratio gratiæ Dei peragenda ab Ecclesia liberata. Es. 26: 13. *Iehovah, Deus noster,* in potestate *habuerunt nos domini, præter te: tantùm in te commemorabamus* vel *commemoramus nomen tuum.* Domini, qui habent eos, qui commemorant nomen Dei, sunt ii, quibus se subjicit Bestia, qui non sunt Deus sive Jehovah. Per solum Jehovam stat, ut fiat commemoratio nominis ipsius. Qui facit, ut verbum suum non tollatur de medio, & dat illuminatos oculos mentis, ad videndum veritatem salutarem, & regnum suum, & ad recipiendum Christum, justitiam & regnum ejus per fidem, is eos sanctificat; & eos inflammat ad charitatem, per quam etiam mortem pro nomine Christi & salute hominum oppetere non detrectant.

14. Su-

14. Supereſt, ut de tempore, quo Beſtia *facit*, hoc eſt, feliciter procedit, pauca dicamus. Apocalypſis 13: 5. meliùs habent codices, qui legunt: ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία ποιῆσαι, *data eſt ipſi poteſtas faciendi.* Dan. 11: 36. *Et faciet juxta voluntatem ſuam ille rex, & ſe efferet & magnificabit ſe ſupra omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur mirabilia, & proſperabitur; donec conſummata fuerit ſeveritas. Nam deciſio facta eſt. Et ad Deum patrum ſuorum non attendet: & ad deſiderium mulierum & ad omnem Deum non attendet. quia ſupra omnia ſe magnificabit.* Hîc per *regem* intelligi, qui populo Romano præſunt, perſpicuum eſt. Cui, quoad religionem, triplex mutatio attribuitur. 1. cultus Deorum falſorum, quos primi Romani adorarunt. Quo tempore contra Deum deorum loqui mirabilia incipit. 2. relictio deorum, quos patres adoraverant. quod factum, aſſumto nomine Chriſti. 3. contemtus conjugii & amoris conjugalis, & omnis Dei, ad colendum Deum arcium & deum peregrinum quendam, de quo verſ. 37. 38. Sed tempus Beſtiæ, quo *proſperetur* & *faciat*, ſunt *menſes quadraginta duo*, vel *dies mille ducenti ſexaginta*. Vide Apoc. 11: 2. 3. 13: 5. Poſſe ſignificare annos, conſtat. Neque poteſt niſi temere dici, veros dies notari, & non notari annos, quando etiam apparet rei ipſi convenire is modus temporis. Apertum eſt, omnia illa non poſſe fieri parvo tempore. Et Apoc. 2: 21. *dedi* Iſabeli *tempus*. Denique *mille anni* in iis menſibus aut diebus comprehenduntur. Apoc. 20: 4. ubi numerus rotundus ponitur, q. d. non minus mille annis. Quos mille annos jam præterfluxiſſe, & in diebus Beſtiæ comprehendi, res evidens eſt. Conſideretur tantùm ordo rerum in ea viſione: deinde, quid illis mille annis attribuat. Vidit Angelum robuſtum cum catena de cœlo deſcendentem, qui ligavit Draconem. Id convenit coërcitioni Draconis, de qua cap. XII. Effectus eſt, *ne ſeducat amplius gentes*. Ergo idem Angelus illuminat hactenus gentes, ut non amplius idola muta adorent; quemadmodum antea fecerant. Ligavit autem Satanam ad mille annos, non minus. Ligatum porrò *conjecit in abyſſum*, & *ſignavit ſuper ipſo*. Quamdiu non ceſſavit perſecutio idololatrarum gentilium; tamdiu Draco ligatus non fuit. Ultima perſecutio fuit decennalis illa atrociſſima ſub Diocletiano & Collegis ejus, in imperio Romano. Tum igitur, quum ligatus eſſet Draco, vidit thronos poſitos, in quibus conſederunt, quibus judicium datum eſt. Pædagogia Epiſcopalis auctoritate imperiali confirmata eſt. quemadmodum antea oſtendimus.

Tempus proſperitatis Beſtiæ.

Dan. 11: 36.

Menſes 42. dies 1260.

Anni mille.

Tum

Tum igitur vidit Johannes primò *animas* eorum, qui *ſecuri percuſſi erant propter teſtimonium Ieſu & ſermonem Dei*; deinde vidit quoſdam, qui *non adorarunt Beſtiam* (Præſupponit, Beſtiam Draconi, cum is ligatus eſſet, ſucceſſiſſe. quod c. 13. dictum) *neque receperunt ſignaturam ejus in frontem ſuam, & in manum ſuam.* Hos vidit *viventes* illo tempore & *regnantes cum Chriſto.* Quod ſimul intelligendum de *animabus* eorum, qui *ſecuri percuſſi* fuerant, antequam ligaretur Draco & throni collocarentur. *Regnarunt* autem, quia mundus eis ſubjectus fuit, prædicato Euangelio ubique, licèt teſtes Dei prophetarent in ſaccis. *Reliqui* autem *mortui non revixerunt*, nempe *reſurrectione prima.* Quid igitur? Adoraverunt Beſtiam. Convenit tempus, quo mulierem, quæ fugerat à facie Draconis in deſertum, alunt gentes in loco ſuo. Apoc. 12: 6. 14. Ab Anno Chriſti 292. uſque ad A. C. 1552. ſunt tot anni. Conſiderandum eſt, an non intra id tempus, quæ ad Beſtiam proſperè & in civitate ſancta agentem pertinent, videantur eſſe facta. Annum 1552. notabilem facit, quòd eo facta eſt Tranſactio Paſſavienſis, poſtea confirmata in Comitiis imperii A. 1555. Ita data eſt primum publica auctoritate libertas exeundi ex Babylone. Anno autem 291. V. Conſtantius Chlorus factus eſt Cæſar, ſub quo Chriſtiani in perſecutione à Diocletiano & Maximiano excitata tuti fuerunt in Gallia & Hiſpania, aut certè non ita crudeliter habiti. Hujus filius Conſtantinus thronos Epiſcoporum confirmavit Nicææ.

Numerus Beſtiæ.

15. De *numero Beſtiæ* diximus in tractatione de locis, quæ agunt de Antichriſto. Nuper etiam in Conſideratione Quæſtionum Judaicarum Q. XLVI. Summa eſt: Quemadmodum numerus Eccleſiæ 144000. exſiſtit ex 12. ut intelligantur eſſe verus Iſraël, in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum ædificati; ita numerus Beſtiæ 666. ne ex 12. ſit, per 6. efficitur. De quo ſenario etiam egimus in Conjectura ad Ezech. 39: 2.

Caput LXXXIV.

De Antichriſto.

Antichriſti.

In Beſtiæ regno invenitur & *Antichriſtus.* Quod & in ſingulari κατ' ἐξοχὴν dicitur velut de uno, & vulgariter in plurali, κατὰ πλείονας, de multis dicitur. De illo magno, & de vulgaribus loquitur Johannes 1 epiſt. 2: 18. Hujus vocis notio prima eſt τὸ ἐναντίος τῷ

Χριστῷ

Χριστῷ *Christo adversari.* In specie dicit Apostolus ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ *hostes crucis Christi.* Phil. 3: 18. Ita *adversarii Christi* sunt, qui sanæ doctrinæ non obediunt, neque eam ferunt, sed veritati resistunt. 2 Tim. 4: 3. 3: 8.

2. Singulariter & cum denotatione ὁ Ἀντίχριστος quasi de uno κατ' ἐξοχὴν dicitur. Neque tamen putandum est, eum esse tantùm unum, qui solus sit Antichristus, sine successore. Sed, quemadmodem Rex alicujus regni tantùm unus dicitur, ita etiam *Antichristus ille.* Duplicem verò habet notionem de illo principaliter dictum. 1. notat adversationem; quæ est vera. 2. notat *Prochristum*, sive *Vicarium Christi.* quemadmodum ἀνθύπατος, ἀντιστράτηγος est *Proconsul, Propretor.* Ità notatur, qui se Pro-Christum dicit. *Antichristus.*

3. Vocatur etiam ψευδόχριστος *falsus Christus.* qui se Ecclesiæ obtrudit pro Christo & loco ejus. Quia autem nullus potest Christus alius esse, & opus ipsius facere, aut ipsius vicem implere; qui hæc sibi arrogat, Christi *adversarius* est. Vocatur ὁ ἀντικείμενος, *Adversarius* 1 Tim. 5: 14. 2 Thess. 2: 4. Cui voci convenit יָרַב *rex contentiosus.* Hos. 5: 12. *Pseudo-Christus.* *Adversarius: oppositus.*

4. Ad nomen *Caput* etiam alludi videtur Deut. 32: 42. Psalm. 110: 6. Habac. 3: 13. Certè, dum Christus dicitur *Vitis*, Joh. 15: 1. significatur, Ab ipso existere & dependere omnes fideles, tanquam palmites à vite. Quando igitur *Vitis* quædam aliena introducitur Deut. 32: 32. significatur aliquis, à quo dependeant alii, tanquam palmites à radice, aut membra à Capite. *Caput.* *Vitis ex agro Sodoma.*

5. Ab Apostolo vocatur ὁ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, *supereferens se in omnem dictum Deum aut colendum cultum.* 2 Thess. 2: 4. In ipso τῷ ὑπεραίρεσθαι *sui elatione* est vitium. Nam in regno Christi nihil nisi fratres sunt. Ps. 133: 1. Nulla sessio in throno Dei. *O cœli, cœlum est Domini nostri. Terram verò dedit filiis hominum.* Psalm. 115: 15. *Cœlum* nominat eos, qui *dii* dicti erant sub Veteri Testamento, sive Principes aut potestatem obtinentes. Hoc cœlum deposuit à se veluti vestem. Psalm. 102: 27. Testatur, imposterum filiis hominum tantùm esse datum in terra stare. ἔπαρσις significatur vocibus נָשָׂא רוּם *efferens se.* Es. 2: 12. Hinc in Psalm. 4: 3. *Vir* nuncupatur: &, qui cum ipso faciunt, *filii viri*, eum scilicet vocantes *Patrem.* Sed Apostolus maximè alludit ad Danielis cap. 11. v. 36. quanquam ibi de Rege politico sermo est. Sed, si illa elatio est in rege, qui servit Antichristo; multò magis est in Antichristo. Apo- *Qui se effert.*

ſtolus diſtinctè eam elationem deſcribit. 1. quòd ſe *ſupereſſerat in omnem dictum Deum. Dicti* à Deo *dii* fuerunt ſub Veteri Teſtamento inter Iſraëlitas. *Nobis eſt unus Deus & unus Dominus.* 1 Cor. 8: 6. Qui ſe ſupereffert, ut ſibi ſubjiciat, qui in Veteri Teſtamento vocabantur *dii*, &, quo tempore hoc Apoſtolus ſcribebat, necdum aboliti erant, præter eum, qui eſt Jehovah & Filius Dei unigenitus (Nam illi, & quidem ſoli, debebant ſubjici) is eſt ὁ ἀντικείμενος *adverſarius.* Atqui is, qui vult, etiam ſacerdotes filios Aharonis, ne excepto quidem ſummo Sacerdote, & omnes principes, patres, Patriarchas ſive Capita familiarum Iſraëlis ſibi obedire; is *ſe ſupereffert in omnem dictum Deum.* Omitto jam mandata data Angelis, ut deportarent animas Cruce ſignatorum in cœlum. Eſt & ſubjectio ſingularis, qua ſacerdotes, qui offerebant ſacrificia populi ſub Veteri Teſtamento; quorum ſacerdotium per ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedec expunctum eſt; jubentur accedere ad alium quendam, præter Chriſtum, ut per eum peccata ipſorum expientur, tanquam qui fungatur ſacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedec. II. Quòd *ſe ſupereſſerat in omne dictum colendum.* Homines quidam nominabantur Σεβαστοὶ *Auguſti.* Notum autem eſt, eoſdem vocatos fuiſſe *Divos*, Græcè θεοὺς. Illi igitur dicti fuêre *colendum* ſive σέβασμα. Iis templa & aræ ſtatuebantur. Paulus Actor. 17: 23. σεβάσματα Athenienſium vocat ea, quæ habebant in veneratione & cultu. Hæc elatio eſt illa, qua quis, qui debet eſſe ſubjectus poteſtati, & aliquando ei ſubjectus fuit, præſumit imperium exercere in dominos ſuos, eoſque ipſos, qui aliquando *Auguſti* dicti ſunt. Quò pertinet, movere thronos, transferre regna, regna dare & auferre, Cæſares homines ſuos facere, eos pedibus conculcare, eos anathemate ferire, & eo quidem, quod habet vim ſententiæ principalis. Quod Petrus & Judas dicunt τὰς δόξας βλασφημῶν *glorias* ſive excellentias *blaſphemare*, id huc pertinet. III. Quòd *Conſideat in templum Dei, ut Deus.* Templum Dei nullum aliud eſt, in quod conſidere poſſit, quàm Eccleſia. Et in numerum quidem & fœdus ac corpus ſanctorum intrare non poteſt, qui eſt ἀντικείμενος: at, quemadmodum gentes poſſunt intrare in Civitatem ſanctam, ita etiam Antichriſtus poteſt intrare in eam, ſive Eccleſiam, &, quum intraverit, in ea conſidere, non ſimpliciter, ut pædagogus, ſed, ut rex, dominus, princeps. Et primò quidem, *ut Deus* nuncupativus. quod eſt reducere ſervitutem Veteris Teſtamenti: & Chriſto

Conſidens in templum Dei, ut Deus.

sto non subjici. Nam, si hæc est subjectio angelorum & principum, qui dii dicti fuerunt, quòd omittunt exercere imperium in fideles, quod olim exercuerant; unde *dii* nuncupabantur; qui similem potestatem sibi arrogat, is Christo non subjicitur. Qui autem Christo non subjicitur, & vult esse *deus nuncupativus*, & facere, quod est *deorum nuncupatorum*; is jam revera est ἀντικείμενος, & postulat revera esse *Deus*. Atqui notum est, qui sint, qui hoc vocabulum non aspernantur, & potestatem exercent in fideles, qualem *dii nuncupati* obtinuerunt; idque faciunt non, quòd Deus ipsis dixerit, *Vos dii estis & filii omnipotentis omnes vos*, aut quòd *verbum Dei ad ipsos factum sit*; sed ex propria ἐπιροΐᾳ, ex proprio motu ac θελήματι, & ex hominum consilio ac voluntate. Certè, qui nuncupabantur *dii*, nihil agere poterant, nisi quod Deus jusserat, commiserat, permiserat. qui autem *Deus* nuncupari vult ab hominibus, & non habet mandatum aut concessionem à Deo, ut agat, quod agit, is pro Deo summo & nulli subjecto habetur & haberi vult.

6. Esaias cap. 14. hanc elationem graphicè & vivis coloribus depingit ut in rege Babylonis, intelligens Babylonem mysticam. Nam de tempore Novi Testamenti & gentium in hæreditatem acceptarum Prophetam loqui, ex initio capitis apertum est. Ergo illius regis Babel elatio sic describitur. v. 13. *Tu autem dicebas in corde tuo: In cœlum ascendam, supra stellas Dei evehan thronum meum, & considebo in monte conditi conventus, in lateribus aquilonis: ascendam in celsa nubis; assimilabor altissimo.* Nemo tam parum potest esse prudens allegoriarum Scripturæ, qui hæc non facile intelligat. Qui supra fratres esse vult, *in cœlum ascendit*, non satis habens in terris stare. *Ponit os suum in cœlo.* Psalm. 73: 9. Postulat verba sua excipi, tanquam de cœlo dicta. Qui lucent in Ecclesiâ tanquam sidera, hoc est, doctores & rectores (nam illi *stellæ* nuncupantur in Apocalypsi & φωστῆρες à Paulo) supra illos, ut eos subjiciat suis præceptis & judiciis, thronum suum collocare, est sanè supra stellas Dei solium suum collocare. *Sedere in latere* altaris *septentrionali* est considere in Ecclesia juxta Christum inter oculum fidelium & Deum. *Nubes*, unde *pluvia & ros*, nisi fallor, est elegans ænigma Scripturæ, unde omnis sermo veritatis. Eam subjicere sibi, est in *celsa nubis* ascendere. Qui loquitur non auctore Deo tanquam divina præcepta & sententias, & peccata condonat ac retinet, quibus vult, & regna transfert, hoc facit, quod est altissimi. Aut quis tandem est, in quem illa

Elationis descriptio ex Es. 14. v. 13. 14.

competant, ut non competant in eum, qui ea facit?

Ex Dan. 11. 36. 37. 7. Quare & Danielis cap. 11: 36. 37. cum Rege se efferente supra omnem Deum conjungitur *Deus peregrinus*, qui cum ipso *distribuat munimentis arcium* præmia.

Imago Bestiæ. 8. Apocalypsis dicit, *Bestiam secundam*, quam & Pseudoprophetam vocat, *dixisse habitantibus in terra, ut facerent imaginem Bestiæ, quæ habebat plagam ensis, & sanata est.* eique *datum esse, dare spiritum imagini, ut & loquatur imago Bestiæ, & faciat, ut, qui non adorant imaginem Bestiæ, occidantur.* Quis neget, hæc in symbolicis verbis tantundem valere, atque si dictum esset planis & simplicibus verbis, Doctores populi illius, qui visus est esse Ecclesia, persuasisse illis, qui in rebus Ecclesiæ externis communionem habent, sed spiritualium & cœlestium exsortes sunt, ut haberent aliquem ex episcopis pro Capite, qui repræsentet totam Ecclesiam & totum illud imperium, atque ita sit & Episcopus & magistratus œcumenicus, in cujus persona resideat omnis potestas Ecclesiæ, in cujus motu proprio contineatur obedientia, in cujus dicto contineatur fides Ecclesiæ; quippe qui habeat Spiritum sanctum assistentem, qui ipsum conservet ab omni errore; & ut is loquatur & doceat & tradat & præcipiat & judicet, efficiatque ut omnes, qui non adorant Ecclesiam, hoc est, Romanum populum illi Capiti assentientem & illud Caput, interficiantur? Nos ita confirmamus expositionem & applicationem nostram. Qui ea docent, quæ dicit Apocalypsis, & de quo ea docentur, quæ Apocalypsis dicit docenda de imagine Bestiæ, ii sunt partim Bestia altera, partim Imago Bestiæ. Atqui doctores suadentes talem fidem & obedientiam erga Papam, & Papa, de quo talia docentur, hæc docent, quæ Johannes dicit à Secunda Bestia & de Imagine Bestiæ docenda. Ergo hi doctores sunt Bestia altera, & Papa est Imago Bestiæ. Hîc nulla supereſt difficultas, nisi si dicas, Hæc non esse eadem. Atqui ad vim argumenti satis est, ut ita sint eadem & ita unum, ut *Homo* & *Homo iste* unum sunt. Nam in verbis Johannis significatur, Qui ea dicunt, quæ sub valore eorum verborum intelligi possunt, esse Bestiam secundam: de quo ea dicuntur & creduntur, quique ea facit, quæ sub valore eorum verborum intelligi possunt, esse Imaginem Bestiæ. Jam verò hæc, quæ in applicatione diximus, sub valore eorum verborum intelligi posse, evidens est.

Parallelismus. 9. Cum his verò consentiunt consultationes hominum etiam à Prophe-

Prophetis ὑποκριτῶν, ut Psalm. 12: 5. Hos. cap. 10. vers. 3.

10. Cui *Spiritus datur* ab hominibus *ad loquendum*, hoc est, cui homines tribuunt, quòd habeat Spiritum ad docendum absque errore, ei tribuitur, quòd sit Propheta. Qui autem id falsò assumit, & secundùm excellentiam Propheta habetur; est sine dubio *Pseudopropheta*. secundùm excellentiam. *Pseudoprophe-ta.*

11. Vocatur & *Pastor stultus* Zachar. 11. qui locum obtinet in Ecclesia, postquam duæ Virgæ Christi, quibus paverat Ecclesiam, confractæ essent: quarum prima vocatur *Suavitas*. Qua confractâ, exortum est bellum Judaicum, ablata pace, quæ fuerat inter gentes. Secunda autem, cui nomen *Gubernatores* sive *Naucleri*, notat gubernationem Ecclesiæ per Presbyteria, sine Monarcha. Qua fractâ, soluta est fraternitas inter Israëlem & Judam; hoc est, tale schisma extitit in Ecclesia, quale olim fuit inter decem tribus & Judam. Cum hoc igitur adoptat instrumenta Pastoris stulti. Intelligendum autem est, talia paulatim fieri. *Pastor stultus.*

12. Quia Apocalypsis monet, quòd illud imperium, sive Civitas magna, in qua dominatur Bestia, *spiritualiter vocetur Ægyptus*, Apoc. 11: 8. rectum erit, quasdam prophetias, quæ nomen Ægypti præferunt, considerare, & videre, an talia in Ægypto propria potiùs, quàm in mystica videantur esse gesta. Qualis est Es. 19. Ita lectorum Scripturæ est, ruminari prophetias de Babel; item de *Tyro*. ut est Es. 23. Ex quo Apocalypsis versiculum sumit cap. 18: 23. *Ægyptus spiritualis.* *Tyrus.*

13. Quòd autem Antichristus negat *potentiam formulæ pietatis*, 2 Tim. 3: 5. quæ in omnium manu est, hoc est, Scripturæ, & legem ipse dat (quæ vocatur χάραγμα) hinc vocatur ὁ ἄνομος עָרִיץ. Et in eo est ἀποστασία καὶ ἀνομία, *defectio & legis rejectio*. *Ἄνομος.*

14. Neque malè vocatur ὁ υἱὸς τῆς ἁμαρτίας, *filius peccati*, peccandi auctor & reatu obstrictus; qui & רָשָׁע *improbus*. ut Es. 11: 4. *Filius peccati.* *Improbus.*

15. Sed satis videmur demonstrasse, quam faciem Antichristi nobis exhibeat Scriptura: &, quid verba Prophetiæ possint significare, sive quibus vocibus nobis usitatioribus respondeant. Quæ quum ita sint, insolentes illi tituli hominis alicujus, qui Dominus, Rex, Monarcha, Sponsus Ecclesiæ, Sacerdos, Summus Sacerdos, secundùm ordinem Melchisedec, Episcopus Oecumenicus, sive universalis, Doctor infallibilis, Judex controversiarum, sedens in tota Ecclesia, vicarius Dei, Deus in terris, fundamentum, in quo Ecclesia ædificatur, Petra, Caput Ecclesiæ denique à temerariis

hominibus, Scriptura non præeunte, nuncupatur, meritò nobis suspecti sunt; ne sint ὀνόματα βλασφημίας *nomina blasphemiæ*. Apoc. 17. vers. 3.

Petrus non petra, sed in petra.

16. Quæ nomina, ut nulli homini, ita nec Petro, quantumcunque inter Apostolos emineat, competunt. qui fingitur *petra* à Christo nominatus vel denotatus, quasi in ipso sit ædificanda Ecclesia, Matth 16: 18. ubi à Petra, qui est Christus, ut lapis vivus ei inædificatus, 1 Petr. 2: 5. denominatur. Petrus idem fundamentum posuit, quod & reliqui Apostoli; in quo ipse ædificatus est inter primos. cui nos coædificamur. Vide 1 Cor. 3: 11. Eph. 2: 20. Neque soli traditæ claves regni cœlorum, ibid. 19. sed & reliquis Apostolis Matth. 18: 18. Joh. 20: 23. Neque ipsi imperium datum in Ecclesiam, Joh. 21: 15. quemadmodum nec cæteris Apostolis Johan. 20: 21. (ubi monentur à Servatore, quod eadem lege, qua ipse à Patre, ad idem loquendum, ad serviendum non ad dominandum in mundo, regnum verò Christi in Ecclesia prædicandum non sibi arrogandum, potiùs vero crucem ejus ferendam, ab ipso mittantur) nec Episcopis Ephesiorum, Actor. 20: 28. aliisque presbyteris, 1 Petr. 5: 2. 3. Matth. 20: 25. 26. 27. Neque verum est, eum misisse, ordinasse, & sub imperio suo habuisse reliquos Apostolos. Quod apertum est in Paulo Gal. 1. & 2.

Papa non succedit Petro in iis nominibus: neque in Apostolatu.

17. Tantum abest, ut Romano Papæ. qui (si Petrus unquam fuit Romæ. quod admodum incertum est. quum certum sit, Ecclesiam illam pertinere ad κανόνα Apostoli Pauli. sanè nunquam fuit vel Antiochenus vel Romanus Episcopus eo more, quo nunc Episcopi Diœcesani sunt: sed, ubicunque fuit, fuit Apostolus, & in regimine Ecclesiæ συμπρεσβύτερος *consenior*) succedit Petro in officio Pastoris sive senioris; non in officio Apostoli (nam vel Apostolis non succeditur, vel duodecim Apostoli forent, quemadmodum Petrus judicavit numerum supplendum. Actor. 1: 21.) neutiquam in officio Capitis Ecclesiæ & imperatoris Apostolorum, Episcoporum & fidelium: quod extra Christum nullum est.

Papa non est Caput in vero significato, aut eo, quo jactatur.

18. Ne tamen magis de nomine, quàm de re controversiam facere videamur, dicimus, nec eam definitionem *Capitis*, quod est Christus, ulla parte convenire Papæ; & Papæ sub eo nomine à suis cultoribus attribui ea, quæ sunt Christi, & quæ cum regno Christi manifestè pugnant. Prioris generis sunt illa, 1. Fidem astringi homini, ut indici verbi Dei & interpreti ac judici & legislatori infallibili.

bili. Atqui præter Christum nullus est datus Ecclesiæ μάρτυς πιστός. quanquam & ipse non venit in nomine suo; ut Papa. Tres sunt, qui testantur in cœlo. 1 Joh. 5. quorum testimonium Papa non vult audiri, aut accipi, ut testimonium testium, qui testantur in cœlis. Absque se enim & suo dicto negat nos percipere posse, hoc esse testimonium trium testium, & quid testentur. 2. Ex auctoritate remittere peccata & tenere, applicare merita Christi per indulgentias ex proprio motu & judicio. 3. Missionem ministrorum Ecclesiæ revocare ad se, & omnem potestatem ministerii & Ecclesiæ etiam in usu verbi & sacramentorum à se suspendere. 4. Sese constituere medium inter Deum & homines, ut sine ipso non possint ad justificationis gratiam pervenire Es. 66: 17. Posterioris generis est *mutare tempora*, hoc est, pro tempore spiritus, gratiæ & libertatis reducere tempus literæ, iræ & servitutis. Quorum primum fit per formulam regni terrestris & principes instar principum, qui in Veteri Testamento fuerunt & dii appellati sunt, & aboliti sunt. Alterum in commemoratione & accusatione peccati quotidiana per sacrificium Missæ. Quo Christi satisfactio & interceſſio negatur; atque is quasi à mortuis reducitur. Tertium in servitutis impositione, quæ conspicitur in delectu ciborum & dierum, matrimonii interdictione, rituumque multorum præceptione; tanquam ex potestate res indifferentes faciendi differentes sub conscientia peccati & fiducia cultus.

20. *Antichristus* igitur potiùs est Papa, quàm *Caput Ecclesiæ* etiamsi in tenuissimo significatu, quem fingere possis, eum quis ita nominet. Certè Papa (quisquis non est contentus prima sede inter pœdadogos in Christo, sed quicunque Paparum volunt haberi pro fidei dictatoribus; ad eum modum, quo Jesuitæ A. 1661. 12. Decembr. Lutetiæ in Collegio Claromontano defenderunt tanquam assertionem Catholicam, quòd Christus abiens è terris voluerit habere Petrum & successores ejus eandem infallibilitatem, quam ipse Christus habet, ad definiendum quæstiones non tantùm juris, sed & facti. quique porrò ea de se volunt credi, quæ apostatæ de ipso credunt) talis, inquam, Papa est εἷς τῶν ἀντιχρίστων *unus Antichristorum*: de qualibus Joannes dicit, *Antichristi multi extiterunt*. 1 Joh. 2:18. quos alioqui Scriptura appellat פֹּשְׁעִים & ἀνόμους, ἀποστάτας *defectores*, generaliùs רְשָׁעִים, זֵדִים, אוֹיְבִים &c. *impios, superbos, inimicos*, φθείροντας τὴν γῆν, ψευδοπροφήτας, ψευδαποστόλους. Id demonstrant omnes doctrinæ

ctrinæ ejus propriæ, in sacra Scriptura oppugnatæ & eam oppugnantes. Imprimis, quòd non servat Canonem & Regulam, eique superaddit, & demit; & Scripturæ potentiam negat: & nominatim illud fidei Ecclesiæ Novi Testamenti fundamentum non integrè confitetur, *Iesum Christum qui venit in carne*, 1 Joh. 4: 2. atque adeò ipsius doctrina talis est, ut, qui eam tenent, censendi sint *non confiteri Iesum Christum in carne venientem*. 2 Joh. 7. imò negare. 1 Johan. 2: 2. Quò pertinet illa regula, 2 Joh. 9. *Omnis transgrediens & non manens in doctrina Christi, Deum non habet. Qui manet in doctrina Christi, is & Patrem & Filium habet.* Item 1 Joh. 2: 24. *Si maneat in vobis, quod ab initio audivistis, & vos in Filio & Patre manebitis.* & v. 28. *Filioli, manete in IPSO.* Quod est Colos. 2: 19. κρατεῖν τὴν κεφαλὴν. *RETINERE illud caput.* Item illa regula, *Omne mendacium ex veritate non est.* 1 Joh. 2: 21. ut sciamus, non tantùm ipsis syllabis expungendis abnegari *Iesum Christum, qui in carne venit*, sed etiam negando eo, quod in pondere, in vigore, & consequentia illius veritatis est. & affirmando id, quod consequentia illius articuli destruit. Nam, *quod ex veritate est, veritas est*; si *mendacium ex veritate non est.* Magnus Catalogus hìc à nobis necti posset mendaciorum, quæ, vel negando, quod verum est, vel per positionem doctrinæ veritatem destruentis, committit contra illud fidei Christianæ Symbolum, *Iesus est Christus, qui in carne venit.* Pro exemplo sint hæc. Qui confitetur illud symbolum integrè (nempe cum illis veritatibus, quæ ex illo sunt) is confitetur 1. Impossibilitatem justificationis per legem & opera, propter peccatum: &, sanguinem Christi nos purgare ab omni peccato. Atqui Papistæ docent partim meritum congrui ad justificationem; partim justificationem, hoc est, peccati abolitionem & dignitatem ad vitam obtinendam, in habitu quodam & opere. 2. Impossibilitatem obedientiæ absque liberatione per spiritum vitæ in Christo à lege peccati. Atqui apud Pontificios statuitur liberum arbitrium in omni homine; &, gratiam quandam sufficientem indifferentem in potestate hominis positam, per quam se, quum voluerit, convertat, doceri toleratur. 3. Omnem hominem in hac vita habere peccatum, concupiscentiam, cum qua luctatur; nec posse dicere, non peccavi. At Papistæ docent, concupiscentiam non esse peccatum, & peccata quædam non mereri mortem, & obedientiam quorundam esse perfectam, quorundam etiam plusquam perfectam. 4. Christum esse ἱλασμὸν pro omnibus fide-

fidelium peccatis & pro illis intercedere apud Deum, ut justis in se. At illi dicunt, quotidiano sacrificio esse peccata expianda. 5. Unicam victimam esse Christi corpus, in quo venit cum aqua & sanguine. At illi dicunt, illum venire adhuc in panis & vini accidentibus vel substantia; & modo incruento sine sanguine effuso immolari. Esse satisfactiones & merita alia: & sic aliam πηλὸν, aliud ὕδωρ, aliud αἷμα. 6. Nullam legem novam à Christo ferri, nisi quam filii Dei ab initio audiverunt; novam ut veram in Christo & in nobis sine umbris. At illi novas leges ferendi potestatem attribuunt Papæ. 7. In regno Dei solum regem & dominum esse Christum. At illi consortem potestatis faciunt Papam; & jubent fiduciam ponere in Maria virgine, & Sanctis & Angelis, eosque invocare. 8. Nos non habere opus doceri à quoquam, nisi ut spiritus nos docet, & veritas imaginis Dei est, non umbratilis servitus; quia Christus per Spiritum suum nos docet de omnibus in sacris literis. At illi Traditiones non scriptas crepant; & doctorem alium obtrudunt. quem à nemine volunt judicari. Hæc specimina ex vestibulo epistolæ S. Johannis, qua Ecclesiam armat contra doctrinam Antichristi, delibasse sufficiat.

CAPUT LXXXV.

De Liberatione Ecclesiæ ab Antichristo.

Utilitas hujus partis cognitionis mysteriorum Dei.

Insigne id opus Dei est. idque jam Ecclesia ex parte experitur. Necesse est hoc ita considerare, ut animadvertamus & celebremus veritatem Dei. Nam, quemadmodum res gesta, ita & prædicta est. Potestque hoc imprimis magnum & validum esse argumentum apud infideles, ut agnoscant fidei Christianæ soliditatem & regnum Christi. Pertinet id quoque ad spem; & ne vincamur ullius tentationis acerbitate; si forte quæ adhuc immineat Ecclesiæ: utque caveamus reverti eò, unde educti sumus, instar canum suos vomitus resorbentium, & cum Meretrice denuò scortari. A qua scortatione & ejus pœna multis magnum periculum est.

Antichristi regnum habet cancellos.

2. Imprimis observandum est, quòd Antichristi regnum non fuerit futurum universale. Dan. 7. parvum cornu crescens inter cornua quartæ bestiæ notat Antichristum. Atqui ab ea Bestia distinctæ sunt tres reliquæ Bestiæ: & imprimis tertia, quæ cum pardo comparatur; cui dicitur data potestas. Ea igitur Bestia cum

quarta Bestia concurrit. Solet etiam Scriptura cum Ægypto conjungere Assyrium regem. Constat autem, *magnam illam Civitatem*, in qua dominatur Antichristus, *spiritualiter*, hoc est, in sermonibus Spiritus sancti per ænigma *vocari Ægyptum*; Apoc. 11: 8. quia Ecclesia in illo est, quemadmodum olim Israël in Ægypto, &, quia, quod Pharao injuriis suis conatus est efficere, nempe ut unus populus fierent Ægyptii atque Israëlitæ, ea gratia etiam in hoc regno instituitur persecutio; nempe ut Ecclesia suscipiendo signaturam unus populus fiat cum Bestia. Quum igitur Assyrium regnum sit distinctum ab Ægypto illa, planum est, eos, qui sunt sub Assyrio, non esse sub potestate Antichristi, qui dominatur in Ægypto. Et de progressibus Assyrii imperii loquitur, si quis alius, clarè Michæas cap. 7: 11. De quo quid sentiam, explicavi in Commentario. Daniel c. 11: 41. vaticinatur, Regem Austri arietaturum cum Romano. Etiam Apocalypsis cap. 17: 9. 10. 11. 12. 13. satis clarè dicit, regnum Bestiæ & Antichristum coërcitum iri, & tandem in octavo monte sive regno (quod, ni fallor, imperium Germanicum est) substituturum; ita tamen, ut non pauciores decem regibus una hora sint cum Bestia, qui potestatem ei suam tradant, tradendo scilicet eam Antichristo imagini Bestiæ. Zacharias cap. 5: 7. 8. videt Epham & in ea sedentem mulierem, quam appellat רִשְׁעָה *improbitatem & injustitiam*; & massam plumbi sublatam, & injectam in os Ephæ, ad coërcendam scil. improbitatem: quam Epham duæ mulieres cum alis Ciconiæ transtulerint in terram Sinear, ad ei ædificandam domum. Ex quo facilè intelligitur, Meretricem illam magistram erroris & apostasiæ insidentem & exultantem in agapis Ecclesiæ & opibus ejus per gentes invectis onere validi alicujus imperii coërcitum iri, intra certum modum; & ei datum iri auxilia, per quæ domus & regnum ei constituatur quasi in Babylone.

Restrictio dominatus Antichristi in Ecclesia.

3. Idem Zacharias cap. 11. ostendit, Pastorem illum stultum dominaturum, soluta fraternitate inter Israëlem & Judam, hoc est, postquam schisma in Ecclesia Christiana factum fuerit. Unde etiam intelligitur, non in omnem partem Ecclesiæ Christianæ Antichristum dominaturum fuisse. Ita factum. Græci non receperunt dominationem Papæ.

In qua parte Ecclesia sessurus fuerit Antichristus?

4. Quòd autem ea pars Ecclesiæ, quæ *Juda* in ænigmate respondet, (& revera Catholica est, quia defendit orthodoxiam adversus hæreticos) susceptura fuerit dominatum ejus, patet ex Hos. 12: 1. & 13: 1.

& 31: 1. Omitto alia, quæ in Commentario ad Prophetas minores indicavimus. Daniel c. 11: 40. quum Assyrium posuisset versus meridiem, illum, qui ei occurrit, cum quo Antichristus est, ponit ad Septentrionem. Patet autem, Arabes & Saracenos esse in climate Australiori, quàm est Byzantium; quæ initio regni Saracenici fuit metropolis Christiani imperii: &, magis adhuc Germanos & Francos, per quos maxima vis est illata Saracenis.

Separatio rectorum ab erruntibus debuit fieri.

5. Christus in parabola de zizaniis docet, tempus fore, ut zizania, postquam adoleverint, & se ostenderint esse zizania, ut triticum propterea non periclitetur, in fasciculos collectum & in ignem conjectum iri. Matth. 13: 41. 42. Psalmus 125: 3. promittit, *Non requieturum sceptrum improbitatis in sorte justorum, ne justi extendant manum suam ad injustitiam.* Et Psalm. 124: 7. gratulantur sibi pii, quòd *anima ipsorum, ut volucris, evaserit, laqueo fracto.* Ita Psalm. 11: 3. *Stamina diruebantur: justus quid fecit?* Es. 11: 4. *spiritu labiorum suorum interficiet improbum.*

Antichristus non statim revelatur.

6. Sed de ordine liberationis videndum. Fuit Antichristus, priusquàm revelatus fuit. 2 Thess. 2: 8. Ergo aliquamdiu fuit occultus & tectus. quando nempe hæreses damnavit, & visus est Scripturæ auctoritatem præ cæteris tueri. Unde nata est etiam in piis opinio aliqua de throni illius electione præ cæteris. Quæ multorum doctorum & sanctorum virorum opinio elationem ipsius valde promovit, & in hypocritis causa fuit adorandi Bestiam & illum pædagogum adorandi tanquam Caput & imaginem Ecclesiæ, revera Bestiæ. Inde arguitur Angelus, hoc est, doctor Ecclesiæ Thyatirensis, quòd Isabelem, quæ se dicebat prophetissam, docere, & servos Dei errare sineret. Apocal. 2: 20. Promittit tamen Christus reliquis, qui erant in ea Ecclesia, & qui ignorabant profunditates Satanæ, quòd iis non esset impositurus aliud onus. v. 24. Quodque vincenti sit daturus sidus matutinum & potestatem in gentes. Quo notatur reformatio & victoria & regnum. Thyatirensem hîc dici Ecclesiam certi temporis, vel certi loci Ecclesiam proponi velut typum Ecclesiæ in aliquo tempore, qui neget, eum valde pertinacem esse necesse sit. Sed ex Pauli verbis patet, sic futurum Antichristum & adoratum iri ad tempus, ut tamen lateat fideles, & il illum docentem ferant: sine dubio per ignorantiam, quamvis culpabilem; & propter quandam bonam opinionem de throno ipsius; & neglectum Scripturæ.

Revelatio Antichristi.

7. Revelatio autem ejus sive dubio illa est, quando incepit veritati apertè contradicere, piè volentes vivere persequi: & demonstratum fuit, doctrinas ejus cum Scriptura pugnare. Testatur Apocalypsis cap. 14. voces quasdam auditum iri. Sed, easdem cessaturas, ex eo constat, quòd deinde introducitur Angelus *volans per medium cœlum* habens *Euangelium æternum*, hoc est, quod deinceps nunquam opprimendum sit. Ita eadem testatur cap. 11. duos testes tandem in foro Civitatis magnæ revicturos, & in pedes suos constituros, & in cœlum ascensuros. Quo notatur, Scripturas ita tractatum iri & ea ex Scripturis prædicatum iri, quæ conscientias plurimorum tangant, ut intelligant, errores, abusus, & idololatriam & tyrannidem Bestiæ verè in iis redargui, Scripturæque soli tanquam verbo Dei esse adhærescendum. Non potuerunt testes Dei mortui jacere, quando prædicari cæpit *Euangelium æternum: Timete Deum & date ipsi gloriam; quia venit hora judicii ipsius: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram & fontes aquarum.* Ex quo intelligitur, dictum fuisse hominibus & ex Scripturis demonstratum, quòd adorarent aliud, & Deo gloriam justitiæ, sanctificationis, & regni, non darent; sed gloriam ipsius abnegarent: quum tamen ipse potens sit, & cœlum terramque fecerit & fontes fluviorum faciat, atque adeò minima in mundo curet: & populos regesque populorum faciat instar fluviorum decurrere & nox exarescere: ne putent, eum non posse aut non velle in Ecclesia sua esse omnia & ei, sine ope hominis de omnibus prospicere, & Bestiæ opibus nitantur & ejus charagma recipiant.

Duo testes surgunt.

Prædicatur Euangelium æternum.

Via justitiæ manifesta facta.

8. Quum verò *via* illa *justitiæ* tam fuit manifesta facta, ut ne stulti quidem aberrarent, quum scirent viam aliam esse pravam: (ut est Es. 35: 8. *Et erit ibi agger & via, qua via sancta appellabitur; per quam non transibit Impurus, & ea ipsis erit: ambulans viâ & leves* ac pueri *non errabunt*) & asserta est auctoritas Scripturæ supra Traditionem & legem hominum ac signaturam Bestiæ, & ita duo Testes in cœlo & in summo auctoritatis culmine collocati sunt: tum ille, qui visus est antea sedere & lucere in cœlo, cecidit in terram. ut est Apocal. 9: 1. Cui casui respondet casus regis Babylonis mysticæ in terram, Es. 14: 1. Hic autem casus non notat, eum fuisse privatum omni regno (Nam datur ei, postquam occiderat, clavis putei abyssi) sed quòd apud plurimos homines perdiderit eam existimationem, quam antè habuerat, quum putaretur de cœlo loqui. Quemadmodum

Sidus cadit in terram.

dum in cœlo fœderat & fuerat ſtella opinione hominum; ita lapſus eſt in terram, quum homines eam opinionem abjecerunt. Convenit, quòd rurſus Apoc. 14: 8. poſt prædicationem Euangelii æterni cæptam annunciatur caſus Babylonis. *Cecidit, cecidit Babylon.* Sumtum hoc ex Eſaiæ cap. 21: 9. ubi de Babylone priori ſermo eſt; quæ dicitur *cecidiſſe*, poſtquam viſa eſſent parva initia motus bellici. Neque verò hîc ita ſignificatur cecidiſſe, ut nullum regnum retineat. Nam & cap. 18. quum v. 2. dictum eſſet, *Cecidit, cecidit*; jubetur populus Dei ex ea exire, v. 4. ipſi denunciantur extrema, quia ſe glorificaverit in corde ſuo, & dixerit, *Sedeo regina.* &c. In c. 18. dicitur ampliùs, quàm in c. 14. *Cecidit, cecidit Babylon* &c. *& facta eſt domicilium dæmoniorum & omnis avis immundæ.* Alludit ad Eſ. 34. Ut in deſolatis civitatibus ſerpentes & infauſtæ aves dominari ſolent, ita innuit factum, ut in Babylone dæmonia regnent & homines obſcœni ac mali. Nam cujus, quæſo, domicilium eſt, ubi doctrinæ dæmoniorum obtinent ac qui eis delectantur, & non feruntur, qui verbi divini ſe diſcipulos profitentur & volunt piè vivere, ſaltem, qui timent in nomine Dei dicere & facere, cujus Deus auctor non eſt, ſed quod homines præcipiunt? Hæc autem putamus dicta eſſe in illos, qui fundamentum Chriſtianæ religionis abnegant, & prona voluntate recipiunt ſignaturam Beſtiæ: non autem in eos, qui, tametſi corpore adhuc cum ipſis ſunt, ſuſpirant tamen, & ſperant emendationem, &, propter ſcandala, quæ alibi ipſis objiciuntur, cujuſcunque id culpa fiat, neſciunt, quò ſe conferant. Nam, etiam, poſtquam dictum eſſet, *Cecidit, cecidit*; ſequitur vox & inhortatio ad populum Dei; *Exite ex illa, populi mi.* Quod quidem primò intelligendum eſt de relinquendo loco; ſed & de relinquenda communione. Non ſtatim omnibus patefiunt profunditates Satanæ. Quemadmodum Babylon, quum Zerubbabel inde egreſſus eſſet, cæpit relinqui à populo Iſraëlitico & habitaculum fieri ſolorum hominum impurorum; ita, quando Eccleſia cæpit ex Babylone egredi, cæpit fieri habitaculum tantùm dæmoniorum & impurarum avium. Sed, ut continuatur egreſſio populi, ita proficit deſolatio Babylonis. Poſſumus igitur eatenus habere ſpem de quibuſdam, qui nondum egreſſi ſunt ex Babylone, quatenus poſſumus habere ſpem, eos neſcire, quid in Babylone geratur, & quæ ſit cauſa eorum, qui egrediuntur ex ea, & *non habere doctrinam* Babylonis, ſed per verba fundamenti veritatem didiciſſe & amorem Dei ad parendum.

rendum certo verbo ipsius concepisse, & suspirare propter peccata, quæ in Babylone fiunt.

Modus separationis.

9. Non difficile est intelligere, quo modo & qua ratione futurum fuerit, ut Ecclesia non posset una cum Bestia & Pseudopropheta & imagine Bestiæ manere: sed coacta fuerit ab illis discedere. Quando pii inceperunt dicere, Verbum Dei esse audiendum, non hominum; vanum esse cultum Dei per instituta humana; perperam multa fieri in Ecclesia; justitiam peccatoris esse, non opera ipsius, sed Christi obedientiam & passiones; &, eam justitiam per fidem obtineri; atque id auditum est à multis suspirantibus & ingemiscentibus sub iis tenebris, quibus erant circumvallati; quorum cogitationes exhibet Psalm. 4: 7. *Multi dicunt, Quis nos faciet videre bonum!* quando, inquam, hoc incepit fieri, &, qui ejusdem sensûs essent, inter se colloqui: tum id doluit Bestiæ & Capitibus ejus, & suspectum fuit (& verò negandum non est, potuisse inter se convenire & de abusibus conqueri etiam illos, qui veritatem non cognoverant, neque amabant) ideoque omni supplicio illos in ordinem redigere conati sunt. Ita actum est cum illis, qui amore veritatis se conjunxerunt ante tempora Hussi. Quorum persecutio fuit crudelissima. Testatur tamen aliquis hostis ipsorum Reinerius, quòd inter illos, qui ab *Ecclesia*, quæ se *Romanam* vocabat, dissentiebant, fuerint, qui *omnia benè de Deo crederent & omnes articulos, qui in Symbolo continentur; & justè viverent*: solummodò *Romanam Ecclesiam blasphemarent & Clerum.* addito, *Cui multitudo laicorum facilis est ad credendum.* Sed de doctrina illorum testantur Confessiones eorum & historiæ ab ipsis editæ; atque etiam hostes eorum. Possunt saltem legi, quæ Jacobus Usserius de successione Christianarum Ecclesiarum ea de re habet cap. 6. De eo constat, eos idololatriam fuisse abominatos, docuisse justitiam ex fide, pro principio fidei habuisse Scripturam, Symbolum Apostolicum tenuisse, Papam non habuisse pro Capite Ecclesiæ, vitæ honestæ & justitiæ studiosos fuisse, omnia reliquisse propterea, ne communicarent cum peccatis Romanæ Ecclesiæ, & omnia mala tulisse. quod certè non fecerunt propter luxum & nequitiam. Atque ego puto, eos non destitui testimonio Scripturarum. Nam, quod Esaias dicit cap. 57: 5. *Qui mactatis pueros in vallibus sub fastigiis petrarum*, id plenissimè verum compertum est in iis, qui hosce pueros & eorum infantes aliquoties in illis vallibus trucidarunt.

10. Por-

10. Porrò, quòd Johannes cap. 18. v. 5. *audivit aliam vocem, Exite* &c. id apparet non esse confundendum cum prædicatione *Euangelii æterni*, neque etiam cum annunciatione casus Babylonis, sive quòd Babylon cæperit cadere. Non igitur potest intelligi tantùm præceptum aut inhortatio ad fugiendam communionem peccatorum Babylonis. Nam ea inhortatio in superioribus vocibus continetur. Et præcipitur exitus, *ne communicent cum peccatis*; imò etiam *cum plagis*. Plagæ autem vitari non possunt ab eo, qui manserit in iisdem locis, in quibus Bestia regnat. Ergo intelligitur Vox q. ex cœlo audita, ut egrediantur. Quæ vox non est alia, quàm, quæ hîc & alibi scripta est in sacro Codice. Nam ex hoc verbo intelligitur, Aliquando futurum tempus, quum vitanda sit communio cum peccatis falsæ Ecclesiæ & cum plagis per receſſionem à loco ipsius; &, quum occasio sese præbitura sit ad excedendum; tanquam patefacta porta, & libero exitu dato, veluti ex portis Inferni. Quando igitur ista peccata exstant, & plagæ imminent, & libertas excedendi datur, & locus, in quem confugiant, qui piè velint vivere, ubi id liceat: tum certè q. de cœlo auditur hæc vox; *Exite ex ea, populi mi.* Quum Cyrus promulgavit edictum, licere omnibus, qui essent de populo Dei, in patriam reverti: id tantundem fuit, atque si audiretur ex cœlo vox Prophetæ: Fugite ex Babylone. Es. 48: 20. Jerem. 51: 6. 45. Ita, quando audita est vox, *Pax, pax, propinquo & longinquo.* Es. 57: 19. hoc est, quando prohibita est infestatio principum & Civitatum aut etiam persecutio ob causam religionis; tum audita est vox Dei, dicentis; Exite, populi mi. Qui aperit carcerem, jubet captivum exire. Cui datur locus tutus, ubi sine periculo possit vera loqui & recta facere, & non cogatur falsa dicere & mala facere; is vocatur ad eum locum divina jussione. Præterquam quòd unicuique sua conscientia testis est, non esse tentandum Deum, neque diligendum locum, in quo semper tentetur & ad communionem mali illiciatur; ubi non liceat Dei nomen profiteri & omnia officia Christiani hominis facere, & ab omni specie mali abesse. Porrò datum esse Ecclesiæ locum in diversis Civitatibus & terris, ubi liceret ei tutò fidem profiteri & pietatem exercere, in propatulo est. Maximè autem tunc videtur Ecclesia vocata ex Babylone, quando lege imperii vetita est infestatio principum & Civitatum, quæ Euangelio nomen dederant. Secuta est pax Ecclesiæ in Britannia, in Gallia, in Belgio. Habac. c. 3: 14.

Præceptum exeundi ex Babylone quando auditum?

Initia reformationis Civitatum vocatæ ex Babylone.

c. 3: 14. *villas* vocat terras, in quibus Ecclesia habuit receptum. Esaias. c. 19: 18. *quinque civitates* in media Ægypto exstituras prophetat, *loquentes lingua terræ Canaan & jurantes Iehovæ*, hoc est, verba, quæ ex Hierosolyma prodierunt, in ore ferentes, & cum Deo, cujus promissiones in Christo factæ sunt Næ & Amen, fœdus facientes. Facile est ostendere in eo regno, quod olim Ægyptus fuit, quinque δυναστείας, in quibus id compleatur. Suedia, Dania, Britannia, Belgium confœderatum, pars magna Germaniæ cum Helvetiæ parte.

Pax.

11. Hæc igitur prima liberatio est Ecclesiæ à jugo Antichristi, significata per ruptionem staminum & laquei, Psalm. 11: 3. & 124. v. 7. Ei respondet, quod est Es. 2: 4. *non tollet gens contra gentem gladium.* q. d. faciet, ut ad tempus gladii recondantur. Ita Ezech. 39: 3. *Excutiam arcum tuum ex læva tua & tela tua ex manu tua dextra cadere faciam*, hoc est, impediam conatus tuos, quum paratus eris ad infestandam Ecclesiam. Item, quod Apocalypsis dicit, Reges & Principes Babylonem desolatam facturam. Apocal. 17: 16. Quod fecerunt, relinquendo eam. Neque hîc Assyrii Solymanni opera, quam imprudens navavit Ecclesiæ, desiderata est. Es. 23: 12. Convenit in hoc tempus ligatio quatuor Angelorum ad Euphratem. Apoc. 9: 14. Quemadmodum enim quinque civitates sunt in Ægypto loquentes linguam terræ Canaan, ita quatuor regna magna sunt in Babylone, quorum rectores spiritus ligati fuerunt ad tempus, sed parati fuerunt ad egregiendum vel in horam, vel in diem, vel in mensem, vel in annum, non exuentes desiderium & promtitudinem exeundi. Omittimus de industria, quæ Prophetia de quibusdam eventibus vaticinatur: contenti ea indicasse, quæ notabiles periodos & conversiones in statu Ecclesiæ important.

Ligatio quatuor Angelorum ad Euphratem.

Liberati à jugo Antichristi non perinde omnes grati.

12. Observandum autem, ad egrediendum ex Babylone magnum & acrem stimulum adhibitum fuisse populo Dei; nempe anathemata fulminata Tridenti contra veritatem. Quæ fecerunt, ut, qui veritatem nossent & ea anathemata, non possent in Babylonica civitate hærere. Ea anathemata ipsam Babylonem seipsa deteriorem fecerunt, &, quantum in illis est, hoc faciunt, ut nemo reperiatur in ea amator veritatis. Per ea se habitantes in ea sepeliverunt & collocarunt inter mortuos. Quemadmodum ferè Ezechiel loquitur cap. 39: 11. Huic tempori convenit, ut puer ludat ad cavernam Basilisci. Es. 11: 8. 9.

13. Sed

13. Sed noſtrum eſt potiſſimùm conſiderare, an Prophetia de iis, qui ejus liberationis participes fuerunt, id teſtimoninm reddat, quòd ſe ita geſſerint, ut dignum erat ea gratia, auxilio & potenti brachio ac ſapienti gubernatione Dei, libertate, & verbo, quod quotidie audiverunt. Ego verò valdè vereor, ne ea, quæ extant Apoc. 3: 1. 2. 3. & Eſa. 58. atque 59. in multos, qui hujus gratiæ participes facti fuerunt, conveniant. Pſalm. 107: 35. 36. 37. 38. 39. 40. *Ponebat deſertum in ſtagnum aquarum & terram ſiticuloſam in exitus aquarum; & ponebat ibi eſurientes, & inſtituerunt urbem habitationis; & conſeverunt agros & plantarunt vineas & paraverunt fructum proventus: & benedixit eis, & multiplicati ſunt valde, & pecudes eorum non imminuebat. Et diminuti ſunt, & depreſſi, ob imperium, malum, & mœrorem.* Sed non eſt opus prophetiis: res aperta eſt. Conſtat enim, multos ad exitiales hæreſes deviaſſe: inter eos, qui eandem cauſam agere debebant, lites non facilè reconciliabiles extitiſſe: in ſententiis quoſdam ad Papana principia & dogmata rediiſſe: alios ſe à fratribus ſeparaviſſe & fores deteſtandis erroribus patefeciſſe: Scripturæ ſtudium refrixiſſe: circa regimen Eccleſiæ graves controverſias exortas eſſe: inter doctores rixas exercitas: neque etiamnum eos fructus cerni, qui debebant: denique in pleriſque eſſe magnum ſtudium rerum mundanarum, neglecto regni Dei. *Liberati à jugo Antichriſti non perinde omnes grati.*

14. Et hiſce ſine dubio cauſis debetur, quòd, quum per ſeptuaginta annos Tyrus myſtica contemta & neglecta fuiſſet, rediit ad canendum carmen meretricium, Eſ. 23. & abominabile ſtupendum reſtitutum eſt, Dan. 12. Civitas myſticè Hieroſolyma dicta perrupta eſt, Zach. 14. meſſis, & vindemia quædam acta eſt, Ap. 14. prodieruntque, laxatis quatuor angelis, myriades illæ, Apoc. 9. & Gogi exercitus Civitatem ſanctam cinxit. Apoc. 20. Et, quamvis hactenus videamus Eccleſiam non derelictam, tamen & nullam videmus inter eos, qui Chriſtum una invocant, concordiam, ſed & bella feralia vidimus & necdum compoſitas ſimultates cernere eſt. Neque porrò mirum videri deberet, ſi etiam magis brachium populi ſancti debilitetur, & tota terra rurſus cum Tyro ſcortetur. Eſ. 23: 17. Nam ea eſt perpetua ratio Euangelii, ut ira de cœlo reveletur in eos, qui eo non dignè uſi ſunt, & veritatem per injuſtitiam detinent. De quibus rebus quum in hoc capite pro dignitate agi non poſſit, neque propoſitum nobis ſit hoc loco hiſtoriam implementi Prophetiarum texere, neque noſtrum ſit, de iis, quæ necdum *Caſtigatio ingratorum.*

completa sunt, quomodo ea futura sint, definitè dicere (ne temerarii comperiamur) satius est, ut in hoc finiamus, & regnum Dei exspectantes ad diligentem Scripturarum ruminationem relegemus. Imprimis cupimus hîc considerari Hos. 11: 8. 9.

Caput LXXXVI.

De Regno Ecclesiæ.

Regnum Ecclesiæ promissum.

Nam est sanè Ecclesiæ promissum *regnum*; quod nos oportet toto corde occupare (Nam hoc est amantis gloriam Dei & proximi salutem) & ad id omni verbo & facto omnique labore & patientia sic conniti, ut officium nostrum expleamus, & ab eo non desciscamus, aliquid audentes facere, quod nobis mandatum non est.

2. Satis erit hîc nobis promissiones aliquot istiusmodi posuisse. Gen. 49: 10. *Ei erit obedientia populorum.* Secundùm illud Gen. 12: 3. 18: 18. 22: 18. *In te benedicentur omnes gentes; omnes familiæ terræ. In semine tuo benedicent sibi omnes gentes.* Deut. 32: 43. *Cantate, gentes, populus ejus: quia sanguinem servorum suorum vindicat: & ultionem reddit hostibus suis, & expiat terram suam, populum suum.* Deut. 33: 29. *Beatus tu, Israël, Quis ut tu, populus salvatus in Iehovah, clypeo roboris* sive invicto *tuo & qui est gladius erectionis tuus; & mentiuntur tibi inimici tui, & tu celsa illorum calcas.* Psalm. 8: 7. *Facis, ut potestatem habeat in opera manus tuæ, omnia posuisti sub pedibus ejus.* Psalm. 72: 19. *Et benedictum sit nomen gloriosum ipsius in seculum; & implebitur gloria ejus tota terra.* Ps. 82: 8. *Tu hæreditatem cernes in omnibus gentibus.* Psalm. 86: 9. *Omnes gentes, quas fecisti, venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Psalm. 110: 6. *De torrente in via bibet: iccircò efferet caput.* q. d. quia in extremo periculo versatus fuerit, & fidelis manserit, (quod de membris Christi facilè intelligi potest) ideò efferet caput. de qua elevatione Ecclesiæ Psalm. 107: 41. *Et sublimavit egenum ex inopia* & debilitate; *& posuit tanquam oves familias. Vident recti, & lætantur; & omnis injustitia claudit os suum.* Es. 2: 4. *Non discent amplius bellum.* v. 17. 18. *Sublimabitur Iehovah solus illa die & idola omninò abibunt.* Es. 11: 10. 11. 12. *Radicem Iessæ, quæ stat in signum populis, gentes adibunt, & erit quies ejus gloria. Et fiet illo die*, hoc est, postea, *admovebit Iehovah iterum manum suam ad acquirendum residuum populi sui. & tollet signum gentibus & colliget populos Israëlis & sparsa Iudæ congregabit à quatuor plagis cœli.* Confer 27: 13. Psal. 107: 2. 3. Es. 19: 24. 25. *In illo die fiet Israël* (Ecclesia) *tertia Ægyptiis & Assyriis, benedictio in*

medio

medio terræ; id quod benedixit Iehovah Deus exercituum; dicendo: Benedictus populus meus, Ægyptii, & opus manuum mearum Assyrii, & hæreditas mea Israël. Es. 24: 23. *Et compungetur Sol, & pudefiet Luna; quum regnum capessiverit Iehovah in monte Sion & Hierosolymæ, & coram senioribus ejus gloria.* Legatur & Es. 33: 20. 21. 22. 23. 24. Es. 52: 14. 15. 53: 12. caput 60. 65: 15—25. 66: 18. 22. 23. 24. Ezech. 39: 35. 36. 37. 38. 39. Visio, quæ est c. 40—48. quamvis à prima prædicatione Euangelii impleatur, tamen & illustriora & majora Ecclesiæ incrementa promittit. Hos. 2: 23. 24. 25. vel 20. 21. 22. 11: 10. 11. 14: 5. 6. 7. 8. 9. Mich. 4: 4. 5. 6. 7. 7: 18. 19. 20. Habac. 3: 19. Zoph. 3: 19. 20. Zach. 14: 8. 9. 10. Dan. 2: 35. *Implevit totam terram.* 7: 27. *& regnum ac potestas & majestas regnorum sub omni cœlo data est populo sanctorum excelsorum. Regnum ejus regnum seculi & omnes potestatem habentes ei servient & obedient.* Confer c. 12: 2. 3. 12. Matth. 24: 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in tota habitabili in testificationem omnibus gentibus.* v. 29. 30. 31. *statim autem post angustiam dierum illorum Sol obscurabitur & Luna non dabit lucem suam & sidera cadent de cœlo & virtutes cœlorum commovebuntur: & tunc apparebit Signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum potentia & gloria multa. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ipsius ex quatuor ventis, ab extremo cœlorum ad extrema illorum.* Ex his intelligi potest, quod Apostoli tradiderunt Ecclesiis, *quòd ipsos oporteret per multas afflictiones intrare in regnum Dei.* Actor. 14: 22. De quo regno ironicè loquitur 1 Cor. 4: 8. *sine nobis regnum adepti estis.* Adde Apoc. 7: 14. 15. 16. 17. cap. 11: 15. *Facta sunt regna mundi domini nostri & Christi ipsius, & regnabit in secula seculorum.* 17. *Gratias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, is qui est & erat & venit, quòd accepisti potentiam tuam magnam & rex factus es.* cap. 15: 4. *omnes gentes venient & adorabunt coram te.* ex Psalm. 86. c. 20: 11. *Et vidi thronum candidum magnum* &c. cap. 21: 1. *& vidi cœlum novum & terram novam.* ex Es. 65. & 66. ibid. v. 24. 25. 26. ex Es. 60.

3. Ex his perspicuum est, potestatem Antichristi magis magisque diminuendam esse. De qua diminutione Apostolus dicit 2 Th. 2: 8. *Quem Dominus ἀναλώσει consumet*, paulatim scilicet, *spiritu oris sui, & καταργήσει abolebit* (possit hoc verbum respondere תֹּשִׁית, quod est Psalm. 8: 3.) τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. q. d. *affulgentia adventus sui.* Confer Matth. 24: 30 Possunt intelligi opera Christi, *Diminutio potestatis Antichristi.*

quæ immediatè antecedunt adventum ejus; quæ sunt tanquam lux auroræ antecedens ortum Solis. Johannes dicit cap. 17: 16. *bi odio habebunt meretricem, & desolatam facient eam & nudam, & carnes ejus comedent, & ipsam comburent igni.* Et cap. 18: 21. *Sic impetu conjicietur Babylon magna civitas & non invenietur amplius* &c. Etiam in Psalmis abolitionis tyrannorum mentio non infrequens. Psalm. 10: 13. *Non addet amplius terribilis esse homo de terra.* Psalm. 12: 9. *Pro exaltatione vilitas filiis hominum.* Confer Apoc. 18: 7. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν. Psalm. 94: 20. 21. 22. 23. *An sociabitur tibi thronus nequitiarum, formans ærumnam præter statutum* sive *definitionem? Qui expeditionem faciunt contra animam justi, & sanguinem innoxium condemnant? Et fuit Iehovah mihi in arcem sublimem & Deus meus in rupem receptûs mei. Et refudit in ipsos nequitiam suam & in malitia sua profligabat ipsos. Profligabat ipsos Iehovah Deus noster.* Omitto alia. Apocalypsis docet, futurum ut Bestia & Pseudoproheta conjiciatur in stagnum ignis. Deinde & Diabolus cap. 19: 20. & 20: 10. & *mors & infernus.* vers. 14. In *stagnum* verò *ignis conjici* significat indurari ita, ut in induratione habeant non modò conscientiam malam & terrificantem, sed etiam dolorem ex Ecclesiæ libertate & regno intolerabilem. Confer Es. 66: 24. & Zach. 14: 12. Nam resurrectionem illam, quæ describitur c. 20: 12. 13. ex circumstantiis intelligimus multorum ex omnibus gentibus conversionem. Confer Dan. 12: 2. eamque resurrectionem mundi secundam videmur rectè appellare; quæ sequatur mortis secundæ efficaciam & regnum. Esaias cap. 14: 22. Babylonis mysticæ deletionem vaticinatur. cap. 23: 18. prænunciat, Spolia & mercedem Tyri meretriciam neque reconditum in thesauris, neque possessum iri. cap. 25: 7. 8. velum ab oculis gentium auferendum & lacrimas abstergendas esse. cap. 30: 30. 32. 33 sunt illa notabilia. *Et faciet Iehovah, ut audiatur majestas vocis sua, & descensus brachii sui ut videatur, in efferveſcentia iræ & flamma ignis vorantis, dissipatione & imbre & lapide grandinis* (convenit cap. 32: 19.) *Nam à voce Iehovæ consternabitur Assyrius*; qui *virga percutiet. Et erit, per quemcunque locum transivit virga fundationis, quam requiescere faciet in eo Iehovah, cum tympanis & citharis* erit, *& cum qua* (fundatione) *præliis agitationis pugnaverit. Nam paratum est ab hesterno Topheth: etiam id REGI paratum est*; *profundam latamque fecit pyram ejus, ignis & lignorum multorum*; *halitus Iehovæ* est *ut fluvius sulphuris, incendens eam.* Quæ verba mihi hoc videntur significare. Deum cùm alias plagas brachio

chio exserto infligturum immorigeris & ingratis, tum etiam per Assyrium, hoc est, aliquem Assyriæ dominum, virga percussurum. At vocem Dei tam claram fore, ut & Assyrius ille consternetur. Porrò quocunque in loco aliquando audita fuit prædicatio Euangelii, quæ est veluti pertica fundationis, futuram fundationem Dei, hoc est, Ecclesiam & quieturam & cum tympanis ac citharis celebraturam nomen Dei: etiamsi illam acribus antea præliis impugnaverit, sive Deus tentans eam, sive quivis hostis. Nam Regi illi adversario paratum esse stagnum ignis ardens sulfure. Apocalypsis commemorat septem plagas sub septem phialis cap. 16. inflictas bestiæ & adoratoribus ejus. Mirum, si Bestia ipsa non sentit *ulcus* suum; & in mundo non videt *cruorem*, hoc est, professionem fidei mortis Christi sine vita; & in regibus, principibus, populis non animadvertit voluptatem effundendi sanguinis. Sol verò Euangelii sine dubio Bestiam fecit æstuare. Quæ æstuatio multas blasphemias peperit. Regnum Bestiæ obscuratum est, quum pro verbo Dei anathemata Tridentina & sophismata Jesuitarum valuerunt. In Euphratem effunditur sexta phiala: is siccatur, ut paretur via regibus ab oriente. Antè verò conflatur bellum. Mihi videtur, Euphrates tum commotus, quando populus Antichristi commotus sedibus suis Germaniam inundavit, vicinis terrori fuit, & quicquid est ubique adorantium Bestiam piis graves fuerunt. Ita cum Euphrate exundante comparantur exercitus Assyriorum Esa. 10. Quum is tumultus resedit, an videatur Euphrates satis siccatus, nescio. De ejus percussione vide amplius Es. 11: 15. Reges ab oriente, qui venturi sint, fortasse dicit Esaias cap. 19: 23. Merentur illa, quæ jam fiunt, si cum his comparentur, animadversionem. Septima phiala in aërem effusa comitem habet vocem, *Factum esse*. Nescio, annon aliquid ejusmodi viderimus, quale prænunciatur. Terræmotus ingens alicubi exstitit. Regna quædam afflicta sunt. Dicit Apocalypsis, *Magnam* quandam *civitatem* divisum iri *in partes tres: tum Babylonem in memoriam venturam.* Quis scit, utrum illa propinqua sint an in longum remota? De tempore, ut & de modo rei nihil nobis dicere licet: nisi quòd jubemur exspectare ad certos dies Dan. 12.

Septem phialæ.

4. Eodem autem tempore, quum Euangelium prædicabitur latiùs & gentes intrabunt, etiam Judæos salvatum iri, docet Apostolus Rom. 11: 25. 26. De quare in hisce schedis non licet agere latiùs

Judæorum conversio.

tiùs. Et jam supra cap. 72. §8. 9. 10. 11. quod satis est, diximus. Plura etiam ad Psalm. 85. præcipuè ad v. 5. Si Deus dabit, & videbitur quid ultra dicendum, ad locum citatum epistolæ ad Romanos dicemus.

Caput LXXXVII.

De Fine seculi.

Finis. Christus dicit Matth. 24: 14. *Et tunc veniet finis*, h. e. resurrectio mortuorum & ultimum judicium. Solet id tempus, quod proximè antecedit diem novissimum, *συντέλεια τοῦ αἰῶνος clausula seculi* vocari. Pro quo 2 Petr. 3: 3. *τὸ ἔσχατον τῶν ἡμερῶν ultimum dierum.* Æquum est hos intelligere *καιροὺς ἀναψύξεως* dies vel *tempora refrigerii*, Actor. 3: 19. Pacem fore, innuitur Matth. 24: 37. 38. 39. & 1 Thessal. 5: 3. Nempe & Esaias ac Michæas dixerunt, *Non fore, qui bellum discant, amplius.* Nos, quid illa verba sibi velint, dicere non valemus. Tantùm hoc cogitamus, fuisse aliquando pacem in toto mundo, quando Christus natus fuit. quum fuerunt alta depressa & humilia elata, ut omnia æqualia essent. quemadmodum dicit Esaias cap. 40: 4. Forte simile aliquid erit post hosce dies: quum montes & insulæ fugient, & erit unum mare crystallinum mistum igne. Apoc. 16: 20. 15: 2. Sed, quicquid illa significent, coërcitum iri motus populorum, clarum est ex Habac. 2: 20. saltem, ut Ecclesia non subjaceat ampliùs persecutioni & dissipationi. Psalm. 11: 7. Mich. 4: 4.

Clausula seculi.

Tempora refrigerii.

Pax.

Prophetiæ loquentes de clausula seculi. 2. De qualitate illius temporis cogitans potest legere illos textus. Es. 12. cap. 60. à vers. 11. 65: 18. — 25. 66: 20. — 24. Jerem. 31: 38. 39. 40. Ez. 37: 1 à v. 21. 39. à v. 27. Quædam etiam in capitibus ultimis à cap. 40. eò referri possunt. Joël 4: 10. 11. 12. Amos. 9: 13. 14. 15. Mich. 2: 11. 12. 4: 5. 7: 18. 19. 20. Soph. 3: 20. Zach. 14: 18. 19. 20. 21.

Zachariæ prophetia de statu Ecclesiæ & cultu Dei in ultimo tempore. 3. Qui prophetat, omnes populos ascensuros quotannis Hierosolymam ad celebrandum festum Tabernaculorum, hoc est, Civitatem sanctam & regnum atque habitationem Dei requisituros cum abnegatione hæreditatis & regni terrestris & ἑτοιμασίᾳ ac præparatione animi ad egrediendum ex hoc mundo, & videndum Deum in regno gloriæ. Tum verò omnia sancta Deo fore. h. e. neminem tum vilem fore, qui sit in Christo, qui non sit tam sanctus haben-

habendus, atque ullus alius. Nam in Veteri Testamento sacerdos & locus ei assignatus & res, quas licebat ipsi videre, & quæ ei datæ erant, vocabantur *sanctum sanctorum*: & ab illo gradu arcebantur alii omnes. At in Novo Testamento omnes, qui sunt Christi, sunt *sanctum sanctorum*. Zacharias porrò innuit, ultimo tempore τὸν ἔπαυσιν quorundam cessaturam.

4. Daniel cap. 12:4. & 10. ostendit futuram majorem scientiam & cognitionem, verborum imprimis divinorum. Convenit Es. 11:9. Terram plenam fore cognitione Dei, ut mare aquis. Item c. 65:20. ænigmaticè idem significat, quum dicit, *Non fore puerum diebus*, sed *puerum centum annos natum moriturum*, hoc est, tantam lucem fore, ut, si quis sit rudis atque insçius, instar habiturus sit pueri centum annos nati. Nam pueros id jam posse scire, quod olim centumannorum senes non potuerint planè scire. *Danielis de cognitione.*

5. Fore etiam confœderationem quandam piorum & mutuam exhortationem ad ambulandum in nomine Domini, testatur Michæas cap. 4: 5. Quale fœdus vel duo vel tres facere possunt, ut exerceant hoc inter se diligentiùs, quod membra totius cœtûs, qui in nomen Christi congregatur, à se invicem stipulantur & sibi invicem promittunt. *Michææ de confœderatione piorum.*

6. Esaias promittit *novos cœlos & novam terram*: ut & Apocalypsis cap. 21: 1. ubi negat, *mare amplius fore*. Quia nempe *justitia de cœlo prospectabit*, hoc est, Christi justitia manifesta fiet, & ejus vis se magnis effectis exseret: & *veritas è terra germinabit*, hoc est, propter valorem justitiæ Christi homines credent veritati & eam loquentur Ps. 85:12. & non dominabitur amplius thronus nequitiæ se associans Deo, neque throni multi, in quibus sedeant, quibus judicium detur, sed thronus unus candidus, Apoc. 20: 4. 11. & coram illo stabunt parvi & magni, & judicabuntur ex libris, hoc est, ex Scripturis & per Scripturas. ibid. v. 12. *Novum cælum & nova terra.* *Thronus unus.*

7. Illud autem judicium agetur quidem per homines, sed tamen non nisi voces Dei & demonstratio veritatis ad conscientiam erit verbum judicis, qui in throno sedet; neque tantùm agetur id judicium in auribus hominum, sed in ipsis conscientiis. In auribus hominum quidem, quatenus redarguentur de peccato, de justitia & judicio: in conscientia, quatenus vel, qui id judicium approbaverint, habebunt bonam & lætam conscientiam; qui id verò non approbaverint, eam non habebunt, atque ita non poterunt habere parrhesian apud Deum. *Judicium ex libris.*

8. At

Irrisores Scripturæ & Promissionis.

8. At eodem tempore multos fore ἐμπαίκτας *irrisores* & contemtores sacrarum literarum, & imprimis promissionem adventûs Domini, monet Petrus 2 epist. 3: 3. quorum irrisioni opponit creationem cœli & terræ, & hujus quidem fundationem supra aquas, per verbum Dei, & judicium insigne, quod factum est in diluvio. Significans, si vellent credere, Cœlum & Terram esse creata Dei verbo; &, terram ex aquis in aquis consistere: &, Deum aliquando totum mundum judicasse: tum non posse dubitare de adventu Christi ad judicium. adeò ut tam certus sit adventus Domini, quàm certa est creatio omnium ex nihilo, & fundatio terræ ad genus humanum etiam in peccato ferendum, & subjectio omnis creaturæ in servitutem vanitatis. Insinuat autem, id irrisores latere, sed volentes.

Locus 2 Petr. 3: 3.

Signum dierum ultimorum.

9. Piis autem constabit, eos dies ultimos esse; impletis scilicet omnibus, quæ in libro Dei scripta sunt, & sic libro prophetarum reserato, ut est Apoc. 10: 2. 6. 7.

Locus Actor. 3. v. 21.

10. Unde Petrus tempora præcedentia diem novissimum vocat χρόνους ἀποκαταστάσεως πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων ἀπ' αἰῶνος, *tempora repræsentationis & exhibitionis omnium, quæ loquutus est Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum à seculo.* Actor. 3: 21. *Tempora* dicit, quia distinctis temporibus iisque se ordine sequentibus omnia debebant impleri. In quorum operum suis temporibus distributorum singulis & continua serie cernitur q. eminus appropinquans Christi adventus in nubibus, tanquam totidem *tubis* ad eum prospiciendum excitantibus. Et propterea insignia & famigerata Dei opera, quæ facit distinctis articulis temporis, comparantur *tubis* in Apocalypsi. cap. 8: 2. c. 9. c. 10: 7. c. 11: 15. Quæ phrasis ex Prophetis sumta est. Apostolus *ultimam tubam* videtur appellare 1 Cor. 15: 52. ultimum illud Dei opus antecedens resurrectionem mortuorum.

Quantitas ultimi temporis.

11. Attamen, futurumne sit tempus illud ultimum longum atque productum an breve ac succinctum, non, puto, constat ulli. Neque videtur in Scriptura esse revelatum. Nisi, quòd mille anni apud Deum sunt ut dies unus; & Deus Israëlis ne tum quidem fatigabitur; & vult Filium suum videre semen plurimum; & dies populi sui dixit futuros ut dies quercus. Vanum est verbum Eliæ illius (*non Thesbitæ, sed Rabbini alicujus,* dicit Manasse de resurr. mort. l. 2: 3.) mundū per sexies mille annos consistere: ita ut שוא (quod *inane* vertunt) sit per bis mille annos, & lex per bis mille annos, & dies Mes-

siæ

fiæ per bis mille annos. Vana hujus conjecturæ probatio ex litera ו sexies posita in Gen. 1: 1. Vide Baal Turim. Ineptum est annos Patriarcharum vocare תוהו *inane* & ἀκοσμόνλι (Nam habebant promissionem, & fidem & justitiam & spem, &, tanquam si peccatum non esset amplius, in quiete & pace dies suos transigebant) tamen ex dicterio illo elucet, Judæos non nesciviſse, quòd Lex non duret, nisi ad Christum, &, quòd anni Christi sint שְׁנֵי אוֹרָה *anni lucis*; ut idem Baal Turim loquitur.

LOCUS TRIGESIMUS DE CONVERSATIONE CHRISTIANA.

CAP. LXXXVIII.

De Operum bonorum necessitate & consecutione ex fide.

Apostolus sæpenumero dicit, doctrinam veritatis Euangelicæ esse *secundùm pietatem*, hoc est, aptam & idoneam ad pietatem inferendam iis, qui eam in fide recipiunt. Et profectò, si aliter esset, non posset Euangelium esse *veritas* aut doctrina divina & Deo digna. Quæ enim doctrina non docet id sentire de Deo, & de ipso & aliis hominibus, quod verum est & testem habet conscientiam, & ex qua non consequitur propriè & sua natura amor Dei & proximi, non potest à Deo profecta esse. Fieri enim non potest, ut Deus velit de se & de homine aut rebus aliis in mundo foveri & jactari pravas & falsas sententias, & coli, honorari, quæri, amari non velit, & complacentiam habeat in malo; æquè atque impossibile est, Deum non delectari honore suo & timore ac amore & omni bono. Atque inde est, quòd Apostolus dicit, Si quis sibi videtur scire quippiam, nihil adhuc scire, quemadmodum oportet, sed, si quis diligit Deum, ab ipso cognitum esse. 1 Cor. 8: 2. 3. Imò Johannes 1 epist. c. 4: 7. 8. *Charitas ex Deo est: & omnis, qui diligit, ex Deo genitus est & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum. quia Deus charitas est.* Quid enim de Deo magis possumus cognoscere & de ejus vita, quàm voluntatem illam æternam, propter quam & mundus hic & omnia in mundo bona facta sunt & sunt, & nos sumus, & ab ipso sanctifica-

Vera doctrina est apta efficienda pietati.

mur & obſignati ſumus ad hæreditatem vitæ æternæ, & mali tolerantur & propter bonum Eccleſiæ puniuntur? Quæ charitas eſt. Credimus porrò, Deum judicaturum eſſe vivos & mortuos, & quidem in veritate, ut eſt Rom. 2: 2. unicuique ſecundùm opera ſua redditurum, ibid. v. 6. & laudem ac retributionem bonis tributurum, v. 29. ut quiſque reportet, quæ in corpore habuit, juxta ea, quæ fecit, ſive bonum ſive malum. 2 Cor. 5: 10.

Ex doctrina gratiæ ſequitur pietas.

2. Quum igitur neceſſarium ſit bona facere & mala omittere, imprimis demonſtrandum eſt nobis, quòd ex doctrina gratiæ neceſſariò ſequatur ſtudium bonorum operum. Ex quo ampliùs apparebit, quàm neceſſarium ſit, ut bonis operibus incumbamus.

Id probatur 1. ex redemtione.

3. Docet Euangelium, nos habere in Chriſto ἀπολύτρωσιν *redemtionem*, & redemtos cum ipſo mortuos & cum ipſo crucifixos eſſe. Unde conficit Apoſtolus, veterem noſtrum hominem cum Chriſto crucifixum eſſe, hoc eſt, eam eſſe efficaciam crucifixionis Chriſti, ut oporteat veterem hominem in illis, pro quibus crucifixus eſt, aboleri. Rom. 6: 2. 6. Et, eos, *qui ſunt Chriſti, crucifixiſſe carnem cum affectionibus & concupiſcentiis.* Gal. 5: 24. duplici ratione. 1. quòd, qui Chriſto dati ſunt, & propter quos mortuus eſt, velut cum ipſo mortui peccato (2 Cor. 5: 15.) habeant in Chriſto cauſam, propter quam ipſorum carnem & concupiſcentias aboleri oporteat. 2. quòd, qui in Chriſto ſunt, jam inceperint crucifigere carnem cum concupiſcentiis. Si igitur ea efficacia eſt mortis Chriſti, ut aboleatur caro ſive vetus homo in redemtis, ſequitur neminem habere conſolationem de redemtione, quamdiu vivit in peccatis, & non crucifigit carnem ſuam cum concupiſcentiis.

2. ex Juſtificatione.

4. Quemadmodum Chriſtus eſt mortuus propter peccatum & vivit propter juſtitiam: ita neceſſe eſt eos, qui Chriſto dati ſunt, propter juſtitiam vivere. Quod Apoſtolus dicit *Deo vivere.* Per quod duo ſignificantur. 1. Potentia Dei vivere. 2. Ad honorem gratiæ Dei vivere. Sic dicit Rom. 14: 7. 8. 9. *Nemo ſibi vivit, & nemo ſibi moritur,* hoc eſt, Nemo credentium ipſe ſibi vivendi aut moriendi cauſa eſt. De vita & morte ipſius eſt conſilium Dei. Ad dominum ipſorum pertinet cura vitæ & mortis ipſorum, &c. Ad eundem modum dicit Gal. 2: 19. *Per legem legi mortuus ſum, ut* non ampliùs ſub lege, ſed *Deo vivam,* hoc eſt, propter potentiam & ad gloriam gratiæ ejus vivam. Sic 2 Cor. 5: 15. Qui igitur Chriſti eſt, per ipſum vivit. Vivere autem non eſt in mortuis operibus perſeverare.

Deo vivunt juſtificati.

rare. Johannes 1 epist. 3: 7. *Qui facit justitiam justus est; quemadmodum ille justus est.* Quod duo significat. 1. rectitudinem & similitudinem Dei in ea consistere in veritatis amore & confessione & exsecutione. 2. neminem justificari à reatu & jus filiorum habere, nisi qui justa facit, hoc est, credit testimonio Dei & *justitiæ fructus* fert. Phil. 1:11. Nam & Rom. 6:18. dicitur, quòd *liberati à peccato sint facti servi justitiæ*, quia *sub gratia sunt*. Rom. 6: 14. h. e. acquisiti sunt Deo à Christo, ut gratia in eis sit efficax per sanctificationem. Unde sequitur, nos non modò fide, sed & operibus justificari. Jac. 2: 24.

5. Nemo est Christi, hoc est, ipsius membrum, qui Spiritum Christi non habet. Rom. 8: 9. Ubi autem Spiritus Christi est, ibi est bona cogitatio, bona voluntas, cor purum, studium conscientiæ bonæ; non autem servitus peccati. *3. à necessitate habendi Spiritum Christi.*

6. Veritas liberos facit. Ea credita liberat à servitute peccati non minùs atque à servitute elementorum mundi. *4. à libertate.*

7. Fides est amor testis, & testimonii Dei sive ejus veritatis, quæ per testimonium notificatur, & ejus, qui ut petra salutis proponitur & ostenditur per testimonium. Non potest autem amor gloriæ Dei & virtutum ejus, & amor illius obedientiæ, propter quam justi censemur, hoc est, illius amoris, quo Christus dilexit Patrem & nos, & amor ejus boni, ad quod nos Christus emit & apprehendit, esse infructuosus & sterilis. Nam nihil in homine peccatore esse aut fingi potest, quod sit radix & fons bonæ actionis, & cui conveniens actio, si id in voluntate sit, bona appellanda sit, & quod ad omne id, quod bonum & laudabile est, exstimulet. *5. à naturâ fidei.*

8. Fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, *gloriatio, qua nobis pollicemur ea, quæ speramus*, inquit Apostolus Hebr. 11:1. quippe Deus loquens peccatori ad consolationem ipsius, aut ad eum retrahendum ab aversione à Deo, non potest non ipsi spem facere æterni boni & beatitudinis perfectæ, & conservationis ad vitam. Si igitur in fide est spes futurorum & perpetuorum bonorum, fieri non potest, ut sit absque desiderio verorum & æternorum bonorum, atque ita absque quæstione eorum, & absque cupiditate ac studio habendi & videndi in se signa & argumenta τῆς πίστεως *acquisitionis* ac *conservationis*, & *hæreditatis*. Inde est, quòd Spiritus sanctus vocatur *arrhabo*. Posito igitur, quòd fideles credant, Spiritum sanctum esse *sigillum*, *paracletum* & *arrhabonem* (nam confitentur, se credere in Spiritum sanctum & ipsius testimonio confidere) quid aliud possunt *6. à fide.*

facere, quàm ſtudere, ut Spiritum ſanctum videant & cognoſcant ſibi datum; idque experiendo potentiam ejus; quam non datur experiri niſi volendo hoc, quod vult Spiritus, & ejus dictatum ſequendo & ei obtemperando & ſecundùm efficacitatem operationis ipſius (qui eſt Spiritus potentiæ, non formidinis & pavoris) operando; ut ſciant, ſe eum accepiſſe velut notam Dei poſitam in ipſis, ut ipſos curet & requirat pro ſuis, ut paracletum & interpellatorem apud Deum, & ut arrhabonem ac pignus ſuæ redemtionis & futuræ ſalvationis ab omni malo. Spes utique ſine πληροφορίᾳ & *certitudine* eſſe non poteſt: ideò neque abſque *ſtudio* ad certitudinem & ad βεβαίωσιν ac *confirmationem* ejus eſſe poteſt. Hebr. 6: 11. 2 Petr. 1. verſ. 10.

7. ab hæreditate mundi ſperata.

9. Inter ἐλπιζόμενα, *quæ ſperantur*, eſt hæreditas mundi, & regnum Chriſti in multis fratribus. Nemo hoc ſperat, qui non deſideret: nemo deſiderat, qui non eam acquirere ſatagat. Quis eſt tam torpens & languidus & ſegnis, qui hæreditatem terrenam & regnum negligat, & pro eo non faciat & patiatur omnia? Si igitur verè ſperamus hæreditatem mundi & eam judicamus eſſe hæreditatem permanentem & majorem bonis illis, quibus tantùm ad tempus datur uti ad commoditatem corporis, quum in ea hæreditate detur gloriatio & ſocietas lætitiæ æterna; profectò non poſſumus eſſe ſegnes & languidi ad ejus comparationem; in cujus comparatione eſt περιποίησις τ ψυχῆς & *lucrifactio animæ noſtræ*. Nam ea extra communionem ſanctorum & participationem corporis Chriſti ſalva eſſe non poteſt.

8. à regno Dei credito.

10. Qui credit, credit regnum Dei. Regnum Dei autem non eſt in eo, qui Deo non obedit. Nam, in quibus Deus regnat, ii Deo ſubjiciuntur.

9. à neceſſitate bona conſcientiæ ad fidem.

11. Propter has & ſimiles cauſas Apoſtolus dicit, eos, qui bonam conſcientiam à ſe repellunt, circa fidem naufragare. 1 Tim. 1: 19. hoc eſt, ad fidei portum non pervenire. Confer v. 6. ὧν τινες ἀστοχήσαντες. &c. 6: 10. 21. in quibus τὸ *naufragare* per ἐκπλανᾶσθαι *aberrare*, ut, qui à via & urbe aberrat, & ad eam non pervenit, & ἀστοχεῖν, ut ſagittarius, qui ſcopum non ferit, explicatur.

10. à neceſſitate converſionis ad Deum.

12. Deus Levit. 18: 4. 5. ſic dicit: *Judicia mea facietis, & ſtatuta mea obſervabitis, ut ambuletis in eis (Ego Iehovah Deus veſter) & obſervabitis ſtatuta mea* vel *definitiones meas & judicia mea, quæ qui facit, in eis vivit. Ego Iehovah.* Cujus dicti hic ſenſus eſt: Deum requirere, ut

conver-

convertamur ad ipsum, & in vera via ambulemus, nempe in iis præceptis, quæ qui facit, in iis vivit. Nam sine dubio alia omnia facere, homini non proderit. Nam & infideles & ingrati & profani poterant facere omnia, quæ faciebant Israëlitæ secundùm literam & exteriorem faciem. Observanda illa quidem esse, quia Deus erat Dominus ipsorum; sed tamen sic observanda esse, ut ducant 1. ad fidem. 2. ad charitatem: quam quæ explicant præcepta, sunt illa, quæ faciens homo vivit in eis. Quòd si autem diligenter &, ut oportet, observent omnia statuta Dei, tum futurum, ut illa statuta faciant. Nempe, si imprimis crediderint promissioni, *Iehovam* velle esse *Deum ipsorum:* deinde, quo fine cætera omnia imposita sint, cogitent; nempe ut illis sint pædagogus ad Christum: & contendant ad faciendum ea, quæ sunt amoris Dei & proximi, in quibus imago Dei consistit. Quæ demum est seria & sincera ad Deum conversio. Nam, quibus præceptis homo inobediens extitit, illis iisdem sese subjicit ὁ μετανοῶν *qui resipiscit*, & ad Deum *convertitur* ac *revertitur*.

13. Et verò etiam judicium aget Deus, in quo laudabit opera, quæ in Deo facta erunt, & minimè laudabit contraria; & igitur unicuique reddet secundùm opera sua. Rom. 2: 5. 6. 29. Et hoc quoque importat vocabulum *Iehovah*. quo significatur inter alia, Deum sibi similem esse & non mutari, neque seipsum abnegare. Quare in Levit. 18: 5. de quo modò, quum ad observationem præceptorum, quæ qui facit, in iis vivit, Israëlitas, tanquam ad scopum, vocasset, subscribit, *Ego Iehovah*. q. d. quàm verè meum nomen est *Iehovah* & aliud esse non potest, tam verè hæc est voluntas mea, ut, qui non observat ea præcepta, quæ qui facit in eis vivit, mecum non habeat communionem. Ad quæ facienda nemo adducitur, nisi qui credat, Deum & *justum esse* & *justitiis delectari* & *justificare peccatorem*, atque ita amet Dei & bonitatem & sanctitatem, & judicium ipsius ex corde approbet; ac ita cor ipsius tanquam vice Dei & verbis ejus dicat: *Quærite faciem meam*, hoc est, ipsius non tantùm conscientia sed & voluntas & affectus & desiderium ipsi imperet, quod non tam imperat, quàm rogat Deus, ut quærat videre ipsum & cognoscere, ipsius alloquiis frui, luce ipsius perfundi & in ipso deliciari. 11. *à fide judi-cii.*

14. Quis non videt, ex iisdem causis existere timorem? Nempe imprimis timorem peccati; quippe in quo est dissimilitudo Dei, 12. *à timore.*

diminutio fructus justitiæ, excussio regni Dei (quantum in peccato situm est) oblectatio hostis Dei, offensio conscientiæ, contristatio fidelium, benedictionis elongatio, oppressio lætitiæ, obscuratio signi, quo obsignati sumus, & pignoris, quod datum nobis est, provocatio castigationis, eversio proximi, detractio majestatis & honoris Deo debiti, & cùm alia mala tum imprimis omissio quærendi faciem Dei & vigilantiæ ad retinendam & occupandam salutem ac vitam æternam. Quæ vigilantia & sollicitudo cum animi submissione, quæ digna est & Deo & tanto ejus munere, etiam *timor* dicitur. qualem timorem habemus circa ea, quæ chariſſima nobis & preciosa sunt, & amissa recuperari non possunt, & miseros destituunt, & quibus nos oculus malus & inimicus privare studet, quodque fidei nostræ commissum est, à nobis repetendum. qui *timor* eleganter comparatur cum אֲרוֹן h. e. arca & arce, qua omnia maxima dona Dei custodiantur. Es. 33: 6. Cujus timoris est nihil audere vel cogitare vel dicere vel facere, quod divinæ gloriæ adversum & charitati proximi non consentaneum est, & semper de bono suo cogitare. Proinde, quod est Psalm. 130: 4. *Nam apud te est remissio, ut timearis*: in doctrina gratiæ reperitur. Sive, quòd impossibile est, ut homo timeat Deum, nisi Deus ejus misertus eique non imputans peccata ejus cor fide purificet; sive quòd ipsa annunciatio remissionis peccatorum sua natura hoc efficit, ut Deus & exaltetur & in precio habeatur: quia impossibile est eam obtinere, si exsortes simus *justitiæ* Dei & *redemtionis*.

13. *à vita æternæ initiis: quæ sunt* cognoscere.

15. Ideoque Christus dicit, *hanc esse vitam æternam, ut γινώσκωσι cognoscant unum Deum verum & Christum*, Joh. 17: 3. & Jer. 9: 23. *In hoc glorietur, qui gloriatur, animadvertere & cognoscere me: quia ego* sum *Iehovah, qui facit gratiam, judicium & justitiam in terra. Nam his delector: ait Iehovah.* In his *cognoscere* non significat solam notitiam: sed perpetuam & vigilantem intentionem animi observationem & intuitionem. Unde & omnis pietas vocatur *cognitio Dei*. & impietas atque τὸ μὴ ἔχειν θεὸν ἐν ἐπιγνώσει *Deum non habere in agnitione* vocatur ἀγνωσία θεοῦ. 1 Cor. 15: 34. Ea vis vocis ex synonymis noscenda est. qualia sunt הַבִּיט *intueri*, שָׁמוֹר *observare*, דָּרַשׁ *intentissimo animo adire & curare*, בָּקַשׁ *quærere, ponere Deum ante oculos, affigi Deo, deliciari in Deo, amare ex toto corde, ex tota anima, ex omni cogitatione & viribus*. Deuter. 6: 5.

15. Neque enim putandum est, id dictum non valere, nisi sub lege. Si dixisset ad hominem necdum peccato maculatum, *Amabis Deum*

Deum creatorem tuum &c. legale præceptum esset; secundùm veritatem & perfectionem imaginis Dei accipiendum. Quum verò dicit, *Diliges Iehovam Deum tuum*, significat, se postulare ab Israële, cui promiserat se velle fieri Deum, ut agnoscant ipsum Jehovam & Deum suum, si velint populus suus esse & secum communionem habere, & se talem diligant, sibi gratias agant, sibi affixi sint *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus.* ut, quod significaret perfectionem sine ullo defectu, si ageretur de debito hominis conditi ad imaginem Dei (quæ obedientia in solo Christo exemplum habet) id, quum de peccatore dicatur, intelligendum sit de certissimo animi judicio, quòd Jehovah sit revera Deus Israëlis, & de desiderio enixo, deinde de perseveranti cogitatione & contentione virium pro modulo peccatoris verè resipiscentis & spiritus potentiæ initia habentis & cum carne sua seriò dimicantis. Ita dicitur de Josia, 2 Reg. 23: 25. quòd *ad Iehovam se converterit ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, secundùm legem Mosis.* quæ, sine dubio, est lex fidei. Confer Deut. 4: 29. 10: 12. 11: 13. 13: 3. 26: 16. 30: 2. 6. 10. 1 Sam. 7: 3. Jerem. 29: 12. Joël. 2: 12. 1 Reg. 2: 4. 8: 48. 14: 8. 2 Reg. 10: 31. 2 Chron. 15: 12. 15. 34: 31. Etiam Apostolus Rom. 6: 17. *obediviſtis ex corde typo doctrinæ, qui vobis traditus est.* Ceterum non videtur dubitandum, quin τὸ *ex toto corde*, quando solum ponitur, duo reliqua, nempe *ex tota anima* & *ex omnibus viribus* complectatur; per quæ explicatur, quando cum eis conjungitur. Nam, qui *amat ex toto corde*, is amat ex judicio recto, sine ἀλογισμοῖς καὶ λογισμοῖς; ex desiderio enixo, & omni contentione virium. Nam, qui judicat & non desiderat, quomodo amat ex toto corde? Qui non agit, quantum potest, quomodo vel judicat rectè vel desiderat?

17. Igitur sinceritas, oppositа duplici cordi, tum in electione boni, tum in mali fuga & suæ quoque carnis mortificatione per hæc significatur. Quæ sinceritas in λογισμῷ καὶ πάθῳ καὶ κόπῳ spectatur. Quæ solet Scriptura τῇ ἀγάπῃ attribuere. ut quando dicit τὸν κόπον τῆς ἀγάπης. Hebr. 6: 10. In quo omnia continentur.

18. Cui sinceritati (quæ תָּמִים & εἰλικρίνεια atque etiam ἁπλότης dicitur) contrarium est *cor duplex*: quod eligit externum quoddam bonum facere aut dicere, & malum aliquod vitare non propter charitatem, sed propter aliquam concupiscentiam aut timorem. Quali cordi etiam respondet *duplex via*: in qua est instabilitas, & ut

15. ab oppositо duplici corde.

ut non verus ſcopus, ita & media valdè inter ſe diverſa. Qualis homo צַר לֵבָב שָׁלֵם, *corde non integro.* 1 Reg. 11: 4. 15: 3. עִקֵּשׁ *perverſus, habens* לֵב וָלֵב *cor & cor*, מְעַקְּשִׁי דְרָכִים, *pervertens vias ſuas*, ἀκατάστατος ἐν πάσαις ὁδοῖς αὐτοῦ dicitur. Vide Deut. 32: 5. Prov. 10: 9. 11: 20. 19: 1. 28: 6. 18. Jacob. 1: 8. 4: 8.

18. ab eo, quòd ii, qui cum Deo faciunt, cum eo ambulant.

19. Abrahamo dicit Deus Geneſ. 17: 1. *Ambula coram me, & eſto integer.* Id omnibus filiis Abrahami dictum eſt. *Ambulare coram Domino*, eſt imprimis ambulare vel agere tanquam Deo teſte & inſpectore, & non tegere ſua facta vel loco vel ratiocinatione & colore: ſed ad lucem accedere, ut manifeſta fiant ſua opera, tanquam in Deo facta, hoc eſt, ſuas intentiones, conſilia, ſtudia, inclinationes, impetus examinare & ad normam componere: nimirum ut nihil niſi verum dicas, nihil niſi rectum vel utile aut ſaltem licitum, ſine noxa, facias. Deinde ad Deum accedere, eum quærere. Nam hæc Apoſtolus ponit pro eo verbo. Hebr. 11: 6. Denique opus Dei facere, ſive ipſi ſervire, ſive operam dare regno cœlorum. Nam ſervi eſt coram domino ſuo ambulare, & negocium ejus gerere. Nemo eſt ab illo debito ſerviendi Deo abſolutus, qui tenetur Deum amare & proximum. *Integrum* verò *eſſe* ſignificat non dividere animum ponendo alio fine, vel eligenda alia via, vel amando aliud præter Deum aut non propter Deum, vel recipiendo alium legiſlatorem, & dominum, & alii ſervire. *Duobus* enim *dominis ſervire nemo poteſt.* Matth. 6: 24. ut nec duos maritos una uxor poteſt amare & amplecti. Igitur *ſcortatio* & *defectio* vocatur dominium aliud ſuſcipere, alium obſervare, timere, aliis velle placere, aliud quærere, in alio gloriari.

17. ab eo, quòd vita Chriſtianorum eſt via.

20. Vita Chriſtianorum vocatur *via.* Nam, ut vivere in corpore mortali eſt peregrinari, & præcedit vel vitam in gaudiis vel mortem, quæ conſiſtit in miſeriis æternis; ita actiones hujus vitæ ſunt vel *via*, vel *aberratio. Via*, ſi quis quærat gloriam per boni actionem: Rom. 2: 7. *aberratio*, ſi quis amet vanitatem & falſitatem. Illud autem dicitur *ſalutem operari in timore & tremore.* Phil. 2: 12. h. e. ea, quæ ſalutis ſunt & à juſtitia donata in Chriſto & à ſanctificatione Spiritus proveniunt & cum vita æterna conjuncta ſunt ac ſpem vivam fovent, cogitare, velle, dicere, facere, & propterea, quæ patienda ſunt, pati. idque non ſine animi ſubmiſſione & ſollicitudine ac trepidatione; qualis ſolet eſſe in iis, qui ſedulò opus faciunt, idque cupiunt celeriter effectum, vel, qui ex periculo in locum tutum

nulla

nulla interpoſita mora aut circumſpectatione confugiunt. Confer Pſalm. 2: 11. Eſ. 66: 2. Hoſ. 3: 5. 11: 10. Cæterum, qui in via eſt, eum oportet ſpectare, quò ducat ea via, quam terit, ne forte aberret & in exitium ruat. Ita, qui viam cœleſtis patriæ tenere geſtit, eum oportet diligenter expendere ſingulas ſuas actiones, an bonæ, an utiles, an non cum periculo ſint conjunctæ. Nam arcta via eſt, & laquei appoſiti & infeſta multa, &, quæ blandiuntur, decipiunt: pauci, qui eam tenent. at multitudo nos undique in ſuas leges adigens circumſiſtit nos. Quare & multi in ea ambulare non poſſunt. Nimis enim multa impedimenta habent: quibus renunciare non poſſunt. Luc. 13: 24. *Certate intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt.* q. d. plurimi erunt, qui volent haberi Chriſtiani, & ſibi perſuadebunt, ſe Chriſtianos eſſe; & non poterunt hoc nomen mereri. Magnum quid eſt fides in Chriſtum, amor divinæ gloriæ & divini nominis & converſio ad Deum; neque id citra potentiam Spiritus ſancti provenit. Eſſe in Chriſto, ſanctorum conſortem in regno Dei & vivum in corpore Chriſti membrum, non eſt fructus ratiocinationum humanarum & conſiliorum carnis & ſtudiorum mundanorum atque ἀναισροφῆς παιδαγωγίας, neque voluntatis & curſus cujuſquam, ſed miſericordiæ divinæ.

21. Nec tantùm dicitur ambulatio in via, ſed & curſus, & agon. Gal. 5: 7. 2 Tim. 4: 7. Apoc. 3: 11. Nam & magno progreſſu opus eſt, ubi multum mali deponendum eſt, & multum boni parandum; & magno labore, ubi in ardua nitendum; & magna vigilantia, ubi de corona cum potentibus & vafris, & indefeſſis, & multas anſas & aditus habentibus dimicandum eſt hoſtibus. De quo certamine agit Apoſtolus Epheſ. 6: 12. & ſequentibus. Quia cum paupertate noſtra, in qua nati ſumus, magno labore contendendum eſt, ne ab ea ſuperemur. Prov. 24: 32. 33. 34. *18. quid ſit curſus & certamen.*

22. Quibus omnibus & aliis ſimilibus conſideratis, apparet, non tantùm pietatem ex doctrina gratiæ conſequi, atque eam ſummopere neceſſariam eſſe, ſed etiam, fruſtra inſtitui de pietate ſermones, quibus non imprimis animus formetur ad amorem Dei, qui ex ſola fide verbi gratiæ in peccatore poteſt exiſtere. Ubi enim abeſt miniſterium Spiritus, quod eſt annunciatio Euangelii, ibi lex manet litera & non inſcribitur cordi: imò occidit, hoc eſt, damnat & ad peccandum irritat. 2 Cor. 3: 6. Et verò, niſi amor Dei in cor- *Fons boni operis charitas.*

de sit, & ex illo actiones externæ mandatæ proficiscantur, hæ bonæ vocari non possunt. Quòd si quis igitur terrore, auctoritate, potestate, imperio effecerit, ut quis vera dicat, & insignia mala non faciat, bona autem externa faciat, is tamen non effecerit pietatem in iis, qui ipsi parent; sed tantùm voluntatem placendi ei, qui vel terrorem incutere potuit, vel imperio utitur & auctoritate pollere videtur. Quare diligenter curandum est ei, qui auditores suos ad pietatem formare & ad bona opera facienda adducere cupit, ut eis instillet veram fidem & charitatem. Apostolus docet 2 Tim. 1: 5. quòd *finu præcepti sit charitas ex puro corde & conscientia bona & fide non ficta.* Unde intelligitur, opera quidem requiri (nam is non diligit, qui, quum facere potest, non facit. Dilectio non est solius cordis, nedum oris, sed & operis) sed imprimis requiri, ut sit in corde dilectio, atque ita sit dilectio *ex puro corde* promanans, & in eo fontem habens atque ex eo derivata in omnes hominis facultates. Tunc autem *cor purum* est, quando in eo est studium *bonæ conscientiæ & fidei*, non solis verbis ostentata, sed cordi implantata. Quorum illud in probandis melioribus versatur; hæc amplectitur Deum ut verum, & Christum ut Salvatorem, atque ita gloriam Deo dat, & ab eo petit omnia salutaria, & ei gratias agit, & confitetur suos defectus, ut homo non confidat sibi & suæ justitiæ. Quare Actor. 15: 7. *fidei* attribuitur *purificare cor.* Nam etiam, qui fic bona externa facit & mala vitat, ut in eo ponat fiduciam ad justitiam, maximopere in Deum peccat, atque ejus veritatem & justitiam abnegat, & Christum repudiat; ita ut verè dici possit, quemadmodum veritas in eo non est, ita nec charitatem in eo esse.

Præceptum amoris Dei est primum, & magnum, quia ex illo pendent omnia præcepta.

23. Sæpenumero comprehendit Scriptura omnem pietatem charitate Dei. Ita Deut. 6: 5. unico præcepto amandi Deum omnia comprehenduntur. Cujus rei ratio expedienda est. Unus est finis, propter quem omnia sunt. Una est causa, à qua omnia sunt, cujus voluntate omnia habent suum ordinem & statum, & cujus omnia sunt. In dilectione ejus, qui est finis, ut noster, ita omnium, est justa æstimatio eorum, quæ Deus fecit propter se, & voluntas, ut Deus glorificetur in omnibus suis rebus, quemadmodum in eis glorificari potest, &, prout ad nos pertinet, ut nostro usu aut studio in eis glorificetur. Inter ea, quæ sunt ad Deum, tanquam ad finem, sunt etiam eæ creaturæ, quæ sunt factæ ad imaginem Dei, quas fecit Deus, tum ut glorificent ipsum propter omnia, quæ fecit, tum ut

singularis bonitas Dei in eis explicetur, in similitudine sanctitatis & felicitatis, tum ut communionem cum ipso habeant & ipso, veluti bono suo, fruantur. Cætera omnia non sunt digna amore hominis. Infra ipsum enim sunt. Non est in iis imago Dei, ad quam ipse homo factus est. Habet, si rectus sit, aliquid pulchrius in se & mirabilius, quàm illa sunt. Si illis utendum est, corporis causa utendum est; nempe ut id subsistat & homini in melioribus serviat. Dum verò iis utimur, quodammodo ab iis in servitutem redigimur, & detrahimur à contemplatione meliorum. Quare in eis requiescere, est amorem, qui Deo debetur, ad ea, quæ inferiora sunt homine, transferre. Tantùm usus est in eis. Nempe 1. corporis sustentatio ejusque ad officia homini præstanda exaptatio. 2. glorificatio Dei, ut fabricatoris omnium, & finis omnium, & melioris iis omnibus, boni hominis proprii, qui ipsius imago factus est. Cætera quidem igitur non sunt digna amore hominis; sed inter creata est homo alius, frater noster, ex uno sanguine oriundus, æquè factus in origine ad imaginem Dei ac quisque nostrûm, cujus & finis & bonum est Deus. Hic verò dignus est amari: & ejus amore non receditur ab amore Dei. Nam eum amare est velle eum esse &, quæ habet, quæque eum habere convenit, habere, ad gloriam Dei; & Deo bono suo potiri, atque ab eo secum impleri: atque ita Deum in ipso, ut re atque hæreditate sua, glorioſum atque admirabilem fieri. Ex quo intelligitur vicissim, Deum à nobis singulis diligi non posse ex toto corde, nisi & eos diligamus, qui res Dei & hæreditas sunt; & omnes homines esse sic ad gloriam Dei velimus, &, quia amor datus est propter opus (alioqui sterilis & vanus futurus) ut ad gloriam Dei sint, operam demus; & in id ita incumbamus, ut omnia nostra terrena tanti non faciamus, quanti proximum lucrari Deo. Neque enim ulla comparatio est inter omnia corporis commoda & glorificationem Dei in homine. Minimum verò in hoc amore est, 1. proximum non lædere aut in scandalum atque ruinam suasione exemploque aut vi artevè impellere. Si tamen fieri potest, ut non ædificando videri possimus proximum non destruere. Nam, qui non ædificat, & alterum sinit labi & ruere, quomodo non contrahit culpam alienæ ruinæ? aut quomodo potest videri amare? aut quomodo non videtur offendere, qui speciem exhibet judicantis, quòd ruere sit stare? 2. proximo sua peccata aut debita condonare; hoc est, illis non maledicere neque malè velle,

neque contra ipsos suspirare, sed potiùs pro ipsis orare; certè non ulciſci ipsos; & redarguere, tum ne contrahas ſocietatem peccati, tum ut eos ex igne eripias; & delictum facientes, reprehenſione omiſſa, conſolari, & cum eis lætari. Quæ eſt illa charitas, quam Chriſtus vult in nobis eſſe, ut habeamus pignus juſtificationis noſtræ. Matth. 6: 12. 14. 15. Ex quibus perſpicitur, quid ſit *proximum diligere ut ſeipſum*, hoc eſt, eandem gratiam, juſtitiam, gloriam expetere omnibus ex amore Dei ex toto corde, tota anima & omnibus viribus: &, quòd ſecundum præceptum, quod eſt ex primo, *ſimile* ſit primo *magno* præcepto, quia æquè juſtum & immutabile eſt, & æquè nititur æterna veritate, & ad amorem Dei pertinet, & æquè ad pœnam obligat, & æquè tota lex & prophetæ ab eo pendent, atque à primo. Si quid enim de Chriſti obedientia, quæ ſit noſtra juſtitia, dictum eſt, ſi quid de noſtri ſanctificatione, id ad utrumque præceptum ex æquo (ſalvo ordine) pertinet. Nec minùs ex his patet, quòd Apoſtolus Rom. 13: 9. 10. jure dicat, in hoc verbo, *Amabis proximum tuum, ut te ipſum*, ἀναϰεφαλαιοῦται, hoc eſt, tanquam in ſumma, omne præceptum contineri, & *legis completionem* eſſe. Quia, ubi eſt dilectio proximi, ut ſui, ibi quoque eſt dilectio Dei ex toto corde & tota anima & omnibus viribus. Qui enim ſe diligit, diligit gloriam Dei in ſe manifeſtandam.

Juſtitia & Iudicium.

24. Eſaias cap. 56: 1. omnia officia piorum his duobus verbis complectitur: *Servate judicium & facite juſtitiam.* Cum quo ferè coincidit, quod Apoſtolus dicit Rom. 12: 9. *Charitas abſque hypocriſi* ſit. *Odio habentes & deteſtantes malum, affixi bono. Iudicii* eſt, verum à falſo & bonum à malo diſtinguere, & cum operibus tenebrarum non communicare; *juſtitia*, cuique, & Deo & proximo, debita exhibere. Vide etiam cap. 5: 7.

25. Phil. 4: 8. 9. eſt generalis præceptio. *Quod reliquum eſt, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque juſta, quæcunque caſta, quæcunque grata, quæcunque boni ominis; ſi qua eſt virtus & ſi quis laus, hæc cogitate. quæ & didiciſtis & accepiſtis & audiviſtis & vidiſtis in me; hæc facite: & Deus pacis erit vobiſcum.* Petrus verò 2 epiſt. 1: 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. connectit cum gratia omne boni ſtudium, idque in ſuos gradus diſtinguit hoc modo. *Gratia vobis & pax abundet in agnitione Dei & Ieſu Chriſti Domini noſtri. quippe quum omnia nobis divina potentia ipſius largita ſit, quæ ſunt ad vitam & pietatem, per agnitionem ejus, qui vocavit nos per gloriam & virtutem. Per quæ maxima nobis & preciosa promiſſa*

missa donavit, ut per hæc fiatis divinæ consortes naturæ, quum effugeritis corruptionem, quæ in mundo est in concupiscentia. Et ob hoc ipsum verò omni studio collato suppeditate in fide vestra virtutem, in virtute autem cognitionem, in cognitione autem temperantiam, in temperantia autem patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fratrum, in amore fratrum charitatem. Hæc enim si vobis adsint & exuberent, non ociosos neque infrugiferos sistunt in Domini nostri Iesu Christi cognitionem. Cui autem ea non adsunt, cæcus est, luscioſus, oblitus purificationis pristinorum suorum peccatorum. Videmus in his gratiæ ὑποτύπωσιν. Deus promittens maxima & preciosa, quæ qui nanciscitur habet communionem divinæ naturæ, hoc est, ipsius veri & æterni Dei. Idem *vocans per gloriam & virtutem*, h. e. per gloriosam *potentiam* & laudabilem *ad cognitionem sui*. & *in ea donans omnia, quæ sunt ad pietatem & vitam.* atque ita liberans à *corruptione concupiscentiæ*. Hinc deducit admonitionem, ut frugiferi sint. Citra quem fructum negat quemquam habere θεωρίαν, sed cæcum dicit & oblitum sive negligentem justificationis & purificationis veterum peccatorum suorum, hoc est, quibus à pueritia sine intermissione assuevit. Eum fructum igitur ostendit à fide tanquam matrice & fonte derivari, ita ut in illa omnes virtutes contineantur vel proximè ei innexæ vel per alias. Atque inde fructificationem vocat ἐπιχορηγίαν *suppeditationem*, q. d. exhibitionem in suo ordine atque serie. *In fide* enim vult exhiberi *virtutem*: significans, in *fide* contineri *virtutem*, ita ut nemo credere possit, quin simul sit sanctificatus & cor purificatum habeat à regno concupiscentiæ per amorem veritatis, gloriæ Dei & omnis boni. Quid enim est *virtus*, nisi amor veritatis, justitiæ, honestatis & omnis boni? Nam ex ea est laus. Voluntas recta & Deo placet & conscientiam bonam alit, & hominibus est amabilis. Fides sine virtute sive amore boni mortua est. In ea enim non est sitis & fames justitiæ; quæ non est desiderium impunitatis (nam in quo hoc non est?) sed desiderium juris filiorum, & sic hæreditatis, & vitæ novæ, & servitutis justitiæ, ad gloriam Dei. *In virtute cognitionem.* Quid enim recta & Deo dedita voluntas proferre potest, nisi studium cognoscendi, quod verum, bonum, sanctum, utile est, & prudenter eligendi id, quod cuique tempori, loco, personæ convenit? *In cognitione temperantiam.* Nam quæ circumspectio, quæ prudentia, quæ δοκιμασία τῶν ἀφερόντων potest esse, ubi regnat cupiditatis impotentia & non, quid expediat, sed quid liceat, vel etiam sine metu hominum facere quis pos-

sit, spectatur? *In temperantia patientiam.* Temperantia circa ea, quæ appetibilia videntur, versatur, quæ distinguit licita ab illicitis, utilia à noxiis, meliora à deterioribus, utenda à fruendis. Nam ex fide temperantia provenit. Fides autem bonum verum amplectitur præparatum ut hæreditatem. Temperantia ei succenturiata moderatur animum, ne in qua re vili, terrestri, caduca & non permanente aut exsatiante exultet. Patientia temperantiam comitatur. Illa circa ea, quæ tristitia sunt, versatur, spe boni veri & amore recti terrorem subigens & animum in voluntate recta consistentem & permanentem exhibens. Qui doloribus & molestiis à recto consilio movetur, amat nimiopere temporalia & carnalia commoda ac delicias suas. Temperans igitur non est, neque animum suum in potestate habet. Hoc enim valet ἐγκράτης. *In patientia pietatem.* Pietatem vocamus hoc, quod Hebræi יִרְאָה יְהוָה, respectu Dei, *timorem Dei, agnitionem Dei.* Ea est sine dubio certa & constans voluntas faciendi ea, quæ Deo grata & gloriosa sunt. Hæc est patientiæ, quæ laudabilis est, anima & vita. Nam duricies illa, quæ est in desperatis hominibus, qua non moventur ullis terroribus, ut à sceleribus suis abstineant, *patientia* non est: neque ullam laudem meretur. Ab illa demum vera & non fucata patientia est, lætari Deo, ut suo, in passionibus suis, & honori deputare, quòd detur Deum per eas glorificare. *In pietate dilectionem fratrum.* ut eos, qui nobiscum in Domino sunt, honoremus, etiamsi viles & impotentes sint, ut æquè preciosam fidem habentes, eodem spiritu nobiscum devinctos, ejusdem hæreditatis ἀνακληρονόμους: & cum eorum malis libenter communicemus. *In dilectione fratrum charitatem.* quæ nempe omnem proximum diligit. Nam dilectio fratrum est communis charitatis tanquam ramus. Quippe, qui diligimus proximum, & cupimus Deum in ipso per justitiam & sanctificationem ejus glorificari, gaudemus, si quem videamus ita participem Dei esse factum: qui gaudemus donis Dei, quæ confert indignis, quibus eos ad se amandum invitat, gaudemus multò magis dono Spiritus sancti, per quem quis Deum amat & amorem Dei percipit. Ita *fides* in *virtutem* & amorem boni, *virtus* in *charitatem* sive amorem hominum & peculiari modo fratrum redundat. Hos igitur Petrus innuit esse fructus, ut fidei, ita gratiæ Dei, quæ est in Christo. Hi sunt tanquam octo gradus, quibus ex atrio domus Dei exteriori in interius, in quo sita domus Dei, ascenditur. ut non ineptè videamur

ad

ad hanc rem referre ænigma Ezechielis cap. 40: 31. Scire enim neceſſe eſt, his gradibus opus eſſe, ut ſimus templum Dei, hoc eſt, veram fidem, per quam Deus in nobis eſt, ſine his ſuis fructibus non eſſe, ſed fidem ſine illis eſſe mortuam & meram opinionem.

26. Paulus in tria diviſit officia fidelium. Tit. 2: 12. *Docens nos, ut abnegantes impietatem & mundanas cupiditates, temperanter & juſtè & piè vivamus in hoc ſeculo, exſpectantes beatam illam ſpem & apparitionem gloriæ magni Dei & ſalvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Incipit à σωφροσύνη ſive moderatione animi ejuſque ſanitate, quæ dicitur τὸ ἀδιάπτωτον πνεύματος καὶ ἡσυχάζον πνεῦμα incorruptio manſueti & tranquilli ſpiritus, 1 Petr. 3: 4. & opponitur τῇ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾷ, *corruptioni, quæ eſt in concupiſcentia.* 2 Petr. 1: 3. Et non malè ἄσωτος dicitur, qui ſibi temperare non poteſt, ſed ſe ad nauſeam uſque ingurgitat rebus ſuavibus. Neque tamen σωφροσύνη tantùm verſatur circa eſus & potus, ſed omnem animi modeſtiam complectitur. Cui inſervit מוסר παιδεία, ſive σωφρονισμὸς. Unde & Spiritus, quem accepimus, dicitur πνεῦμα σωφρονισμοῦ *ſpiritus coërcitionis.* 2 Tim. 1: 7. Naturâ enim animus hominis libidine exultat, & ad omnia, quæ ſe offerunt ſenſibus jucunda, adhinnit, triſtia verò refugit. Et hinc homo, qui animum in poteſtate non habet, ἀκόλαστος dicitur. Proverb. 25: 28. *Vrbs expugnata, quæ murum non habet, eſt vir, cujus ſpiritus freno & coërcitione caret.* Nihil juvant mœnia & cuſtodiæ, ſi animus careat cuſtodia & moderamine. Dehinc pergit Apoſtolus ad *juſtitiam*, per quam proximo exhibetur, quod ſuum eſt; hoc eſt, id totum, quod penes nos eſt velle vel facere, ut proximo bene ſit, & is veræ beatitatis conſors fiat. *Iuſtitia* (quæ alioqui complectitur etiam officia debita Deo creatori & redemtori & juſtificanti & ſanctificanti) hîc diſtinguitur à *pietate*, quæ eſt certa ac firma & promta voluntas Deo honorem, amorem, timorem, cultumque & miniſterium debitum, ut ipſo digni inveniamur, exhibendi.

27. Solet Apoſtolus paſſim omne officium Chriſtianorum *fide* in Deum & *charitate* erga ſanctos complecti. Quod quando facit, per *fidem* intelligit omnia, quæ fidem teſtari poſſunt, in verbis & factis; *charitatem* autem *in ſanctos* fidei adjungit, ut præcipuum fidei exercitium.

28. Licèt autem hæc talia ſint, ut videantur iis, qui fidem habent, & Deum cognoſcunt, ſponte occurrere, & non tantùm à conſcientia illorum ſed & ab amore, quo Deum proſequuntur, ipſis præci-

præcipi, atque ita ipsi esse etiam sine literis θεοδίδακτοι *à Deo docti*, quemadmodum *ad se invicem diligendum*, 1 Th. 4:9. ita ad omne bonũ opus: Dei tamen consilium fuit, in sacris literis nobis exhibere & ostendere tum fontem omnium virtutum, tum genera, tum species, atque etiam passim peculiaria officia describere & inculcare (quod imprimis Apostoli, Petrus & Paulus, faciunt in suis epistolis) sive ut typus omnis boni & q. forma imaginis Dei & sanctitatis veræ attendentibus & pueris in Christo, & levibus corde, statim multis modis se ingereret; sive ut ii, quibus regendi alii commissi sint, majore cum auctoritate, divini scil. præcepti, sanctificationem (ita solet Scriptura loqui, intelligens studium sanctitatis; quod ita appellat, quia est opus Spiritus sanctificantis) urgere possent; & λογισμοὶ atque γογγυσμοὶ carnis non tantùm sapientiæ & prudentiæ spiritualis vigore excluderentur in perfectis, sed etiam verbi divini majestate atque evidentia retunderentur in pueris; & in ipsis illis, qui Christo mentiuntur, facilior esset pædagogia, & vel pueri leones & agnos unâ regere & ducere possent; ut est prædictum ab Esaia cap. 11: 6. sive, ut, secundùm promissionem, lex Dei (cujus summa est *converti ad Deum*) in medio omnium & in ore omnium, inque cogitatione omnium esset posita; sive, ut omnis homo per Scripturam posset deduci ad perfectionem, ut est Col. 1:28. 2 Tim. 3: 17. sive ut palam esset omnibus, nisi melior esset justitia nostra (& donata in Christo, & in expositione legis docta atque intellecta, & exercita in resipiscentia) eâ Pharisæorum & Scribarum, non posse nos in regnum cœlorum intrare. Matth. 5: 20. Nemo enim potest cognoscere Christum & justitiam ab ipso partam, & regnum illius quærere, relicta servitute legis, & abdicata propria justitia, & consequenter verè & ex animo converti ad Deum & in eo gloriari, qui non intelligit, quæ sit vis præceptorum illorum, quæ qui facit in eis vivit, atque ita de justitia sinceriùs judicat, & Deum justum & justificantem amat. Inter eos typos est Decalogus: qui quia sermonibus Dei & statutis continebatur, ideò potuit dicere Lev. 18: 5. qui observaverit statuta sua, observaturum ea statuta & judicia, quæ qui facit in eis vivit. quorum observatio est scopus omnis sermonis & εὐαγγελίας; per quam Deus verè colitur & honoratur; quæque est vita hominis. Nam, qui ea non facit, mortuus est & in morte manet. Ea autem in Decalogo esse, Ezechiel explicavit cap. 20: 11. & innuit Nehemias cap. 9. v. 13. collato vers. 29.

Cap.

CAPUT LXXXIX.

Brevis Repetitio Decalogi.

Quanquam & supra cap. 54. § 14. Decalogum breviter consideravimus, quum inquireremus, quale fœdus Deus cum Israëlitis iniverit apud montem Sinai: tamen etiam hîc, exemplo Catecheseos nostræ & doctorum virorum, etiam Prophetarum & Apostolorum, de Decalogi valore in præscribendis credentium & resipiscentium officiis, specialiùs nos agere, pro captu nostro, non deterius erit; dummodo ne videamur velle pueros in Christo abducere à Christo lectione ac meditatione eorum, quæ sacra Scriptura de his enucleatè & paternè prorsus monet; ut Solomoh, aut potiùs Sapientia, Filius Dei, in Proverbiis, aut Apostoli, Petrus nominatim & Jacobus & Paulus, in suis Epistolis. Neque enim possunt ea, quæ à nobis dicuntur, eandem habere efficaciam; & verendum nobis, ne quid imprudentes omittamus. Quare nostros lectores oramus, ut, quæ nos videmur ex sacris literis didicisse aut discere debuisse, inde nobiscum malint discere, quàm in nostris hisce chartis, quemadmodum ea disci possunt, requirere.

2. Primum igitur in omni re Christiano homini esse debet, quod extat in capite decem verborum, *Ego sum Iehovah Deus tuus.* ut nunquam ex animo deponat eam cogitationem, quàm magnum & pulchrum nomen sibi datum sit, nempe, quòd is sit, cujus Deus est Jehovah. Quod quidem cum certissima beatitudine conjunctum est. Psalm. 33: 12. Hoc autem cogitare est fidei. Quæ ad boni operis rationem perneccssaria est. Nam, quod sine fide fit, peccatum est. Rom. 14:23. Id non tantùm significat, id peccatum esse, quod fit cum dubitatione, (quod pugnat cum bona conscientia) sed etiam, nihil rectè fieri ab infidelibus. Quippe Apostolus 1 Tim. 1: 5. ostendit, *charitatem ex fide non simulata* procedere: & alibi, *Fidem operari per charitatem.* Gal. 5:6. Nam, in quibus fides in Deum justificantem non est, in illis quoque amor Dei non est. Omne autem opus externum, quod non ex amoris fonte proficiscitur, sine dubio tantùm corticem boni operis habet, & medulla caret. Neque enim Deus in homine spectat tantùm membrorum motum, habitum, aut speciem, sed cordis νθ & εδ scrutatur. Unde dicitur *scrutator cordium & renum.* Potest igitur id opus, quod non à *Initium Decalogi.*

charitate existit, homini alteri esse utile, & honorem aut emolumentum terrestre conciliare ei, qui id facit; Deo placere non potest. Quòd si quis bona sua distribuat inter pauperes, vel corpus suum comburendum tradat, charitate autem careat, nihil est. 1 Cor. 13: 3. Ita, si quis accedat ad Deum, veluti Pharisæus ille, putans, suam abstinentiam & decimationem omnium bonorum esse suam justitiam, procul dubio Deum injuria & contumelia afficit, & non ex charitate facit, quæ facit; quia non ex fide.

3. Ipsa illa præfatio, quæ nobis occasionem præbet, *Iehovam Deum nostrum nominandi*, & à nobis postulat, ut id in fide faciamus, etiam non obscurè ostendit, bonum non esse, neque licitum, quod non in nomine Dei facere possumus. Hoc autem in nomine *Dei nostri* facere possumus, de quo possumus certi esse, id Deo non displicere; sive quòd dederit nobis potestatem rebus suis utendi cum gratiarum actione, ut pater noster; sive quòd voluntas nostra & operatio habeat expressionem, effigiem & imitationem voluntatis & operationis divinæ, secundùm veritatem æternam & justitiam, quæ in ea fundatur & ex ea consequitur. In quo consistit ratio *Boni operis*, quod homo peccator facere potest. nempe ut sit bona voluntas, aut fiat ex bona voluntate, vel secundùm veritatem æternam & justitiam, ad imaginem Dei, vel ex agnitione & amore dominii Dei, in fide Salvatoris, non in fiducia justitiæ suæ, nedũ dignitatis suæ, *in nomine* quippe *Dei nostri* (qui *condidit nos ad bona opera, quæ præparavit, ut in iis ambulemus, viventes ipsi, qui nos vocavit per gloriam & virtutem*) atque ita *in nomine Christi*, ad laudem gloriæ gratiæ ipsius. In bonis operibus enim externis ea differentia est, quòd quædam eorum sunt actus virtutis & bonæ voluntatis per se, & habent dictatricem conscientiam: quædam autem in se non sunt actus virtutis, sed fiunt tamen ex obedientia & agnitione ac amore dominii Dei, qui pro jure suo præcepit sive facere sive omittere. Aliæ actiones sunt *indifferentes*, ut vulgo loquimur, neq; bonæ neq; malæ, neq; ab imagine Dei imperatæ nec eam constituentes, neque eam destruentes; neque etiam à Deo, ut domino, præceptæ: quæ quanquam non nisi bene &, quantum ejus fieri potest, utiliter, saltem non noxiè, debeant geri; tamen non commendant nos Deo, si non noxiè fiant, aut omittantur, quum sine noxa fieri possent. Ipsæ quoque actiones virtutis, si fiant ex electione malæ voluntatis, non ex præcepto bonæ voluntatis, aut secundùm habitum virtutis, faciunt hominem reum mendacii & duplicis

Bonum opus.

plicie cordis. Ex habitu autem virtutis dicimus fieri, quod fit ex consuetudine per bonam voluntatem & electionem boni introducta cum constanti amore boni & lætitia; non interveniente cupiditate, quæ suadeat facere, quod alioqui omissuri essemus. Colitur etiam Deus ac honoratur, ut verbis amorem, honorem & timorem ipsius significantibus, ita gestibus eum animi habitum testantibus. Sed, si illa signa sint absque re, tantum abest, ut cultus Dei sint, ut potiùs sint mendacia, & adulationes improbæ, ludibria ac μυκτηρισμοὶ. At inventionibus & consiliis humanis, & actionibus, quæ neque à conscientia, ut pars & effectus imaginis Dei, neque præcepto Dei speciali aut generali imperantur, neque per se sunt significationes & testificationes recti affectus in Deum aut proximum, Deus non colitur. tantum abest, ut religionis & cultûs causa vel à singulis sibi imperari, vel à cœtu sanciri vel à quoquam (quodcunque nomen aut imperium vel ministerium is habeat) præcipi possint. De quo alibi diximus.

4. Id quoque cogitandum circa hanc præfationem, qua dicit, *Ego sum Iehovah Deus tuus*, eam jam nec Israëli tantùm dici, sed & gentibus; neque igitur Israëli, ut distincto à gentibus, aut sanctificationem illam, quæ est in redemtione & regeneratione per spiritum filiationis & justificatione πλείᾳ sive πλήωλικῇ, adhuc exspectanti; sed ἔχονλι ἐν τῷ Χριςῷ τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, *in Christo*, inquam, *habenti redemtionem per sanguinem ipsius, quæ est remissio peccati*; nec tantùm liberato ex Ægypti ergastulo, sed ex fovea, in qua non erat aqua, ex servitute potestatem habentium & elementorum mundi: atque ita jam eam esse annunciationem Euangelii, & commemorationem, quòd factus sit Israëli & gentibus in Deum, & porrò adjurationem, ut se recognoscant talem. Quando enim gentibus dicitur, *Ego sum Deus vester*, & hoc verbum, quod olim soli Israëli indicatum est (Ps. 147:19.20.) indicatur etiam gentibus, completumque & Næ atque Amen factum notificatur, dubitari non potest, quin Deus facto ipso præstiterit, quod ipsum præstare oportebat, ut Deus & Israëlis & gentium fieret. quia non nisi *in semine gentes benedicuntur*. Benedicuntur autem, quibus & lux lucet & justitia annunciatur, & datur copia sibi benedicendi in semine; quique sic regenerantur, ut in semine sibi benedicant. Quæ cogitatio ut fortiùs impellit ad amandum Deum, ita etiam ostendit, verba Decalogi, quæ, quum Israëli soli

dicerentur, accipienda erant pro modulo & ſtatu illius temporis, jam exponenda eſſe ſecundùm ſtatum præſentis temporis. Imprimis verò docet, pietatem omnem majori cum lætitia & induſtria eſſe exercendam, quò ſumus à timore & ſervitute abſoluti. Neque enim ideò, quia Jehovah eſt factus Deus noſter, minùs debitores ſumus & Judæi & gentes Spiritui adoptionis ad ambulandum in hiſce præceptis, quàm Iſraëlitæ, quum Jehovah ſe Deum illorum teſtaretur, qui ipſos adhuc nobiliori modo erat ſanctificaturus, & ii ſpiritum ſervitutis acciperent ad metum. Atque ideò & Chriſtus & Apoſtoli nos ad hæc præcepta revocant. Chriſtus etiam dicit, *Hæc fac & vives*, Luc. 10: 28. q. d. hæc eſt via vitæ æternæ; eam tene; neque ea te fruſtrabitur. Neque certè mutata eſt via vitæ. Non poteſt ea ſine reſipiſcentia inveniri. Reſipiſcentia autem hac formula præceptorum agitur. Qui ita eſt & ita agit, quemadmodum decem verba præſcribunt, verè convertitur ad Deum. Cui non atteſtantur eadem, non reſipiſcit à ſuis malis & morbis, & non habet eam rectitudinem, quæ in Filio Dei eſſe debet. Chriſtus ipſe, qui nobis dedit ὑπογραμμὸν, quem debemus μιμεῖσθαι, in cujus viis debemus ambulare, illi legi, in ſua perfectione, factus eſt obediens, quæ tum extabat; neque in ſanctificatione noſtri non poteſt non tenere eam legem, per quam ipſe ſanctificatus eſt.

Primum præceptum. 5. Si igitur credimus, Jehovam eſſe factum Deum noſtrum in Chriſto, quid prius, quid potius à nobis exigi poteſt, quàm ut ne judicio animi decernamus, gloriam Dei noſtri non eſſe ipſius propriam, neque verbis eam ulli attribuamus, neque eum aut talem affectum erga ullum geramus, qualis dignus eſt Jehovah Deo noſtro? Qui enim animum ſuum & affectum ab aliis omnibus abduxerit, quia Jehovah eſt Deus ſuus, habebit ſignum evidens converſionis ad Deum. Nam naturaliter homo vel ſibi vel aliis rebus ea, quæ ſunt Dei, ſacrilegè attribuit. Sibi, ut putet ſe habere, quod ſit juſtitia ſua, ſeque poſſe facere, quo ſalvus ſit & judicium Dei evadat. Ita facit vim ſuam Deum ſuum. Hab. 1: 11. Alius ſapientiæ ſuæ confidit, alius dextræ, & per eam ſibi ſalutem facere nititur. Aliis rebus, quibus confidit; ut ſunt potentes hujus mundi, vel equus, vel copiæ; etiamſi ad aliquod temporale bonum acquirendum, habendum, conſervandum. Ex quo genere eſt fiducia in divitiis, eique ſuccenturiata lætitia & exultatio propter eas inventas, aut ſtudium earum parandarum, omiſſo aut non certè majori contentione

tentione virium & impendio temporis curato ſtudio parandi regnum cœlorum. Quò pertinent loci, Job. 31: 24. 25. 1 Tim. 6: 10. 17. Matth. 6: 24. 33. 34. In Pſalmo 49. ſtudium congerendarum opum aut faciendi nominis, aut ſemetipſum belle habendi & genio indulgendi, ἄλογος, ut inutile ad redemtionem animæ, ad everſionem mortis & perditionis, & ut impedimentum intelligentiæ ac prudentiæ ac percipiendæ lucis: neque ullam conſolationem afferens in hora mortis, quum hominem circumſiſtunt lubricationes calcaneorum ejus, & pauſa in mortali corpore peccandi facienda eſt. Johannes 1 epiſt. c. 2: 15. *Si quis diligit mundum, non habet dilectionem patris in ſe.* Quando dicit Decalogus, *Ego ſum Iehovah Deus tuus*, commendat homini eam cogitationem, quanti faciendus ſit, qui eſt, qui eſt quod eſt, qui non mutatur, qui ſe non abnegat, qui habet auctoritatem adjurandi hominem, & ſufficientiam & voluntatem ad peccatori proponendum verbum, ut credat in ipſum & in ipſo glorietur. Ex quo nemo, niſi brutus, non intelligit, quid oporteat de Jehovah Deo ſuo ſentire, quam gloriam ei dare, quomodo eum revereri, quomodo amare & quærere; nempe ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. Benigniſſimus Deus volens alloqui peccatores, Iſraëlem & gentes; quorum animus penitus eſt converſus ad amorem vanitatis, ad fiduciam fallacem, ad ſervitutem Satanæ & concupiſcentiarum, & ad fugam Dei, quippe ſancti & judicis: quumque dixiſſet ipſis, Se Deum peccatoris eſſe poſſe, hoc eſt, poſſe facere, ut peccator in communione ſui glorietur; ſeque in Iſraële & gentibus habere deſtinatos hæredes hujus gratiæ; quemadmodum dixerat Abrahamo, *In ſemine tuo ſibi benedicent gentes; Patrem multitudinis gentium dedi te:* & omnibus copiam facere, imò ab omnibus poſtulare, ut glorientur in ſe: quid porrò poterat ipſis inſinuare prius, vel ad hanc gloriationem legitimè capeſſendam accommodatius, quàm ut deſinerent gloriari in quoquam alio, & amorem, timorem, quæſtionem, æſtimationem & omninò affectum, dignum eis, quorum Jehovah eſt Deus, aliis impendere? In Decalogo fœdus vult paciſci cum iis, ad quos loquitur, hoc eſt, vult eos ducere ad ſuam communionem & amicitiam & jus à ſe, tanquam Deo ipſorum, omnia bona expetendi. Veriſſima ſanè ὁμολογία & perfectiſſima ad divinam adjurationem aut ſtipulationem adſtipulatio illa eſt, Jehovam, ut Deum ſuum, ſinceriſſimo & puriſſimo & enixiſſimo amore amplecti, honorare, eique confide-

re, ſine ulla titubatione, cum fortitudine & robore maximo. Quid enim juſtius? Quid convenientius cum Dei amicitia & communione ſic expoſita? Quid dignius vocatione ad fiduciam & omnis timoris expectorationem? At noverat Deus figmentum hominis; meminerat, illum eſſe pulverem. Non igitur ſtipulatur, quod ſummum eſt & maximum; ſed ne ſaltem glorietur in vano; utque nitatur omnia abnegare & abdicare, & pro σκυβάλοις atque damnis habere, quæ quidem non poſſunt accipi, ut dona Dei: & Deo dicere in veritate, quod eſt Pſalm. 73:25. *Quis meus eſt in cœlo? & tecum non delector* ulla re *in terra.* Nempe is Deo in veritate videtur reſpondere, & dicere, Imò *Tu es Iehovah Deus meus*, qui propter hoc verbum Dei auditum omnia incipit habere vilia & imbecilla, & nihil habere vult, niſi ut Dei donum, propter ipſius miſericordiam, in moderato uſu, ad ipſius gloriam. Quod fieri non poteſt, niſi ab eo, qui *animam ſuam extollit ad Deum.* Pſalm. 25:1. Ejuſdem enim eſt, *animam non efferre ad* nihilum, ſive *temerarium.* Pſalm. 24:4. Quum Iſraël adhuc in Ægypto eſſet, dixit ei, *Ego Iehovah Deus veſter*; quod interpretatur Ezechiel cap. 20:5. 7. quòd dixerit ipſis, *Quiſque abominationes oculorum veſtrorum projicite, & ſtercoribus Ægyptiorum ne inquinemini. Ego Iehovah Deus veſter.* nempe hoc dicere, valet illud dicere. Quum ad montem Sinai ſtaret, dixit ei, *qui eduxi te ex Ægypto, ex ergaſtulo.* q. d. magno argumento demonſtravi, me velle eſſe Deum veſtrum. Relinquite igitur vel nunc ſaltem opiniones veſtras abominabiles & concupiſcentias veſtras & fiduciam in mendacio, & fugite gentium inquinamenta. Poſtquam Jehovah tanquam inſidens nubi veloci venit in Ægyptum, hoc eſt, in gentilitatem & præcipuum ejus regnum, Eſ. 19:1. & nobis, qui ſumus Ægyptus, dicit, *Ego Iehovah Deus tuus*, quid aliud exaudimus, quàm Deum velle nos facere populum ſuum & benedictionem, ibid. v. 24. 25. ideoque nos debere ſaltem abjicere ſtercora noſtra Ægyptiaca & fiduciam vanitatis, & concupiſcentias mundanas? Cæterum quis non videt hoc præcepto poſtulari, ut non ſimus *ἱερόσυλοι ſacrilegi*, vel detrahentes Deo gloriam ipſius, vel intercipientes aut impedientes regnum ejus, vel res ejus, quas ipſe ſibi & cultui ſuo vindicavit, vel homines, quorum id poteſtatis fuit, ei dedicaverunt, ei eripiamus? At, quæ major *ἱεροσυλία* eſſe poteſt, quàm Deo non dare cor. quod Sapientia ſibi poſtulat dari Prov. 23:26. *Da, fili mi, cor tuum mihi.* Cæterum quid manifeſtius eſt, quàm, hoc præcepto

cepto prohiberi, ne Deum ipsi mutemus, aut alium adoremus, invocemus, alii fidamus, in alio deliciemur, quam in eo, qui est *Iehovah Deus noster.* qui gloriam potiorem habet omni gloria, quam vel gentium Dei sibimet arrogarunt vel de iis dicta est: quique gloriam suam alteri non dat? Es. 42: 8. 48: 11. qui est Pater Filii unigeniti, & Sapientia uncta ante montium fundationem, & Spiritus gratiæ. Nam is agnoscendus est, ut agnoscatur *Iehovah* & *Deus noster*, atque *sanctificator noster.* Qui nempe sit *Pater noster*, *clypeus noster* adversus accusationem legis, *justitia nostra*, *dominus noster*, *salvator noster*, *paracletus noster.* Quare etiam sermo hic habitus ad Israëlem olim & nunc gentibus innotescens *Angelo Iehovæ*, *angelo* scilicet *faciei*, *in cujus medio est nomen Dei*, in quo cernitur Deus, *angelo assertori*, *angelo Testamenti*, qui est *Dominus* & *Iehovah*, attribuitur. Hic verò Judæi tenentur rei sacrilegii: qui Deum mutarunt, & sacrificarunt non-Deo. Deut. 32: 17. & in Filio unigenito rejecerunt Patrem, & justitiam ejus & regnum, 1 Joh. 2: 23. Qui gloriam Salvatoris & justificantis improbum ex fide Deo detrahit, & negat, Deum posse fieri fratrem nostrum & sic justitiam nostram, negat, Jehovam esse Deum suum, & Deum peccatoris esse posse. Ideò Israëlitæ, quum gestarent tabernaculum Dei in deserto, & tamen non projecissent abominationes oculorum suorum, dicuntur gestasse tabernaculum Molochi. Amos. 5: 25. 26. Actor. 7: 42. 43. 44. Sæpenumero arguuntur Israëlitæ, quòd *scortati* sint cum populis multis. Id significat, quòd gentibus studuerint placere, & confisi illis fuerint, tanquam per quas salvi esse possent; quum tamen interim Jehovam Deum suum & sic salvatorem suum appellarent. Et, ne putemus hoc tempore nos esse immunes à periculo talis scortationis, audiendum est, quod Esaias cap. 23: 16. dicit, *Tyrum reversuram ad quæstum suum, & scortaturam cum omnibus regnis terræ.* Apostolus dicebat 2 Cor. 11: 2. 3. *Zelo vos Dei zelo. Nam pronubi instar vos despondi uni viro virginem castam sistendos Christo. Metuo autem, ne, quemadmodum serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur cogitationes vestræ à simplicitate erga Christum.* Non possumus duobus dominis servire, non possumus Christo adjungere socium, quem cum ipso audiamus, amemus, timeamus, &, cui confidamus, præter ipsum. Solus audiendus, soli credendum, ad eum unicè confugiendum est. Solus metuendus est, qui animam & corpus in gehennam conjicere potest. Vide Matth. 6: 24. 10: 16. 28. 23: 8. 9. 10. 2 Cor. 6: 14. 15. 16. 17.

16. 17. 18. Ea est laudata in Scripturis חָמְתָּ *integritas*, *sinceritas*, *simplicitas*. Sapientia in Proverbiis passim monet fugere *Mulierem alienam*, quæ in viis, in compitis, in portis dicitur fatuos invitare ad se; quam etiam *Mulierem stultitiæ* nominat. Et Esaias cap. 57. mentionem facit filiorum Meretricis. Quem stilum Scripturæ propheticæ Apocalypsis imitatur, alibi Jesabelem meretricem, c. 2. alibi simpliciter τὴν πόρνην *Meretricem* appellans. Intelligit autem Scriptura id genus homines, qui homines simplices & fatuos invitant & compellunt sibi obedire & sua desideria facere, imò & potestatem, quam habent, sibi tradere abutendam, cum promissione remissionis peccatorum & vitæ æternæ, & magnorum in hoc mundo commodorum & præmiorum. Eam meretricem, quam & *pseudoprophetam* appellat, præcipuè caput pseudoprophetarum, Daniel vocat *Deum peregrinum* præter *Deum arcium*, cap. 11: 38. 39. Igitur *scortatio* spiritualis est, talibus placere, talibus credere, signaturam, quam ii tradunt, in frontem aut manum dextram recipere. Quæ ἐκπορνεία vocatur & ἀνομία. Alia enim lege susceptà, discedit à Deo vivo & à Domino, Rege, legislatore ac judice unico, & ejus consilium rejicitur. Proverb. 1: 25. jugum ejus excutitur, vincula rumpuntur. Psalm. 2: 3. Quod fieri non potest ab eo, qui sermonem Dei & præcepta ejus retinet, Christum cognovit, & fundamentum tenet & paratus est à Deo discere, &, quæ discit, in fundamento inædificare. Unde, qui non recipiunt eam signaturam, & retinent sermonem Dei ac testimonium Jesu, sive signum Dei in frontibus suis gerunt, & Agnum sequuntur, habent hanc consolationem in Scripturis, quod Beati sint; quippe primæ resurrectionis participes. Apoc. 20: 4. 5. Nemo porrò non videt, in quo censu oporteat habere θρησκείαν ἀγγέλων, invocationem sanctorum mortuorum, & δουλείαν & ὑπερδουλείαν, & fiduciam in opere operato, & in meritis hominum peccatorum, quantumvis sanctificatorum, ut & Satanæ interrogationem & advocationem ad auxilium, incantationem (quæ φαρμακεία in Scripturis dicitur) fiduciam in ritibus & mediis non naturalibus ad effectus naturalibus majores, Astrologiam judiciariam & omnem θεουργίαν & γοητείαν. Neque illud negligendum est, præceptum hoc non tantùm animi judicium & affectum concernere sed etiam verba factaque & ritus, quibus utuntur homines superstitiosi & alios Deos colentes. Nam similia facere, atque illi faciunt, inter ipsos & in eo loco, ubi illi cultum exercent,

in

in illorum gratiam, ab actus idololatrici titulo non potest excusari. 1 Cor. 8: 10. 10:14. — 22. Reges quoque & Principes, qui fovent εἰδωλολατρείαν, quam impediendi potestatem habent, procul dubio se coinquinant. Et hoc est fortasse, quo Solomo peccavit. quem Scriptura videtur interpretari adorasse deos alios, quia sumtibus suis & in regno suo, in terra, ex qua Deus jusserat omnia instrumenta cultus falsorum deorum exstirpari, permisit ædificari templa Deis aliis, & alios coli. Et hoc quidem præceptum præbet fidelibus, ut diximus, gloriationem: sed eisdem præbet occasionem se humiliandi coram Deo. Ostendit enim hoc præceptum (quod ad revocationem hominis aberrantis in viam comparatum est, & Sapientiæ invitationi, quæ describitur Prov. 1. & 8. & 9. respondet; & consolationem affert confugientibus ad Deum & revertentibus ad ipsum, atque iis gloriationem in Deo parit) quid nobis adhæreat de vetusto homine, & quos affectus carnales adhuc habeamus deponendos & exuendos (qui sunt adversariæ Deo & animæ perniciosæ) & ad quam perfectionem tendendum sit, ut nihil planè, quod extra Deum est, ultra suum precium, ordinem, usumque æstimemus aut habeamus, neque quicquam, nisi à Deo & in Deo & ad Deum, velimus habere aut accipere aut retinere. Cujus perfectionis typum habemus in eo, qui appellatur ὁ ὅσιος θεῷ *studiosus Dei*, qui *Iehovæ dixit*, *Tu es Dominus*, qui eum *semper posuit ante oculos*, & eum *sortem suam* habuit, ita ut & *renes ipsius in noctibus eum continerent in officio*, Psalm. 16. In quo habemus, ut δικαίωμα, ita etiam acquisitionem sanctificationis hîc continuandæ, consummandæ autem in gloria. Quod pertinet ad glorificationem Dei justificantis nos. Nam, si putemus, peccatum nos non habere, sive, nobis malum, verè peccatum, non adjacere, aut non peccasse nihilque deliquisse, saltem in nobis non esse pravitatem, quę sit peccatum, Hos. 12:9. aut *in operibus nostris* posse *vivere*; nos ipsos seducimus, Deum mendacem facimus, & nec sermo ipsius, nec veritas in nobis est. 1 Joh. 1:8. 9. 10.

6. Poterat in primo verbo omne officium intelligi. Sed visum est Deo etiam alterum verbum addere. *Ne sibi Israël faceret imaginem. ne eam adoraret eique incurvaretur.* Homo imaginem facit, quando quid visibile videt, quando, quæ ab alio dicuntur, cogitat. Concipit enim cogitationem similem ei, quæ est in loquente. Moses Dei jussu æneum serpentem fecit. Fecit & typos in templo, symbola & emblemata rerum spiritualium. Non igitur simpliciter

Præceptum secundum.

imagines facere peccatum est. Eæ imagines vetantur, quæ à nobis haberi non possunt, quia *Deus noster est* IEHOVAH. Habere imagines etiam licitas cum nimia oblectatione oculorum, ut omnis φιληδονία & cupiditas, pugnat cum præcepto primo. Quacunque re nimis delectatur homo, eam pro Deo suo habet. Sed hîc imagines intelliguntur, quæ Deum ad *Zelum* commovent. Non putem vacare, quod dicitur, *Non facies tibi*. Id etiam ad animum pertinet. Non facies, ut ei confidas, ut in cultu habeas, ut inde utilitatem percipias. Nec curabis fieri, aut de tuo fieri permittes. Ad gestus pertinet, quod additur, *Non incurvaberis, non coles*, ritu ullo aut ceremonia. Nihil facies, ut colas, aut ut colatur ab alio. Nemo non videt, hoc verbum contineri in illo generaliori, *cui assimilabitis me, & exæquabor?* Qui fecerunt imaginem, aut Anubis, aut bovis, aut Apis, aut si qua alia figura est facta à gentibus, in qua deos suos colerent, dupliciter peccarunt. Deum assimilarunt creaturæ, & alium Deum coluerunt. Aliquem enim honorem, qui Deo soli debetur, non-Deo impenderunt. Qui sanctos in imaginibus colunt, non-Deum adorant. Contra primum præceptum directè peccant. Ut distinguatur hoc præceptum à primo, sic concipiendum est: Ne id, quod colimus, putemus esse simile auro, argento, materiæ, sculpturæ artis aut cogitationis humanæ typo. Actor. 17: 29. & porrò ulli creaturæ. Una Dei est imago animus cognoscens Deum &, quod apud Deum immutabiliter verum est, & in ea veritate se oblectans. Sed ea imago testatur, Deum esse majorem omnibus rebus & præstantiorem, & lucem habitare inaccessam, & nec videri nec comprehendi posse. Qui Dei imaginem faciunt, dicunt, se non divinitati facere imaginem, sed eas formas, in quibus Deus aliquando visus est vel corporaliter vel spiritualiter, effingere. At ii non cogitant, Deum quidem posse sibi facere sermonem, corpora, glorias, quibus singularem suam præsentiam testetur; sed 1. hominem non posse Deo facere imaginem & statuam, in qua se homini exhibeat; quemadmodum nec vocem formare potest, quæ Dei vox sit. 2. imaginem nec Deo similem esse, nec illi organo, in quo se Deus manifestavit. Non enim species assumti corporis ostendit Deum vel loquentem vel agentem, sed ipsa divina verba & verborum efficacia & operationes & alia signa gloriæ. Abrahamus non vultu cognovit Jehovam sibi apparentem, quum tres homines videret, sed Sermone aut Spiritus sancti intra animum indicio. Non

absque

absque causa dicit Scriptura, Imagines habere membra sine usu, & spiritum non emittere, neque respirare. Quod sanè neminem latet. Neque ullus tam bardus est, ut eas putet vivere. Sed pauci animadvertunt, quòd Scriptura à cultu rejiciat ea, quæ vitam non habent, & vivifica non sunt. Deus est vivus & vivificat. Quis ei vel assimilabit rem vita & spiritu carentem, vel dabit organon tale, in quo non appareat vita & vivificatio? Vide Psalm. 115: 3. 4. 5. 6. 7. 135: 15. 16. 17. 18. Habac. 2: 18. 19. Es. 40: 18. 19. 20. 42: 17. 44: 10. — 20. In quibus locis quæ dicuntur contra imagines & earum cultum, in omnibus imaginibus, etiam, quæ fiunt Deo vero & vivo, & per quas is coli putatur, locum habent. Eæque rationes, quibus Spiritus sanctus utitur, valent semper, & ostendunt, id præceptum non modò esse δεσποτικὴν θελήσεως, sed perpetuum; quia simulacrum Dei est commutatio veritatis & gloriæ Dei. Rom. 1. v. 23. 25. Neque possunt dicere, Se Deum colere in imaginibus. Nam Deus non est in imaginibus. Jaroboam in celsis volebat videri Deum adorare. Sed, quia Deus in eis non posuerat nomen suum, & ad ea non veniebat, dicitur dæmonia & vitulos adorasse, hoc est, commentitios suos Cherubinos, qui habebant vituli pedes & faciem. Putabat enim, quia Cherubinos fecerat, ut erant Hierosolymis, Deum inter eos habitare & ibi adorari posse. Ita facit, qui facit imaginem hominis, & eam nominat imaginem Dei, & coram ea procumbit. Ita facit, qui altaria dedicat Deo. Oblatio sacrificii Missæ pugnat cum primo Præcepto. Solius enim Filii Dei gloria est offerre pro peccato seipsum. Rursus pugnat cum secundo, quia Dei gloria est, sacrificium semel oblatum acceptum habere, & aliud sacrificium nolle offerri, Deus autem in sacrificio Missæ assimilatur hominibus, quasi approbet cogitationem hominum, eum delectari destructione & ESSE SACRAMENTALIS corporis Christi in ventriculo alicujus hominis potestatem habentis faciendi corpus Domini, tanquam sacrificio propitiatorio, ad condonandum peccata. Quò referam morem ineptum nominandi deos gentilium? à qua scabie vix ullus abstinet eorum poëtarum, qui se Christianos ferunt. Ineptum dico. Nihil enim habet elegantiæ: & tam injucundum est & absurdum ea nomina audire in oratione eleganti, quàm audire nomen Baal aut Molech. Dicunt, Bona esse nomina. Sunt & illa. At Deus non vult illis nominibus appellari; quia habet majorem gloriam, quàm est eorum deorum, qui cogi-

tantur, quum ea nomina audiuntur. Hoc igitur est Deum dæmoniis aut hominibus (quos adorarunt gentes & fabulis stultis non honorarunt, sed conspurcarunt) assimilare. Qui de Deo cogitat in timore & tremore, non potest non offendi ea nomina audiens. Et pueri paulatim his assuefiunt, ut, si non habeant gentiles de Deo opiniones, saltem non, ut oportet, abominentur vanitatem, quam hæreditaverant patres nostri. Dicis, ludo. Quid Deo, inquam, cum ludo tuo, cum mendaciis tuis, cum sermone insulso? An tibi lusus est, memoria stultitiæ patrum tuorum? & scelus, quod flendum erat & deplorandum? Hoseæ c. 2: 15. vel 18. dicit Deus: *Illa die vocabis me, Vir mi; & non amplius vocabis me, Baali*, hoc est, dabis mihi gloriam Sponsi tui, & sic me amabis; abjicies autem illam opinionem, quasi te habeam pro servo, & exigam debitum servile. Subjungitur, *Et auferam nomina Baalim ex ore ejus, & non memorabuntur nominibus suis.* Zach. 13: 2. *Exscindam nomina idolorum ex terra.* Non vult igitur sanè Deus se nominari nominibus idolorum, quæ nominari non possunt, quin cogitatio prisci sacrilegii in animis existat. Non possum hîc omittere, quòd viri quidam docti, ut hoc præceptum à primo distinguant, distinguunt inter cultum naturalem & institutum: & cultum naturalem volunt esse præceptum primo, institutum secundo, per prohibitionem contrarii. Id non est ita, & periculosum est. Non ita est. Nam prohibetur fictio imaginum non sub ratione ea, quòd non sit mandata, sed sub ratione ea, quòd Deum provocet ad zelotypiam; & quia Deus noster est Jehovah; &, ut Catecheſis cum Scriptura explicat, quia Dei imago fieri non potest. Deinde *procumbere* vel inclinari est signum reverentiæ, quod natura dictat: quod non pendet ab institutione. Periculosum est; quia sic insinuatur, peccatum hoc esse mutabile. quia, quod ἐν δόγματι pendet, est mutabile. quasi, qui adorat imaginem, tantùm peccet, Dei dominium sibi vindicando, qui solus suum cultum instituendi potestatem habet. Quod quâ facit, contra primum præceptum peccat, faciens voluntatem suam Deum suum. Censemus tamen, ἐθελοθρησκείαν esse contra hoc præceptum; quemadmodum τὸ καταβεβλῆσθαί τινα ἐν δόγμασι καὶ ἐθελοθρησκείᾳ est contra primum præceptum. Nam, qui præcepta dat de cultu, & δικαιώματα λατρείας condit, assumit, quod est Dei: qui autem colit Deum per suas adinventiones, est φαρμακὸς *incantator*, & Deum facit similem sibi.

7. Si

7. Si latitudinem & hujus præcepti ſpectes, cætera omnia complectitur. Habet tamen proprium aliquid & ſuum, quo à præcedentibus & à ſequenti commodè diſtingui poteſt. Neceſſe eſt hominem præ ſe ferre in ſermone & in factis, quòd ſit homo, conditus ad ſimilitudinem Dei. Quando homo loquitur & poſtulat ſibi credi, licèt nihil dicat, tacitè ſignificat, dignum homine eſſe, quia homo eſt, non mentiri, &, qui mentitur, indignum eſſe, qui honoretur & laudetur. Quando homo quid agit, neceſſe eſt, eum agere ut judicandum ab omnium conſcientia. Ita homo hominem in commercio omni tacitè adjurat, ut veritatem dicat, ut non inſidietur proximo; & viciſſim, qui vera loquitur, qui bene agit, ut habeatur pro bono viro. Ita fit, ut, qui commercium habent, ſibi invicem quaſi *Amen* dicant ad mutuam adjurationem. Hoc ſecutus Chriſtus ſæpenumero apertè ſermoni ſuo præfatur, *Amen dico vobis.* q.d. Quod tacitè à me in animis veſtris contenditis, ut in nomine & timore Dei, tanquam bonus vir, tanquam verax doctor, tanquam Filius Dei, ut Salvator mundi vobiſcum loquar, ad eam adjurationem veſtram vobis liberè & palam reſpondeo *Amen.* Nam *Amen* reſpondebatur ad adjurationem. Id valet ναίσιτο. Reſpondebatur autem à teſtibus & omnibus, qui compellebantur veritatem dicere, cujus ſoli conſcii erant. Vide Num. 5: 19. 20. 21. Ex qua re patet, quòd *Amen* ſive ἀληθῶς *alicui dicere*, ſit jurare. Nam, quum Lucas τὸ *Amen* vertit Αληθῶς, cavendum eſt, ne putemus conjungenda eſſe ἀληθῶς λέγω, quod eſſet, *verè dico*, quod poſſit accipi pro ἐπ' ἀληθείας λέγω, vel ἀληθῶν λέγω; ſed τὸ Ἀληθῶς habere vim formulæ; hoc modo, Dico vobis τὸ Ἀληθῶς *Verè*, quod adjuranti reſponderi ſolet ab eo, qui æquitatem & juſtitiam adjurationis approbat. Nam & Lxx. τὸ Ἀμὴν reddunt per Ἀληθῶς, ubi nihil ſignificat niſi approbationem rei jucundæ & optabilis. Vide Jer. 28: 6, Ἀληθῶς, ὅτω ποιήσαι κύριος, στήσαι τὸν λόγον σε. Sed hominem homini reſpondere Amen in commercio, & Deum creatorem ac judicem profiteri, ferè neceſſe eſt: ſed *Iehovam Deum ſuum* nominare electionis eſt & προαιρέσεως. Vide Jeſ. 24: 22. Si quis igitur *Iehovam Deum ſuum nominet* & in eo glorietur, hoc præcepto monetur, ut id non faciat per hypocriſin & temere, neque profanet nomen Dei. Ex quo perſpicuum eſt, cùm omnia, quæ talis facit, in nomine Dei eſſe facienda, tum, quæ dicit, dicenda: juſtumque & fas eſſe nunquam mentiri; quia nunquam poteſt is, qui Jehovam gloriatur Deum

Præceptum ſecundum.

ſuum eſſe, non in nomine ejus videri loqui & agere: *Malum* autem eſſe & *ex malo illo*, patre mendacii, quòd homo hominem, imò eum, qui gloriatur in Deo, cogitur ſuſpectum habere mendacii, & adigere ad *nominandum nomen* Dei, atq; ita Deum judicem profitendum & teſtem conſciſcendũ; ut ipſi fides aliquo modo adhiberi poſſit. Quod qui facit, *jurare* dicitur. Bonum igitur eſt & vera obedientia hujus præcepti, imprimis Jehovam Deum ſuum nominando non mentiri: deinde in omni ſermone non affirmare, niſi quæ affirmanda ſunt; non negare, niſi quæ neganda ſunt; atque etiam ſecreta, quæ dicenda non ſunt, reticere & non prodere: atque ita fidem ſibi parare, & evitare neceſſitatem nuncupato nomine Dei jurandi apertiùs. Hoc dicitur in Scripturis *juramentum revereri*, Eccleſ. 9: 2. hoc eſt, diligenter fugere neceſſitatem jurandi. quod ex oppoſito patet, quod eſt *jurans*, id eſt, ſæpe & promptè jurans. Nulla autem ratio eſt evitandi hanc neceſſitatem, niſi ut aſſueſcas verum dicere & homines te habeant pro veraci. Chriſtus propter infidelitatem hominum & tarditatem cordis ipſorum, ut attenderent ſermoni ſuo, voluit identidem *ipſis Amen dicere*. Ex primo autem horum duorum pendet, ut ſolvas Deo vota tua. Nam &, dum quis Jehovam Deum ſuum appellat, vovet & promittit ei obedientiam & glorificationem; atque ita *ipſi jurat* & homagium præſtat, Eſ. 19: 18. 45: 23. &, dum quid licitè atque rectè vovet, Jehovam Deum ſuum appellat. Hinc poſtulat Deus à nobis pro omni ſacrificio *confeßionem & ſolutionem votorum*. Pſalm. 50: 14. Quòd ſi autem in nomine *Jehovæ Dei noſtri* omnia dicenda & facienda ſunt, & id ſanctum nomen non eſt profanandum, quid conſcientiæ habent illi, qui, alienas ſumentes perſonas, vel vera & bona non loquuntur in fide & σεμνῶς, ſed ut oculos aureſque oblectent, vel etiam turpia & fœda ac nefaria loquuntur cum maxima aſſimilatione ſerii affectus, vel denique pro morionibus ſe gerunt & ſcurrilitatibus cachinnos excitant? Tragœdos, Comœdos, hiſtriones deſigno. Omitto enim alia illorum, & quòd fiant turpium rerum διδάσκαλοι. Quod ipſi non ignorant. Menandri Comici verſus eſt, quem citat Paulus, φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαὶ, *Mala verba mores haud malos adulterant*. Quid enim magis mala exempla nocere poſſunt, quàm malorum exemplorum elegans & artificioſa, & ad artificioſè peccare docendum apta expreſſio? Et ſpurciſſimus Ariſtophanes hîc in ſe, dum taxat Euripidem, teſtimonium dicit. Nam, quum Euripides (quem cum

Æſchylo

Æschylo in Comœdiam induxerat) interrogasset, defendendæ Phædræ suæ,

Πότερον δ' οὐκ ἔνεστι λόγον τιθέναι τῷ Φαίδρας ξυνέθηκα;

Respondet Æschylus;

Μὰ Δι' ἀλλ' οὔτ'. ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τοὔργον ποιητοῦ,
Καὶ μὴ φῦσαι, μηδὲ διδάσκειν. τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
Ἔστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσι ποιητής.
Παῦσαι δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς —

E. *Num carminibus fortasse meis, quæ fecit Phædra, reclamant?*

Æ. *Minimè verò: sed oportet, quod fœdum est, celare poëtam,*
Nec producere vel describere. nam, qui audet dicere, doctor
Pueris existit, sed pubem ingeniosam carmina ducunt.
Bona dicere nostrum est omnino. — Ita ille in Ranis.

8. Planum est ex præcedentibus, quæ sit opportunitas quarti præcepti, ut homo *recordetur diei Sabbati, ut eum sanctificet.* Id in lege operum (ad cujus obedientiam annitimur per resipiscentiam) valet, ut tempus omne, quod fluit à conditione hominis, quo Deus cessat creare novas speciè creaturas, sanctificemus. Nam Deus sanctificavit eum diem, quo primùm requiescere incepit. Quies enim Dei est sanctificatio ejus temporis, quo quiescit. Oportet enim ipsum in opere suo consummato glorificari. Ideò etiam in Decalogo mentio fit Sabbati primi; ut Israëlitæ recogitarent creationem hominis ad imaginem Dei, &, quòd homo ad sanctificationem omnis temporis factus sit. *Sanctificare* autem omne tempus est id sanctis cogitationibus, dictis factisque exigere. Quod idem est cum *amare Deum ex omnibus viribus, & ex omni cogitatione.* Quod qui recordatur, non potest non fateri & deplorare defectum sanctitatis, qua omne tempus sanctificari oportet. Certè is nunquam præsumet de justitia sua. Quum autem constet, esse sanctificationem quandam temporis necessariam imprimis peccatori, quæ requirit vacationem ab aliis operibus, quantumvis sanctis; quæ consistit in meditatione verbi Dei & orationibus perseverantioribus; item in conventu ad mutuam ædificationem; & in aliis pietatis exercitiis; quæ non nisi omissis aliis negociis rectè obiri possunt: planum est, partem vitæ non parvam ei impendendam esse, & ad hoc præcipuè vigilandum esse. Quod Christus insinuat, quum dicit, *Quærite ante omnia regnum Dei & justitiam ejus.* Matth. 6: 33. Debitum igitur charitatis Dei est, ut Ecclesia hujus sanctificationis causa *Præceptum quartum.*

ſa idonea & ſufficientia tempora conſtituat (Nam, ubi præceptum ſpeciale non extat, ibi id relictum eſt prudentiæ & arbitrio charitatis;) & ut quiſque, quæ conſtituta ſunt, obſervet, neque conventus relinquat aut ad eos non ſit idoneus ſive eos agat perperam & inutiliter. Hac de re non ineptè loquitur Bucerus de regno Chriſti libr. 1. c. 11. ubi docet, *ut certa loca ita etiam certa tempora ſacris Chriſti religionibus ſanctificanda*, h.e. *inſtituenda & uſurpanda* (per hæc enim verba id explicat § 3) *eſſe* à Chriſtianis. Scriptura in prophetiis de Novo Teſtamento ænigmaticè Sabbata & novilunia appellat tempus quietis in regno Chriſti, de quo & Rabbini dicunt, שבת כלו *totum* id eſſe Sabbatum: aliquando & tempora dedicata conventibus & ſacris religionibus innuit. ut Ezechiel loquens de templo myſtico. Hoc exemplo habemus diem Dominicum in omnibus Chriſtianis Eccleſiis ei rei conſecratum: ut idem docet, & in aperto eſt. Statuit autem Bucerus, *Apoſtolos & priſcam Eccleſiam eum religioſis actionibus dicaſſe. tum ut teſtarentur, Chriſtianos Moſis pædagogiæ non teneri; tum ut memoriam reſurrectionis Chriſti, quæ primo die ſeptimanæ facta eſt, hoc pacto celebrarent.* Patet autem ex Scripturis, ab Apoſtolis primum Sabbatorum vocatum eſſe Dominicum. cujus rei nulla probabilior ratio eſt, quàm quod ea dies ſit ἡ ἀναστάσιμος. Patet etiam, Apoſtolum Paulum ordinaſſe, ut, quamvis & ſingulis diebus convenirent, & Sabbato quoque, tamen prima Sabbatorum conferrent ſtipem pro neceſſitate ſanctorum Hieroſolymam à ſe deferendam. Unde liquet, etiam illo die conventus actos fuiſſe, & hanc probabilem occaſionem fuiſſe celebrioris conventus agendi illo die. Ex antiquis Patribus liquet, & Chriſtianos eo die ſolitos fuiſſe lætari, & præcipuè eo die conventus egiſſe, atque eo etiam jejunia non egiſſe. Nunc habemus illum diem per univerſalem Eccleſiam religioni & quieti dicatum. Atque hæc omnia convenientia ſunt generali præcepto, ut dies noſtros ſanctificemus. Fieri id enim non poteſt, niſi aliquando à negociis, operibus & moleſtiis noſtris requieſcamus. Licèt enim fidelis omnia poſſit facere in nomine Chriſti, tamen etiam oportet eum meditari verbum Dei attentè & audire, & interrogare, & de eo colloqui, ut ſciat, quid ſit facere in nomine Chriſti. Deinde ad omnes pertinet Deum glorificare & celebrare virtutes ejus, & ad παροξυσμὸν τῆς ἀγάπης incumbere. Quum igitur requieſcimus à laboribus noſtris, ſive id faciamus propter fatigationem corporis, ſive tempus conſtituerimus aut conſtitutum

stitutum habeamus ad cultum Dei, requiem sanctè habere studebimus, & vacationem sancto operi dedicatam non inutiliter prodigere. Quòd si etiam Deus requiem det à persecutione & omni alia afflictione, veluti à molestiis paupertatis & inòpiæ, patet, id ocium & eam requiem sanctificandam esse, hoc est, non inquinandam studio vanitatum, sed consecrandam Deo. Non enim nostri sumus, neque nobis vivimus. Et, si pax & tranquillitas nobis detur, ea est virtus vitæ Christi. 2 Cor. 4: 12. Et hæc quidem sunt perpetua & veritate immutabili nixa. Habet verò circa tempus nostrum etiam Deus potestatem prohibendi, ne certo tempore consuetum opus nostrum fiat. quia Dominus est. Quòd si Deus id prohibeat, certum est peccare per inobedientiam & aspernationem dominii divini, qui illo tempore opus facit. Duo autem circa hoc consideranda sunt. 1. Neminem habere eam potestatem, ut possit prohibere opus, ut id facere possit haberi violatio divini præcepti. Potest pater filio, dominus servo interdicere, ne hoc aut illud operetur. Si operabitur, erit violatio generalis præcepti, quo jubentur filii parentes, servi dominos honorare & illis obedire: sed non erit violatio præcepti divini de illo opere disertè dati. Quando igitur homo alteri dicit, *non operaberis*, oportet addere, *Dico ego, non Dominus.* Neque debemus pati, ut quis nobis interdicat opere, qui potestatem non habeat. Si autem, homine interdicente, omittamus, tanquam si facientes simus violaturi præceptum Dei, idololatræ sumus. 2. Si Deus prohibeat opus aliquo die, id non posse intelligi prohibitum in casu necessitatis; quum scilicet charitas Dei & proximi opus exigit. Verbi causa. Si Israëlitæ, quibus ocium præceptum erat, Sabbato oppugnarentur, debuerunt hostes Sabbato propellere. Ex qua regula facile patet, non impium esse, si etiam illis diebus, quos Ecclesia dedicat sacris congressibus, per publica ministeria consulatur necessitatibus multorum. Nam & hæc exerceri possunt & cultus publicus non negligi. Porrò, quo fine Deus dederit Israëlitis Sabbatum septimæ in quavis hebdomade, supra explicavimus cap. 54. § 14. Fuit autem violatio illius Sabbati 1. opus facere contra præceptum. 2. ea occasione non sanctificare Deum, & non uti ea quiete ut *signo, ad cognoscendum, quòd Deus ipsos sanctificaret.* Prima transgressio ab hominibus puniebatur. In alteram Deus animadvertebat. Ex hoc autem consequitur, quando tempus id advenit, quo Israël sanctificatus est per sacrificium Filii Dei, dari ei

requiem ab *umbra futuri*, cujus usus habebat accusationem aliquam impuritatis. Unde omnes Christiani colligunt, Christianos non teneri ad observationem ipsius septimi, neque etiam ad observationem illam strictam, quæ imposita ipsis fuit vel propter figuram vel etiam propter severitatem. Nam negari non potest, Deum etiam Sabbatum dedisse Israëlitis ad tentandum eos, an in præceptis ipsius parati essent incedere. Exod. 16: 4. Imprimis cogebantur eo die à terra colenda & fructibus ejus colligendis manum abstinere, & ita q. testari, terram illam non esse veram suam hæreditatem, &, in Sabbatismo Novi Testamenti relinquendam esse eam terram & politiam & servitutem ei affixam. Voluit quoque Deus jumentis & servis eo die dari libertatem ab opere faciendo. Quod nos admonet non tantùm charitatis, qua non nimis fatiganda sunt jumenta & servitia nostra, sed etiam rei alicujus ad rationem regni Dei pertinentis. nempe ejus, quod Deus dicit Es. 28:12. ubi, quum innuisset, Deum aliquando prædicaturum novum Sabbatum hac formula, *Hæc est requies*, hoc est, hoc tempus est tempus requiescendi; addit præceptum, *Date requiem fesso*; cum promissione, *Et hæc est tranquillitas* q. d. hæc erit vestra felicitas & conservatio. Jubentur & *advenæ* quiescere; quo possumus moneri, in Sabbato Dei eandem quietem fore *advenarum* & Israëlitarum: præterquam quòd ad politicam observationem Sabbati externi pertinebat, ne peregrino quidem permittere opus, ne ulla daretur Israëlitis occasio suum opus faciendi.

Præceptum quintum.

9. Secundùm Deum honorem debemus iis, à quibus vitam accepimus. Et debemus propter Deum, qui nos voluit ab iis vitam accipere & pleraque bona; imprimis verbum Dei, per quod salvi fimus. Deum non honorat, qui parentes non honorat. Non enim gratias Deo agit, quòd per parentes lucem & usuram bonorum Dei accepit. Cum parentibus autem conjungendi sunt, quos parentes liberis regundis præficiunt. Et, quum necesse sit in Civitate esse principes, qui partem ejus potestatis exerceant in ea, quam parentes exercerent in familia sua quisque, si seorsim & non in Civitate ac fœdere populi essent: eam potestatem agnoscere, atque ei se submittere, & potestatem gerentes honorare, perinde necesse est. Qui verò dominis vel operam suam locant, vel se vendunt, aut ab iis, redacti in potestatem, quum occidi possent, servantur, similiter jus, quod à Deo ipsis datum est, agnoscere, & dominis fi-

dos

dos esse, atque ex corde iis servire, quatenus quid ad nutum illorum, sine conscientiæ damno, facere possunt, scientes, id obsequium revera Deo præstari, justitia flagitat. Sed quomodo se parentes, doctores, rectores, principes, domini gerant, ut honore digni sint, videtur, jam ex tertii præcepti virtute cognosci. Nempe, si nomen Jehovæ Dei nostri non temere ferendum est, qui cupit se recognosci patrem, rectorem, doctorem, dominum, principem in Dei nomine, curet necesse est, ut Deum ipsum, qui dominus est, qui legislator, magister, doctor, rector est, qui nos creavit, qui à nobis pater vocari vult, quantum in se est, imitetur: qui non pro potestate nobiscum agit, sed pro ineffabili gratia, neque suæ utilitatis causa nos fecit & sustentat & regit & docet, sed ut à nobis laudetur & honoretur, ut qui se laude & honore dignum nobis præstet. In Decalogo quidem satis habuit Deus hoc genus διαρεσίας nominasse & commendasse; quod nemo nescit, quale sit. quippe nemo est, qui nesciat, quid, si ipse pater, dominus, rector, princeps, judex sit, se dignum esse putet. Attamen &, propter tarditatem nostram & petulantiam carnis, ut à teneris unguiculis sub divinæ majestatis auctoritate ad honorem illum majorum formemur & assuefiamus, passim in Scripturis, & quidem imprimis Novi Testamenti, officia, quæ honor iste complectitur, explicantur. Hoc præceptum primum est, non secundæ tabulæ, sed totius Decalogi, cum promissione. Ephes. 6: 2. Id ex re ipsa evidens est. Nullum enim præcedit præceptum, cui adjuncta sit promissio diserta; & hæc promissio obedientiam hujus præcepti singulariter concernit. Quod indicio est, Deum honorem exhibitum parentibus habere pro argumento conversionis & regenerationis, atque justitiæ. Quanquam enim etiam obedientia præceptorum præcedentium pariat bonam conscientiam & lætitiam in Deo justificante, tamen, quia Deus est amator ordinis, & φιλανθρωπος, & ad bonum generis humani permultum facit, ut parentes honorentur, huic præcepto promissionem felicitatis voluit adjicere. Ea tamen promissio κατ' ἀναλογιαν illis, quos cor suum non damnat neglectûs cæterorum præceptorum, competit. Et præcepta inter se connexa sunt: non tantùm, quia idem legislator omnia edixit, & in omni præcepto contemnendo contemnitur ejus auctoritas; sed etiam, quia Deus ille & legislator unus ea omnia nobis prodidit, ut officia, quæ ipsum, qui est *Iehova*, oportebat, ad integritatem imaginis suæ, &,

ut *Deus noſter*, ſanctificando nos, fieret, præſcribere. Sed in præcepto, quo commendatur honor parentum, ſingulari modo omnis converſio ad Deum concentratur. Qui enim non obiter ſed ſapienter in fide & revera parentes honorat, amat Dei clementiam, qua natus eſt homo; & uſuram donorum ejus; & longanimitatem ejus atque ejus finem, nempe vocationem ad pœnitentiam; & legem patris ac matris, quæ eſt lex fidei & charitatis, diligit; & fratres ſuos, quique ejuſdem carnis ſunt, habet charos; denique omni ordine divino delectatur. Eſt tamen quidam amor parentum malus. Matth. 10: 37. *Si quis diligit patrem ſuum & matrem ſuam ſupra me, non eſt me dignus.* Supra Chriſtum amatur, propter cujus voluntatem Chriſtus relinquitur. Quod non poteſt non fieri ab iis, qui parentes non habent ad Chriſtum duces. Nullatenus præcipit Deus, ut in gratiam parentum rebellemus ſibi. Neque ii parentum officium faciunt, qui non ad Deum liberos ducunt: qui honorem Dei à liberis ſuis auferunt. Mich. 2: 9. Qui quidem honorandi ſunt & colendi omni obſequio & officio, ſed cum amore, qui pariat luctum, & ſine obedientia & obſequio in malo. Phariſæi olim jubebant eſſe rata vota, quibus filii ſua bona in eum caſum Deo conſecrabant, ſi parentes quid de iis attingerent. Matth. 15: 5. Quod nihil aliud erat, quàm eos interdicere bonis ſuis & eorum uſu ac fructu, tanquam ſi ea ſacra Deo eſſent: quum tamen reipſa nihil eorum Deo conſecraſſent; & ipſis non liceret conſecrare, quæ parentibus debebantur. Deus enim liberis parentes primos in cultu & impertitione opum ſuarum commendavit; quemadmodum parentibus primos commendavit liberos. Deus non poſtulat, ut laborum, quos parentes exantlaverint, & bonorum, quæ paraverint, exſortes ſint liberi. Ita non vult prætenſione honoris ſui cultu liberorum ſpoliari parentes. Quod tamen jam in Papatu fit, ubi probantur vota, quibus liberi ſe & bona ſua mancipant collegio monachorum, & parentes ſpoliant poteſtate in ſe & uſu atque fructu bonorum ſuorum. Planum eſt autem, liberos debere eſſe in poteſtate parentum, donec à parentibus domo emittantur propter nuptias; neque eas poſſe liberos abſque conſenſu parentum contrahere. Quum Deus deinde populo impoſuiſſet jugum *legis præcepti carnalis*, parentum officium fuit, curare, ut liberi eam diligenter obſervarent. Seniores hoc eodem fine populo præpoſiti, quemadmodum in locum patrumfamilias veniebant (nam inter multos cives hoc

eſt

est princeps vel collegium principum, quod inter fratres multos est pater) ita etiam hoc nomine *patres* vocabantur. Christus vetuit in terra quemquam patrem nominare. Matth. 23: 9. tum illo modo, quo nominabant genuinos suos patres, quippe à quibus hæreditatem terrenam accipiebant, tum illo, quo nominabant seniores & patriarchas; ut πατεριαν nominemus in terra eam multitudinem, quæ principibus istiusmodi & talibus præceptis subjicitur. Promissio hîc adjicitur una complectens bonum spirituale & corporale, altera corporalis. *Vt bene tibi sit.* quomodo, putas? ut ei, procul dubio, cujus Deus est Jehovah. *Et diu vivas in terra, quam Iehovah Deus tuus dat tibi.* Stabat Israël in procinctu, ut occuparet terram Canaan velut hæreditatem suam. Ei terræ quodammodo affixit animos eorum, tanquam pignori. Necesse erat mortem & afflictiones timere, quos necesse erat vitam longævam & prosperitatem amare, & mortem atque afflictiones pro signis iræ deputare. quippe pro ablatione pignoris, tanquam quod ad eos non pertineret. In Novo Testamento succedit *terra Dei* sive gentes in terra Dei. Es. c. 14: 1. 2. quæ hæreditas datur Abrahamo & Christo. Sed fideles ad eam occupandam per afflictiones ducuntur. Actor. 14: 22. Non igitur subjiciuntur terrenis bonis fideles; quanquam habeant & promissiones hujus vitæ. 1 Tim. 4: 8. atque etiam infideles illis bonis excidant, Psalm. 81: 15. 16. 17. & propter teporem charitatis fiat, ut tardè ad promissum regnum perveniat Ecclesia. Es. 58: 8—14. Quemadmodum igitur Israëlitis necessarium fuit non tantùm firmiter per fidem adhærere Testamento, ex quo justificatus erat Abraham, sed etiam terram priore *suo Testamento* Ez. 16: 61. sibi datam habere in cultu & carnalibus omnibus purificationibus sedem Deo & populo quasi sanctificare; & in eam rem summum studium impendere, ac propterea etiam *patres* revereri: ita fidelium in Novo Testamento est terrena istiusmodi non quærere neque curare, neque putare, se palpabilem hæreditatem ac civitatem visibilem in terris habere, neque circa quicquam, quod est in terra, sic affici, quemadmodum Israëlitæ in terra Canaan positi necessariò affecti erant erga terrena. Quæ pars non minima conversationis Christianæ est. Vide Col. 2: 20. 21. 22. 23. 3: 1. 2. 3. Atque ea ita necessaria est Christianis, ut contrarium sit vera corruptio Christianismi: sive quis πολιτειαν terrestrem & χωρας & εξουσιας & πατεριαν nominatam à patre terrestri, velit habere, & civitatem

ac patriam visibilem reputare, & carnalibus occupationibus (quasi regnum Dei in illis consisteret) exerceri: sive quis nimis cupidè thesauros colligat in terra diebus hisce postremis Jacob. 5:1. 2. 3. in quibus omnia incerta sunt, transeunte hujus mundi facie, & regno cœlorum cum destructione præsentium appellente, & fraternitate per mundum dispersa ac afflicta, totque animabus propter avaritiam pereuntibus. 1 Cor. 7:29. 30. 31. 1 Joh. 2:15.16.17.18. Matth. 11:12. Sed tales patres habere in terra, & πατερια ex illis nominare velle, est Dei patris cœlestis regnum ad homines transferre & cœlestem hæreditatem non quærere, atque ita Deum gloria sua privare: bona verò terrena quærere & cum neglectu fraternitatis habere est avaritia. quæ & idololatria est & furtum atque homicidium ex diversis respectibus.

Sextum præceptum.

10. Christus unicum præceptum nobis dat, ut diligamus invicem, quemadmodum ipse nos dilexit. Joh. 13:34. 35. 15:12. Nam, si diligimus ipsius φιλανθρωπιαν & dilectionem, qua dilexit nos, & ejus dilectionis rectitudinem, necesse est, ut eam etiam velimus & studeamus imitari. Matth. 5:45. eo argumento nos excitat ad hanc charitatem, quia ita simus filii Patris nostri cœlestis, hoc est, præstamus nos filios ipsius, quando sumus perfecti, quemadmodum ipse perfectus est in charitate. v. 48. In oratione verò, quam nos docuit, jussit nos apud Deum profiteri, ut parrhesian habeamus remissionis peccatorum nostrorum, quòd etiam nos remittamus debitoribus nostris. qui minimus gradus est veri amoris, qui excedit charitatem ethnicorum & publicanorum. Is verò, qui remittit debitori suo, non vindicat, non irascitur, scil. ut verbo vel facto lædat, non suspirat contra proximum, non facit, ut sibi factum est, non concupiscit proximi exitium, non συνχαιρει κακῃ & gaudet, quum ei malum evenit. Quod & Deus per Mosen præcepit Lev. 19:17. *Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo: redarguendo redargues proximum tuum, & non feres propter eum peccatum. Non ulciscêris, neque rancorem servabis cum filiis populi tui; & diliges proximum tuum, ut te ipsum. Ego Iehovah.* His addenda, quæ Paulus scribit de charitate 1 Cor. 13. Omnium autem charitatis officiorum hic fons est, cupere seriò & constans habere desiderium, ut alius quivis homo, nec tantum amicus, cognatus, notus, sed ejusdem carnis & sanguinis particeps, sit justitiæ Dei consors & hæreditatis cœlestis, Deusque in ipso, ut in nobis glorificetur: & juxta eam voluntatem motus

tus animi sui regere & actiones suas studere administrare ad commodum proximi, non ad damnum & detrimentum, ac porrò congaudere bonis, & malis contristari. Hæc cogitatio & hæc animi habitudo excludit iram illam, qua commovetur animus non amore boni neque dolore ob periculum proximi, sed ob propriæ cupiditatis impeditionem: quæque facit, ut animus non videat, quod verum & rectum est, & non faciat voluntatem & justitiam Dei, Jac. 1: 20. Porrò hic affectus communis singularis sit circa sanctos. Nam fratrem in Christo irreprehensibilem cum lætitia accipit; eum autem, quem videt aberrantem & labentem, in spiritu mansuetudinis concinnat; & libenter participat cum fratrum oneribus. Galat. 6: 1. 2. putans, hoc ad sarcinam sibi impositam & jugum suum pertinere, ut non subtrahat se aliorum oneribus. ibid 3. 4. Quos emendat, eos à reprehensione & perterrefactione liberat, & receptos, ac quasi ex igne extractos, gaudet. Qui verò non obediunt, eos non odit, neque pro hostibus habet, sed monet, 2 Thess. 3:15. Tamen sunt, quos & *odisse* oportet, hoc est, fugere & aversari. Psalm. 139: 21. 22. atque etiam, quorum *interitus carnis* petendus est. 1 Cor. 5: 5. nempe ut *spiritus eorum servetur in die Domini.* quemadmodum etiam à magistratu quidam interficiendi sunt, ut & ipsi desinant peccare & alius à peccato deterreatur. Quod est auxilium à Deo datum mortalibus, ut tranquillam vitam agere possint in omni pietate & honestate. 1 Tim. 2: 2. comparato Rom. 13: 4. Conscientia id cuivis dictat, non posse patrem negligere filium suum, ut à latrone occidatur, sed pro eo debere animam suam in manus suas sumere, &, si possit, neque aliter filium suum eripere possit, latronem interficere. Idem est statuendum de iis, quos dedit Deus civitati patres. Et edixit Deus, *per hominem debere fundi sanguinem ejus, qui fuderit sanguinem.* Gen. 9: 7. Ideò Jer. 48: 10. maledicit eis, *qui gladium suum à sanguine cohibuerint.* Nam parcere violentis & insidiatoribus est prodere innoxios. Atque ideò judicia debent vigere & custodiri, ne pateant injustitiæ, & per ea sub colore justitiæ possint vexari justi, viduæ, pupilli, miseri & debiles. Omnino non est permittendum principi, ut ii, qui ipsius fidei se commendarunt, & volunt piè vivere, à veritatis hostibus rapiantur ad mortem: nedum ut ipsis inserviat; quemadmodum Scriptura dicit, reges daturos potestatem Bestiæ & Meretrici, nempe, ut interficiat eos, qui nolunt signaturam Bestiæ recipere.

Bella

Bella autem injusta & quæ suscipiuntur ad amplificandum imperium, parvis aut nullis occasionibus, quis neget esse latrocinia? Quemadmodum autem injuriam propulsare licet, quando gladium traditum habes ad defendendum cives & liberos & fratres & bonum civitatis (est autem bonum civitatis etiam singulorum civium conservatio) velut, si effractor aut fur cum telo venerit: ita injuriam vel propria vel aliena voluntate inferre & inferentes adjuvare non licet. Cæterum Decalogus, habens stipulationem μεζονόιας ad jus gloriandi in Jehovah, ut Deo suo, tantùm dicit, *Non occides.* quod & ad animum referendum est. q. d. Non commoveberis contra proximum tuum, ut vel *in execratione animam ejus petas.* Job. 31:30. Qui affectus & certa voluntas non nocendi proximo, neque se oblectandi malo ejus, non est nisi in eo, in quo charitas est: licèt possit esse in eo, in quo charitas necdum est perfecta & sine defectu, quoad gradum & omne bonum, omnemque laborem, quem charitas requirit. Sed tamen, in quo charitas vera est, in eo est etiam, si perfectus non sit, displicentia sui defectus, quemadmodum etiam τὸ συνήδεσθαι τῷ νόμῳ & perfectæ charitatis pulchritudinem amare & ad eam anhelare. Unde apparet, oportere, ut distinguamus inter obedientiam hujus præcepti veram quidem, sed initialem, & perfectam, qualis fuit in Christo. Cui obedientiæ convenit dictum legis, *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Christus, quum posset redimere electos & Sponsor pro eis datus esset, habuit quidem obedientiam charitatis erga omnes, & eorum malo indoluit (quæ obedientia fuit δικαίωμα) sed juxta Testamentum Patris sui postulavit eos, qui sibi dati erant. Quos si noluisset redimere, visus fuisset occidisse. Moses petiit ex libro Dei deleri, Paulus anathema fieri à Christo pro Judæis; quocunque id modo fieri posset absque detrimento amoris Christi, qui in ipso erat: si etiam omnino fieri posset. Ex quibus exemplis apparet, quæ sit perfectio charitatis, quam resipiscens admiratur & in se esse desiderat, & se non habere lugens confitetur, ne glorietur in justitia sua, quæ est ex lege.

Præceptum Septimum.

11. Septimo præcepto exigi, ut homo nominans Jehovam Deum suum & in eo glorians longè absit à voluntate aut cupiditate abutendi corpore proximi, & animum ejus in servitutem suæ turpitudinis redigendi; eamque cupiditatem coërceat, imò ex corde suo ejiciat; studeatque animum suum habere purum & ab omni tali concupiscentia liberum; ita ut nec ipse se faciat instrumentum alienæ

alienæ libidinis, ullivè ulla re placeat ad jucunditatem vitioſam & voluptatem, quæ ſit delectatio in peccato, ex ſe, ſuoque corpore, aut ſuis dictis ac factis capiendam; neque viciſſim alium ſibi in talibus rebus velit placere. Nam omnis illa complacentia *ſcortatio* in Scripturis meritò nominatur. Et verò, re probè expenſa, nemo non videt, hanc eſſe juſtitiam, & non poſſe non Deum caſtiſſimum ſimilem caſtimoniam ad integritatem imaginis ſuæ exigere; quemque ſanat, ad eandem puritatem & incorruptionem vocare, ducere, erigere & reformare. Quare etiam, ubi non eſt ἁγιότης & horror ad impuritatem & turpitudinem, ibi ſanctificationem Dei & ſanationem non eſſe, perſpicuum eſt. Turpe autem ſine dubio eſt, quod hominem, & filium Dei, non decet. Non decet hominem, quod hominem collocat extra ſuum ordinem, & privat ea gloria, quòd eſt ſimilitudo Dei, & eſt præſtantior beſtiis. Non decet hominem, quod natura docet tegendum eſſe, quando ſe prodit in carnis commotione. Ea, quæ hominem non decent, nominare, enumerare, deſcribere, etiam pudor vetat. Apoſtolus dicit Eph. 6: 12. *Quæ clam fiunt ab illis, turpe etiam eſt dicere.* Inceſtantur iis dicendis piæ aures. Et conſulendum eſt infirmitati: ne, ut ſcintilla in fomitem, ita in animum debilem injiciatur turpis rei nomen, nedum ipſa forma & ὑποτύπωσις. Tantum abeſt, ut id narrari debeat ad oblectandum audientes, vel joci cauſa dici, vel cum riſu accipi. Quæ in homine ſunt, ad ſanctificandum Deum & ad propagandam multiplicandamque imaginem Dei inſtituta ſunt. Nihil in ipſo eſt riſu dignum. Si quid à fine ſuo abit, fletu dignum eſt, non riſu. Neque ad hoc riſus homini datus eſt. Quo homo vilis habetur, aut ipſe ſe vilem facit, id Deo creatori ipſius ignominioſum eſt. Hominis eſt ſapienter agere & ad finem bonum, & bonum ſpirituale quærere & oblectari veritate. Non dicemus de ea turpitudine, ex qua Apoſtolus probat, homines eſſe inexcuſabiles, & qua dicit punitam eſſe ipſorum idololatriam. Eam ſatis eſt ſemel ab Apoſtolo nominatam eſſe illo fine. Scortationem porrò eſſe contra naturam hominis, & contra dignitatem filii Dei, Apoſtolus demonſtrat 1 Cor. 6: 13. — 20. 1 Theſſ. 4: 4. 5. De conjugii ſanctitate, & polygamia, item inceſtu egimus c. 19. Ibidem etiam § 12. 13. tetigimus, quòd in lege videntur conceſſa divortia. Neque opus eſt, ut hîc in illis rebus moremur diutiùs. Niſi quòd utile eſt conferre, quæ habentur in Euangelio Matth. 5: 32. 19: 6. 9. Luc.

16:18. Marc. 10: 11. 1 Cor. 10: 11. 15. Ex quibus locis conficiuntur hæ ſententiæ, quibus conſcientia atteſtatur. 1. Non eſſe matrimonium ſolvendum, nec conſenſu, nec diſceſſione, nec repudio, nec crimine adulterii. 2. Qui conſenſu ſolverint matrimonium, aut per colluſionem, eos mœchari, ſi cum aliis conjungantur. 3. Maritum tamen habere juſtam cauſam expellendi adulteram: neque illum peccare contra legem, qua vetamur ſolvere, quod Deus conjunxit. 4. Eum, qui deſeritur, liberum eſſe à lege deſerentis. nempe ut poſſit ducere, quam-velit. Sic enim *libertatem* explicat Apoſtolus Rom. 7: 3. Unde apparet, Adulterium eſſe ſolam cauſam juſtam expellendi uxorem domo & ei negandi cohabitationem. Sed tamen etiam deſertione conjugis pervicaci fieri liberam partem innocentem deſertam, quæ non dederit cauſam & occaſionem deſertioni & in eam nullo modo conſenſerit, ita ut dimiſiſſe videri poſſit.

Præceptum octavum.

12. De furto diximus jam cap. 20. §16. & cap. 54. §14. pag. 554. Ex quibus ſatis liquet, furtum cum veritate & juſtitia pugnare; neque id præceptum eſſe *diſpenſabile*, ut loquuntur quidam; intelligentes, ut opinor, mutationem & μετάθεσιν hujus præcepti. Avaritia, quæ eſt idololatria, etiam eſt violatio hujus præcepti. Nocet enim proximo; ſaltem ei non prodeſt. Quin avarus æquè ac fur non ſubjicit ſe Deo diſtribuenti dominia. Uterque igitur contrectat nomen Dei. Proverb. 30: 9. Pertinet huc regula Apoſtoli 1 Theſſal. 4: 6. *Non ſuperſcandere aut quæſtui habere in negocio fratrem. quia vindex eſt Dominus ratione omnium horum.* Innuit Apoſtolus, in negocio eſſe obſervandam ἰσότητα, nempe ut utrique fructus vel operæ vel mercis in juſta proportione conſtet, atque ita ſimul gaudere poſſint, quibus commune negocium eſt. Ita vult Deus ſeminantem & metentem ſimul gaudere. Joh. 4: 36. Deus juſſit eaſdem menſuras, eademque pondera haberi. Quod & in bene moratis civitatibus obſervatur. Nos de omnibus ſpeciebus furti ſive fraudationis aut rapti agere non poſſumus. Et de ea re non obſcurum eſt judicium. Quivis, dum alteri tanquam læſus & fraudatus iraſcitur, oſtendit, quid alteri tribuere judicet juſtum eſſe. Certiſſima regula eſt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Catecheſis *uſuram* refert ad fraudes. Intelligit uſuram iniquam, aut qua pauper gravatur. Germanicè *woeker* in malam partem plerumque capitur. De uſura diximus ad Pſalm. 15. Locus, qui extat Prov. 28: 8.

28: 8. clarè oſtendit, quid in hac tenendum ſit. Nempe, gratificandum eſſe pauperibus, & quibus arcta res eſt. Dummodò ſcil. is non ſit deſes & ignavus. 2 Theſſ. 3: 10. 11. 12. 13. 14. Quare & Apoſtolus Epheſ. 4: 28. monet, ut, *qui furatus eſt, ne furetur ampliùs, ſed laboret, operans bonum manibus, ut habeat, quod poßit communicare non habenti.* Nempe, gravem eſſe aliis eſt furari. Opus eſt faciendum duplicem ob cauſam. 1. ut ne gravis ſis alteri. Furtum enim eſt, ocioſum, quum laborare poſſis, ali. 2. ut poſſis communicare. Qui enim poteſt laborare, tantundem eſt, atque ſi habeat rem, qua afflictos juvare poſſit. Quòd ſi igitur quis non facit opus, ut habeat, quod dare poſſit, privat proximum egenum auxilio, quod ei impertiri poterat. Unde conficitur, eum, qui ita vivit, ut, neglecto agro & pecore & labore manuum, omnique utili ſtudio & honeſta occupatione, ſolum ſpectet lucrum ex *uſura*, ſive mercede, quæ datur ob carentiam pecuniæ & rei ſuæ, quæ alii mutua datur, & תַּרְבִּית ſive fructu, quem parere poteſt pecunia aut res mutuò data apud alium, non gratificari pauperibus, neque ex charitatis lege vivere. Nam 1. is laborem manuum aut honeſtam atque utilem occupationem non commodat civitati. 2. is non facilè vel donabit egenis vel mutuum dabit gratuito. atque ita egeno, qui laborare & ex pecunia alterius poteſt fructum conficere, ſe præbet terram duram & aſperam, quæ comedit cultores ſuos; quippe qui, quum multum laboraverit, & vim ſuam in ea materia fructûs conſumſerit, parum inde recipit fructûs. Porrò, qui ita egenus eſt, ut vitam ſuſtentare non poſſit labore manuum ſuarum, cum eo non eſt commercium, & ſocietas ad fructum communem ex re mutuò data & labore alterius percipiendum, ſed neceſſitudo carnis ejuſdem aut etiam fraternitatis flagitans vel donationem ejus, quo ita opus habet, ut id reddere non poſſit, vel mutuum gratuitum, ſi poſſit pecuniam alterius facere materiam alicujus fructûs, ſed tamen non exuberantis. Judæi, qui negant licere accipere uſuram aut mercedem pro mutuo dato à Judæo vel proſelyto; licere autem à gentili (quidam etiam, imperatum id eſſe) explicant legem non ex charitatis dictamine, ſed odii. Nam & rationem addunt, quia gentibus ſcil. ipſi ſunt odio. Atqui lex charitatis omnem hominem omni homini debitorem conſtituit, & lex Euangelii tollit diſcrimen inter gentes & eam ſeveritatem, qua Deus olim uſus eſt erga gentes. Qua ſeveritate non debebant Iſraëlitæ delectari, ut putarent ſibi

fas esse illis non condolere, & non bene facere. Cæterum, quum in ipsis eleemosynis Apostolus τὸ ἰσότητος *æqualitatem* commendet, ne scil. uni sit θλῖψις *afflictio*, alteri ἄνεσις *remissio*, 2 Cor. 8: 13. nominatim, ut non is, qui juvatur, habeat ἄνεσιν, is verò, qui juvat, habeat θλῖψιν: facile est statuere de eo, quod in commercio observandum est & datione mutui. Judæi sic gradus κοινωνίας ordinant. Qui dat pecunias suas mutuò stipulans mercedem. Vocant נְשִׁיכָה / קְצִיצָה 2. Qui dat pecunias suas ita, ut certum lucrum habeat, & cum damno utentis non communicet. dicunt, אֲרוּם לְשָׂכָר וְהָפְסֵד 3. Qui partitur cum altero fructum & damnum. 4. Qui fructum alteri soli attribuit, & cum damno participare paratus est. Primum putant esse transgressorem legis: nempe si id faciat in Israëlita aut proselyto. Secundum vocant רָשָׁע *improbum* & injustum. Cujus injustitiæ emendationem faciunt tertium modum. Quartum vocant חָסִיד ὅσιον, *pium*. Attamen permittunt, ut alicui detur pecunia pupillorum *prope lucrum, procul à damno*. Quamobrem non liquet, quæ causa sit, cur simpliciter *injustum* dicant, qui eo modo mutuum dederit, ut præter periculum, quod est in ipsa datione mutui, non subeat periculum negociationis, sed pecunia sit relicta prudentiæ & periculo utentis, & de fructu capiatur pars. Videndus Majmonides de *Mutuum dante & accipiente*. c. 5. § 8. Sed nobis sufficiant certa principia. 1. Charitatem præcipere, ut pauperes, qui laborare non possunt, & non possunt subsistere nobiscum absque auxilio nostro, adjuventur sive dono sive mutuo; etiamsi incertum sit, an mutuum simus recepturi. 2. Eum, qui alienam pecuniam accipit ipsius beneficentia, furem esse, si fructum ejus sibi soli vendicet. Atqui præceptum vetat furari. Potest autem, qui mutuum dat, id accipere aut etiam stipulari, quod si retineat, qui mutuum accepit, fur & injustus sit. 3. Eum, qui mutuum dat, si accipiat, quod gravet eum, qui ipsius pecunia utitur, ita ut ei fructus operæ suæ constare non possit, similiter iniquum esse & furem. 4. Eum, qui mutuum accipit, ut non faciat operæ precium, sed temere, & ita, ut se ipse depauperet & mutuum dantem fraudet, videri injustum & noxium reipublicæ, & propterea pœna dignum. Quod attinet Trapezitas, constat, eos ab omni ævo fuisse, & in populo etiam Dei non ignotos. Qui an utiles sint reipublicæ aut necessarii, ita ut sit potius, eos esse, quàm non esse, &, si necessarii videantur, quantum eos capere oporteat, & an eis liceat omnes ad suam mensam admittere,

mittere, & an videatur æquum civitates & pauperes ex ipsorum lucro partem capere, ut monopolium exerceant, id fateor tale quid esse, de quo, nisi inspectis rationibus omnibus, non facile est judicare. Clarum tamen est, quicquid ejus est, æstimandum esse ex præcepto charitatis, ut scil. imprimis noceas nemini (nam hoc furari est) deinde studeas etiam prodesse. Quòd si igitur facilè fieri possit, ut, eo, quod illi capiunt, depenso, fructus mutui maneat apud utentem dignus opera, non video, quid subsit injusti, mercedem dari de pecunia, quæ parata est volenti ea uti magno cum commodo, sine qua fructus ille non extitisset. Sine dubio autem in omni re, ut mercatura & καπηλείᾳ, incidunt quæstiones, quæ sine jurisconsultorum & eorum, qui civitatibus præsunt, atque omnino eorum, qui eas res cognitas habent, consilio, non facilè explicantur. Sed principia, ex quibus omnia determinari possint, esse conscientiæ inscripta, Decalogus significat, dum satis habet dixisse, *Non furaberis*. Insectatur imprimis Scriptura flagellatores annonæ; qui, quùm copiam frumenti habeant, id continent, nihil solliciti de vita pauperum. Vide Prov. 11: 26. Inde regula generalis efficitur: Necessaria non debere contineri spe lucri majoris. Nemo autem non videt, quo jure πλεονέκτης & αἰσχροκερδεῖς non possint haberi pro fratribus: & quanti sit præceptum Apostoli Hebr. 13: 5. ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, *mores sint alieni ab avaritiæ* sorde. quæ & idololatriæ crimen habet Col. 3: 5. 1 Tim. 6: 9. 10. 17. Job. 31: 24. 25. & animi immitis & charitate non tincti. Proverb. 28: 22. Eundem porrò, qui vetat furari, mandare liberalitatem & hospitalitatem. Nam ea officia sunt φιλανθρωπίας & φιλαδελφίας. Quibus & publicè & privatim, si non sit commoditas, opera danda est. Item ignaviam & ocium non minùs vetare, quàm furtum. Nam desesbis fur est. Quia & gravis est & non prodest. Nec prodigus in minori culpa est. Facit enim, ut inutilis sit, ubi debebat esse utilis, & mox propter egestatem vel gentilibus suis vel Ecclesiæ vel civitati fiat onerosus, aut etiam furando nomen Dei contrectet.

13. Mendacium jam præcepto tertio vetitum intelleximus. Hoc præceptum, pertinens ad dilectionem proximi, requirit amorem ejus boni proximi, quod per linguam & testimonium potest adstrui vel destrui. Id autem est vel existimatio proximi & judicium, quod de ipso homines faciunt, vel administratio juris & justitiæ. Potest per linguam etiam doceri proximus. Id verò jam aliis *Præceptum nonum.*

præceptis continetur. Sive enim institutio pertineat ad bonum corporale aut mundanum, sive ad bonum æternum & cœleste acquirendum, certum est, qui eam negat proximo, eum vel furem fieri proximo (quia enim una caro sumus, debemus nobis invicem nostra bona) vel etiam homicidam. Accedit, quod is non glorificet neque sanctificet Sabbatum, qui non studet multos ad justitiam adducere. Sed in nono præcepto religiosa testimonii redditio, ex amore proximi proveniens, exigitur. Vetat enim dici in proximum falsum testimonium. Et ratio est, quia falso testimonio injuria fit proximo (ut nempe sons habeatur, qui insons est) & judicium corrumpitur. Atque ita & judici nocetur & civitati. Ergo sine dubio vetat in proximum dici, ubi testimonii non est locus; &, ubi testimonio opus est, falsum dici. Imprimis enim amor proximi requirit, ne in proximum sine necessitate dicamus. Hinc vetat Scriptura omnes καταλαλιας *obtrectationes* & ψιθυρισμους *susurros*, & *proditionem secreti*; quod scilicet non necesse est alium scire. Nemo enim debet putare, se non transgredi præceptum hoc, quando verum de proximo dicit, quod dici necesse non est. Lex id præcipit agi circa proximum, quod utile est proximo peccanti, nempe eum redarguis idque ut propter ipsum non feras peccatum: vetatque ne obtrecte, proximo. Levit. 19: 16. 17. Phrasis, qua utitur Scriptura ad significandam obtrectationem, notanda est. לֹא תֵלֵךְ רָכִיל בְּעַמֶּיךָ / Id propriè valet, *Non ambulabis nundinando.* q. d. Non, ut gratum hominibus facias, abuteris nomine proximi tui, idque venale habebis. Quam phrasin Germani imitantur. Jemand feil tragen. Judæi vocant etiam לְשׁוֹן תְּלִיתָאָה *linguam tertiam.* Quod ita accipio. Duæ linguæ sunt eorum, inter quos negocium est. Lingua tertia est sermo apud tertium de re alibi gesta, vel verbis alibi dictis. Cujus sermonis hoc consequens est, ut, qui audit, discat mendacio credere, apologiam non audiat, dolorem atque emendationem fratris ignoret, & semper malè judicet de proximo. Deinde, ut familiaritates suspectæ sint. ne fortasse in iis sermo habeatur de tertio cum ipsius injuria. Certè, qui de alio loquitur apud tertium, ostendit, se dilectione ejus carere. Sed, qui sapiunt, tales cane pejus & angue vitant. Nam opificium suum non intermittet, sed æquè apud alium de te, atque de alio apud te, loquetur, qui se gratum putat de aliis loquendo. Id enim est καταλαλειν, κατα τινος λαλειν *de aliquo* vel *in aliquem loqui.* Testimonium autem dicendum est, quando

id

id Deus jubet, & id exigi potest *sub adjuratione*. Levit. 5: 1. *Anima quum peccaverit, & audiverit vocem adjurationis, & is* fuerit *testis, aut viderit, aut cognoverit* rem, *si non indicaverit*; *feratque peccatum suum.* Igitur potest quis peccare non indicando, quod vidit aut cognovit: quia potest adjuratione quis devinciri, ut indicet. Nempe, sine quo judex officium facere, aut justitia inter proximos fieri non potest, aut quod celatum ad damnum proximi & civitatis facit, id ut quis indicet, lege charitatis constringitur. Ideoque adjurari super eo potest. Proverb. 29: 24. *Partitur cum fure, odit animam suam*, qui *exsecrationem audit, & non indicat.* Testis autem falsus est, qui aliud dicit, quàm quod vidit aut cognovit; etsi putet, se cognovisse, quod non cognovit. Certa scientia debet esse in eo, qui testatur: sine qua non est bona conscientia. Atque ideò etiam judici mandatur diligens inquisitio. Deut. 19: 18. Lex testi falso imputat, quòd studeat proximo nocere. ibid. 19. Quæ culpa est in eo, qui destinatò falsum dicit, aut non rem integram explicat, ut rectè de ea possit judicari. non abest autem ab ea omnino, qui temere dicit, quod nescit. Ex hoc præcepto liquet, Non licere vel privato vel in publico officio constituto ulli innocentem accusare. nedum judici eum condemnare. Quod sanè apud omnes in confesso est. Patet autem, tametsi sint cavendi homines & ipsis fidendum temere non sit, tamen & non esse de quoquam malè judicandum sine causa. Unde & Apostolus dicit 1 Cor. 13: 7. *Charitas omnia credit, omnia sperat.* Addit lex, ubi vetat obtrectationem, Levit. 19: 16. *Non stabis super sanguine proximi tui.* quo certè notatur, Quia non debemus communicare cum homicidio, cum ira injusta, cum odio & injuria; ideò cavendum esse, ne propter nostrum sermonem aut silentium nostrum proximus noster de alio minùs rectè sentiat & in eum non sit bene animatus. Prov. 25: 22. *Ventus Aquilonaris gignit imbrem, & vultum severum lingua occulta.* Malum frequens & facilè obrepens; quippe quod facere specie amoris, cuique inhiare specie prudentiæ blanditur. à quo pleraque humanæ vitæ miseria provenit.

14. Si decimum præceptum in sua perfectione accipias, vel uni illi rectè addetur, Qui hoc fecerit, in hoc vivet. Perfectio enim ejus est carere concupiscentiâ, hoc est, voluntate mala. Nam ex hoc præcepto discimus, 1. ad veram obedientiam pertinere etiam, ne motus cordis ferens ad factum malum in nobis sit. 2. ideò Deum à nobis requirere amorem proximi. 3. consequenter ne titillationem *Decimum præceptum.*

nem

nem quidem ullam aut verminationem in nobis esse debere contra amorem Dei. Et hæc quidem facilè ex ipsa ratione præcepti patent. Attamen tenor præcepti est benignissimus. Postulat enim pugnam cum concupiscentia & mala voluntate sive inclinatione: & eum, qui mortificat illam, & exscindere laborat, consolatur, datque ei fiduciam Jehovam nominandi Deum suum.

Cap. XC.

De Precatione.

Necessaria precatio.

Admonet nos hic locus, quàm necessaria sit nobis precatio. Quandoquidem enim *Iehovah* est *Deus noster*, qui condonat peccata nostra, qui donat justitiam & vitam, qui sanctificat nos, qui nobis dedit hæreditatem mundi, qui nos obsignat, qui nos conservat: convenit sanè non tantùm eum *Deum nostrum* gloriari apud alios, sed etiam ipsi dicere, *Tu es Deus noster*, hoc est, ei confiteri peccata & miseriam nostram, ei gratias agere, ab eo petere, quæ nos sperare & exspectare jussit, neque tantùm pro nobis petere, sed & pro aliis, ut hæredes mundi fiamus, & Dei regnum amplificetur.

Genera orationis.

2. Apostolus, quando de bonis nobis datis loquitur, ferè ea commemorat per recitationem suæ gratiarum actionis; &, quando de augmento & perseverantia & amplificatione regni Dei agit, quæ promissa sunt, innuens, ferè ea explicat per recitationem suarum precum. Vide Eph. 1. 2. 3. Ita ostendit, quæ dona accepimus, ea esse agnoscenda per gratiarum actionem; quæ verò nobis & aliis adhuc desunt, ea esse petenda; & mala esse deprecanda, cum quibus conflictamur. Ita efficitur quadruplex species orationis: 1. εὐχαριστία *gratiarum actio* pro nobis & aliis, 2. δεήσεις *petitiones* auxilii in malis, 3. προσευχαὶ *precationes*, quibus bona communia petimus; 4. ἐντεύξεις *intercessiones*, quibus aliorum *mala* deprecamur. 1 Tim. 2: 1.

Non omnia adiiscimur precibus.

3. Non putandum est tamen, nihil nobis evenire boni absque votis & precibus nostris. Nam prævenit nos Deus dans Filium suum Salvatorem mundi, eumque prædicans in mundo, ubicunque vult; & convertens nos per verbum suum, & vocans nos in communionem Christi per robur suum secundùm operationem potentiæ suæ, quam operatus est in Christo, resuscitans eum ex mortuis. Ephes. 1: 19. Quare nobis & meritis nostris & dilectioni

nec tamen ora-

nostræ non est attribuendum, quod accepimus. Rursus non est putandum,

tandum, Deum orare esse supervacuum, & perinde esse, sive oremus, sive non oremus. Nam Spiritus, qui effusus est in nos, est & spiritus gratiæ & spiritus precum. Zach. 12: 11. Deus enim multa dona & amplitudinem donorum suorum non vult dare nisi petentibus: ita ut preces nostras illis coordinaverit. Ita enim dicit: *Aperi os tuum & satiabo illud.* Psalm. 81: 11. Matth. 7: 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Ideoque ad perpetuas & indesinentes preces hortatur Luc. 11: 9. — 13. 18: 1. Phil. 4: 6. 1 Tim. 2: 1. Jacob. 1: 5. 6. *re supervacuum.*

4. Neque tamen etiam preces nostræ sunt merita, aut causæ, propter quas accipimus, quæ petimus: sed potiùs sunt effecta gratiæ & spiritus sanctificantis, & justitiæ nobis donatæ, atque adeò meriti Christi, & sic signa, quòd nobis à Deo omnia bona parata sint. & ideò, quemadmodum suspiria nostra, ita & orationes nostræ sunt quasi voces Spiritus sancti, quibus intercedit pro nobis, & nobis suum φρόνημα *studiumque*, quod habet nostra causa, significat. Rom. 8: 26. 27. Ipsæ adeò preces sunt dona Dei. Nam quid est majus, quàm habere accessum ad patrem cum fiducia, & certa persuasione, quòd habeamus, quæ petimus (illa nimirum, quæ, ut Deus noster, nobis promisit) & eum amando amamus, & eum quærendo quærimus? Quid glorioſius, quàm clamare, Abba, Pater? Quid beatius, quàm scire, quæ petimus, non esse nostra desideria, sed studia Spiritus sancti? Et audire testimonium Dei, quòd secundùm voluntatem suam petamus, quæ petimus? Et posse de exauditione sibi gratulari, & cum Jobo gloriari adversum hostes, Deridiculum ne ero, qui invocat Deum, & cui is respondet? Job. 12: 4. *Preces non sunt merita.*

5. Quàm igitur necessaria est fides & confessio sui peccati & doni Dei, & charitas & spes, tam est necessaria precatio. Nam eæ virtutes per precationem exercentur. Quod enim credimus, pro eo gratias agimus: quod speramus, petimus; quodque juxta Dei voluntatem odimus & aversamur, ab eo liberari nos petimus: quos amamus, pro illis intercedimus. *Rursus de necessitate precationis.*

6. Impellunt autem nos ad precandum tum indigentia nostra, tum mandatum Dei, quod debet nobis esse ἰσχυρὰ παράκλησις *fortis instigatio* ad petendum ea, quæ in Christo nobis parata sunt, & metus, ne forte jacturam aliquam patiamur circa bona Christi. 2 Cor. cap. 7. vers. 9.

Culpa est minus petere & minus habere.

7. Ut autem nostra culpa est, quum acceperimus spiritum gratiæ & precum, si reperiamur ὀλιγόπιστοι; ita etiam nostra culpa est, si simus frigidiores in precibus, & proinde minus consequamur.

Vtilissimum precari.

8. Est autem utilissimum homini semper precari, & semper ad Deum suspirare; & nulli rei se committere, quæ excludat precationes & suspiria ad Deum: neque se inidoneum facere ad preces. Quin hoc est hominis in infinitis tentationibus circumsistentibus certissimum tutamen & munimentum.

Orationis formulæ in verbo Dei præscriptæ; quibus in fide utamur.

9. Sunt in sacro Codice multa exempla precationum, quas fuderunt sancti ad Deum, quasque in eodem Spiritu, in simili statu constituti, nostras facere possumus: sunt & prophetiæ, quibus repræsentantur conceptis verbis vota & desideria Ecclesiæ Novi Testamenti. quas non velle intelligere & eo, quo docet, affectu coram Deo eloqui, summæ & inexcusabilis negligentiæ est. Sed præcipuè nobis commendata debet esse oratio, quam Christus suos discipulos docuit. quæ extat Matth. 6: 9. — 13. Luc. 11: 2. 3. 4.

Oratio Dominica.

Pater.

10. In qua oratione primum verbum est fidei & confessionis. *Pater.* Induimus affectum filiorum, quum ad Deum accedimus, non servorum aut mercenariorum: neque ἐπερώτησιν instituimus fiducia operum nostrorum, sed fiducia meriti Christi, & ut ipsi concorporati, & ei tribuentes gloriam unigeniti ac primogeniti.

Noster.

11. *Noſtrum,* quum dicimus, fraternitatem complectimur, charitatem insinuamus, agmen facimus accedentes ad Deum. Et, dum sic loqui jubemur, monemur, ut uno spiritu, una anima multi inter nos consentiamus ad efflagitandum à Deo, quæ nobis promisit. Matth. 18: 19. Qui verò unâ dicunt *Pater noſter*, eos necesse est se invicem fratres recognoscere. Quare necesse est cum iis non consociari, qui nobiscum non invocant Deum patrem, & Christum abnegant. Nam illi nec patrem habent.

Qui es in cœlis.

12. *Qui es in cœlis.* ut domo tua, quam fecisti, ut in ea demonstrares gloriam tuam, primò per quotidianam administrationem lucis diurnæ & nocturnæ & imbrium ventique & caloris, quæ sunt ad vitam hominis & animalium, itemque ad magnificentiam & indefessam providentiam ac inexhaustam potentiam & ἄφυκτον præsentiam in omnibus ostendendam comparata: deinde assumendo sanctos in eam, & eis dando vitæ æternæ hæreditatem in omni beatitate & gloria. In qua etiam est apud te Angelus & Mediator Testamenti. Qui quidem descenderat de cœlo & in terra loquebatur,

batur, sed erat nihilominus in cœlo. Joh. 3: 13. Erat autem reversurus in cœlum. Quare nunc, postquam is ascendit in cœlum, dicentes *Pater noster, qui es in cœlo*, confitemur, quòd Deus majestatem suam posuerit supra cœlos. Psalm. 8: 2. neque thronum amplius habeat in terris. Es. 66: 1. Ideoque hæreditatem illam terrestrem, quæ data erat in pignus Israëlitis, fatemur nos abdicare & relinquere; ut & *patres carnis*, quatenus iis subjecti erant homines præteriti temporis. Simulque testamur, nos ad ipsum accedere, tanquam προσαγωγὴν & accessum habentes in Christo ad intima domûs ipsius, & participes πληρώσεως cum iis, qui in cœlo sunt. Agnoscimus tamen, nos in terra adhuc constitutos multiplex certamen habere, & ex cœlo opem exspectare propter intercessionem Filii, in quo Deum Patrem vocamus, & eum ipsum præstolari, ut veniat nos liberatum ex corpore mortis, & tandem in nubibus compareat, ut nos assumat ad se. Nos enim desiderare esse apud Deum *Patrem nostrum*, & in spe gloriæ ejus gloriari, nihil habentes vel in terra, quod nos delectet, vel in cœlo præter ipsum, cui confidamus.

13. Atque ita gratias agimus Deo, quòd nobis dederit libertatem hanc accedendi ad se, & in Christo nobis præparaverit hæreditatem & civitatem permanentem; quodque omnibus modis nobiscum egerit, ut *Pater*. nempe Christum nobis dando, Euangelium nobis prædicando, spiritum suum *mittendo in corda nostra, clamantem Abba Pater*. Fatemur enim, nos non posse nisi in Spiritu sancto ipsum Patrem vocare. Præter quæ beneficia gratias agimus pro paterna tolerantia & longanimitate, pro custodia, quòd manus ipsius retineat nos, Psalm. 73: 23. pro omnibus beneficiis publicis, communibus, privatis, singularibus; quæ quidem quisque novit: pro castigatione paterna, quibus aures aperit, ut accipiamus disciplinam: pro benedictione laboris nostri, si fortè viderimus aliquod lucrum in hæreditate ipsius.

14. Porrò, dum hoc dicimus, profitemur, nos ipsum diligere, & ut Deum, dignum omni glorificatione, & ut dominum, & ut Patrem; ipsumque esse unicam voluptatem & oblectationem animæ nostræ. &, dum *Patrem nostrum* dicimus, profitemur, nos diligere fratres nostros, tum propter mandatum ipsius, tum, quia communem patrem habemus, & diligimus gratiam, quam in illis observamus; & omnes homines, quos speramus fore filios Dei, qui nostra

caro sunt, ut Deus glorificetur in ipsis nobiscum.

Prima petitio. 15. Hoc igitur fundamento fidei & spei & charitatis in bona conscientia præmisso, sequitur *Prima petitio: Sanctificetur nomen tuum.* Quo verbo testamur, nos amare nomen Dei, hoc est, omnes glorias & virtutes Dei, quibus cognoscitur: & inter illas etiam *sanctitatem*; propter quam ipse est, ut separatus ab omni vilitate & humilitate (quippe maximus & abundantissimus) ita etiam ab omni impuritate, & tenebris; quippe habitans lucem, & amans veritatem, & in ejus amore beatissimus: ac porrò abnegator peccantium & mendacium facientium atque id amantium, neque habens communionem cum eis: se verò & jus suum & judicium suum & legem suam minimè abnegans; atque ita *justus.* Fatemurque, quòd Deus vult appellari Deus noster & *Pater noster*, id non potuisse fieri cum dissimulatione sanctitatis & justitiæ ipsius. Quum ipse, qui *sanctus* est, *exaltetur per judicium* (quo condemnetur peccatum justè accusans, lege ipsi patrocinante, Rom. 8: 3.) *& sanctificetur per* veri nominis *justitiam* (hoc est, obedientiam, quæ sit εἰς δικαίωμα ὀκ πάντων ἀνθρωπάτων. Rom. 5: 16. Ezech. 36: 24. atque ita *per judicium & justitiam redimamur.* Es. 1: 27. Discipuli igitur Christi hoc dicentes petebant *Redemtionem* illam promissam. Nos autem, qui redemti sumus, petimus, ut Euangelium, per quod sanctificatur nomen ipsius, prædicetur, & omne os mendacii obturetur & consilescat. Poterat amplius in hac petitione intelligi: sed accedit etiam secunda, tanquam proles ejus; ut & tertia.

Secunda petitio. 16. *Secunda petitio* est, *Veniat regnum tuum. Thronus Dei est pridem*, & tamen dicit Prophetia, *Iehovah rex factus est*, Psalm. 93: 1. 2. præformans vocem populi fidelium sub Novo Testamento. *Regnum* igitur *Dei*; quod promissum erat, quodque Christus, post Johannem, præ foribus esse prædicabat, intelligitur. nempe is status populi Dei, ut neminem præter Deum habeat regem, dominum ac principem. quod est regnum libertatis & Christi. quod regnum habet suos profectus, ut paulatim fiat latius & absolutius. Nam, ut cognoscitur ex Psalmo 110. Christus sedens ad dextram Dei primò dominatur in medio hostium suorum, & caput supra terram amplam defligit, & omnia implet cadaveribus, habens populum se sponte offerentem in die strenuitatis suæ; deinceps etiam ponuntur omnes hostes scabellum pedum ipsius. inter quos est vetus homo, & Antichristus. Ultimus est mors. 1 Cor. 15: 26. Quod igitur

igitur discipuli Christi orarunt secundùm conditionem illius temporis, ut Regnum Dei venire inciperet, post sanctificationem nominis Dei, quæ facta est in morte Christi; id nos, postquam manifestatum est, oramus, ut magis magisque proficiat, & ut prosternantur omnes hostes Dei. Ita Ecclesia obtinuit, exaudita à Deo, ut tolleretur de medio politia Judæorum & principes illi, qui Christo subjici nolebant, abolerentur. Item, ut Draco, hoc est, Diabolus incitans populum Romanum in Ecclesiam, cogeretur de throno suo concedere, & constringeretur vinculis, ne ampliùs seduceret gentes; sed gentes cuderent gladios in falces & lanceas in ligones, partim etiam mentirentur Deo & Ecclesiæ. Item, ut Ecclesia, post longum bellum cum Bestia, in quo victi sunt sancti, resurgeret, & prædicaretur Euangelium æternum, & ipsa educeretur ex Babylone, atque Babylon cadere inciperet, & porta pateat plurimis, si velint ex Babylone exire. In ipsa autem Ecclesia regnat Christus per verbum & Spiritum suum. quamvis alicubi tentet Diabolus errores seminare & imperium hominum confirmare vel restituere. Qui igitur hæc omnia vidimus, & in his veritatem prophetiæ recognovimus, imprimis hoc dicentes agimus gratias Deo, quòd regnum suum hucusque processerit & ad nos venerit, quodque nos id cognoverimus, & in eo simus. testamur autem, nos & exspectare & desiderare, ut omne regnum adversarium profligatur, ut Deus regnet ubique; & tandem adveniat regnum gloriæ: ac nos quidem liberemur à corpore mortis, ut simus cum Christo, & acceleret ultimus dies, quo etiam corpora nostra ad se assumturus est.

17. *Tertia petitio* est, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic etiam in terra*, ex prima & secunda nascitur. Nam ideò sanctificatum est nomen Dei in Christo, ideò venit regnum Dei, ideò prædicatur Euangelium redemtionis & regni, ut nos non tantùm quomodocunque regnum Dei cognoscamus, aut etiam illum feramus inter nos, sed ut voluntatem Dei faciamus, atque ita in nobis sanctificatis Deus *sanctificetur* & in nobis *regnet*. Ubi enim est subjectio, ibi demum est regnum. Oramus igitur, ut *voluntas Dei fiat*. quo non significamus tantùm, nos non velle rebellare voluntati ejus & decreto: sed petimus nos ita sanctificari, ut faciamus voluntatem ipsius; & quidem *in terra*, non modò quisque nostrum, qui in terra sumus, & hoc oramus, sed etiam, quotquot sunt in tota terra. ita ut, si possibile

Tertia petitio.

sit, nemo sit in tota terra, qui ipsi rebellet, ipsique non obediat, & non faciat voluntatem ipsius. Est enim hoc veræ charitatis, omnes cupere esse salvos, & Deum glorificari per misericordiam in omnibus. Neque verò petimus tantùm languidè & infirmiter atque inchoatè fieri voluntatem Dei; ut pueri in Christo incipiunt Deo obedire: sed, ut fiat voluntas Dei in terra, *quemadmodum in cœlo*, à sanctis angelis & beatis spiritibus justorum, hoc est, 1. in libertate & filiali fiducia. quia facti sumus unum cum iis, qui in cœlo sunt, quoad consummationem justificationis per redemtionem Christi. ut ita cesset omnis opinio vana de necessaria alia satisfactione, alicve sacrificio vel alia oblatione corporis Christi, vel merito atque intercessione mediatoria ullorum aliorum præter Christum: & hoc solummodò agamus, ut iis, qui in cœlo sunt, quantum per commorationem nostram in hoc tabernaculo fieri potest, quàm simillimi simus in libertate, fiducia, sanctificatione. 2. in comprehensione potentiæ resurrectionis Christi, & omnis latitudinis & longitudinis & profunditatis atque altitudinis, & cognitione amoris Christi, qui excedit omnem cognitionem. Eph. 3: 18. 19. Phil. 3: 10. 11. 12. Nam & hoc veræ charitatis est desiderare perfectionem, & defectus suos confiteri. Novimus autem, & Deo gratam esse hanc rectitudinem voluntatis nostræ, & nos sic orantes velle exaudire, ut magis magisque crescamus in sapientia & prudentia & omni sanctificatione.

Quarta petitio. 18. *Quarta petitio* hæc est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Si malis *hodiernum*, non pugnabo equidem. Nam dubium non debet esse, quin ἐπιούσιον deducatur ab eo, quod est τὸ ἐπιὸν vel ἡ ἐπιοῦσα. Significatur, quod est necessarium ad *sequens* tempus, vel *sequentem* diem. Sensus facilis. Quotidie accedimus ad Deum, ut det nobis panem nostrum, quamdiu sumus in hac vita, per quem attingamus sine molestia τὸ ἐπιὸν, *quod sequitur*, nobisque præparatum est, tempus. Est nobis necessarius panis, quo corpus alitur. Ut eum habeamus & eo alamur, multis aliis opus est. Quod nemo ignorat. Sed est etiam necessarius panis animæ, verbum Dei & ejus intelligentia. Neque enim tantùm corpora sumus, neque tantùm vivimus vitam animalis. Nostrum est vel maximè eum panem expetere. Et, si forte eveniat, ut in Ecclesia exoriantur tenebræ (quemadmodum Prophetia ostendit, exorituras fuisse) tum certè tempus est, ut Deus det tantum alimenti spiritualis, ut ne deficiant

in

in via & in exſpectatione temporis ſequentis, quoque per hanc *vallem umbræ mortis* ſive præcipitium vertiginoſum deducantur ad quietem æternam. Hæc fuit & eſt ſine dubio oratio fidelium in anguſtiis & tenebris hujus vitæ. Qua ita orant pro ſe, ut tamen oſtendant, ſe ſpem habere futuri temporis. ut promittit prophetia Hoſ. 6: 1. 2. Similiter pro hodierno orat Pſalm. 12: 8. *Tu, Iehova, cuſtodias ipſos: retineas à generatione hac, qui in ſeculum eſt.*

19. *Petitio quinta* eſt, *Remitte nobis debita noſtra; quemadmodum & nos remittimus debitoribus noſtris.* Eſt ſingulorum hæc petitio, qui ſibi non ſatisfaciunt, ut faciant, quod volunt, ſive ut faciant voluntatem Dei, quemadmodum ea fit in cœlis. Galat. 5: 17. imò etiam reperiunt in ſe, quòd faciant, quæ nolunt. Rom. 7: 19. 20. 21. 22. 23. Quemadmodum igitur confitentur peccata ſua, ita etiam petunt à Deo remiſſionem eorum. 1 Joh. 1: 8. 9. 10. hoc eſt, petunt, ut conſolationem illam in ſe ſemper vivam ſentiant, ſibi peccata ſua remiſſa eſſe in Chriſto. Quo fine etiam ea confitentur. Pſalm. 32: 5. 6. Ut autem eam conſolationem ſibi applicare, & ſecuri poſſint eſſe plagarum Dei, quibus mundum punit, quòd malum non ſit appropinquaturum ad ipſos, Pſalm. 91: 3. 4. 5. 6. 7. 8. ideò confitentur delicta ſua. Sed docet Salvator, neminem poſſe hoc petere, & hanc conſolationem habere, niſi qui habent Dei ſigillum apud ſe, nempe fidem operoſam per charitatem. Cujus charitatis δεῖγμα & quaſi minimus gradus eſt *remittere debitoribus ſuis*, hoc eſt, non facere malum pro malo, non maledicere perſecutoribus & injuriis, eorum felicitati non invidere, orare pro ipſis, ut ipſis peccata ſua remittantur, ut ſanctificati à Deo deſinant peccare, &, ſi reſipiſcant, ſuper eis gaudere: & tum etiam reprehenſionis & indignationis virgam ab eis auferri. Eſt verò hæc precatio etiam Eccleſiæ, quæ cogitur confiteri, quod eſt Eſ. 64: 5. *Exſtitimus ut impurus omnes nos, & ut veſtis menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ.* Ipſa formula precationis noſtræ cogit nos excutere conſcientiam noſtram, & requirere animum rectum in ſe, & de eo gloriari, & ſic Deum ἐπερωτᾶν. quemadmodum eſt Eſ. 1: 18. *Agite, diſceptemus unâ, dicit Deus.* q.d. do vobis facultatem & libertatem utendi conventione & interrogatione apud me in bona conſcientia. Quam ſi afferetis; *Si fuerint peccata veſtra inſtar dibaphi, ut nix albeſcent: ſi fuerint inſtar coccini, ut lana fient.* Habet fidelis gloriationem, ut Abraham, ſed in Deo. Rom. 4: 2. 5: 11. 1 Petr. 3: 21. Qui apud Deum *dicit*, ſe remittere proximo & ſic

Quinta petitio.

sic petit remissionem debitorum suorum; is non *gloriatur ad Deum* in seipso, sed gloriatur in divino signaculo & justitiæ ac fidei fructu, & sic in gratia Dei.

Sexta petitio. 20. *Petitio sexta* est, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Est tentatio, qua Diabolus tentat, alliciens ad peccatum vel impellens: ita Deus neminem tentat. Jac. 1:13. Nulla tentatio & titillatio ad malum est Dei opus. Est tentatio, qua Deus tentat, vel manifestando hominis imbecillitatem, vel manifestando fidem suorum & potentiam suam in ipsis. Hoc modo Abrahamum tentavit, illo modo Ezechiam. Gen. 22:1. 2 Chron. 32:31. Non omnem tentationem igitur deprecantur pii; ut apparet ex Psalm. 26:2. 139:23. Deprecantur Diabolicas suggestiones, carnis suæ effrenem petulantiam verentur, metuunt sibi & proximo. Tametsi enim Deus ita neminem tentet, tamen permittit quandoque homines à Diabolo tentari & quidem etiam per carnem propriam & sic inducit justo judicio in tentationem. Vide 2 Thess. 2:9. 10. 11. 12. Dixit Christus discipulis suis, *Vigilate & orate, ne in tentationem incidatis.* Matth. 26:41. Petri, quum præmonitus esset de casu suo, erat orare, ne tentaretur: neq; se ipsum in periculum conjicere. Qui se in periculum conjicit, tentat Deum. Dictum est fidelibus, Oportere, ut per multas afflictiones intrent in regnum Dei. Act. 14:22. Orandum igitur erat, ut in eis conservarentur. Imminebat tentatio à seductione, à pseudoprophetis, à pseudochristis. Eam tentationem deprecari fuit veræ charitatis. Dictum est: *Conservabo te in hora tentationis, quæ veniet super universam habitabilem.* Ap. 3:10. Quis potest securus esse, eam tentationem jam præteriisse? Orandum igitur & pro nobis, ne deseramur, & ut roboremur, ut possimus in probatione Dei subsistere; & pro omnibus tentatis, quique tentabuntur. Et quid? *Vt nos liberet à malo* omni, hoc est, & cogitatione mala & facto malo atque dicto, à diffidiis, à schismatibus, à persecutionibus, & ipsos hostes nostros illuminet ac convertat, denique nos, exantlata militia nostra, in regnum suum suscipiat; Ecclesiam autem perfunctam laboribus tandem consoletur. ut est Apocal. 7:14. 15. 16. 17. Et, quia ὁ πονηρὸς *Malus ille* & nequam Spiritus, *Inimicus & Vindex sui*, eorum malorum auctor est, eum frenari & aboleri & in stagnum ardens igne & sulphure tandem conjici oramus, cum pseudopropheta & bestia, Actor. 20:10. ut Serpens in monte sancto non ampliùs noceat. Es. 65:25.

21. Apud

21. Apud Matthæum additur: *Quia tuum est regnum, & potentia & gloria in secula.* Quæ quidem ad præcedentes petitiones etiam accommodari possunt; singulariter tamen videntur spectare ultimam. q. d. Hoc petimus propterea, quia tibi debetur regnum & subjectio omnium; & petimus fiducia potentiæ tuæ, & ex amore gloriæ tuæ. Neque enim putamus, regnum nobis deberi, aut nos quicquam posse; aut cupimus gloriari coram te. *Non nobis, non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam propter gratiam & veritatem tuam.* Psalm. 115: 1. Clausula.

22. Subjicitur quasi sigillum, *Amen.* Quæ vox valet γένοιτο, *fiat.* De quo diximus c. 89. § 7. Atque ita in clausulis orationum significat ingens & serium cordis desiderium, secundùm voluntatem *Patris*, & promissionem ejus. Qua quum nitatur precatio nostra, dum dicimus, *Amen*, nobis spondemus exauditionem, &, rem certam ac ratam esse, ὑφιστάμεθα. Amen.

23. Atque hoc est instar fidelium desideriorum, quæ Spiritus precum operatur: ad quod exemplar nostræ cogitationes & appetitus nostri examinandi sunt. Nam potestne fieri, ut deceat Christianum appetere, quod non deceat petere? Hæc oratio frequentata in Ecclesia est juge sacrificium, & adoratio in Spiritu & veritate, saltem pars ejus. Sed, ut in omni re, ita & in precibus gentium, quæ intrarunt in atrium, & nominantur Christiani, multiplex cernitur corruptio, introducta per superstitiosos, idololatras, pseudophetas. Imprimis, quòd non invocatur solus Deus, nec Deus invocatur ut Pater, & orantes negant se debere habere certam spem & fiduciam; & non orant, ut veniat regnum Dei, sed id manibus pedibusque impediunt, & in fiducia vana Deum compellant, & pleraque non intellecta deblaterant, & orationes Deo annumerant, easque habent pro pœnali satisfactione, & Deo imputant pro meritis. Ubi igitur cessat fidelis precatio & introducitur clamor versantium in errore & Euangelio non credentium, ibi juge sacrificium tolli, putandum est.

LOCUS TRIGESIMUS PRIMUS
DE
Consiliis perfectionis & præceptis perfectioribus, quæ dicuntur addita Decalogo.

Caput XCI.
De Consiliis.

Si præcepto divino, *lege regia libertatis*, hoc est, quam nobis dat rex noster Christus, & per quam nos liberos facit, quæ est in Decalogo, Jac. 1: 25. 2:8.10.11.12. in qua *speculum* (Jacob. 1: 23.) est imaginis Dei, delectaretur homo, non putaret, se opus habere præceptis aliis. quæ nihil sunt, nisi *præceptum hominum condocefactum* Es. 29: 13. & revera *consilium improbi*, Psalm. 1: 1. hoc est, cogitatio hominis irregeniti & divinæ justitiæ expertis de ratione obliterandi peccatum & placendi Deo. Sed, proh dolor, postquam Euangelium exivit Hierosolyma ad gentes, & datus est *locus* Ecclesiæ spaciosissimus optimusque, *in quo aleretur à gentibus*, pro præcepto pœnitentiæ & fidei (cujus ὁμολογίᾳ & astipulatione fœdus cum Deo & amicitia contrahitur) placuit inimicis Dei blandiloquis ea ratio, ut Deo imponerent & mentirentur. cui hypocrisi doctrina de consiliis Euangelicæ perfectionis sequioribus temporibus ita succurrit, ut sub specie augendæ religionis homines à lege Dei & consequenter à Christo (in quo implementum legis est) & vera resipiscentia, abduceret ad falsa merita, ad aliud χάραγμα *signaturam aliam*, divinæ legis μοιχάραγμα *adulterium*, ad falsas satisfactiones, ad aliam denique viam, hoc est, ad ἀποστασίαν, *defectionem*.

Falsæ religionis fucus.

2. Non sine fuco potuit Ecclesiæ hæc falsa *Religio* obtrudi. Commendat Scriptura eleemosynas, jejunium, continentiam, votorum solutionem; subrepsit Satanas, & eleemosynarum satisfactiones, delectum ciborum, consilia Euangelica, quæ omittere peccatum non sit nec pœnam habeat; facere autem majoris meriti, sive majus præ-

præmium habeat (Bellarm. de Monach. cap. 7.) opera supererogationis, tria vota excudit. Nos de hisce brevissimè.

3. Ἐλεημοσύνη est *misericordia*, hoc est, charitas misero compatiens & ad damna ejus resarcienda enixè se effundens atque explicans. Pulchra ejus ἐξήγησις apud Jobum c. 30:25. *Si non flevi eum, cui dies difficilis; stagnavit anima mea propter pauperem.* Hinc ἐλεημοσύνη donum factumque ex ea charitate ad miseri sublevationem præstitum. Nomen nos monet, non tam doni, quàm affectus in donante, laudem esse. *Eleemosyna.*

4. Daniel. 4:24. צְדָקָתָא *justitia* & חִנָּן עֲנִיִּין *gratiosum esse erga inopes* conjunguntur: quod nonnullis præbuit occasionem putandi, per primum intelligi *eleemosynam*. Judæi eam צְדָקָה διαμοσιώλω appellant. Nam גְּמִילוּת חֲסָדִים *beneficentia* latiùs ipsis patet. Nec sine ratione sic appellatur, quum sit nobilis quidam fructus justitiæ charitas Christum imitans, Phil. 1:1. & justitiæ opus carnem suam non negligere, Es. 58:7. ac *bonum domino ejus* egeno *non negare*, Proverb. 3:27. ad demonstrationem justificationis faciens, Deuter. 14:13. Es. 58:8. Luc. 11:41. Psalm. 112:9.

5. Præcepti enim est eleemosyna, æquè ac charitas. 2 Cor. 8:8. Modus dandi in illo generali præcepto, *diliges proximum, ut te ipsum.* Is verò modus prudentiæ in bona conscientia relictus est determinandus, non autem definitus est speciali præcepto. Ideò neque tanquam definitus præcepto exigi potest, licèt consilio prudenti & exemplo charitatis ingenuitas possit excitari & explorari, 2 Cor. 8:8. 10. Peccant hîc Scholastici, dicentes, Eleemosynam necessariam tantùm esse præcepti; abundantiorem consilii, non præcepti. Quasi, quia fratri frater de eleemosyna non potest determinatè in nomine Dei quicquam imperare, sed tantùm potest consulere & suadere; ideò nec homo, cujus est eleemosynam dare, teneatur præcepto diligendi proximum, uti seipsum: aut ulla mensura eleemosynæ hanc dilectionem possit excedere.

6. Eleemosynæ necessaria requisita sunt εὐδοκία *lubentia*, προθυμία *promtitudo*, ἱλαρότης *hilaritas*, ἀγάπη γνησία καὶ ἀνυπόκριτος *dilectio ingenua & non fucata*, ἁπλότης *simplicitas*, Rom. 12:8. 9. 2 Cor. 8:2. 11. 12:9. 7. Rom. 15:27.

7. Eleemosyna facienda est ὃ ἔχει *ex eo, quod quis habet*, ut unius περίσσευμα *superfluum* sit in alterius ὑστέρημα *sarciat alterius defectum*, 2 Cor. 8:11. 12. 13. Proverb. 3:27. דַּי מַחְסֹרוֹ *quantum satis*

est ad penuriam explendam, Deut. 15: 8. τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην *pro copia date*. Luc. 11: 41. id est, וְהִנֵּה הַכֹּל טָהוֹר לָכֶם. Imò, si necesse sit, incommodum subeundum, ut proximus non negligatur, Luc. 3: 11. Laudat Macedonas Apostolus, quòd *in multa experientia afflictionis abundantia lætitiæ ipsorum & profunda ipsorum paupertas redundaverit in divitias simplicitatis ipsorum, & , quantum potuerint, imò plus quàm potuerint, sponte fecerint*, 2 Cor. 8: 2. 3. & Servator viduam, quæ *omnem substantiam* conjecerat in thesaurum, Marc. 12: 44.

An præceptum sit relinquere omnia?

8. Ut omnia relinquas propter regnum Dei aut propter fratres pauperes atque afflictos, si necessitas id exigat, imperavit, qui charitatem imperavit, Luc. 12: 33. Peculiari præcepto δοκιμαστικῷ Servator id injunxit propriæ justitiæ confidenti & bona terrena amanti, Matth. 19: 21. 22. Verùm non id tantùm, sed etiam, ut sequeretur Christum, ut discipulus magistrum, & ut servus dominum, futurus regni ejus ædificator.

Communio primorum Christianorum.

9. Ea lex necessitatis κοινωνίαν αὐθαίρετον *spontaneam communionem* primis Christianis injunxit: quæ erat partim promta impertitio rerum propriarum; partim suppeditatio pecuniæ distribuendæ per Apostolos; ne vel ministerium Euangelii destitueretur, vel pauperes fideles propinarentur contumeliæ Judæorum, Actor. 4: 32. 34. 35. 6: 1. non extinctio dominiorum. Actor. 5: 4.

10. Charitatis itaque lex etiam opus honestum injungit homini, ne nihil operans vel gravis sit aliis, vel non habeat, quod det non habenti, 2 Thess. 3: 8. 11. 12. Ephes. 4: 28. Adeò non vetamur aliquid proprium habere, ut non proprium panem comedere sit vel ἀταξία *inordinatio*, vel miseria; & necessarium sit operari tum pro pane tuo, tum pro miseris communicando. Dummodo opus quæstuosum sit bonum, id est, honestum, licitum, utile hominibus; & pro fine habeat justitiæ & charitatis exercitium. De quo egimus in præcepto octavo cap. 89.

Eleemosyna species in pecuniæ erogatione non consistens.

11. Etiam illi eleemosynam faciunt, qui, neglectis χρηματιστικαῖς *lucrosis* artibus se opesque suas impendunt sacris studiis, non ut ditescant, sed ut ædificent, Psalm. 37: 26.

Diligentia circa opes congerendas vituperabilis.

12. Animadvertenda est notabilis censura ultimorum temporum, Jacob. 5: 3. ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις *in thesauris reposuistis in ultimis diebus*. nempe cum injustitia, ad luxuriam. v. 4. 5. 6. cum cupiditate, supra necessitatem, cum fiducia in πλούτου ἀδηλότητι *incertis divitiis*, & χρηματὰ τοῦ κόσμου τούτου *formæ mundi hujus*, neglectuque

regni

regni Dei, ad cujus ædificationem opes conferri poterant utilissimè. 1 Tim. 6:8.9.17.18.19. 1 Corinth. 7: 31. 1 Joh. 2:16.17. Apoc. 21. vers. 24. 26.

13. Ad eleemosynam etiam pertinet mutuum egenti datum gratis, Matth. 5:42. Luc. 6:35. Psalm. 15: 5. ubi inter signa justi & hæredis vitæ æternæ est liberalitas, vel donantis vel mutuum dantis gratis. Idque ita enunciatur, ut negetur *pro usura argentum suum dare.* Usura non in specie damnatur, sed pro specimine quæstus ponitur: qui omnis malus est, ubi oculus malus est. Cui qui inhiat, τοκῆ τοκία *lucripeta* appellatur. *Mutuum egenti datum.*

14. Eleemosyna danda est primùm sine distinctione gentis, Matth. 5: 42. Luc. 6: 30. πάντι *omni*, id est, χωρὶς Διαστολῆς *sine distinctione* (compara legem, quæ ponit μεσότοιχον Φραγμὸν, Deuter. 23: 7. 21.) maximè τοῖς ἁγίοις *sanctis*, sive οἰκείοις τῆ πίστεως *domesticis fidei.* Quorum respectu Διακονία *ministratio* & κοινωνία *communio* appellari consuevit, quippe non tantùm participatio τῆ θλίψεως *afflictionis*, sed & testis τῆ φιλαδελφίας *amoris fratrum*, Hebr. 10: 33. Validos mendicantes, quibus sui cibi comedendi copia est, & ἀτάκτους *inordinatè agentes* monachos alere, est prædones alere. Quod doctoribus & pastoribus Ecclesiarum impenditur, est ὀφειλόμενος μισθὸς *debita merces* & debita κοινωνία *communio*, non verò ἐλεημοσύνη & beneficium, Luc. 10: 7. 1 Tim. 5: 18. Gal. 6: 6. licèt fieri possit, ut indigni homines eam mercedem mendicando intercipiant: æquè ac apud Papistas in ἐμπορείαν *nundinationem* vertit, Zach. 13: 5. Dan. 11: 39. *Eleemosyna danda sine distinctione, & tamen cum quadam distinctione.*

15. Non malè Lombardus 4. dist. 15. C. inter eleemosynas numerat orationem pro peccante, & disciplinam & castigationem emendantem; & majorem omnibus facit, qua dimittimus ex corde, quod in nos quisque peccavit. Etiam labor prædicationis & & patientia pro ære alieno impœnitentibus imputatur. Hab. 2: 6. *Eleemosyna spiritualis.*

16. Eleemosynæ, ut exercitio charitatis, ex fide profectæ, omnis remuneratio à sacra Scriptura assignatur, quæ charitati & obedientiæ. Non, quòd sit causa vitæ, sed, quòd in hæreditate justorum habeat locupletem compensationem. Meritorias & satisfactorias eleemosynas non agnoscimus; quas Papistæ tradunt: scientes, opera charitatis esse tantùm εὐχαριστικὰς θυσίας *sacrificia laudis.* Veteres *mereri* dicebant pro fructu non carere; *satisfacere* pro testari pœnitentiam & Deo gloriam dare. Sequiori ætate vocabula *Eleemosyna remuneratio.*

illa in alium sensum abivere. Qui eleemosynam dat ostentationis causa & ut videatur hominibus, sibi sacrificat, non Deo.

Iejunium. 17. *Iejunium* (præter id, quod coactum est, vel ob negocium urgens aut sanitatis causa adhibetur) est quoddam religioni inserviens; nempe ad enixiùs orandum, meditandum affixiùs & vigilantiùs, & humiliandum se abjectiùs: publicum, privatum; liberum, illud Ecclesiastico consensui, hoc privatæ definitioni. Hebræis dicitur צום q. coarctatio, & עִנּוּי נֶפֶשׁ *subigere animam.* Nam per inediam caro petulantior & procacior, subductis libidinis & φρυάγματος fomentis, maceratur & cicuratur.

Legale. 18. Ordinarium Judæis jejunium erat dies Kippurim, decimus septimi mensis. Levit. 16: 29. 30. 31. 23: 32. Num. 29: 7. Quæ νηστεία dicitur, Actor. 27: 9. In quo & confessio & remissio peccati ceremonialiter fiebat. Huic anniversaria jejunia adjunxerant Judæi alia diversis occasionibus. De quibus Zach. 7: 3. 5. 8: 19. Id, quod lege impositum erat, habebat ordinariam commemorationem peccati, ut necdum expiati per Christi sacrificium; quod per ceremonias illius diei præfigurabatur. Hebr. 10: 1. 3. Cætera sponte suscipiebantur secundùm generalem regulam orandi instanter & meditandi diligenter & humiliandi se coram Deo suo, Dan. 10: 12. לְהָבִין וּלְהִתְעַנּוֹת לִפְנֵי אֱלֹהֶיךָ, Es. 8: 21. Joel 1: 14. 2: 12. Ideoque illud cerimoniale per Christum sublatum est, & credentibus in diem lætitiæ conversum, una cum reliquis jejuniis Israëlitarum, in quibus afflictionum corporalium recordatio erat, Zach. 8: 19.

In Novo Test. 19. Sed, ut orationes in Novo Testamento non cessant, nec meditatio; ita nec jejunia publica & privata, piè suscipienda. Matth. 9: 15. 17: 21. Marc. 2: 20. Luc. 5: 35. Actor. 10: 30. 13: 2. 3. 14: 24. 1 Cor. 7: 5. Nempe ut adminiculum cultus & signum externum, non ut cultus in se.

Non est cultus per se. 20. Nam iis, qui putant in jejunio cultum esse per se, quadrant verba Dei apud Zachariam cap. 7: 5. 6. *Quando jejunatis, numquid me jejunatis? Et quando editis, nonne vos estis illi, qui comedunt?* q. d. Deo per jejunium & esum nihil accedit vel decedit. Neque in esu, neque in jejunio est similitudo Dei. Item: *Regnum Dei non est cibus & potus.* Rom. 14: 14.

An præceptum? 21. Frigidum est Bellarmini commentum l. 2. de bon. oper. in part. c. 6. Jejunium non contineri Decalogi præceptis, quia ea pertinent ad justitiam; jejunium verò non ad justitiam, sed ad temperantiam

rantiam pertinere. Jejunium, quod ad temperantiam pertinet, est vel ipsa temperantia vel revocatio sui ad temperantiam, vel medicina crapulæ. Id præcepto sexto & septimo imperatur. Nostrum jejunium pertinet ad præceptum orationis & meditationis, non ut virtus aut bona actio in se, sed ut adminiculatio subtrahens impedimenta, quæ à carne turgida humoribus & spiritibus provenire possunt: ad humiliationem verò etiam ut significatio, qualis est jacere in terra, sedere in pulvere, cinerem injicere capiti, vellere comam, lacerare vestem, flere, plangere & similia, Es. 58: 5. In quibus nimietas non est sine δεισιδαιμονίᾳ *superstitione*; (reprimenda per illud Psalm. 127: 2. *Vanum vobis* est, *qui manè surgitis, ad serum sedetis, editis panem dolorum: ita dat dilecto suo somnum.* Et Col. 2: 23. *Quæ quidem sunt prætextum habentia sapientiæ in delecta religione & humilitate & corporis vexatione, non in honore aliquo, ad impletionem carnis*) ostentatio non sine hypocrisi, Matth. 6: 16.

22. Ad jejunia etiam referendus est sanctorum tenuior victus ad tempus usurpatus; quantum valetudo corporis permittit. Dan. 10: 3. Confer 1 Tim. 5: 23. μηκέτι ὑδροπότει. ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν στόμαχόν σου καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας. *Jejunium consistens in tenui victu.*

23. Jejunium, ut significans humiliationem, aut est mendax, & Deo non placet; aut præsupponit cor contritum, abnegationem cupiditatum, & vanitatis in verbis & factis, sinceram charitatem, Es. 58: 3. 4. 5. 6. 7. Quæ si desint, & jejunium abominabile est & oratio, & sacrificia, Joël. 2: 13. Eccles. 4: 17. Prov. 28: 29. *Jejunium, ut significans humiliationem.*

24. Quum Deus non astrinxerit fideles Novi Testamenti ad certam humiliationis formulam & ritum, ejusque tempus, Pontificis præceptum (non nisi ejusdem privilegio relaxandum: quale Paulus III. A. C. 1549. Germanis obtulit, Sleid. lib. 21.) de jejunio 4. 5. & 7. feriæ, quinquagesimæ & quadragesimæ, & in vigiliis Apostolorum & martyrum, quo actus externus & sumtio cibi, saltem certi, sub peccato mortali vetatur, est tyrannis in conscientiam; & ejus observatio superstitio & idololatria. Nam homo non debet *impurum* aut inquinans vocare, *quod Deus purificavit.* Atqui, qui in certum diem aut tempus jubet certum cibum, ut tum inquinantem, vitare, is id, quod Deus purificavit, impurum dicit. Similis enim est lex, quæ dicit, *Hoc sit tibi inquinans istis diebus*, illi legi, quæ dixit Israëlitis, *Hoc erit tibi inquinans per dies priores, donec veniant dies Novi Testamenti.* Neque enim Deus simpliciter impurum dixit cibum, *Præceptum humanum de jejunio.*

cibum, sed illis, qui in reatu peccati adhuc erant constituti, nondum purificati per sacrificium. Deinde *visum est Spiritui Sancto nullum imponere gentibus onus.* Atqui discrimen ciborum est revera onus. Qui autem tali præcepto paret, is Deum peregrinum colit, eum, qui se pro Deo collocat in templum Dei. Qua re impletur descriptio Antichristi, 1 Tim. 4: 3. & reducitur servitutis Judaicæ instar in distinctione ciborum & dierum. Quæ ut olim erat damnatio actionum humanarum & perceptionis escarum contaminatæ per peccatum; ita sub Novo Testamento non viget: in quo omnia καθαρὰ καθαροῖς *munda mundis* & per verbum Dei & orationem ac gratiarum actionem sanctificantur. Quapropter illa reductio distinctionis dierum & interdicti ciborum quorundam in illis abnegatio est purificationis conscientiæ factæ per sanguinem Christi. Et talis, ut auctoritas legem ferendi, ita lex est res nova in Ecclesia Christiana: licèt fieri possit, ut moribus inoleverit consuetudo variis diebus statis vario modo jejunandi. Quas occasiones non satis cautè à neophytis, splendorem apud mundum affectantibus, præbitas Satanas ad jugum invehendum astutè arripuit.

Votum. 25. *Votum* (Hebr. נֶדֶר Gr. εὐχή) est spontanea promissio dedito animo & firmo cordis proposito facta de re ad honorem Dei & bonum proximi faciente, sive sit rei alicujus largitio, sive abstinentia, sive factum. Scriptura ad ὅρκους *juramenta* refert. Psalm. 132: 2. Matth. 5: 33. Intelligenda hæc sunt cum Christiana modestia; nimirum ut præsens propositum cordis sincerum declarent, Dei autem subsidium in futurum suspirio enixo petant.

26. Quemadmodum in pœnitente propositum obedientiæ omnis & glorificandi Deum in genere, necessarium est; ita & votum, Psalm. 76: 12. At de rebus, in quibus libertas quædam proprii consilii est, sibi voto legem præscribere sine necessitate, temerarium est.

27. In Veteri Testamento vota fiebant liberè de Naziræatu secundùm formulam legis absolvendo: de sacrificiis, legitimo ritu offerendis: de abstinentia possibili ad opus rectum & laudabile prævortendum. ut Psalm. 132: 2. 3. 4. 5. In quo genere spectatur temeritas Saülis populum subjicientis religioni temere & inutiliter, 1 Sam. 14: 25. & extraordinarium factum Jephtæ, qui in ancipitem casum pollicitus est, quod sibi victori occurrisset, futurum Dei, seque id holocaustum oblaturum, Judic. 11: 31. In quo voto

prior

prior formula tam lata est, ut videatur, si holocaustum esse non posset, anathematis legi subjicere, quod occursurum esset. Ita videri possit Deum arbitrum fecisse, utrum ex domo sua anathema pro Israëlis peccato vellet sumere, an holocaustum cum lætitia Deo placato offerendum. Certè votum virginitatis nullum habet in eo exemplo præsidium. Et Samuel Jehovæ datus est in ministerium, 1 Sam. 1: 11. & genuit liberos.

28. Denique non agnoscimus votum legitimum & ad honorem Dei faciens, nisi vel in mandato officio, vel in generatim approbato cultu determinando, vel in orationis, meditationis omninoque pietatis adminiculo, quale jejunium.

29. Rechabitæ abstinuerunt à vino, neque habuerunt domos, obsequentes jussioni avitæ, ut leviùs ferrent exilium & captivitatem Israëli imminentem. Si voto se ad hoc servandum obstrinxerunt, opus fidei fuit comminationibus Dei astipulantis.

30. Qui sub Novo Testamento votum nuncupat de iis rebus, de quibus Deus nihil dixit, quæque ad cultum cordis nihil faciunt, ἐθελοθρησκείαν *cultum à se delectum* instituit. Qualia sunt, *non tangere*, v. g. mulierem, (vide 1 Cor. 7: 1.) *non contrectare*, v. g. ut rem dominii sui; *non gustare*, certos cibos, sive omninò, sive certis diebus. Quibus si addas votum *obedientiæ*, in præcepta hominum κατὰ ἐξεβδώντων *præjudicium facientium*, τὴ πλάνης τὴ σὺν οὐκ ἐκ τὴ καλέντ@ *obsequii, quod non est ex vocante*, & *cultum angelorum* ac beatarum animarum: perfectam habebis ideam fictitiæ *Religionis* Monachalis Pontificiorum. Col. 2: 18. 20. 21. 22. 23.

31. Porrò, quemadmodum Judæi, qui patri dicebant, *Donum, quod ex me perceperis*, religione se obstringi putabant, ne honorarent patrem; & sic sub specie religionis transgrediebantur legem Dei, Matth. 15: 5. 6. de quo egimus cap. 89. § 9. ita Pontificii docent, filiis licere, invitis parentibus, religionem, hoc est, monasterium *intrare*, & sua illis debita officia & servitia, imò bona, subtrahere, contra præceptum Decalogi de honorandis parentibus. Emanuel Sa in verbo *Religio*. aphor. 2. *Parentum grandi necessitati subveniendum ante ingressum: facta professione, faciendum, quod possit, salva obedientia.* *Votum monachatus, invitis parentibus.*

32. Votum *obedientiæ*, cumprimis cum subjectione judicii proprii & voluntatis in judicium & voluntatem alterius (Bellarm. de Mon. c. 21. § *secunda*. & seq. § *item*.) pugnat non tantùm cum præcepto Apostoli, qui vult servos secundùm carnem suæ libertatis in *Votum obedientiæ.*

Christo esse memores, 1 Cor. 7: 22. imò libertatem quærere, si possint. v. 25. & omninò Christiana libertate, Galat. 5: 1. & statu Novi Testamenti, in quo non est δοῦλος ἢ ἐλεύθερος *servus & liber*, Gal. 3: 28. sed cum ipsa obedientia, quæ Deo soli debetur, Matth. 4: 10. & bona conscientia, quæ postulat τὰ διαφέροντα δοκιμάζεσθαι *probari, quæ meliora sunt.*

Votum virginitatis. 33. Gratiorem Deo esse vitam cœlibem, quàm conjugalem, (cùm virginitas non sit virtus, nec conjugium peccatum) & abstinere conjugio ex voto (admixta religione) magis quàm simpliciter cœlibem esse, figmentum est. Votum cælibatûs temerarium est, & pugnat cum verbis Christi Matth. 19: 12. ubi mandat non dari legem de cælibatu, nec alii nec sibi scilicet, sed liberum permitti τῷ δυναμένῳ χωρεῖν *ei, qui possit capere.* Item Pauli 1 Corinth. 7: 37. μὴ ἔχων ἀνάγκην *non habens necessitatem.* Matrimonium non convenire iis, quos sacerdotes vocant, propter impuritatem conjugibus impositam Levit. 15: 16. 17. 18. Judaismus est. Matrimonio magis assignare causam irregularitatis, quàm fornicationi & concubinatui, & ad excludendum matrimonii vel adulterii desiderium lupanaria aperire, character Antichristi est. Vovere continentiam fragili ætate, tentatio Dei est: includere pueros virgines que monasteriis, est eos immolare Molocho. Virgines vocat Scriptura etiam castos conjuges, Apoc. 14: 4. Votum continentiæ inter conjuges est periculosum, temerarium & impium, quippe contrarium fœderi conjugali & voto. certè vilipendium illius mansuetudinis, qua Deus conjugibus indulget, ut, quum ad tempus secubuerint, rursus conjungantur: & mandato, μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους εἰ μήτι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, 1 Cor. 7: 5. Etsi igitur non sit necesse, conjuges semper συνέρχεσθαι ὅπου τὸ αὐτὸ, necesse tamen est integram relinquere ἐξουσίαν & συνέρχεσθαι; quod ni fiat, ἀλλήλους ἀποστερῶσι. quod vetitum est. Votum autem ἐξουσίαν tollere conatur. Concil. Trid. sess. 24. c. 6. *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solennem religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Atqui Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19: 6. 1 Cor. 7: 10. Impudens Bellarminus de Monach. cap. 38. dicens: *Vxor potest alteri nubere & aquè bene, ut antea, cùm adhuc sit virgo & nihil infamiæ incurrat ex ejusmodi repudio. &, tenetur consentire marito.* Nos opponimus verba Christi Matth. 19: 9. collato 1 Cor. 7: 15. unde liquet, uxorem non teneri consentire repudianti,

&,

&, si consenserit, esse collusionem ad palliandum adulterium. μεμνησ&μένην desponsa & à Bellarmino vocatur *uxor* & est γυνὴ, Matth. 1: 18. 20. & scortans pœna adulterii tenetur, Deut. 22: 23. 24.

34. Votum cucullæ & habitus & tonsuræ certæ, (cumprimis tonsuræ muliebris. quem sexum, ut ait Ambrosius in Hexaëmero, cæsaries tonsa non decet) est contra bonos mores & modestiam ac pudorem Christianum. Votum mendicitatis est votum ἀταξίας *inordinationis*. 2 Thess. 3: 11. *Votum habitûs.* *Mendicitatis.*

35. Denique *non habet Deus beneplacitum in stultis*, Eccles. 5: 3. imò *stolidis*, qui *sibi confidunt*, Prov. 28: 26. qui vovent, quod suæ potestatis non est; quod malum est & periculosum; quod pro cultu eligunt; cum opinione meriti; & superba professione; in quo inutiliter occupantur; quo se abstrahunt ab officio. quasi sit consilium, non præceptum, si quid bonum est, quod vovent; & meritum pariat; quasi suæ potestatis sit; quasi in perfectioribus & consiliis possint placere, quum præcepta non præstent. qui honesta vota non solvunt. qui propter votum peccant; ut Herodes.

CAPUT XCII.

De Præceptis, quæ dicuntur superaddita Decalogo.

Socinus, quum negaret veram redemtionem, atque adeò justitiam ex fide, ne Christus videretur frustra venisse, & ut aliqua ratione videretur dici posse, credentes justificari, & Judæos, quærentes propriam justitiam, expertes justitiæ & damnatos fuisse, coactus est dicere, Christum venisse ad meliora & perfectiora præcepta dandum, cum promissione vitæ æternæ fœderi inserta. Imitati sunt eam doctrinam alii quidam. Et nos quidem de illa re egimus etiam in Summa fœderis §. 357. — 371. quæ hîc denuò recitare operæ non est. Imprimis autem ibi ostendimus mentem capitis S. Matthæi. quo illi præcipuè nituntur. Nunc igitur ea, quæ addita dicunt à Christo, specialiùs examinabimus, sed breviter.

2. Præcepto primo additum dicunt, primum, quòd Christus certam formulam orandi præscripserit. R. Christus, dum docuit nos orare, nihil dixit, quod in mandato sive hoc sive tertio non comprehenderetur. Nam constat, quem pro Deo habeo, ab eo oranda esse, quæ promisit, quæque nobis necessaria sunt, & per quæ ipse honoratur. Eæ promissiones omnes in Veteri Testamento exsta- *Præcepto primo an quid additum à Christo: nempe formula orandi?*

bant. Dictum erat, *Sanctificabitur Iehovah.* Orandum erat, ut sanctificaretur. *Veniet regnum:* orandum erat, ut regnum veniret. Libertas promissa erat. Oranda erat libertas, & effusio Spiritus sancti, & dilectio Dei, juxta illud verbum, *circumcidet cor tuum, ut diligas.* Nihil igitur docuit petere Christus, quod non antea petiverint sancti. Etiam Deum *Patrem suum* vocare jussi erant Jer. 3:19.

Item agnitio Christi pro Deo nostro?

3. Secundum præcepto primo additum dicunt, quòd debemus Christum, ut Deum nostrum agnoscere, hoc est, qui divinum dominium in nos habeat; & eum divino honore afficere. Huc referunt, quod teneamur Christum pro eo habere, quem possimus invocare. Teneri igitur adorare, propter excelsam majestatem; invocare posse, propter potestatem eximiam. Iidem tamen dicunt, hoc additamento non mutari præceptum. Nam *Christum in cultu Deo esse subordinatum*, & in Veteri Testamento *ante Christum immediatè tantùm, at sub Christo* Deum *etiam mediatè coli.* Item ad honorem Christi referunt celebrationem S. Cœnæ. Remonstrantes in Apologia sua dicunt, se in confessione sua in explicatione primi præcepti Decalogi dixisse, vetari Israëlem *divinam naturam, ac proprietates, vel actiones, vel auctoritatem & imperium in nos divinum directè aut indirectè tribuere, citra expressum Dei mandatum.* Ea verba se addidisse *propter Iesum Christum. Nam Christo Iesu, ut Mediatori, ac proinde ut homini, à Deo honorem adorationis datum esse.*

4. Sed hi errant errorem non mediocrem; cui hoc præceptum pro medicina esse debet. Præceptum enim hoc nullam habet exceptionem, sed simpliciter dicit, *Non erit tibi Deus alius in conspectu meo.* quod etiam accipi potest, *Me vivo.* Nam id etiam significat hoc verbum. Id præceptum non dogmate nititur, sed natura & veritate. Nullus potest esse Deus Israëlis, nisi Jehovah. Nullus igitur debet haberi Deus Israëlis. Is, qui dixit, *Fiam qui sum*; *Fiam, Deus tuus*; etiam factus est Deus Israëlis, & non alius. Ideò & status Novi Test. dicitur *Regnum Dei*, καθ' ἐξοχὴν, quia in eo non habet socium vel socios Deus. Non potest Deus divina adoratione mediatè coli, non potest quisquam in cultu divino Deo subordinari: nempe, ut honor divinus per inferiorem transeat ad Deum. Honor, qui transit, non est divinus. Nam divinus honor subsistit in eo, qui afficitur, ut summo. In Veteri Testamento, postquam dictum esset, *Non erit tibi deus alius*, nihilominus principes populi nominati sunt dii. Non pugnabat igitur cum hoc præcepto, Israëlem per tem-

tempus ſubjici nominatis à Deo diis. Propter ipſum enim, Qui eos nominaverat Deos, iis ſubjiciebantur: at neminem habebant pro eo, qui eos nominaſſet Deos, niſi Jehovam. Porrò, ſi Judæi putarent, hoc eſſe in nominatis diis, quod erat in ſolo Jehovah, nempe juſtitiam & ejus cauſationem, idololatræ & defectores fierent: & defectores facti ſunt, quia id putarunt. Honorandi erant, ut patres carnis, ſed ſolus Jehovah pro Deo habendus erat. Rectè dicit Smalcius in Catecheſi, *ante Chriſtum* natum *Deum adoratum fuiſſe immediatè.* tametſi fuerunt, qui dii nominarentur. Multò magis igitur immediatè cenſendus eſt adorari Deus in regno Chriſti, quod eſt regnum Dei, & in quo dii nominati non ſunt. 1 Cor. 8: 5. 6. Quid igitur dicent de Chriſto? Eſtne *deus nominatus?* Si ita eſt, fateor, non tranſgreditur hoc præceptum, qui eum honorat, ut deum nominatum. Sed tum etiam nihil additum eſt huic præcepto; quia nec, quando alii dii nominati ſunt, quicquam additum eſt. Verùm, ſi ita eſt, non jam Chriſtus eſt Deus Iſraëlis, non debetur ei adoratio, non habet dominium divinum. Nam dii nominati non habebant dominium divinum; nec adorabantur, nec invocabantur. Si autem aliquid additum eſt huic præcepto, non jam ſubordinatum dominium habet Chriſtus, neque adorationem ſubordinatam, ſed dominium verum & verè divinum, & adorationem, ut ſummi. Id porrò ſi ita eſt, & Chriſtus ac Pater non ſunt unum, ſequitur, nos habere duos diverſos veros deos in Novo Teſtamento. Qui dicunt, Chriſto, ut Mediatori, & proinde ut homini, datum eſſe honorem adorationis, & propterea adjiciunt eam clauſulam *citra expreſſum mandatum*, ea dicunt, quæ intelligi non poſſunt. Quid enim ſibi volunt? Utrum, datum eſſe Chriſti humanitati, ei, quod accepit ex homine, honorem adorationis? Si id dicunt, dupliciter peccant; nempe, primò, quòd humanitati tribuunt, quod eſt deitatis; deinde, quòd humanitatem faciunt perſonam. Perſonæ enim competit adorari. Quid enim eſt adorare (ſi id non pro geſtu accipias, ſed eo, quod geſtus ſignificat) niſi glorificare, hoc eſt, judicare, & credere, quòd is, quem adoras, ſit Deus & habeat omnes divinas glorias, & quod ejus ſint opera, quæcunque creata ſunt, & quòd is tuus dominus & finis & bonum tuum ſit, denique Deus tuus: idque confiteri, &, quemadmodum dignum illo eſt, ſe humiliare coram eo, eique obedire, & eum amare, denique omnino, ut Scriptura loquitur. *pro Deo habere?* Perſona igitur, quæ habet deitatem &

omnia divina ἀϖ́ϛημαϛα, & cujus sunt opera divina, propriè adoratur. Si autem non illud intelligunt, sed, Christo, ut Mediatori, ut homini, datum esse honorem adorationis dicunt, quia homo ille, qui est Filius Dei, adorandus nobis proponitur, hoc est, ei Deus testimonium præbet, quòd sit Filius Dei unigenitus, verus Deus; &, quia ipsum illud esse Mediatorem & carnem assumere & in ea habitare, ut in templo, est gloria: quid opus est addere præcepto illam cautionem? Numquid enim, si Deus appareat in carne, præcepto illi, *Non erit tibi Deus alius*, aliquid accedit? Fortasse hoc volunt, Neminem hominem esse habendum pro Filio Dei & Deo Israëlis, nisi quem Deus ὡρίσῃ *definiverit* & sic compellaverit: id certè per se evidens est, & in præcepto nullam additionem facit. Sed illi non attendunt, 1. quòd Jehovah non possit aliter ab Israële cognosci, quàm ut habens Filium & Spiritum, & volens Filium dare redemtorem & spiritum paracletum, atque ita Deus ipsorum fieri. 2. quòd propterea Scriptura hunc sermonem, qui est in Decalogo, attribuat Angelo, *qui habitaverat in rubo*, (quæ habitatio in rubo erat typus habitationis in carne) quem & appellat Jehovam, Exod. 3: 2. 4. 6. 7. 12. 13. Actor. 7: 38. Vide & c. 11. § 28. 30. 31. Non potuit is esse Angelus λάτρευτὸς. Nam is non potuit dicere, *Ego sum Iehovah Deus tuus*: nec, *Non erit tibi Deus alius in conspectu meo.* Putidum est, quod Judæi quidam dicunt, Angelum visum, & non locutum. Ad quid enim *Angelus*, qui non loquitur? Et quis audeat comminisci, primò Angelum visum, deinde alium, eumque esse locutum? Hoc enim est de suo addere verbis Dei. Ergo sententia primi præcepti est, Hoc nomen, *Iehovah Deus Israëlis*, & gloriam illius nominis non esse tribuendam ulli extra Angelum, qui in rubo apparuerat.

Adoratio Mediatoris.

5. Dicunt Remonstrantes in Apol. c. 12. fol. 138. b. *Honor iste non est honor, quo Christus, qua Mediator, adoratur supra ipsum Deum, aut ut summus ac supremus Deus, cui ex se honor ille debetur. Absit: hunc honorem, hanc gloriam sibi soli integrum semper servat Deus; ex quo, per quem & in quem sunt omnia, prout Apostolus ad Philippenses disertè indicat cap. 2. 10. 11. ut ad nomen Iesu flectatur omne genu &c. omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum, ad gloriam Dei Patris. Sed est honor, quo Christum infra se, & ut Mediatorem inter se & inter homines, adorari jubet, salvo semper supereminentiæ suæ titulo ac jure.* Pessimè. Ut enim verum sit, Patris proprium esse *ex quo omnia*, quia & Filius est ex ipso:

ipso: tamen & verum est, *omnia esse per Filium, & per Filium nos esse ad Deum*, 1 Cor. 8: 6. & omnia, quæ sunt extra Deum, *ad ipsum esse*, Col. 1: 16. Non autem minoris est axiomatis, esse Filium unigenitum, quàm habere Filium unigenitum. Si porrò Mediatorem esse, non est gloriæ divinæ, quare eam gloriam suam vocat, *Vocare Filium cum justitia?* Es. 42: 6. 8. Quare in Mediatore *Iehovah & Deus Israëlis fieri* dicitur? Si non est gloria divina, ergo indignum Deo est, esse rupem salutis. Mediator quidem pro tempore minor fit dictis diis propter obedientiam legi præstandam & statum humilem: sed hæc ipsa sui humiliatio est gloria solius Dei. Nam non nisi Deus poterat humiliando se justitiam adducere. An, quòd gloriamur in Mediatore, non est divina glorificatio? Paulus Phil. 2: 9. 10. 11. reservata divina (Es. 45: 23) Christo vindicat, & in eo gloriam Patris versari ostendit, ut Filius non minori honore afficiatur atque ipse. Quare & falsum est, quod Smalcius dicit in Catechesi, Patrem esse primam causam salutis, Christum secundam. Æquè primam causam notat, *per* Christum esse omnia, atque *ex* Patre esse omnia. Per hoc tantùm & generatio Filio indicatur, & quòd Filius nihil potest facere, nisi quod videt Patrem facientem. Unde & ipse ὁ πρῶτος *primus ille* nominatur. Apoc. 1: 11. 22: 13. Et quid tandem hinc pulchri & egregii discimus? Nos habere Deum primum, & secundum: *recentem, qui ex propinquo venit, quem non venerati sunt Patres.* Quod Judæis exprobrat Moses, quum *Rupem salutis* contumelia afficerent. Deut. 32. Etiam hoc pulchrum inde haurimus, nos habere Deum, quem invocare possimus, sed non teneamur semper invocare. Nam ipsi fatentur, si nunquam eum invocemus, nec adorare ipsum. Attamen præcepta invocationis ipsius vocant *admonitiones* vel *adhortationes.* Verbi causa Hebr. 4: 14. 15. Rom. 10: 13. At Scriptura dicit, qui Filium non habet, eum nec Patrem habere. Unde sequitur, Qui Filium non invocat, nec Patrem invocare. Imò decere nos talem Pontificem. neque adeò decere ad Deum accedere sine Pontifice.

An Christus secunda causa salutis?

6. Ad *secundum* præceptum dicunt additum præceptum de fuga idolorum. ex 1 Joh. 5: 21. 1 Cor. 10: 14. quod ita interpretantur, Non debere nos ibi esse, ubi imagines adorantur, & res eis sacras non habere, vel cum eis communicare. Quasi licitum fuerit in Veteri Testamento adesse cultui idololatrico, & videri similem idololatris. Hoc dum dicunt superadditum, revera efficiunt, ut minùs

An quid additum secundo præcepto?

cavea-

caveamus idololatriam. Nam quis nobis persuadebit, non fugisse idolatriam Veteres? Si igitur illis licuit adesse idololatrico cultui, quum tamen fugerent idololatriam, videtur id etiam nobis licere.

An quid additum tertio præcepto?

7. Ad præceptum *tertium* duo addunt. 1. ut jurare nobis liceat etiam per Christum. Sed id præsupponit, Veteres non invocasse Christum, neque per nomen ejus jurasse, neque in eum credidisse. De eo errore ad præceptum primum est actum. 2. Quòd nobis non liceat leviter jurare. Quasi id in Veteri Testamento licuerit. Sed de loco Matth. 5: 33. Jac. 5: 12. diximus in summa fœderis.

An quartum præceptum sublatum?

8. *Quartum* præceptum sublatum dicunt. Ergo sublata est sanctificatio quietis nostræ, quam Deus dedit in Novo Testamento: Ergo non habemus Sabbatum: Ergo non consecramus Deo tempora congregationum, nec consecrata sanctificamus. Magno supercilio dicunt, *se permittere libertatem unicuique Christiano, ut, quod antiquitus in tota Christianitate obtinuit, celebret diem Dominicum.* Licetne igitur permittere ceremonias, quas Deus sustulit: ut ipsi censent?

An quid additum ad sextum præceptum?

9. Quod ad *sextum* præceptum additum volunt, per id enervant præceptum. Dicunt enim, vetitum esse irasci: nempe ad vindictam capiendam: attamen non esse vetitum irasci, sine cupiditate vindictæ, si modò non perseveret affectus. Lex dum dicit, Amandum esse proximum, & odio habendum non esse, omnem commotionem animi, quæ non est ex charitate & cum ea, prohibet. Non bonum est autem commotionem diu permanere; quia infirmi sumus, & possumus, quamvis sancti videamur esse, facile ad odium tentari. Dicunt, Vetitum esse, per Magistratum vindictam expetere. Atqui Paulus provocavit ad Magistratum, & ab armatis se custodiri passus est, quum nunciatum esset, ipsi insidiari quosdam. Qui si impetũ in ipsum fecissent, sine dubio id non impunè tulissent. Verum est, nemo debet delectari pœna cujusquam, ne magistratus quidem. Attamen non potest magistratus violentos non coërcere. Et, qui petit à magistratu se servari, petit cum infestis lege agi. Si prius licet, quare non licet hoc? Dandus locus iræ. Atqui iram exercere magistratui demandatum est. Rom. 12: 19. 13: 4.

An quid additum ad septimum præceptum?

10. Ad *septimum* dicunt addita quatuor. 1. Ne quis aspiciat mulierem ad eam concupiscendam. R. Ergo oculi adulteri & voluntas mala non fuit vetita in Veteri Testamento: nec homini præceptum dedit, sed membro. 2. qui deserit uxorem, & aliam ducit, esse adulterum. R. Etiam in Veteri Testamento erat is נבל *perfidus.*

dus & ruptor fœderis Dei. Malach. 2:14. 3. scortationem, impuritatem, turpiloquium, jocos & stultiloquium vetita esse. Resp. Cui præceptum est, animam puram habere & castam, eidem præceptum est, linguam habere sanctam & puram, & per turpiloquium animam alterius non titillare & tentare aut etiam inquinare. Id in Veteri Testamento perinde valuit, atque in Novo valere debet. Nam jubebantur esse *sancti*. 4. Ut fidelis non ducat infidelem. Resp. Quasi non propterea interdictum fuerit Israëlitis connubia contrahere cum gentibus.

An quid additum ad decimum præceptum?

11. Ad *decimum* addunt, *Non inclinandum esse cor ad res cupitas, etiamsi non cogites cupiditatem exsequi.* Resp. Id semper sanctitati repugnavit. Lex dicit, *Non concupisces?* Concupiscentia, cui repugnas, quamque adeò non statuis exsequi, est tamen concupiscentia.

An Christus specialia præcepta dederit?

12. Dicunt præterea, Christum specialia præcepta dedisse; Velut: 1. *Se abnegare.* quasi non vetitum fuerit sibi benedicere in firmitudine cordis proprii; & mandatum, facere sibi cor novum, cor suum circumcidere. 2. *Crucem Christi ferre.* quasi aliquando permissum fuerit Deo non obedire, & contra ipsum murmurare. 3. *Imitari Christum.* Atqui Christus factus fuit legi obediens. In hoc igitur imitandus est. Imo, quum daret novum præceptum, negavit (per discipulum Johannem) se dare novum præceptum. Johan. 13. v. 34. 1 Joh. 2:7.

LOCUS XXXII.

DE

MAGISTRATU.

CAPUT XCIII.

Apostolus 1 Tim. 2:2. vult orari pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in præeminentia sunt; ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & honestate. Quo docemur, opus esse, ut sit Magistratus, &, quo fine oporteat esse magistratum, atque omninò, quis finis sit reipublicæ, regni aut civitatis.

vitatis. Et in Novo Testamento non debere non esse magistratus, principes, reges, ex prophetia constat; quæ dicit, reges & reginas Ecclesiæ nutricios & nutrices fore; & reges gloriam suam introducturos in civitatem Dei; nominatim ea Ezechielis, quæ c. 43. & c. 45, v. 7. &c. mentionem facit Principis; quem dat novo Israëli. qui tamen Princeps non est Christus: ut ex ipsius descriptione liquet. Christus non derogavit principibus imperium. Apostoli jusserunt eis obedientiam, honorem & timorem exhiberi; & prophetarunt de iis, qui glorias erant blasphematuri. Vide Rom. 13: 1. 1 Petr. 2. v. 13. 2 Petr. 2: 10. Judæ v. 8.

2. Paulus dicit Rom. 13: 1. *Non est potestas, nisi à Deo. Potestates autem, quæ sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Nempe Deus est is, qui in disciplina continet gentes. Psalm. 94: 10. Is reges accingit & discingit, frenumque eorum solvit. Job. 12: 17.

3. Potestates autem à Deo esse, ipsa potestatis origo ostendit. Deus fecit, ut omnes homines essent ex uno sanguine & fratres. Igitur prima respublica domus Adami, &, post diluvium, quatuor domus, Noachi, & trium filiorum, fuit. Non possunt homines nati discedere à parentibus; sine quibus ne subsistere quidem & vivere possunt. Natura quemvis docet, se parentum esse, & iis debere & amorem & honorem ac cultum & obedientiam. Certumque est, nulla re magis parentes posse coli, quàm dilectione fratrum. Nam, quos singulos & cunctos diligunt, quomodo non possunt cupere esse conjunctos, & se invicem diligere? Apparet etiam, nihil homini posse jucundius esse amore fraterno: & eum amoris amicorum exemplar esse: eumque esse tum multis modis utilem hominibus, tum, si in nomine Dei cohabitent, & uno corde pietatem colant, & de Deo & ejus cultu idem loquantur, ad conscientiam bonam & beatam vitam, atque omnium à Deo bonorum spem atque exspectationem esse efficacissimum. Deinde pietatem verbis & factis demonstratam esse obsidem mutuæ fidei & benevolentiæ. Atque eam esse causam, quare homines potius ducant, etiamsi omnia pacata sint & tuta, habitare unâ, quàm seorsim & sine sociis agere, planum est. Attamen, non humano ingenio fieri, ut homines una habitent & bonos mores curent, sibique invicem pacati & officiosi sint, jusque atque justitiam observent, & fraudem atque injuriam abominentur, satis patet ex Caïni parricidio. Quum igitur in primo fratrum pari conspecta sit humani ingenii perversitas & ab-

amore

amore fraterno, atque illo maximo hujus vitæ commodo aversio: dubitari non potest, quin divina providentia fiat, ut populi coalescant, inque fœdera coëant, pacem inter se & jura colant, seque invicem defendant adversus bestias & homines alienos, si qui ipsos infestent. Idem ille Caïnus primus instituit civitatem, quanquam enorme exemplum violatæ fidei & amoris fraterni edidisset. Nempe, quum passim habitarent in agris patres familias cum suis liberis & pecoribus, aut arva, quæ colenda occupaverant, tenerent, sine metu, ille constituit civitatem fossa atque septis circumdatam, excubiis custodiendam, in qua propiùs cohabitarent, & in quam saltem noctu, post opera in agro diurna, confugerent & se reciperent, ut sine pavore requiescerent: sive ad hoc eum metus proprius & mala conscientia compulit, sive id tutius & facilius putavit ad ferarum bestiarum vim eludendam; sive vidit magnam ex cohabitatione fratrum & amicorum utilitatem. Per cujus utilitatis occasionem homines inter se consentientes ad eam urbem frequentandam sine dubio invitati sunt. Post diluvium initio homines ab invicem non sunt digressi, sed profecti sunt in oriente de loco in locum: una utentes lingua & eadem verba loquentes: hoc est, de nulla re inter se dissentientes. Fuerunt tum liberi sub disciplina patrum, patres autem communi consilio usi sunt. Necesse enim id fuit, quum proficiscerentur & sedes mutarent, aut saltem explicarent atque porrigerent habitationes suas, sæpe in commune consulere; &, quum ipsis unâ vivere jucundum esset, oportet, inter eos sermones de rebus bonis, de Dei natura, de patientia, de beneficiis, de judiciis, de ira, de gratia, de fœdere divino, de pietate & omni cultu Dei, de promissionibus ipsius frequentes fuisse. Idque ita esse, arguit commune consilium, quod ceperunt de condenda urbe, & insigni turri sive ad præsidium & tutamen, sive in monumentum, & instituendo *nomine* atque auctoritate, per quam & continerentur, ut populus unus manerent, & dissipatio caveretur, & traditio eorundem sermonum conservaretur. De cujus consilii sphalmate alibi diximus. Sed, ut originem civitatis noscamus esse divinam, animadvertendum est, quòd Deus præcepta dederit Noacho & filiis ejus, quæ observari ab ipsis voluerit: quodque ipsis commendaverit judicia: nempe, qui sanguinem hominis effunderet, ejus ut effunderetur sanguis per hominem. Quod eam vim habuit, curandum esse hominibus, ne viveret is, qui hominem per malevolentiam & injuriam

riam occidisset. Ratio addita est magni momenti. *quia homo ad imaginem Dei factus est.* Non debet igitur vita ejus esse in potestate ullius, nisi Dei. Pro Deo igitur zelare voluit homines, ut is solus rex & dominus hominis esset, &, quamdiu Deus vitam ei indulgeret, tamdiu etiam ea frueretur ad gloriam Dei, nullo homine incommodante. Ex qua ratione perspicuum est, voluisse Deum, ut pro eo zelarent homines, ut quisque posset tutò & tranquillè pietati operam dare. Igitur judicia esse ipsis data, & potestatem gladio animadvertendi in sceleroſos, qui vitæ insidiantur, qui in famam grassantur, qui injuriam faciunt, qui pacem turbant, qui pietatem & honestatem evertunt. Et ratio dictat, non minùs in civitate, quàm in domo hæc debere curari, ut homo possit esse imago Dei & ejus privilegio gaudere. Quod sine judiciis & sine potestate curari non potest. Quemadmodum igitur à Deo est, ut homo debeat in mundo vivere tanquam imago & res ac servus Dei, ita à Deo est potestas, ad hoc comparata & ei fini inserviens. Quæ necessaria est propter pravitatem, quæ præter imaginem Dei in humanum genus intravit: à qua omnis pugna & dimicatio pietatis & impietatis, justitiæ & injustitiæ oritur. Convenit autem, pietatem esse munitam & armatam & clypeo ac tutamine defendi; non autem nudam violentiæ injustorum exponi. Finis enim potestatis est securitas & laus boni operis & vindicta in malos. Rom. 13: 3. 4.

4. Perspicuum autem est, potestatem esse primò in patribus, qui cœtum faciunt. Posse autem eos certos seniores eligere ad judicia exercenda & legum exsecutionem faciendam. ita tamen, ut non rectè faciant, si principes constituant ἀχείρας καὶ ἀινπάθωνας. Nam, quod Deus & ratio voluit curari ab omnibus, id non potest rectè à cura omnium removeri: & rursus, quod tantummodò datum est hominibus in bonum, atque adeò nihil est nisi potestas bonum procurandi & malum coërcendi, id nullo modo debet converti in potestatem & licentiam malè faciendi impunè, & pietatem persequendi, impietatem verò & injustitiam propagandi, imperandi & ad eam cogendi. Quòd si igitur populus ferat tyrannos, & instituat potestatem malè faciendi, reus sit omnium malorum, quæ faciunt tyranni.

5. Deus ab initio dedit populo suo prophetam Mosen, atque adeò eum per sua præcepta & suum nomen rexit ac duxit. Hos. 12. v. 14. Populus autem, qui sic regebatur, habebat seniores, princi-

pes

pes familiarum, centuriones, chiliarchas. Documento id est, optimum esse id regimen, in quo Dei verbum summam habet auctoritatem: & cæteroquin ordo & consensus defenditur. Et ea forma mansit diu. Aliquando dedit ipsis præter sacerdotem summum principes, qui *judices* vocantur. Qui erant duces & vindices libertatis; legum & judiciorum. Talis erat & Gideon. cui regnum delatum est. Is verò id recusavit accipere, dicens, Deum solum potestatem in ipsos habere debere. Arguuntur autem Israëlitæ, quòd, quum liberi essent, & regem non haberent, neque quisquam ipsos cogeret malè facere, aut prohiberet bonum facere, nihilominùs malè egerint. Quare, quòd regem petiverunt, à quo δεσποτικῶς regerentur; meritò displicuit Deo. Nam ea erat confessio, se libertate uti non posse, & Deo obedire non velle, & habere fiduciam in humano brachio. Tentabant etiam Deum. Nam quis poterat ipsis præstare regem bonum, pium & potestate non abutentem? Deus non mandaverat eis, ut regem constituerent. sed, si vellent regem, ne facerent, nisi quem Deus jussisset. Dedit igitur eis regem, sed in ira. Deinde Davidem, virum secundùm cor Dei. sed mox desciverunt à regno ejus. Inter ipsos filios Davidis pauci boni fuerunt. Ideò per captivitatem Babylonicam regnum sustulit, & judices ac seniores restituit, Es. 1: 26. & piis libertatem aliquam reddidit.

6. Si tamen hominum voluntate aut calamitate effectum sit, ut non sint liberi, sed δεσποτικῷ imperio regantur; (quemadmodum fieri potest, ut quis privatim servus fiat alicujus domini, vel mercenarius vel etiam mancipium) tum ferenda est ea conditio, & in omnibus parendum est, quibus Deus non offenditur: certoque statuendum est, Dei voluntatem esse, ut id fiat, & ea re Deum coli. *Time Deum & regem*, inquit; *& cum factiosis ne miscearis.* Si quis tamen possit justis modis fieri liber, id potius est. 1 Cor. 7: 21. Si autem liber fieri non possis, & cogaris aliquid ferre pro nomine Domini ab injustis & duris dominis, ferendum est. 1 Petr. 2: 17. 18. 19. Sunt autem & δεσποτικὰ imperia à Deo; sed sæpenumero, ut castigante. Quanquam evenire possit, ut melius sit homini habere bonum herum, quàm liberum esse. Nam multi libertate uti non possunt.

7. Ubi autem δεσποτικὰ imperia non sunt, ibi populi, &, si fortasse principibus ephorisque cura defendendæ libertatis concredita sit, principum procerumque flagitium est, pati confirmari do-

minationem. Estque non minor injuria populum in servitutem redigere, quàm liberum hominem ἐξανδραποδίζειν.

8. Estque certissimæ veritatis, ut, potestati resistendum non esse; ita, qui non habet potestatem, sed eam sibi arrogat, & jurisdictionis suæ limites excedit, impunè non pareri, & licitè ac justè, imò debitè, legitimis modis resisti. Sunt enim in bene constitutis rebus publicis jurium & jurisdictionis ac potestatis uniuscujusque assertores. Semper putandum est, tenendum esse ordinem & minimè convellendum: potiusque moriendum esse, quàm id facere: gladiumque non esse sumendum ei, cui is datus non est.

9. Non est existimandum, peccasse illos, qui à Deo dati sunt populo Israëlitico judices sive vindices libertatis, qui eum à manu dominationis gentilium asseruerunt: vel Jojadam sacerdotem, qui Athaljam impiam fœminam interfecit. quorum insignis fuit vel charitas, vel etiam obedientia erga Deum, quum speciale præceptum accepissent.

10. Quid magistratuum sit facere, pro modulo potestatis suæ, quam à Deo accepit, sive per populum sive alio modo; sive etiam populi, si is non tradiderit potestatem suam certis hominibus, aut non sit traditus in aliorum potestatem: quid, inquam, potestatis sit curare; id optimè cognosci potest, si inspiciantur præcepta, quæ Apostolus dat heris. Neque enim sibi sument majorem potestatem, qui non habent herile imperium, quàm heros convenit sumere. Et, qui δεσπότην sunt, memores erunt, se esse servos Dei & esse dominos constitutos illorum, qui ad hoc creati sunt, ut in eis splenderet imago Dei: non ut eos à Deo suo abalienent, sed ut eos ad ipsum adducant, & hanc gloriam suam putent, facere, ut, qui sibi commissi sunt, pareant Deo, & sint gloria Dei. Atque, ut id noverint curare, operæ precium erit, legere & scrutari, quæ sapientissimus rex Solomoh de politia præcepta dedit à cap. 25. usque ad 30. Item, quæ sunt cap. 31. in principio. Quibus addi potest Psalmus 101. & correptiones, quibus Prophetæ reges Israëlis & Judæ identidem objurgaverunt.

11. Quæ possit esse potestas magistratus circa cultum Dei & ad bonum Ecclesiæ, explicare conati sumus cap. 78.

12. Δόξας, hoc est, eos, quibus præ cæteris honor & timor debetur, blasphemant, qui negant, posse pium & Christianum hominem magistratu fungi. Ergo negant, principes pios & Christianos esse

esse posse. Nec tantùm illi, sed etiam, qui ajunt debere omnem animam subesse Pontifici Romano, & negant, principibus convenire, ut de religione & pietate defendenda decreta faciant & ea exsequantur, aut verbum Dei docentes ornent, eisque copiam faciant colligendi Ecclesiam, & falsum docentes ac tyrannidem in conscientias erigentes coërceant.

13. Civium & subjectorum est ordinem reipublicæ pro virili tueri, civitati bene velle, principibus obedire, tributa, vectigalia, operas exsolvere; honorem exhibere: at illis non confidere, (Deo enim soli confidendum est) neque assentari (Nam hoc est δολικὸν & πονηρὸν, &, ut corrumpit potestatem, ita consortem facit peccati ipsorum; imò & ipsis imperantibus suspectos & odiosos facit;) sed pro illis diligenter & ex corde Deum orare.

LOCUS TRIGESIMUS TERTIUS

DE

MORTE PIORUM.

CAPUT XCIV.

Postquam per peccatum effectum est, ut lex operum non possit nos justificare in nobis ipsis; per Christi gratiam autem effectum est, ut non imputarentur peccata electis, quæ in ipsum conjecta sunt; &, ut hæredes vitæ essent, qui verbo gratiæ credunt: terror autem & accusatio peccati, quæ facta est, antequam Christus moreretur, cessavit; & sic lex recuperavit vim justificandi nos plenè in Christo: duo adhuc effectus legis provenientes à peccato supersunt, caro, cum qua lucta est, & miseria sive mors: à quibus etiam nos oportet liberari propter justitiam. ut ita omne id, quod à lege provenit propter peccatum, cesset, & justitia, à lege approbata & confirmata, in plenitudine beatitudinis abundet. *In justificatis sub Novo Testamento duo à peccato supersunt.*

2. *Lucta* describitur ab Apostolo Rom. 7: 15. — 25. Gal. 5: 17. A Christo Matth. 26: 41. In quibus locis apparet, luctam hanc versari inter *spiritum* Dei & *carnem*; illum, qui sanctificat & excitat ad studium sanctificationis; hanc, in qua est vetustus homo: & *Spiritui* *Lucta*

ritui quidem servire *mentem*, illuminatam à Deo & cor per fidem purificatum; *carni* autem & *peccato* servire *corpus*, sive *membra*. Rom. 6: 6. 7: 5. 23. Non, quòd mens & voluntas careat omni nube, labe, macula & verminatione vetusti hominis; aut corpus & membra sint planè expertia sanctificationis: sed quòd mens sibi relicta & non titillata rebus exterioribus cogitet de voluntate Dei facienda, de verbo ejus cognoscendo, inq; Deo delicietur; & in hoc laboret, ut linguam assuefaciat ad vera & sancta loquenda, & membra ad operandum ea, quæ filium Dei decent, & ad abstinendum à verbis & factis malis: corpus autem titillatum istis exterioribus, sive jucundis sive asperis, sæpe mentem & deliberationem antevertat, ut sua natura grave atque segne, & doloris laborisque impatiens; ac præterea non statim cum initio sanctificationis & fidei deponantur omnes errores, omnisque ignorantia, neque omnis sapientia ac prudentia è vestigio accipiatur; neque etiam semper sit in homine ea attentio & intentio, vigilantia ac strenuitas, quæ sit digna tanta salute, quamque suadet vel periculum nostrum vel abundantia bonorum, quæ in promtu sunt, & exposita rapientibus ea. Et certè, nos non perinde fortes & robustos esse, ostendunt tum ætatis nostræ, quæ à pueritia in senectutem paulatim mutatur, particulæ; tum status omnis noster, sive extra matrimonium, sive in matrimonio; sive liber à cura officii & opificii artisque ac negocii, sive in officio & opere vario; sanitatis & morbi; vigiliarum & somni; diei ac noctis; jejunii & satietatis; solitudinis aut societatis; divitiarum & paupertatis; inopiæ & potentiæ, miseriæ & felicitatis. Quæ omnia talia sunt, ut, qui in homine putet semper esse debere aut posse, aut saltem in ullo semper inveniri, sine luctu & certamine, ut faciat bonum, malum autem non faciat, putandus sit, nec se, nec Deum, nec legem ejus cognovisse.

3. Atque hinc est, quòd Scriptura in eodem ponit *exteriorem & interiorem, vetustum & novum hominem*. Item, quòd docet confiteri peccata, & orare pro remissione peccatorum. Et irrefragabile id est, quod Apostolus dicit Galat. 5: 17. *ut non faciatis ea, quæ vultis*. Sancti volunt bonum, malum nolunt. Iidem sancti *non faciunt bonum, quod volunt*, hoc est, non satisfaciunt sibi neque placent, sed meliores cupiunt esse atque sunt, semper conflictantes cum pudore, cum luctu, cum μετὰ μελείᾳ & *pœnitudine*. Id evidens argumentum est, quando optare possumus, ut simus meliores, carnem in nobis

nobis ſupereſſe & cum ſpiritu dimicare. Apoſtolus Paulus Phil. 3. v. 11. 12. 13. 14. declarat, ſe contendere ad *reſurrectionem mortuorum*, hoc eſt, ad plenitudinem vivificationis per Spiritum ſanctum, & ſic ad *cognoſcendum Chriſtum & potentiam reſurrectionis ipſius, & communionem paſſionum ejus*, hoc eſt, ad ſentiendum, quis ſit valor reſurrectionis ipſius in nobis & communionis mortis ejus; hujus ad mortificandum vetuſtum hominem, illius ad novi hominis conſummationem. Neque ſe judicare, quòd ipſe apprehenderit, ſed oblitum poſteriorum pergere rectà ad ſcopum, ſi fortaſſe poſſit apprehendere, ad quod apprehenſus erat à Chriſto. Quæ, ut oſtendunt luctam, ita etiam oſtendunt modum luctandi. nempe veræ ac ſeriæ luctæ eſt non acquieſcere, quaſi prehenderis terminum, ſed parvi ſe facere & opera ſua & ad ulteriora contendere. Id quod fides & ſpes exigit. Credimus enim, Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, ut penitus moriamur peccato, & reſurrexiſſe, ut cum ipſo reſurgamus & in novitate ſpiritus omnimoda Deo ſerviamus. Id autem ſperamus. Et enimverò, quia eſt bonum noſtrum, & ad gloriam Dei pertinet, ideò & amamus. Quod autem verè amamus, proſequi non deſinimus.

4. Luctam verò durare uſque ad mortem, vel inde conſtat, quòd morimur. Unde & Paulus corpus vocat *corpus mortis*, & *corpus peccati*: innuens; id non priùs deſinere eſſe corpus peccatorum (quæ ſunt à carne & infirmitate ſuperſtite) quàm morte functi fuerimus. Unde & circumciſionem, quæ manu non fit, primam dicit, qua deponimus ſive exuimus corpus peccatorum carnis. Col. 2. v. 11. Quod fit in morte. Ita ut in noſtra morte experiamur virtutem communionis mortis Chriſti, nempe τὴν κατάργησιν *abolitionem vetuſti hominis*, Rom. 6: 6. Hanc circumciſionem non manualem primam ponit, quia prima eſt in *conſummatione* & καθαιρέσει. De qua ſequenti capite. *Lucta durat ad mortem.*

5. Lucta hæc in hominibus carnalibus non eſt: quia *carnales, animaleſque* ſunt, & ſpiritu Dei carent. Eſt quidem in illis pugna concupiſcentiæ adverſus conſcientiam, ſecundùm illud, *Video meliora proboque, Deteriora ſequor.* Item illud Euripidis: *Lucta non eſt in merè carnalibus.*

Καὶ μανθάνω μὲν, ὅια πλημήσω κακὰ·
Θυμὸς δ' κρείσσων τ' ἐμῶν βουλευμάτων.
Non perferendum machinor, novi, malum:
Sed ira fortior premit vim conſilî.

Verùm ea pugna non est in veterem hominem: sed veteris hominis in lumen Dei, quod in anima hominis lucet. Prov. 20: 27. quam is impugnat ratiocinationibus, obmurmurationibus, denique prophana audacia. Est in illis etiam pugna cupiditatum: qualis imprimis cernitur in duplici corde. quum carnalis homo gaudet sermone audito, quia putat, suis cupiditatibus & consiliis convenire. Matth. 13. v. 20. aut eligit dicere ac facere quædam vera ac bona, aut etiam pati quædam mala, ut habeat, quod obtrudat Deo, ut illi, qui talentum suum sine fœnore obtrusit domino, in parabola: vel etiam, per quod apud homines sit gratus atque admirabilis. Quæ pugna Horatianis verbis paullum mutatis explicari potest.

Non audent peccare mali formidine pœnæ.

At

Oderunt peccare boni virtutis amore;

imò Dei & Patris sui ac Christi Dei ac fratris sui amore. Quare in eo discrimen est luctantis & duplex cor habentis, quòd luctans mente servit Deo, carne, quæ reliqua est, quam propter corpus non totam exuit, propter quam στενάζει βαρούμενος *suspirat gravatus, legi peccati.* At homo δίψυχος *duplex corde* Deo & hominibus mentitur, &, quamvis *dicat*, hoc est, putet, se credere, non credit fide vera & viva. Jacob. 2: 14.

Vtilitas afflictionum:

6. Per afflictiones exteriorem hominem infirmari, interiorem autem confirmari, & in eis sui accipere experimentum, docet Apostolus Rom. 5: 3. 2 Cor. 2: 16. Luctam autem finiri morte, certum est. Rom. 6: 6. Col. 2: 11. Rom. 8: 10. *Si Christus in vobis, corpus quidem mortuum propter peccatum.* q.d. necesse quidem est corpus mori propter peccati reliquias, ut à peccato & ejus servitute atque conflictatione liberemini.

Mortis.

Afflictio non est pœna.

7. Quare & mors piorum, aut ulla afflictio, quamvis videantur esse tristitiæ non lætitiæ, non debent accipi, ut pœna. Nam per eam liberamur à peccato.

Objectio.

8. Atqui dixeramus, luctam esse κατακλήματα effectuum legis per peccatum. Quomodo igitur non est aliqua pœna in justificato, vel carnis tentatio & luctæ molestia, vel afflictio, vel mors? Resp. Est consequentia legis condemnantis & addicentis peccatorem in servitutem peccati & mortis: atque ideò etiam in *Iusto servo Dei* Christo mors fuit κατάρας *maledictionis* effectus; quia necdum ullo sacrificio maledictio erat abolita. potuitque dici de crucifixo, *Pendens est maledictio*

ledictio Dei: sed, sublata condemnatione, vertit utrumque, mors & afflictio, in bonum, in humiliationem, in materiam virtutis, in charitatis & condolentiæ mutuæ excitationem, in demonstrationem potentiæ gratiæ Dei & justitiæ, quæ est in Christo, in manifestationem fidei, in fructum pacificum justitiæ. Quare, ut Abrahamo per circumcisionem, ita nobis per baptismum, ut ablutio corporis per aquam mundam, ita & depositio corporis, ad deponendam carnem & peccatum, obsignatur.

LOCUS TRIGESIMUS QUARTUS

DE

Statu Fidelium defunctorum.

CAPUT XCV.

Quandoquidem igitur in mortem Christi baptizati sumus ad *depositionem corporis peccatorum*, quæ sunt *carnis*; necesse est, bonum esse fidelibus mori. Id Scriptura multis modis docet. Imprimis Apostolus, *Spiritum esse vitam propter justitiam*, dicit Rom. 8: 10. Corpori mortem attribuit, spiritui vitam. Ita Christus Joh. 11: 26. qui credunt in ipsum, nunquam mori. Non possunt igitur quoad animam in deteriorem statum venire, quàm in quo nunc sunt. Et Scriptura passiones fidelium ad hanc vitam restringit. 2 Cor. 4: 17. 1 Petr. 1. 6. Rom. 8: 18. Quod Petrus dicit 1 ep. 4: 18. *justus vix salvatur*, id Prov. 11: 31. dicitur, *in terra retaliatur*. Idem Petrus eodem capite v. 6. dicit, qui salvantur & *judicantur secundùm homines, carne* judicari, sed *vivere secundùm Deum spiritu*. Et, quum in morte sit abolitio vetusti hominis, nihil est, quod ipsos impediat, quò minùs apud Deum sint. quia Deus ipsorum est. Atqui, quorum Deus est, illi Deo vivunt. Vivere autem est esse in ἐνεργείᾳ tantùm jucunda & amabili. Et, qui in hac vita ad Deum habuerunt προσαγωγὴν accessum, & jam facti sunt unum κεφαλαίωμα cum iis, qui in cœlo sunt, non possunt, quum ex corpore excedunt, à Dei facie & societate sanctorum arceri. Eph. 1: 10. Ideò dicit Apostolus

Bonum est mori.

In morte fidelium aditus vita.

lus, nos jam induisse habitaculum cœleste, quod nos manet, neque in morte id exuere, sed superinduere, hoc est, in id intimiùs penetrare. 2 Cor. 5: 2. 3. 4. item, nos in corpore ἐκδημεῖν, & ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος & ἐνδημεῖν πρὸς τὸν Κύριον, ibid. v. 6. 8. Idem *mori lucrum* dixit Philipp. 1: 21. Nam post ἀνάλυσιν sive discessum ex corpore nos *cum Christo esse*, Phil. 1: 23.

Spes vitæ æternæ in Veteribus. 2. Atque eadem etiam spes Veterum fuit. Qui in Enocho & Elia habuerunt pignus assumtionis sui ad Deum. Viam vitæ sursum statuebant. Prov. 15: 24. Et spiritum redire ad Deum, Eccl. 12: 7. Unde & pii sic gloriantur in Psalm. 40: 16. *Certè Deus redimet animam meam ex manu inferni. Nam assumet me.* Et Scriptura de Abrahamo & Jacobo loquitur post mortem, ut de viventibus: tum, quando Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi appellat; tum, quando dicit, Abrahamum vel Jacobum non iri confusum, quum viderint opus Dei filios suos. Es. 29: 21. Solomoh Prov. 14: 32. *Receptum habet in morte sua justus.* nempe ad eum, ad quem confugit. Atque ideò Christus dicit, *multas mansiones esse in domo Patris sui*, hoc est, eam à multis habitari. Johan. 14: 2. Confer Hebr. 2: 10. 12: 23. Quod de via sanctuarii nondum manifestata dicitur Hebr. 9: 8. id ex Hebr. 10: 19. 20. clarè intelligitur: nempe, per sanguinem Christi effectum esse, ut liceat nobis statim & propè ad Deum accedere; quod non licebat veteribus, accedentibus ad Deum, qui cogebantur *stare apud prius tabernaculum* & figuræ servire. Ita, quum Hebr. 11: 40. dicitur, *Deum de nobis melius providisse, ne Veteres sine nobis consummarentur*, non negat, spiritus ipsorum consummatos fuisse, quum ex corpore excederent, in quo per totam vitam servituti obnoxii fuerant (Hebr. 2: 15.) sed ostendit, meliùs nobiscum agi, quòd, dum in vita hac sumus, cum ipsis consummamur; quippe habentes causam consummatam juris petendi vitam, & carentes accusatione reatus & execrationis commemoratione æquè ac illi.

Purgatorium. 3. A Papistis *purgatorium* novissimo tempore, ad obliterandum καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν *purificationem peccatorum*, introductum est. Fatetur Johannes Roffensis *Purgatorium* priscis *incognitum*. Augustinus certè addubitavit. Concilium Florentinum definit, *Si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis* (nempe post baptismum) *satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis purgari.* Puduit Tridentinos de loco & foco definire. Tamen anathema dixerunt ei, qui negaret, Missam pro defunctis,

functis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere: & sess. 25. præceperunt Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam à fidelibus credi, teneri, doceri & ubique prædicari diligenter studeant. Walenburgii in contr. 2. de Tradit. n. VII. *ultrò dant, Fidem de Purgatorio non esse omnibus necessariam aut ab omnibus positivè credendam absoluta necessitate.* Prudentiores inter Pontificios fatentur, ex Scripturis non posse satis demonstrari.

4. Videamus, quomodo à nobis impugnetur. Walenburgii à nobis exigunt, ut probemus disertis verbis Scripturæ hanc thesin: Credendum est, Purgatorium non esse. Sophisticè. Potest enim hoc ita accipi, quasi mens nostra esset, talem fidem explicitam & positivam esse fidem articuli, utut negativi, sine quo nemo Christianus fœderatus Dei haberi aut esse possit; aut omnes, qui unquam putarunt, esse purgatorium, extra salutis spem fuisse constitutos, judicemus. Nos quidem bene speramus de illis, qui fidem Christi habuerunt, etiamsi opinionem falsam de purgatorio vel ipsi adjunxerint vel in aliis toleraverint, vel, id esse, saltem non negaverint (ut Augustinus lib. 21:24. de Civitate Dei, dicens, *non redarguo, quia forsitan verum est*) de cætero parati ex sacris literis edoceri. Sed Pontificios Tridentinos dicimus facere temerariè, quod illud asserant & credi studeant; tyrannicè, quòd præcipiant Episcopis id docere; & hoc faciendo esse falsos legislatores & facere falsos Prophetas: impiè porrò facere, dum anathema dicunt, si non nescienti purgatorium, aut de eo dubitanti, tamen negami. quo ipso interdicunt demonstrationem spiritus ex Scripturarum analogia, & veritatem damnant. cum quibus ut conciliemur, ne per ipsos quidem licet.

5. Sententia statuens purgatorium quatuor continet mendacia. 1. Esse remissionem culpæ sine remissione pœnæ. 2. Christi satisfactionem non prodesse fidelibus ad perfectam remissionem; sed tantùm usque ad Baptismum; post eum autem convertere pœnas æternas in temporales. Vide Bellarm. de Purg. 1: 14. § 2.3. 3. Ullas afflictiones fidelium esse satisfactorias & verè pœnas. 4. Per merita, satisfactiones, eleemosynas, preces, sacrificium Missæ & alia viventium suffragia pœnas purgatorii animabus levari vel etiam finiri. Merita verò sanctorum per indulgentias Papales communicari. Quod ultimum mendacium est causa reliquorum defendendorum hoc tempore.

6. Remitti culpam, non pœnam, est contradictio. Nam culpa non remittitur, nisi judicium & pœnam relaxando. Nam factum infectum fieri non potest, sed pro infecto abit impunitum. *Venia debitæ pœnæ remissio est.* Seneca l. 2. de clem. c. 7. Ita, quibus condonamus, eos nec contristamus, sed consolamur, 2 Cor. 2: 7. *Retinere peccatum* est id velle punire: contrarium *dimittere. Animadvertere* est punire: contrarium post *terga rejicere.* Remissio est *ablatio peccati.* Cujus ablatum est peccatum, *beatus* est, Psalm. 32: 1. Rom. 4: 7. Non igitur in pœna est. Culpa sublata, pœna justa non est. Quis locus pœnæ in illis, qui albi sunt, ut nix? qui justi? quibus lex & maledictio mortua? qui pacem habent cum Deo?

7. Aliud est παιδεία *castigatio*, quam Deus filiis suis imponit, quàm pœnalis satisfactio. Christi beneficium & justitiæ fructus est carnis coërcitio & denique abolitio, ut sanctitatis Dei tum hîc inchoatè magis magisque, tum post mortem plenè participes fiamus, Hebr. 12: 10. 11. Destructio carnis plena fit in morte corporis, Rom. 6: 6. 7. ut jam docuimus. Quare & θλῖψις *afflictio* non tantùm δοκιμαστικὴ *explorans*, Rom. 5: 3. 4. vel πειρασικὴ *tentans*, 1 Petr. 1: 6. 7. & δοξαστικὴ *qua Deus glorificatur*, Joh. 21: 19. Actor. 5. v. 41. 1 Petr. 2: 19. Matth. 5: 10. sed & παιδευτικὴ, *qua castigamur*, cum morte corporis finitur. 2 Cor. 4: 17. τὸ παραυτίκα (Lat. *in præsenti momentaneum*) ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. Syrus: הַנָּא וְזַמְנָא *hujus temporis.* Ambros. *præsentis temporis.* planè ex mente Apostoli Rom. 8: 18. 1 Petr. 1: 6. ὀλίγον ἄρτι (εἰ δέον ἐστὶ) λυπηθέντες *parum nunc, si opus sit, contristati.* Hoc ἄρτι *nunc* est χρόνῳ τῆς παροικίας *tempus commorationis*, quo ad patriam suspiramus in terris, 1 Petr. 1: 17. Hebr. 11: 13. 14. 2 Cor. 5: 6. Sub lege erat commemoratio peccati & servitus, antequam Christus apparuisset cum sacrificio suo. Ea species iræ erat; non ultra tamen, quàm ut constaret, hominem indigere Dei justitia. Postquam Christus apparuit, cessat accusatio legis & commemoratio peccati & ira. Ideoque & afflictio justificatorum magis est καυχήσεως *gloriationis*, Rom. 5: 3. quam λύπης *tristitiæ*: nullo modo habenda pro ἐκδικήσει *vindicta* aut τιμωρίᾳ *pœna.* Quare satisfactionem statuere post justificationem in fide Christi, est à natura Novi Testamenti alieniſſimum. Atqui ea facies iræ non durabat, etiam sub Veteri Testamento, ultra terminos hujus vitæ, Hebr. 2: 15. Quomodo igitur, quum Christus & à timore mortis & à servitute legis iram operantis nos redemerit, dicemus, post hanc

vitam

vitam fideles manere satisfactiones pœnales? Homini constitutum est semel mori; & postea judicium, Hebr. 9: 27. non etiam ante judicium pœnis satisfactoriis purgari.

8. Christi satisfactionem perfectam esse, in superioribus à nobis probatum est. Audiatur vel Johannes 1 epist. 2: 2. qui eos, qui peccant, postquam crediderunt, ad Christi propitiationem & intercessionem solam remittit: argumento, quòd pro totius mundi peccatis ea sufficiat. Quod, minimum, illam significationem habet, omnia & sanctorum veterum & eorum, qui vocabuntur usque ad finem mundi, peccata propter unicam ipsius oblationem non imputari. Intercessionis porrò Christi is effectus est, ut cesset & κατάκριμα *condemnatio* & ἔγκλημα *accusatio*, Rom. 8: 33. 34. Sunt reliquiæ passionum Christi, quas exantlat in nobis ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ, Col. 1: 24. sed כפרה ἱλασμὸς *satisfactio* est σῶμα αὐτοῦ *corpus ipsius*. Carne ipsius fracta, velum ruptum est, Hebr. cap. 10. v. 20.

9. Igitur, ut Christus spondet, eum, qui credit in ipsum, non venturum in judicium, &, etiamsi moriatur, non moriturum; ita S. Paulus affirmat loco, quem & antea tetigimus (de quo, ut & aliis quibusdam, propter Disputatorem quendam iterum dicendum est) Rom. 8: 10. *Si Christus in nobis, corpus quidem est mortuum propter peccatum* (quippe est *corpus peccati* & *mortis*, Rom. 6: 6. Col. 2: 11. Rom. 7: 24.) *spiritus autem est vita propter justitiam.* Corpori imminet mors ad abolitionem peccati; non spiritui: sed spiritus est vita, etiam, quando corpus moritur. Quod & ipsum resuscitatur, vers. 11. non autem spiritus ex pœnis infernalibus eripitur. Hic locus (& similes) postulabant, aliquid de purgatorio dici; si id esset. At non tantùm silent de eo, sed ei etiam contradicunt. *Spiritus* descendens in pœnas infernales non est *vita.* Operæ precium est videre, quid quidam ad hos duos locos respondeat. Ad primam dicit, *Christus Ioh. 11: 26. Eum, qui credit, in seculum non moriturum. Id non facit liberum credentem à purgatorio. Nam in purgatorio nemo æternùm morietur.* Quasi Christi sermo admittat, ut quis credens ea parte, quæ corpori morienti opponitur, *moriatur* quidem, sed *non in æternùm*: quum Christus asserat, talem in seculum non esse moriturum, hoc est, nunquam. Qui ita excipiunt, nonne testantur, se veritatem videre, sed videre nolle? Christus se vocat *resurrectionem* ejus, quod moritur & resurgit, nempe *carnis*: de cætero *vitam credentium*, quia nunquam moriun-

moriuntur. Oportebat se dicere ἀνάστασιν tantùm, non & ζωὴν. Non poterat se dicere esse credenti ζωὴν *vitam* in oppositione ἀναστάσεως *resurrectionis*, si ullus credens & secundùm corpus moritur & secundùm spiritum in morte, hoc est, in pœna, est. Augustinus in hunc locum. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit in carne, VIVET IN ANIMA, donec resurgat & caro nunquam postea moritura: hoc est, qui credit in me, licèt moriatur, vivet, & omnis, qui vivit in carne & credit in me, etsi moriatur ad tempus propter mortem CARNIS, non morietur in æternum, propter VITAM SPIRITVS & immortalitatem resurrectionis.* Christus in his purgatorii mortem (nam ignis gehennalis *mors* est) non docuit: ei autem, quod non moritur, ut resurgat, (quod est corporis) *vitam* tribuit, eamque jam hîc inchoatam & nunquam finiendam vel interrumpendam. Ad alterum locum sic dicit: *Paulus loquitur de vivificante justitia in hac vita; Coccejus de negatione Purgatorii in altera vita. Nonne hac petulans falsatio est?* Imò Paulus loquitur de *vita*, quam habet *spiritus*, hoc est, anima, *corpori mortuo* oppositа, & sic sine morte, *propter justitiam*, quæ est justitia fidei. *Spiritus est vita*, vivit, non moritur, in pace, in gaudio Spiritus sancti manet propter *justitiam* donatam, quæ est *justificatio vitæ. Corpus & spiritus* duæ hominis partes. Vide 1 Cor. 6: 20. *Corpus mortuum est propter peccatum*, ut id finiatur: *spiritus noster vita est*; non in morte. & *propter justitiam*, quam habemus, quia *Christus in nobis est.* Ergo non in *pœna.* Nam ubi *justitia* est, ibi non est *pœna.* Nam pœna præsupponit reatum. Justitia reatui opponitur. Solum igitur *corpus moritur*, & quidem non propter reatum (quia *spiritus vita est propter justitiam*) sed propter justitiam, ut desinat vetus homo & peccatum nobis esse molestum. Solum corpus est mortuum; spiritus nec in mortem nec in pœnam venit. Non nego, Apostolum loqui de justitia, quam hîc in hac vita adipiscimur, & de vita, cujus initia hîc accipimus: sed dico, quia Apostolus distinguit corpus à spiritu, &, non obstante, quòd justitia & vita sit totius hominis, tamen mortem corpori attribuit, vitam autem spiritui, ideò intelligendum esse, quòd vita, quam nacti sumus, in spiritu continuetur propter justitiam & consummetur. Certè, si habemus justitiam vivificantem in hac vita, & justitia vivificans morientes non deserit, necesse est spiritum, moriente corpore, vivere propter justitiam. Beda ex August. de baptism. parvul. *Corpus quidem adhuc peccati meritum* (hoc est, consequens) *gerit, quòd conditioni mortis obstrictum est: sed jam spi-*

ritus

vitus capit vivere propter justitiam fidei: qui & ipse fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non igitur, inquit, parum vobis muneris putetis esse collatum per id, quòd Christus in vobis est, quod in corpore propter peccatum mortuo jam propter justitiam vester spiritus vivit: nec ideò à vita quoque ipsius corporis desperetis. Idem Apostolus 2 Cor. 5: 1. *Novimus, quòd, si terrestris nostra domus tabernaculi solvatur, structuram ex Deo habeamus, domum non manu factam, æternam, in cœlis.* Et argumentum facit desideria & suspiria fidelium & spem, nempe ut *habitaculum suum, quod ex cœlo est, superinduant.* non, inquam, *exuant*, sed *superinduant*, hoc est, penitiùs adeant; ut toti ab eo *absorbeantur.* v. 2. 4. & ut v. 2. vocat *habitaculum ex cœlo*, ita v. 3. conditionem ponit, si *non nudi reperiamur.* Quid igitur? An pii desiderant esse in purgatorii igne? An esse in purgatorii igne est superindui habitaculo cœlesti? An descendere in inferna non est exui eo, quod induerunt fideles? Induerunt quippe fideles habitaculum, quod est *ex cœlo:* hoc est, participes facti sunt *Hierosolymæ cœlestis, quæ de cœlo descendit*, id est, in terram porrigitur. Galat. 4: 26. Hebr. 12: 23. Apoc. 3: 12. 21: 2. Atque inde θαῤῥοῦσι, *fiduciam habent*, ut & εὐδοκοῦσι *concupiscunt* ἐνδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον. v. 8. Nam τὸ ἀναλῦσαι (*discedere*) est ad τὸ εἶναι σὺν Χριστῷ *esse cum Christo.* Phil. 1: 23. Adde his Apoc. 14: 13. μακάριοι ἀπάρτι. ἀναπαύσονται πᾶν. Luc. 23: 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Qui participes facti sunt cœlestis Hierosolymæ & *consummationis*, quam ii habent, qui in cœlo sunt; ii propter reatum aut ejus partem non descendunt ad ignem pœnalem. Atqui credentes in Christum (de vera & viva fide loquimur; quæ sola justificat) sunt participes facti cœlestis Hierosolymæ & *consummationis*, quam ea habet. Ergo. Hunc syllogismum do meo Provocatori. *Atqui*, dicit ille, *possum pertinere ad Romam, & adhuc esse in Germania, etiamsi ibi mihi domus parata sit. Romæ & in cœlo possunt mihi thesauri & quies parata esse. interim cogor foris famem & ærumnam pati.* Nescit bonus vir, quid sit esse filium, civem, κοινωνὸν *participem* Hierosolymæ cœlestis; quid sit ἀνακεφαλαίωσις *in unam summam collectio* eorum, quæ sunt in cœlo & quæ in terra; quid πλείωσις *consummatio*, quam consequimur in Christo, quam Veteres ante Christi adventum non habuerunt. Capitalem rem Christianæ καυχήσεως *gloriationis* & in beneficiis Christi ignorat. Putat, hoc tantundem esse, atque habere thesauros paratos in cœlo: quemadmodum & David & alii sancti habuerunt thesauros repositos in cœlo, sed πλείωσιν *consumma-*

tionem cum cœlestibus communem non habuerunt in hac vitâ, quod est proprium bonum fidelium Novi Testamenti. nempe idem jus perfectum habere ad gloriam, quod illi, qui in ea sunt; esse liberatum ab ira, à commemoratione & accusatione peccati; nihil ultra desiderandum habere condonationem peccati & donationem vitæ; atque ita jam cœlestibus gaudiis propter justitiam incepisse frui per fidem, qua amamus Christum ut redemtorem, eique gratias agimus. Apostolus nos docet Rom. 6: 6. *in abolitione corporis*, quod, dum hîc vegetatur, est aliquo modo *corpus peccati* (quæ abolitio fit in morte, Col. 2: 11.) esse hoc, *ut non amplius serviamus peccato*, ullo modo: & *ad hoc*, ut ita aboleatur corpus, *veterem nostrum hominem* Christo *concrucifixum esse*, hoc est, Christum pro abolitione veteris hominis crucifixum esse, & eam impetravisse. Dicit Disputator, *Crucifixionem veteris hominis & depositionem vetusti hominis sibi unum esse.* Ego verò non eram argumentatus à *depositione vetusti hominis*, sed *abolitione corporis peccati*. Non est idem, *crucifixum esse cum Christo veterem nostrum hominem*, &, *aboleri vel deponi corpus peccati*. Hoc est enim mori; illud, habere in Christi justitia & morte crucis perfectam causam, propter quam necesse sit vetustum hominem nostrum aboleri. Porrò ait, *Sint distincta: unum ex altero non sequitur. Nam multi peccatores crucifiguntur, & tamen vetus homo non deponitur.* Evigila, bone vir. Credentes, quia eorum vetus homo cum Christo & in Christo crucifixus est, deponent etiam certò aliquando vetustum hominem. Nam, quod crucifixum est, enectum est. In Christo crucifixus est vetus homo, quoad plenitudinem causæ. Mors Christi eum necat. Multi, ut Christus, crucifixi sunt, sed non in Christo. *Tamen*, inquit, *posito, consequentiam esse bonam, quomodo inde sequitur, non esse purgatorium?* ita, inquam; quia effectus ultimus crucifixionis Christi, quatenus ejus virtute jam vetus noster homo est crucifixus, est *abolitio* sive *depositio corporis peccati*: &, quia per depositionem corporis peccati fit, ut nullo modo amplius peccato serviamus. Quòd si autem tum, quum deponemus corpus peccati, peccato non serviemus, numquid serviemus reatui in pœnis ferendis? Numquid Christus est *minister peccati* & reatûs? Gal. 2: 17. Christus, si peccati reatum vel facit commemorari, vel non aufert penitus, minister peccati est Apostolo. Locus 1 Petr. 3: 19. nec limbo patrocinatur nec purgatorio. Tantùm hoc dicit is locus, *Spiritibus, qui in carcere sunt, prædicatum esse in diebus Noë, quum pararetur*

arca,

arca, & eos ei prædicationi *non paruisse*; ideoque *in carcere esse*. Quum pii dicunt, *animam suam descendere in Scheól*, significant corpus suum, in quo, quum viverent, erat anima, qualis est in omni animali, nempe in sanguine; ita per *Scheól* intelligunt *Terræ inferiores partes*: vel animam suam & mentem, ut est in statu invisibili. Nam, dum in corpore est, visitur in ejus actionibus quibusdam, imprimis sermone & operibus bonis. At, quum ex corpore excessit, est in *Scheól*, hoc est, ita est, ut quæratur, ubi sit. Dionysius Areopagita dictus de Eccles. Hierarch. mihi p. 128. ἐπειδὴ θάνατός ἐστιν ἐφ' ἡμῶν ὁ τῆς ἐσίας ἀνυπαρξία, καὶ τὸ δόξαν ἑτέροις, ἀλλ' ἡ τῶν λυομένων διάκρισις εἰς τὸ ἡμῖν ἀφανὲς ἄγουσα, τῷ ψυχῷ μὲν ὡς ἐν σεσηπὸς σώματι, ἀϊδῆ γινομένῳ, τὸ σῶμα δὲ, ὡς ἐν γῇ καλυπτόμενον, καθ' ἑτέραν τινὰ τῶν σωματοειδῶν ἀλλοιώσεων, ἐκ τοῦ κατ' ἄνθρωπον εἴδους ἀφανιζόμενον· οἰκείως ἡ δι' ὕδατος ὁλικὴ κάλυψις εἰς τὸν μὲν θάνατον καὶ τὸν ταφῆς ἀϊδοῦς εἰκόνα παρείληπται). De Baptismi significatione loquitur. *Quandoquidem mors nostra non est essentiæ abolitio, ut aliis videtur, sed unitorum dissolutio, quæ ducit ad non apparens nobis, animam quidem, quippe in corporis privatione invisibilem factam, corpus autem, quippe quod terra contegitur, alio modo corpore arum mutationum ex humana specie abductum: accommodatè contectio per aquam totalis ut imago mortis & non apparentiæ, quam facit sepultura, assumta est.*

10. Veteres, qui pro mortuis orarunt, vel putarunt, animas nec- *Orationes Veterum pro mortuis non probant purgatorium.*
dum videre faciem Dei ante ultimum judicium, vel martyres resurrecturos & per M. annos cum Christo in terra regnaturos; vel, animas ultimo die igne lustratum iri: quæ à Sibyllis diaboli vatibus hausisse Christianos, docet doctiss. Blondellus. vide Dallæum de pœnis & satisf. lib. 5. c. 7. Erat hæc expressio charitatis erga functos & spei de ipsis, & sic gratiarum actio. Lombard. 4. dist. 45. B. *Cum sacrificia sive altaris sive quarumcunque aliarum eleemosynarum pro baptisatis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes.* Illud non quidem primorum fidelium, sed tamen priorum est; hoc à prioribus generantium. Nam, qui *in fide operante dilectionem de corpore exierunt*, qua propitiatione indigent?

11. Suffragia vivorum pro mortuis mira res est. Quàm insolens *Suffragia vivorum pro mortuis.*
meritorum complicatio! Meretur Christus vel nihil merentibus vel tantùm de congruo merentibus justificari, ut satisfaciant pro peccatis & mereantur vitam æternam, imò aureolam, imò aliis, merentibus per ipsorum merita, in propriorum meritorum defectu, adjuvari, translationem à pœnis purgatorii in paradisum. Lombar-

dus negat, *Mortuis nova merita comparari. Nam*, inquit, *quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam.* & tamen statuit, *mediocriter malis suffragari Ecclesiam* (ni fallor, plurimos etiam mediocriter malos) *ad pœnæ mitigationem: mediocriter bonis ad plenam absolutionem*, &c. quæ stulta & pugnantia sunt, & Scripturis contraria. Christus solus est λυτρωτὴς & quidem πλήρης *Redemtor perfectus.* Ne Paulus quidem pro quoquam mortuus est. Sanctorum passiones non sunt dignæ gloria in ipsis revelanda. Stultarum virginum parabola Matth. 25. redarguit ad aliena opera & merita respicientes. Sapientes non fidunt suis, tantum abest, ut præsumant aliis donare de suo. Quos Christus non juvat, quis juvabit?

Indulgentiæ.

12. Vix superest, quod de *indulgentiis* dicamus. Concil. Trid. contin. sess. 25. asserit, *potestatem conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessam esse: & pravos quæstus pro his consequendis, unde* fatetur *plurimam in Christiano populo abusuum causam fluxisse, omnino abolendos esse* statuit. Studio in his nihil definitum, quid sint indulgentiæ. Bonum tamen factum, quòd ille cœtus coactus est damnare Papales æruscationes per indulgentiarum venditionem. Indulgentiæ autem Papales longè aliusmodi sunt, quàm quas Christus Ecclesiæ concessit. Ecclesia condonat pœnitentibus objurgationem & humiliationes Ecclesiasticas remittendo & consolando. Retinet peccata impœnitentibus. Hi dant veniam pœnarum purgatorii, pro pecunia, defunctis; & vivis devotè accedentibus ad Missam in futurum. Clemens VI. extrav. comm. 5. tit. 9. construit thesaurum Ecclesiæ ex Christi sanguine superfluo & meritis θεοτόκου omniumque electorum. Sed, si una gutta Christi sufficisset redemtioni, & fidelis habet Christum & integrum ejus meritum, quis locus purgatorio, indulgentiæ, meritis sanctorum? Quare hæc dogmata Christi redemtionem & justitiam fidei revera tollunt.

Vbi animæ illorum, qui in vitam restituti sunt.

13. De animabus illorum, qui in vitam miraculosè restituti sunt, non opus est ambigere & disceptare. Nam possunt ita resuscitati vel non iterum esse mortui, vel denuò esse mortui. Si hoc, potuerunt animæ conservari in manu Domini in statu sibi competenti donec redderentur corpori. Si illud, nihil impedit, fuisse in gloria.

14. Quod Christus dicit, *Veniam & assumam*, Joh. 14: 3. id nihil officit animæ statui beato. Nam id dicitur de fidelibus ut exspectantibus resurrectionem.

LOCUS

LOCUS TRIGESIMUS QUINTUS

DE

Resurrectione mortuorum & Judicio.

Caput XCVI.

Per peccatum mors intravit in mundum. Mortem sequitur judicium. Hebr. 9: 27. Cujus manifestatio fit in fine seculi in resurrectione mortuorum: quam sequitur vita aut mors æterna. De his rebus uti agamus, reliquum est.

2. Judicium quidem κατ' ἐξοχὴν dicitur universalis manifestatio filiorum Dei & Diaboli (quæ fit in corporibus utrorumque) nihilominus in utrisque id judicium antecedit, quoad spiritum, illorum πλείωσις *consummatio* in gloria cœlesti; horum conclusio in carcerem. De illis vide Hebr. 12: 22. 23. 2: 10. Gal. 4: 26. Joh. 11: 26. 14: 2. Luc. 16: 22. 25. collato Matth. 8: 11. Hebr. 11: 16. Matth. 22: 32. In quo loco includitur etiam testimonium legis Exod. 3: 6. (quod in hanc mentem etiam citat Manasses de resurr. p. 68.) Luc. 23: 43. Rom. 8: 10. 2 Cor. 5: 1. 2. 3. 4. 8. Phil. 1: 23. 1 Petr. 4: 6. Prov. 15: 24. Psalm. 49: 16. Eccl. 12: 7. Gen. 5: 24. Deut. 32: 49. collato Exod. 12: 15. Lev. 7: 25. 12: 28. Exod. 33: 20. Lev. 18: 5. Deut. 32: 46. 1 Sam. 25: 29. 2 Reg. 2: 1. 11. Psal. 25: 13. 27: 13. 31: 6. Prov. 11: 7. 14: 32. Es. 57: 2. De his 1 Petr. 3: 19. Luc. 16: 22. 23.

Judicium.

3. Quamobrem improbus est error Socini & Socinianorum, qui animum post corporis tabernaculum destructum vel superesse vel certè vita ac sensu uti negant: recedentes ab ea veritate, quam ab antiquissimis temporibus παραδόσιν, conscientia astipulante, tenuerunt omnes gentes, ad stolidas Saducæorum opiniones & atheorum vecordiam. Cui adjungunt parem vesaniam, quando dicunt, in lege non esse promissionem vitæ æternæ.

Error de νήψει aut ἀναισθησίᾳ animæ.

4. Uterque error naturæ humanæ repugnat. Naturæ enim hominis hoc convenit, ut animus ejus nec possit occidi vel extingui (spiritus enim est. quod vel ejus operationibus deprehendimus)

nec esse desinere, ulla de causa. Quippe quum in eo sint eæ facultates, intellectus & voluntas, quæ citra imaginem Dei sive rectitudinem (quæ est ὁσιότης ϗ ἀληθείας *sanctitas* voluntatis operationumque secundùm *veritatis* cognitionem) à Deo rectè & bene condi non potuerunt. Qua imagine in homine posita, necesse est, hominem recto amore tendere ad fruitionem Dei tanquam solius boni sui in vita stabili & perpetua; & eum rectum amorem ac quæstionem Dei non esse frustra; atque illius quæstionis omissionem atque Dei abnegationem æterni damni experientia & sensu vindicari; quia Deus seipsum abnegare non potest. Igitur *vita*, quam lex promittit, nihil aliud esse potest, quàm fruitio & visio Dei beatifica; ad quam appetendam ipsa natura hominem ducebat: & nunquam animus in eum statum venit, ut sit absque sensu vel lætitiæ vel doloris.

Iudicium quomodo futurum?

5. Ad solenne judicium descendet Dominus ipse de cœlo & veniet in nubibus *cum celeusmate* ad vivos, *cum voce archangeli* sive angelorum principis (veniet enim cum angelis sanctis) *cum tuba Dei* h. e. divinæ potentiæ imperio mortuos excitante. 1 Thessal. cap. 4:16. 2 Thess. 1:7. Apoc. 1:7. Matth. 16:27. 24:30. 25:31. 26:64.

Iudicium per Filium agitur.

6. Judicium omne dedit Deus Filio, quia is filius hominis est. Joh. 5:22. 27. Actor. 10:42. 17:31. Ezech. 20:32. Es. 11:3.4.5. Psalm. 2:12. 72:1. Nempe voluntas Dei est consentanea ipsius gratiæ, qua Filium nobis dedit Sponsorem & Mediatorem Testamenti, Sacerdotem, Intercessorem, Dominum, fratrem, sponsum, caput, qui habet δικαίωμα ϗ νόμε ad nos justificandum; ipsaque gratia non aliud postulat, quàm ut idem suos sua intercessione salvet, & hostes suos condemnet.

Dies judicii.

7. Ei judicio certus est à Deo constitutus dies. Actor. 17:31. 2 Thessal. 1:10. 2:2. sed omnibus creaturis incertus & ignarus, 2 Petr. 3:10. Marc. 13:32. 1 Thess. 5:2. Actor. 1:7. 1 Cor. 15:52. ita tamen ut præcedant illum signa εἰς ἀπεκδοχὴν *ad præstolationem*, Matth. 24:30. 31. 32. Luc. 21:27. 28. quæ fidelibus sunt (Domino hoc imperante) observanda ab ipso initio, ut in omne momentum parati simus ad excipiendum quodque eorum, quæ ipsius παρουσίαν *adventum* prænunciant, tanquam adventum quendam Domini in re quidem evidentem, eo, qui operatur, interim non viso. Matth. 16:28. Apoc. 2:16.25. 3:3. 11. 20. 14:1. 16:15. 19:11.

Consummatio seculi.

8. Cum adventu Christi erit συντέλεια τ̃ αἰῶνος, hoc est, consummatio illius moris vivendi & agendi, qui nunc est. Matth. 24:3.

Move-

Movebitur enim cœlum & terra, Hebr. 12: 26. Hag. 2: 6. Quod fit variis modis, donec abeant, quæ moventur, ut maneant, quæ non agitantur. Huc refero Zoph. 1: 2. 3. & Es. 65: 17. & Apoc. 21: 1. & casum siderum, Apoc. 6: 13. Matth. 24: 29. Tantùm observetur, Ea, quæ manent, habere initia inter ea, quæ moventur, ut paullatim confirmentur, proferantur, manifestentur, & à scoriis ac quisquiliis purificentur. 2 Cor. 5: 17. Psalm. 102: 27. Hebr. 1: 11.

9. Abolitio finalis prætereuntium fiet igne. 2 Petr. 3: 10. 11. 12. *Ignis.* ut creatura liberetur à servitute vanitatis, id est, peccati & miseriæ, cui *invita*, hoc est, præter naturæ suæ institutum propter voluntatem Dei, in longanimitate sibi parantis populum peculii sive thesauri, subjecta est. Rom. 8: 19. 20. 21.

10. Præcedet resurrectio mortuorum, hoc est, vivificatio cor- *Resurrectio.* porum, quæ in pulvere terræ jacebunt. 1 Thess. 4: 16.

11. Mortuos resurgere, multis & argumentis & testimoniis constat. Qualia sunt 1. *promissio vitæ.* Ea excludit omnem mortem. 2. subjectio hostium Christi. 1 Cor. 15: 25. 26. Quod enim vitæ contrarium est, hostis Christi est; qui est vita: &, quod rem Christi ac templum ejus prosternit, hostis est. Corpus autem est Christi. 3. contritio capitis Serpentis, sive destructio operum Diaboli. Gen. 3: 15. 1 Johan. 3: 8. 1 Cor. 15: 54. 55. 56. 4. quòd proinde Christus non tantùm est vita, sed & resurrectio. Joh. 11: 25. 5. quòd Deus noster est. Matth. 22: 32. Luc. 20: 37. 38. 6. quòd liberati sumus à lege mortis. Rom. 8: 2. unde corpori ἀπολύτρωσις. Rom. 8: 23. 7. quòd corpora nostra sunt templa Spiritus Sancti. 1 Cor. 6: 19. 20. Rom. 8: 11. 8. quòd Christus caput nostrum resurrexit. 1 Corinth. 15: 16. 17. 20. 22. Moriente membro Christi, Christus moritur; resurgente, resurgit. 9. quòd communionem habemus cum ipso in morte & in vita. 2 Cor. 4: 11. Phil. 3: 21. in ipso resuscitati. Eph. 2: 5. 6. Col. 2: 12.

12. S. Paulus 2 Tim. 2: 19. doctrinam Resurrectionis carnis vocat στερεὸν θεμέλιον τοῦ Θεοῦ *firmum fundamentum Dei.* Eamque duobus sigillis munitam ostendit, nempe, 1. *quòd Deus novit suos*, hoc est, habet populum electum & redemtum, & illius rationem habet. 2. quòd omni invocanti nomen Domini incumbit ab injustitia desistere. Id enim est argumentum judicii in spiritu & corpore. Deus enim, qui est ποιητὴς, *qui fit, quod est*, creaturæ ad imaginem suam conditæ testatur aliquando & demonstrat, quis ipse sit, quàm sanctus,

quàm

quàm justus, quàm dives, bonus, fidelis. Ideò & promissionibus & comminationibus suis solet subscribere, *Ego Iehovah.*

13. Idem probat eam ex ritu baptismi illorum, qui tetigerant mortuum. 1 Cor. 15: 29. qui injungitur Num. 19: 11. siquidem is baptismus, per quem ad res & locos sacros admittebantur, nihil aliud significare potuit, quàm reditum à morte ad vitam, quemadmodum legalis pollutio per attactum cadaveris significabat legem communem peccati & mortis, & exclusionem ex cœlo per peccatum, à quo est mors. Quod Sir. 34: 27. est בעד, Apostolo est ὑπὲρ. Utrumque בְּ, vel hoc על, id est, *propter.* ut Phil. 2: 13. Rom. 15: 8. 2 Thess. 2: 1. Idem ex sacramento circumcisionis & baptismi eam probat Col. 2: 12. Rom. 6: 5. 1 Cor. 12: 13. Habent & corpora nostra pignus unionis cum Christo in vita hac & futura, nempe panem, super quo benedicimus. 1 Cor. 10: 16. Quemadmodum enim per *communionem corporis Christi* corpus Christi nostrum fit, ita nostrum fit Christi.

14. Nec in Mose ac prophetis desunt testimonia. Deut. 32: 39. Psalm. 90: 3. Job. 19: 26. (quantumvis hoc loco non putet sibi utendum Manasses aliique) Psalm. 17: 15. 49: 16. Et, Abrahamum credidisse in Deum, qui vivificat mortuos, demonstrat Apostolus Rom. 4: 17. Hebr. 11: 19. docetque, omnem liberationem temporalem corporum nostrorum ejus fidei fulcrum esse. 2 Cor. 1: 9. Confer Psalm. 34: 21. Ipsa conversio hominis ad Deum vocatur *resurrectio*, non tantùm, quia similitudinem ejus habet, sed ut fides utriusque sit certa. Vide Ezech. cap. 37: 11. 12. 13. 14. Dan. 12: 2. Es. 26: 19. 25: 8. Hos. 13: 14. Enochi & Eliæ translatio & aliorum mortuorum ἔγερσις *resuscitatio* facta per manum prophetarum & Christi atque Apostolorum, firmum carnis resuscitandæ pignus est. Danieli promittitur *resurrectio* Dan. 12: 13.

Assumtio electorum.

15. Christi adventus & ad hoc comparatus est, ut nos assumat. Joh. 14: 3. Assumet autem suos & qui ex mortuis resurgent & quos vivos ipsius dies deprehendet. 1 Thess. 4: 17. Qui non morientur, sed mutabuntur. 1 Cor. 15: 51. Ut vel inde constet, quemadmodum illi in corporibus suis ad Dominum assumentur, ita nos, excitatos ex mortuis, in corporibus hisce nostris ad Dominum esse assumendos. Omnes enim eodem modo sistemur coram tribunali ipsius vivi & mortui. Rom. 14: 9. 10. Phil. 2: 10. Vide hîc, si lubet, quæ in Summa fœderis diximus § 631.

16. Mu-

16. Mutatio & μεταχηματισμὸς fit corporis *animalis*, h. e. nihil nisi *animam* habentis, in corpus *spirituale*, 1 Cor. 15:44. 46. Phil. 3:21. ut, quemadmodum in hac vita fuimus, ad imaginem patris nostri Adami, *caro & sanguis*, h. e. indigentes victu, &, propter peccatum, *corruptibiles*: ita post resurrectionem, Spiritus Christi operatione, Rom. 8:11. simus *pares angelis*, Luc. 20:36. non indigentes cibis ac potibus, 1 Cor. 6:13. & *incorruptibiles*. 1 Cor. 15:50. 52. 53. *Mutatio corporis.*

17. Neque tantùm ii, quorum Christus est *primitiæ*, vivificabuntur in ipso (1 Cor. 15:22.) sed & injusti excitabuntur, propter causam, quam innuimus § 4. Id docet Scriptura Joh. 5:28. 29. Act. 24:15. *Resurrectio injustorum.*

18. Neque hi excitabuntur, ut deleantur, sed ut in tenebras exteriores projiciantur, ubi est ploratus & stridor dentium (quo carent ii, qui non sunt) & inignem æternum: ut melius ipsis futurum fuerit non nasci. Matth. 8:12. 25:41. 26:24. Es. 66:24. Vanum igitur cerebri humani delirium est, dicere, animam, quum desierit vivere, fortasse per vicariam animam, & corpus per vicarium corpus glorificari aut judicari: vel impios, quum judicati fuerint, esse desinere. Hoc magno mercentur omnes athei: imprimis illi, qui ad formandam ex suo consilio religionem & Scripturas ad suos sensus torquendas admovent manum. Atqui doctrina judicii æterni (Hebr. 6:2.) & Deum nobis & sanctitatem ipsius rectiùs exhibet & ad αἰδῶ καὶ δουλείαν plurimum facit, Hebr. 12:28. 1 Petr. 1:17. 2 Petr. 3:11. & mirum in modum gratiam Dei commendat, &, ut ad eam confugiamus cum vera æstimatione nostræ indigentiæ & impotentiæ, compellit.

19. Est quidem etiam resurrectio, quæ antecedit resurrectionem universalem corporum. Primò enim Christus ipse debuit resurgere ex mortuis, antequam videret φθορὰν *corruptionem*, Psalm. 16:10. Actor. 2:31. 13:35. 36. 37. & II. Christus ipse se Servatorem & victorem mortis demonstrare debuit, tum morbos sanando, & dæmonia expellendo, tum mortuos excitando. quod & ab Apostolis factum est in nomine ipsius. Quare & in morte ipsius aperta sunt sepulchra, quum velum scinderetur; ut intelligeremus, per ipsum dari *exitus mortis*, Psalm. 68:21. & ex pulvere introitum in cœlum: & post resurrectionem ipsius viri sancti resuscitati apparuerunt multis. Matth. 27:53. Quare non est, ut Judæi hoc signum Christi desiderent. Nam & ipsorum quidam, ut Abarbenel, non vult, resurrectionem, quæ futura erat in diebus Christi, esse universalem. *Resurrectio præcedens.*

20. Præterea præcedit eam III. resurrectio mundi ex ignorantia *Resurrectio*

mundi duplex præcedens resurrectionem carnis.

Dei & peccatis, cùm *prima* per vocationem Apostolorum, de qua Joh. 5: 25. Apoc. 20: 6. tum *altera* sequens secundæ mortis regnum in gentibus per indurationem eorum, qui ad cognitionem veritatis aliquam pervenerant, & seductionem gentium in bellum Gogi & Magogi, post pseudoprophetam captum & cum Diabolo conjectum in stagnum ignis. ib. 11. 12. 13. 14. 15. quando totus Israël salvabitur, Rom. 11: 26. & omnes gentes venient, ut adorent coram Deo. Ap. 15: 4. collato c. 11: 15. Dan. 7: 27. Ea verò resurrectio, quam fingunt Chiliastæ ultimum judicium antecessuram, ut martyres & sancti olim defuncti cum Christo in terra regnent, nusquam fundatur in Scriptura, & contraria est verbo Christi, Matth. 26: 64. & Angeli, Act. 1: 11. Petri, Act. 3: 21. & Pauli, Hebr. 9: 28. & Christi, Joh. 18: 36. Luc. 17: 20. Judæi, exspectantes Christum terrenum Monarcham, cui omnia serviant, eum non videbunt, nisi vel quum dicent, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, Matth. 23: 39. h. e. quum ipsum in fide agnoscent & adventum ejus præstolabuntur: vel, quum videbunt oculis suis venientem in nubibus. Matth. 26: 64. Apoc. 1: 7.

Vana exspectatio Enochi & Eliæ?

21. Quemadmodum Judæi non volunt agnoscere regnum Christi, sed illud putant adhuc revelandum ante ultimum judicium; ita errant Pontificii, non videntes Scripturas impletas, in quibus adventus Antichristi denunciatur, & putantes, eum appariturum tribus annis & dimidio ante novissimum diem, & Enochum atque Eliam venturos & mortem passuros & resurrecturos. Non enim Apoc. 11. Enoch & Elias sunt duo testes, sed Scriptura Veteris & Novi Testamenti, in quibus continetur canticum Mosis & Agni.

Separatio ovium à capellis.

22. Assumtio fidelium erit quasi separatio ovium à capellis; h. e. manifestatio filiorum Dei è filiis Diaboli hypocritis, Matth. 25. Eritque testimonium Christi de divina gratia & Testamento, quo hæredes regni constituti sunt. Ejusque judicii justificatio, ad pudorem Diaboli & infidelium gloriantium in operibus suis, sumetur à fidei demonstratione in charitate Christi, in membris Christi exercita. Erit igitur judicium justificationis secundùm opera, ut testimonia gratiæ & justitiæ, non autem ex operibus, ut causis justitiæ.

Adoptio, redemtio exspectanda.

23. Iccirco & *adoptio* nuncupatur Rom. 8: 13. quia est exsecutio *adoptionis*, quam per fidem & spiritum Christi adipiscimur, Gal 4: 5. & hæreditas. Gal. 3: 9. Col. 3: 24. & *redemtio corporis*, quia effectus redemtionis. ibid. Rom. 8. v. 23. Ephes. 4: 30.

LO-

LOCUS TRIGESIMUS SEXTUS
DE
VITA ÆTERNA.

CAPUT XCVII.

Christus judex regnum tradet Patri, 1 Cor. 15: 26. non ut desinat ipse esse Rex (Nam regnum ipsius non habet finem. Luc. 1: 33. ut & sacerdotium. Psalm. 110:4. Hebr. 20: 12. 13. 14.) sed ut per meritum suum consequatur, ut Deus nos impleat & sit omnia in nobis. In quo statu nostro desinet vilitas & impuritas & miseria nostra, qua antea discriminabamur à rege nostro, & manebit communis *subjectio* Christi & nostra in gloria communi. *Tradet Patri regnum Christus.*

2. Nostra glorificatio est gloria Dei. Rom. 5: 2. Nam per eam Deus glorificatur in sanctis suis, & fit admirabilis in omnibus credentibus. 1 Thess. 1; 10. Ex quo efficitur, ut amoris & spei nostræ objectum sit idem: & spes ab amore nostro & amor Dei à spe nostra separari non possit. *Glorificatio piorum gloria Dei.*

3. Status beatorum est videre Deum, Exod. 33: 20. Matth. 5: 8. Job. 19: 26. *satiari specie Dei.* Psalm. 17: 15. *videre ipsum, quemadmodum est.* 1 Joh. 3: 2. 2 Cor. 5: 7. *cognoscere, ut cogniti sunt.* 1 Cor. 13: 12. Id verò ipsum quale sit, nemini adhuc revelatum est, nisi quòd scimus, Deum quidem à nobis comprehensum non iri (est enim & manebit ἀκατάληπτος *admirabilis*, hoc est, incomprehensibilis & habitans lucem inaccessam. Unde non rectè infertur, qui Deum vident, videre ea, quæ Deus videt & vult) sed tamen, ut καταλαβόντες *apprehendentes* & adepti fruemur suavitate Dei ipsius, qui sese longè intimiùs potest infundere animabus nostris, quàm anima nostra & animæ nostræ habitus intimè corpori nostro se infundit. Et verò omnes suavitates nihil aliud sunt, quàm sperastra, quibus erigimur ad considerationem, æstimationem & desiderium fruitionis Dei ipsius, ut boni nostri summi & unici. Quæ fruitio Dei erit vita perfectissima, h. e. ἐνέργεια sive *operatio* animæ & sensuum gloriæ capacium optima, sanctissima, integerrima, jucundissima, sine querela, sine dolore, sine requiete tranquillissima, sine satietate plenissima & saturrima. *Videre Deum.*

Differentia gloriæ: 4. In gloria singulorum erit differitas; tamen sine invidia, & cum maximæ gloriæ, etiam capitis, redundatione in omnes. 1 Cor. 15: 41. 42. 2 Cor. 5: 10. Dan. 12: 3. Confer 1 Cor. 12: 24. 25. 26. Differentia non est ex meriti proportione diversa, neque arguit justificationis discrepantiam, sed erit secundùm gratiam Dei, qua Christo datum est corpus, in quo se Dei *multùm varians* sapientia ostenderet.

& pœnæ. 5. Item in pœna erunt gradus. Luc. 12: 47. 48. Matth. 11: 22. 24. Matth. 5: 22. Rom. 2: 5. 6.

Improbi semper peccant. 6. Improbi nunquam desinent peccare: quia nunquam desinent blasphemare, & blasphemia nunquam non erit transgressio & debiti violatio. Et, quemadmodum Diabolus catenis caliginis custoditur in judicium, 2 Petr. 2: 4. Jud. 6. hoc est, severitate Dei sub peccato & cruciatu retinetur; maledictus ultra bestias: ita & semen ipsius.

Μετεμψυχώσεις. 7. Pythagoricas & Judaicas *μετεμψυχώσεις animarum transmigrationes*, & Origenianam restitutionem in integrum & *ἀποκατάστασιν* corporum, (vide Hieron. tom. 2. Ep. 61. ad Pammach. de errorib. Joan. Hieros. c. 8.) relinquimus suis auctoribus.

Usus doctrinæ Christianæ. 8. Nostrum erit, *abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, sobriè, justè & piè vivere in hoc seculo, expectantes beatam illam spem & illustrem manifestationem gloriæ magni illius Dei & Servatoris nostri Iesu Christi, qui seipsum dedit pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem studiosum bonorum operum.* Tit. 2: 12. 13. 14.

ERRATA.

Pag. 167. *l.* 7. *l.* Ioh. 8: 168. 12. à f. l. *spiritus* 216. § 50. 2. inornata & 222. *l.* 13. voluntas ejus 253. § 8. 3. Si enim 280. § 3. 4. habenti 289. 1. citra 317. l. 11. *Eant* 319. *l. antep.* eumque 338. 19. 2 Cor. 339. *l.* 6. *à f.* plasmatis, 361. 6. 9. sibi fidere 394. § 4. 3. Ier. 31: 32. 428. § 19. 4. habent. 444. *l.* 19. Gen. 20: 450. *l.* 7. 2 Tim. 1: 7. 469. 11. Col. 2: 489. § 13. 9. Actor. 13: 12. neque id, 496. § 29. 3. Psalm. 5: 508. § 9. 6. 2 Cor. 2: 510. § 32. 16. 1 Th. 5: 528. § 21. 10. debiroti, 554. 6. *à f.* possint. 559. 11. datum 560. 7. peccatorem, proficiscitur; 577. § 2. 8. quo maturescebant 608. 10. Hebr. 2: § 8. 2. appellatur... *desita*, 6. quam habere dicitur *εἶναι* 10. quam habere dicitur *esse filium hominis.* 633. § 13. 5. habeamus, 680. 2. dotem 685. 3. 1. non ut reus, 757. 17. 4. *Populus autem voluntarius*, 772. § 12. *l.* 2. quòd ii, 778. *l.* 2. glorificari, § 25. l. 5. *cum Christo* 779. *l. penult.* maximè si 795. § 4. *l.* 11. gladii, 797. *l.* 1. *pro* multa *lege* nulla 800. § 14. *l.* 10. impetrare. 843. § 8. *l.* 7. sunt. 845. *l.* 3. at 875. *l.* 6. adhuc quàm 876. *l.* 22. mox 897. § 22. *l.* 7. Quin cum 905. § 1. *l.* 8. *dele* Christo 931. *l.* 1. hac re *l.* 2. scil. pauper non *l.* 8. *à f.* qui dicunt, non licere 934. *l.* 19. redargui; l. 20. obtrectes 941. § 17. *l.* 5. illud 966. 10. 1. magistratus 971. 2. quod is 972. 10. Psalm. 49: 978. *l.* 5. habere; habete 979. 8. *à f.* degenerantium.

FINIS.